JOANNIS DUNS SCOTI

DOCTORIS SUBTILIS, ORDINIS MINORUM

OPERA OMNIA.

JOANNIS DUNS SCOTI

DOCTORIS SUBTILIS, ORDINIS MINORUM

OPERA OMNIA

EDITIO NOVA

JUXTA EDITIONEM WADDINGI XII TOMOS CONTINENTEM A PATRIBUS FRANCISCANIS DE OBSERVANTIA ACCURATE RECOGNITA

TOMUS SECUNDUS

QUÆSTIONES Super libros Elenchorum Aristotelis
Super lib. I Priorum
Super lib. II Priorum
Super lib. I Posteriorum
Super lib. II Posteriorum
In libros I, II et III Physicorum

PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM

VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

—

MDCCCXCI

F. JOANNIS
DUNS SCOTI
DOCTORIS SUBTILIS
IN LIBROS ELENCHORUM QUÆSTIONES

De Sophisticis autem Elenchis, et de his quæ videntur quidem Elenchi, sed non sunt, sunt autem paralogismi, dicemus incipientes secundum naturam a primis, etc. Cap. 1. primi hujus, in princ.

QUÆSTIO I

Utrum Logica procedat ex communibus

Aristot. 1. *Post. cap.* 12. *text.* 27. Averr. *et* Paul. Ven. *ibid.* Doctor *quæst.* 2. *Univers. et* 1. *Post. quæst.* 23. Tartar. *quæst.* 1. *Proœm.* Joan. Angl. *et* Bras. *super quæst.* 2. *Univ.* Joan. de Magist. 1. *Post. quæst.* 9. *et quæst.* 1. *Proœm. Log.dub.* 3. Faber *Theorem.* 1. *cap.* 1.

1. *Argumenta pro parte negativa*

Quod non, probatio : nam scientiæ comparantur ad subjectum, sicut potentia ad objectum ; sed unius potentiæ unum est objectum per se ; ergo unius scientiæ unum erit subjectum per se : sed *ens in communi,* ratione cujus dicitur scientia communis, est subjectum per se in Metaph. ergo non in Logica, quare, etc.

Item, Logica est de Syllogismo, tanquam de subjecto, et etiam considerat de his quæ habent attributionem ad Syllogismum, sicut de Termino, et Oratione : sed illa non sunt communia : nam non quodlibet est syllogismus ; sed a communitate subjecti dicitur scientia communis ; ergo, etc.

Oppositum dicit Aristoteles 1. Posteriorum. Si Logica esset alicujus generis determinati non interrogaret.

2. Ad quæstionem dicendum, quod Logica est de communibus, et Philosophia prima, sed diversimode : nam Philosophia prima considerat *ens* inquantum *ens* est, unde considerat rem secundum suam quidditatem. *Conclusio Doctoris.* Et quia quidditas rei est entitas per se rei, ideo Philosophia prima considerat rem secundum suam entitatem. Et quia considerat rem secundum suam quidditatem, et entitatem absolute, et multa consequuntur rem, ut sic ; ideo primus Philosophus potest ostendere passiones de subjecto suo, et de quolibet alio. Licet enim sumendo *ens* prout intelligitur in communi, et secundum quod comprehendit sub se esse cujuslibet rei, non possit de eo aliquid ostendi, tamen de ente secundum suam quidditatem, multa possunt ostendi ; nam multa consequuntur ipsum secundum suam quidditatem, ut *esse perfectum,* et *imperfectum,* et multa alia. Similiter Logica est de ente communi, sive considerat ens in communi. Sed *ens est duplex,* scilicet naturæ, et rationis. *Ens, aliud naturæ, aliud rationis.* *Ens* autem *naturæ* inquantum tale, est cujus esse non dependet ab anima. Sed *ens rationis* dicitur de quibusdam intentionibus, quas adinvenit ratio in ipsis rebus, cujusmodi sunt *Genus, Species, Definitio,* et hujusmodi. Ens autem dictum isto secundo modo æquiparatur secundum communitatem enti priori modo dicto. Non enim est aliquod ens naturæ quin possit cadere sub ente rationis, et quin super ipsum fundari possit aliqua intentio, ut puta Generis, vel Speciei, vel Differentiæ, vel Proprii, vel Individui, vel saltem causæ, vel causati.

Quia ergo Logica est de hujusmodi intentionibus, quæ applicabiles sunt omnibus rebus, ideo Logica dicitur ex communibus procedere.

3. *Nota.* Ulterius sciendum, quod licet Logica quantum ad doctrinam sit ex communibus, diversus est tamen usus doctrinæ, quæ traditur in Dialectica, et in Demonstrativa. Nam Dialectica est ex communibus, et in singulis scientiis ad proprias conclusiones ex communibus arguit. Nam ostendit quod amor, et odium sunt in eodem susceptibili, non per proprietatem amoris, vel odii; sed per hoc medium, quod contraria nata sunt fieri circa idem : unde ex communibus non arguit ad communia; sed ex communibus arguit ad proprias conclusiones. Illa autem pars Logicæ, quæ est Demonstrativa, etsi in doctrina tradatur de communibus, puta de Syllogismo demonstrativo, et de attributis ad ipsum, quæ sunt communia cujuslibet scientiæ; tamen in singulis scientiis arguitur per proprium medium. Nam Geometra utitur ratione demonstrativa, unde accipit primas, et veras causas conclusionis, et per proprium medium arguit ad propriam conclusionem. Sed arguens Dialectice aliam,et aliam conclusionem in alia, et alia scientia, per idem medium potest ostendere : unde in naturali Philosophia et medicina potest diversa, et diversa conclusio ostendi, per idem medium.

Ad 1.princ. Ad primum argumentum in oppositum dicendum, quod unius scientiæ unum est subjectum per se. Ulterius, cum dicitur ens in communi consideratur a primo Philosopho, dico quod *ens naturæ* in communi consideratur a primo Philosopho : *ens* autem *rationis* a Logico.

Ad 2. Ad aliam rationem dicendum, quod impossibile est aliquid esse in rerum natura, quin sicut habet esse, sic habeat *quod quid est,* modo ut habeat *quod quid est,* sic a primo Philosopho consideratur. Unde per hoc quod dico, quod ens naturæ a primo Philosopho consideratur, et ens rationis a Logico, non intendo aliquid excludere a consideratione primi Philosophi. Si enim considerem hanc intentionem, quæ est *species,* et hanc quæ est *genus,* inquantum quædam specialia entia sunt, sic collocantur in genere determinato, et cadunt sub consideratione ejus, cujus est *quod quid est* determinare, inquantum tamen intentiones sunt, sic cadunt sub consideratione Logici. Licet enim quidditas Generis secundum id quod est, non conveniat Substantiæ et Qualitati, intentio tamen Generis convenit Substantiæ, et Qualitati. Unde ad rationem dicendum, quod istæ intentiones si considerantur ut quædam specialia entia sunt, sic non sunt communia. Si tamen considerantur, ut sunt rebus applicabilia, communia sunt, sic de eis est Logica. Unde consideratio Logici est de hujusmodi intentionibus prout rebus sunt applicabiles. Et ideo Logica dicitur esse de communibus.

QUÆSTIO II

Utrum ars Sophistica sit scientia

Joan. de Magist. *quæst.* 1. *sup. Elench.* Aversa *quæst.* 1. *Procem. Log. sect.* 5. Complut. *disp.* 1. *Procem. quæst.* 5.

Quod non, probatio. Nam scientia est effectus demonstrationis, 1. Poster. cont. 5. sed ars Sophistica non est effectus demonstrationis, cum sit effectus syllogismi sophistici : sicut scienta est effectus syllogismi demonstrativi. Item, ars Sophistica est apparens sapientia, et non existens, 1. Elenchorum cap, 1. sed quod est aliquid secundum apparentiam tantum, non est illud quod apparet : cum ergo Sophistica sit apparens sapientia, et non existens, non erit scientia. 1. *Argumenta pro parte affirmativa.*

Item, si Sophistica esset scientia, Sophista esset sciens. Consequens falsum, ergo Antecedens. Falsitas Consequentis patet ex hoc,quod Sophista est ab apparente scientia, et non existente, captiosus, 1. Elenchorum.

Item, Sophistica operatur ad deceptionem, sed nulla scientia intendit deceptio-

nem; nam omnis ars, et omnis doctrina, bonum quoddam appetere videtur.

Oppositum patet per Philosophum in littera 1. Ethic.

QUÆSTIO III

Dato quod Sophistica sit scientia, utrum sit de Syllogismo sophistico, tanquam de per se subjecto

Aristot. 1. *Elench. cap.* 1. *et* 2. Averroes *Com. primi loci cit.* Tartar. 1. *Elench. quæst.* 1. Joannes de Magist. *ubi supra quæst. præced.*

1. *...umen- ...ro par- ...egati-* Quod non videtur; nam de subjecto oportet præsupponere *quid est*, et *quia est;* sed syllogismum Sophisticum esse, probatur in ista scientia 1. Elench. cap. 14. ergo, etc.

Item, illud quod est per se obliquitas alicujus recti, non cognoscitur nisi per cognitionem sui recti. Et hujus ratio est, quia obliquus non causat aliam speciem in scientia, quam speciem recti, cum rectum sit judex sui, et obliqui: cum ergo Syllogismus Sophisticus sit per obliquitas syllogismi Dialectici, non erit aliqua scientia per se de syllogismo Sophistico, sed per se de Dialectico, per accidens de Sophistico.

Item, de non ente non est scientia, nam scientia est veri; et ens, et verum convertuntur: cum ergo syllogismus Sophisticus sit non ens, de eo non erit scientia. Major patet de se, et minor patet per Aristotelem 6. Metaph. qui dicit, quod non male fecit Plato, qui collocavit sophisticam sub non ente.

Item, illud quod tantum apparet, non cognoscitur, nisi per attributionem ad illud quod apparet: cum ergo syllogismus Sophisticus sit tantum secundum apparentiam verus Elenchus, de eo non erit scientia per se, nisi per attributionem ad verum Elenchum.

Ad oppositum Aristoteles 1. Elenc. cap. 1. in dando suam intentionem, dicens: *De Sophisticis autem Elenchis*, etc. Similiter 1. Elench. cap. 2. in separando sui disputationem ab aliis, dicens: *De demonstrativis et Dialecticis dictum est, de Agonisticis vero, et litigiosis nunc dicemus.*

Ad primam quæstionem dicendum, quod Sophistica, et Dialectica, uno modo consideratæ, habent rationem scientiæ. Alio modo consideratæ, a ratione scientiæ recedunt. Si enim Dialectica consideretur, ut habet considerationem de quibusdam intentionibus, quas ratio adinvenit in re, instituens in illis quemdam modum, quo procedere potest a principiis ad conclusiones, sic Dialectica debet dici scientia. Si autem isto modo adinvento utatur in aliis scientiis, sic a scientiæ ratione recedit. Nam sic solum procedit ex probabilibus: unde scientia Dialectica traditur per demonstrationem, usus tamen ejus in probabilibus consistit. Similiter etiam de Sophistica est dicendum. Si enim Sophistica consideretur, prout habet considerationem de principiis Sophisticis, instituens in illis quemdam modum, quo potest procedi ad conclusiones, quas concludit Sophista; sic Sophistica est scientia: nam sic Sophistica traditur per determinata principia. Ita enim ostenditur apparentia de syllogismo Sophistico per unitatem vocis, tanquam per proprium medium; sicut *habere tres* de triangulo per ejus definitionem. Si autem isto modo adinvento utatur ad concludendum aliquid falsum per syllogismum Sophisticum, sic a scientiæ ratione recedit. 2. *Conclusio Doctoris ad quæstionem 2. Dialectica dupliciter consideratur. Sophistica dupliciter consideratur.*

Ad primam rationem in oppositum dicendum, quod major est vera. Ulterius cum dicitur, Sophistica non est, etc. Dico, quod si Sophistica consideretur, prout est quædam scientia tradita per demonstrationem, sic est effectus demonstrationis. Sed si accipiatur pro falsa credulitate aggenerata per syllogismum Sophisticum, sic non est scientia, nec effectus demonstrationis. 3. *Ad 1. princ. quæst. secunda.*

Ad aliam rationem dicendum, quod si Sophistica consideretur, prout est quædam scientia tradita per principia determinata, sic non solum est apparens *Ad 2.*

scientia, sed existens. Sed si accipiatur pro falsa credulitate aggenerata per syllogismum Sophisticum, sic est solum apparens scientia, et non existens, nam sic arguens sophistice, videtur arguere, cum tamen non arguat.

Ad 3. Ad aliam rationem dicendum, quod Sophistica accepta prout est tradita per principia determinata, est scientia, et habens eam, dicitur sciens : sed si accipiatur pro falsa credulitate non est scientia, ut prius dictum est, nec habens eam, dicitur sciens.

Ad 4. Ad ultimam rationem dicendum, quod non determinatur de aliquibus obliquitatibus, ut eis utamur, sed ut ab eis caveamus. Si enim nulla esset obliquitas, quæ posset decipere, supervacaneum esset de ea determinare : unde de Sophistica non determinatur per se, ut faciamus deceptionem, sed ut deceptionem vitemus : et quia deceptio vitari non potest nisi cognita, ideo primo determinatur de modo decipiendi.

4. *Conclusio Doctoris ad quæst. præsentem.* Ad aliam quæstionem dicendum, quod de syllogismo Sophistico est ista scientia, tanquam de per se subjecto. Nam illud est subjectum in scientia, quod habet passiones de eo demonstrabiles in scientia per causam : sed syllogismus Sophisticus est hujusmodi; ergo, etc. Probatio assumpti, scilicet minoris. Nam apparentia potest ostendi de syllogismo Sophistico per unitatem vocis, tanquam per proprium medium : ergo habet passiones demonstrabiles de eo per proprium medium; potest ergo esse scientiæ Sophisticæ subjectum. Et ad hoc signum evidens. Nam Aristoteles 1. Elench. cap. 1. separando disputationem, de qua intendit in hoc libro, ab aliis : dicit, *De demonstrativis, et Dialecticis in aliis dictum est, sed de litigiosis nunc dicemus.* Cum ergo ista de quibus determinat Aristoteles in hoc libro, sint principia Syllogismi apparentis, inquantum apparens est, cujusmodi est syllogismus Sophisticus; syllogismus Sophisticus erit subjectum in ista scientia.

5. *Ad* 1. *princ, quæst. præsentis.* Ad primam rationem dicendum, quod quando non est manifestum, quod aliquid sit subjectum in scientia, nihil prohibet persuadere esse illius subjectum, verumtamen subjectum esse in scientia non potest probari per aliqua principia priora in illa scientia : nam subjectum debet esse primum in scientia. Nunc autem Aristoteles ostendit syllogismum Sophisticum esse per similitudines, et non propria simpliciter. Quia enim syllogismus Sophisticus apparens est, et non existens, ideo utile fuit ostendere syllogismum Sophisticum esse in hoc libro.

Aliter dicitur, quod Philosophus non ostendit syllogismum Sophisticum esse in hoc libro, sed ostendit ipsum esse deceptorium, et hoc, ut dicit expositor, apparet si media Philosophi inspiciantur : nam Philosophus accipit hoc medium primo quod in rebus ita est quod quædam res apparent esse tales, quales sunt, et quædam quales non sunt. Et ideo circa tales decipimur, unde syllogismum Sophisticum esse deceptorium ostenditur in ista scientia, et non ipsum esse. *Alia Sc[...]tio.*

Ad secundam rationem, conceditur major : ad minorem tantum cum dicitur, quod syllogismus Sophisticus est per se obliquitas syllogismi Dialectici, interimendum est : cujus ratio est, nam obliquitas alicujus naturæ constituitur in esse, solum per negationem sui recti. Sed syllogismus Sophisticus non constituitur in esse, solum per negationem syllogismi Dialectici, nam inesse constituitur per apparentiam, et apparentia etiam pertinet ad suum rectum, scilicet ad syllogismum Dialecticum. *Ad* 2.

Ad tertium dicendum, quod si syllogismus Sophisticus consideratur prout cadit in usu arguendi sophistice, sic procedit ex falsis; et sic syllogismus Sophisticus non est subjectum, nec de ipso est scientia, imo ut sic, rationem scientiæ a se excludit. Si tamen consideretur prout est quid traditum per determinata principia, quæ sunt media ad determinatas conclusiones, quorum unum potissimum, et primum est unitas vocis ; sic est ens suo modo, et potest esse subjectum scientiæ. *Ad* 3

Ad quartam rationem dicendum, quod *Ad*

materia duas propositiones sibi determinat, licet illud quod tantum apparet non cognoscatur, nisi per attributionem ad illud, quod apparet, nihil tamen prohibet aliquas passiones esse de eo demonstrabiles : et per consequens de tali potest esse scientia.

QUÆSTIO IV

Utrum Syllogismus habens præmissas falsas, vel præmissam quæ dicitur peccans in materia, sit Syllogismus

Aristot. 1. *Top. cap. et* Interpretes *ibid.* Vide Doct. *quæst.* 4. *primi priorum.* Tartar. 1. *Elench. quæst* 3. Conimbr. *in* 1. *Top. quæst. unic. art.* 2. Vide Complut. *et* Summulist. communiter *tract. de arg. et conseq.*

1. *Argumenta pro parte negativa.* Videtur quod non : nam præmissæ sunt causæ conclusionis, quia in ratione Syllogismi accipitur, quod conclusio sequatur ex præmissis, *ex eo quod hæc sunt;* sed non ens nullius est causa. Et falsum, et non ens convertuntur, sicut verum et ens. Cum ergo præmissæ sint falsæ, per positum non possunt esse causa conclusionis.

Ad istud dicitur, quod licet præmissæ falsæ non sint causæ conclusionis in essendo, sunt tamen causæ in inferendo. Contra, si ad rationem Syllogismi sufficeret quod præmissæ essent causæ conclusionis in inferendo, sequeretur quod petitio principii sit bonum argumentum : Consequens est falsum, ergo Antecedens. Falsitas Consequentis patet ex hoc, quod Aristoteles 1. Elench. cap. 4. reducit tredecim locos Sophisticos, de quorum numero est *petitio principii*, in ignorantiam Elenchi, eo quod omnes sunt immodificati. Probatio consequentiæ, nam in petitione principii potest esse bona illatio. Si enim arguitur sic ; *Omnium oppositorum est eadem disciplina, contraria sunt opposita* ; *ergo*, etc. Hic est necessaria illatio conclusionis ex præmissis, et tamen est petitio secundum principium ; quare, etc.

Item, quod est de ratione argumenti, est de ratione Syllogismi ; sed de ratione argumenti est, quod faciat fidem de conclusione : nam *argumentum est ratio rei dubiæ faciens fidem*, secundum Boet. sed falsum non facit fidem ; ergo, etc. Item, quando ad esse alicujus speciei, vel compositi requiruntur duo, scilicet materia, et forma, illa species, vel compositum non solum potest deficere, propter defectum formæ, sed etiam propter defectum materiæ ; si enim ad speciem denarii requiratur materia argentea, talis forma non solum deficit a specie denarii, propter defectum formæ, sed etiam propter defectum materiæ argenteæ. Cum ergo ad Syllogismum requiratur materia, et forma, sicut deficit propter defectum formæ, sic deficiet propter defectum materiæ ; sed talis Syllogismus deficit in materia, cum dicitur peccans in materia ; ergo, etc.

Oppositum patet per Aristotelem 1. Topicor. cap. 1. Syllogismus Sophisticus qui dicitur procedere ex falsis, Syllogismus est, et Syllogismus dicitur. Item, duæ Præmissæ se habent ad conclusionem sicut Antecedens ad Consequens ; quod ergo non impedit consequentiam, non impedit Syllogismum. Sed falsitas Antecedentis non impedit consequentiam. Nam hæc est vera, *Si Socrates volat, Socrates movetur.* Et similiter hæc sic, *Si homo est asinus, homo est animal.* 2. *Argumenta pro parte affirmativa.*

Ad quæstionem dicendum, quod non est de ratione Syllogismi quod procedat ex veris, neque ex necessariis, neque ex probabilibus, quia *veritas, necessitas* et *probabilitas sunt* proprietates ipsius rei. Cum ergo syllogismus secundum suum formale, sit ens rationis, istæ proprietates non erunt Syllogismi, inquantum Syllogismus est. Unde syllogismus sic se habet ad Syllogismum, qui procedit ex falsis, et ad Syllogismum Dialecticum, et demonstrativum, sicut circulus se habet ad circulum ligneum, et æneum. Circulus vero nullam materiam sibi determinat : unde in quacumque materia reperiatur, sive forti, sive debili, dummodo forma circuli ibi salvetur, circulus dicitur. Similiter Syllogismus pro 3. *Conclusio Doctoris. Syllogismus pro formali est ens rationis.*

et tres terminos, unde Aristoteles 1. Priorum dicit, quod in Syllogismo una propositio se habet ut totum, alia ut pars. Quod Syllogismus ergo reperiatur in materia necessaria, vel probabili, hoc sibi accidit inquantum Syllogismus est. Et hujus signum est, nam Aristoteles de Syllogismo in communi non ostendit quod procedat ex veris neque ex necessariis, sed istas conditiones ostendit de syllogismo demonstrativo. Hoc etiam patet per suam probationem communem in lib. Priorum, ubi ad probandam veritatem Syllogismi, docet ipse sumere oppositum conclusionis cum altera præmissarum, inferendo oppositum alterius præmissæ, ut sic Syllogismus probans sit bonus, et probatus; si ergo syllogismus primus processit ex veris, syllogismus ex opposito habebit unam præmissam falsam.

4. *Ad primum princ. Ad Syllogismum tria requiruntur.* Ad primum argumentum dico, quod *ad Syllogismum tria requiruntur*, scilicet *figura*, quantum ad dispositionem terminorum. Et *modus*, quantum ad dispositionem propositionum. Et tertio requiritur *necessaria illatio* conclusionis ex præmissis. Et ideo in definitione Syllogismi, accipitur quod *per ea quæ posita sunt aliquid aliud a positis necesse est evenire.* Unde licet præmissæ falsæ non sint causæ in essendo, sunt tamen causæ in inferendo.

Ad rationem contra hoc dico, quod petitio principii in demonstrativis scientiis, potest esse bonum argumentum, unde petitio principii non peccat contra syllogismum simpliciter : sed contra syllogismum probantem. Est ergo deceptio in probatione, et non in syllogizatione : et ideo dicitur, quod sumitur, quod probari debet, et consequentia non negatur.

Ad 2. Ad aliud argumentum potest dici, quod Boetius non definit argumentum in sui communitate ; sed solum argumentum probans : et hoc, quia illa, quæ non probant, videntur esse inania. Unde, quod Syllogismus ex falsis procedens, non sit argumentum probans, hoc concedo. Vel potest dici, quod argumentum est ratio, quæ apta nata est de se facere fidem : quod tamen non semper faciat fidem, hoc est, propter applicationem ad materiam. Sicut loquendo de natura motus in communi, dicitur, quia omne quod movetur velocius, et tardius contingit moveri : si tamen applicetur ad materiam spiritualem, aliquis est motus, qui nec intendi potest, nec remitti. Unde quod non semper argumentum faciat fidem, hoc est propter applicationem ejus ad materiam.

Ad aliud dico, quod si Syllogismus deficiat a ratione materiæ quæ ad syllogismum simpliciter requiritur, quæ sunt tres termini, et duæ propositiones, et talis syllogismus a ratione syllogismi deficit, sicut si deficeret in forma : tamen syllogismus non dicitur peccans in materia; quia peccet in materia, quæ requiritur ad Syllogismum simpliciter : sed quia peccat contra specialem conditionem Syllogismi. *Ad 3.*

Videtur autem ob multas causas.quorum unus aptissimus est et publicissimus per nomina, etc. *sequitur infra. Hoc autem non est simile : nam nomina quidem finita sunt*, etc. Cap. 1. primi hujus.

QUÆSTIO V

Utrum Syllogismus sophisticus peccans in forma, sit defectus syllogismi simpliciter, vel syllogismi Dialectici

Quod Syllogismi simpliciter, videtur ; quia omne non syllogizans, quod tamen videtur syllogizare, deficit a ratione syllogismi simpliciter ; sed syllogismus Sophisticus peccans in forma est hujusmodi, ergo, etc. Major patet : nam non syllogizare est a ratione Syllogismi deficere.

Item, modus est de ratione Syllogismi, inquantum syllogismus est; sed omnes syllogismi Sophistici deficiunt a modo : dicitur enim in primo hujus, cap. illo, *Aut ergo sic dividentes*, etc. quod omnes loci Sophistici deficiunt, eo quod sunt immodificati. Si dicatur, quod sunt immodificati, quia deficiunt a ratione Syllogismi Dialectici, et

non quia deficiunt a ratione Syllogismi simpliciter.

Contra, a ratione Syllogismi simpliciter dicitur aliquis simpliciter inferens et syllogizans. Si ergo syllogismus Sophisticus non deficiat a ratione Syllogismi simpliciter, nec deficiet a ratione inferendi simpliciter : quare, etc.

Ad oppositum, obliquitates Syllogismi simpliciter determinantur in lib. Priorum, quia ibi determinatur de Syllogismo simpliciter, ideo de ejus obliquitatibus : sed ibi non determinatur de syllogismis Sophisticis, ergo, etc.

QUÆSTIO VI

Supposito quod sit defectus Syllogismi Dialectici,et syllogismi simpliciter, cujus horum primus sit defectus

Quod Syllogismi Dialectici, videtur; quia *Syllogismus litigiosus* per Aristotelem 1. Topic. cap. 1. *est syllogismus ex apparenter probabilibus*. Et 1. hujus cap. 2. dicit quod *Litigiosæ disputationes procedunt ex his quæ videntur probabilia, et non sunt*. Ex his arguitur sic : Illius est Syllogismus Sophisticus obliquitas primo, cujus apparentiam primo prætendit : sed primo prætendit apparentiam Syllogismi Dialectici. Nam procedere ex apparenter probabilibus, et probabile est proprium Dialectici; ergo, etc.Aliquis diceret ad hanc rationem, quod dictum Aristotelis in Topic. et in 1. hujus, habet intelligi de Syllogismo peccante in materia, qui videtur procedere ex probabilibus, cum tamen non procedat. Nam Syllogismus peccans in forma potest procedere ex veris simpliciter, ut si arguatur, *Homo est species, Socrates est homo*; *ergo*, etc.

Sed contra,licet præmissæ in Syllogismo peccantes in forma possint esse veræ, ut tamen ad medium comparantur, necesse est ut altera sit falsa; ergo videtur, quod de utroque sic habeant auctoritates intelligi. Item, formale in Syllogismo Sophistico, est quædam falsa habitudo, supra quam decurrit. Verbi gratia, si dicatur : *Canis currit*; *Sidus cœleste est canis*; *ergo*, etc. Hic est Syllogismus Sophisticus, decurrens super hanc habitudinem, vel Maximam falsam, *uni soli nomini correspondet una res sola* et secundum istam falsam habitudinem localem contradicit Dialectico : ergo primo contra Dialecticum peccat.

QUÆSTIO VII

Utrum peccet contra Syllogismum Demonstrativum

Videtur quod sic,quia illius est defectus, cujus prætendit apparentiam : sed Sophisticus prætendit apparentiam scientiæ, cum ars Sophistica sit apparens sapientia; ergo, etc. Oppositum patet per Aristotelem 1. Posteriorum. In demonstrativis non cadit paralogismus in dictione, neque extra. Item, demonstrativa est alicujus generis determinati, sed Sophistica non est alicujus generis determinati; ergo, etc. 1.

Ad quæstionem primam dicendum,quod syllogismus Sophisticus, qui dicitur peccans in forma, ubi incidit aliquis locus de numero tredecim, peccat contra syllogismum simpliciter, et contra Syllogismum Dialecticum. *Conclusio Doct. ad q. 5.*

Circa quod intelligendum est, quod sicut syllogismus Dialecticus addit supra Syllogismum simpliciter quamdam habitudinem localem, vel Maximam veram,super quam decurrit; sic syllogismus Sophisticus qui dicitur peccans in forma, decurrit super quamdam habitudinem localem falsam; verbi gratia, si dicatur, *Quia quæ potest miles facere, potest et rex*; *sed miles potest debellare castrum*; *ergo et rex*. Hîc est syllogismus Dialecticus decurrens super hanc Maximam, *Quod minus potest, et majus*. Exemplum secundi, si dicatur, *Canis currit, cœleste sidus est canis, ergo*, etc. Hîc est syllogismus Sophisticus decurrens super hanc Maximam falsam, *uni nomini soli correspondet una res sola*. Propter *Nota.*

quod dico, quod syllogismus Sophisticus peccat contra utrumque : nam nec est Syllogismus simpliciter, nec syllogismus Dialecticus. Inquantum enim innititur isti indebitæ habitudini locali, peccat contra Dialecticum : inquantum autem in isto loco, vel in ista habitudine falsa locali, non possunt salvari principia Syllogismi simpliciter, inquantum syllogismus est, quæ sunt *dici de omni*, et *dici de nullo*. Peccat contra Syllogismum simpliciter, propter quod omnis fallacia vere variat medium, et in variando medium, arguitur in quatuor terminis, propter quod omnis fallacia contra utrumque peccat.

Sed dubium est contra quem istorum primo peccat syllogismus Sophisticus. Et hoc pro quæstione secunda.

2. *Prima responsio ad quæst. 6. cum sua ratione.*

Ad hoc autem dicunt quidam, quod syllogismus Sophisticus primo peccat contra Syllogismum simpliciter, quia ad destructionem inferioris non sequitur destructio superioris. Si ergo syllogismus Sophisticus primo peccaret contra Syllogismum Dialecticum, ex hoc non sequitur, quod peccaret contra Syllogismum simpliciter. Propter hoc ponunt, quod primo peccet contra Syllogismum simpliciter, et deinde contra syllogismum Dialecticum.

3. *Refutatio rationis præcedentis.*

Sed qualitercumque sit hæc ratio, non concludit, nam aliqua possunt inesse primo inferiori, et mediante inferiori possunt inesse superiori, sicut *habere tres*, primo convenit ipsi *triangulo*, et mediante triangulo convenit ipsi *figuræ*. Ergo similiter potest esse in oppositione, et repugnantia, quia aliquid potest repugnare inferiori, et ex consequenti suo superiori. Et tunc ad rationem eorum, quando dicunt, quod ad destructionem, etc. Dico, quod superius, et inferius possunt dupliciter considerari, vel absolute. Et tunc ad destructionem inferioris non sequitur, etc. Vel possunt considerari prout superius habet esse in suo inferiori. Et tunc ad destructionem inferioris, sequitur destructio superioris. Licet enim non sequatur, *Hoc non vivit, ergo hoc non est*. Tamen sequitur, *Socrates non vivit, ergo Socrates non est*. Est tamen *vivere* inferius quam *esse*. Similiter cum forma in syllogismo Sophistico sit quædam falsa habitudo localis, in qua non potest forma Syllogismi salvari, talis syllogismus Sophisticus, ratione illius falsæ habitudinis, primo opponitur syllogismo Dialectico. Et quia in ista habitudine falsa, non possunt salvari principia Syllogismi, scilicet *dici de omni*, et *dici de nullo*, ideo ex consequenti peccat contra syllogismum simpliciter.

Superius et inferius dupliciter considerantur.

4. *Opinio expositoris.*

Unde quod primo peccet contra syllogismum Dialecticum, est opinio multorum, et etiam expositoris. Dicit enim expositor, quod quia habitudo localis vera, primo competit syllogismo Dialectico, ideo syllogismus Sophisticus, in quo est habitudo localis falsa, primo repugnat syllogismo Dialectico, quia si propositum in proposito, et oppositum in opposito.

Rationes, quæ ostendunt quod peccet contra syllogismum simpliciter, debent concedi. Et similiter rationes quæ ostendunt, quod primo peccet contra syllogismum Dialecticum.

Solutio rationis in oppositum.

Et tunc ad rationem in oppositum potest dici, quod cum ad Syllogismum requiratur quantitas debita, qualitas, et ordo trium terminorum, et etiam ipsa habitudo, et forma syllogistica : quod de illis obliquitatibus, quæ deficiunt a Syllogismo, ratione qualitatis, et quantitatis, et ordinis terminorum ; libro Priorum determinavit Aristoteles. Sed de illis, quæ deficiunt a syllogismo ratione syllogistica, hîc determinatur.

5. *Probabilis conclusio Doctoris.*

Verumtamen alia pars bene potest sustineri, secundum quod syllogismus Sophisticus primo peccet contra syllogismum simpliciter. Et hoc propter istam rationem, nam omnis non existentia in quocumque loco Sophistico est defectus alicujus particulæ requisitæ ad syllogismum, unde syllogismus est. Hoc patet discurrendo per non existentias locorum Sophisticorum ; nam diversitas rei latens sub unitate vocis, est causa non existentiæ in æquivocatione ; diversitas autem rei variat medium. Et ideo

arguit in quatuor terminis. Sed unitas medii per se requiritur ad Syllogismum, unde syllogismus est. Amphibologia ratione diversitatis, sententiæ consimilem causat defectum. Similiter in fallacia figuræ Dictionis, et in aliis. Hoc etiam patet in fallacia Accidentis, ubi variatio medii causat extraneitatem. Unde Aristoteles 1. hujus, dicit in illo, *Aut vero sic dividentes*, etc. *Paralogismi accidentis fiunt manifesti definito Syllogismo.* Similiter fallacia, quæ dicitur, plures interrogationes ut unam facere, peccat contra unitatem propositionis. Et non causa ut causa, defectus est in Syllogismo ad impossibile. Verumtamen aliqui loci in Dictione, et aliqui extra, ut secundum quid, et simpliciter, et ignorantia Elenchi specialiter peccant contra contradictionem, et contradictio est formale in Syllogismo Dialectico, quia Aristoteles 1. hujus dicit, quod Dialecticæ disputationes sunt collectivæ contradictionum, ideo dicitur quod primo peccant contra syllogismum Dialecticum, et ex consequente contra Syllogismum simpliciter.

Ad rationes illius partis.

6. *Ad primum principale.* Ad primum dicendum sicut dictum est. Et ad illud in contrarium dicendum, quod in Syllogismo peccante in forma, præmissæ possunt esse in se veræ, et in respectu ad medium falsæ. Nam si sic dicatur, *Homo est species, Socrates est homo : ergo*, etc. Si *homo* referatur ad idem, una propositio erit falsa, sed tunc erit syllogismus bonus peccans in materia.

Ad 2 principale. Ad secundum dicendum, quod licei iste syllogismus, *Omnis canis currit*, etc. decurrat super hanc Maximam falsam, *Uni voci correspondet una res sola*, verumtamen non existentia, quæ latet sub hac Maxima, non repugnat Dialectico, inquantum syllogismus Dialecticus est, hoc est manifestum. Nam diversitas rei, et medii est causa non existentiæ : sed unitas rei, et medii non requiritur ad syllogismum Dialecticum, ut syllogismus Dialecticus est : sed ad syllogismum, ut Syllogismus est, id est, ad syllogismum simpliciter.

Sed contra hoc potest argui specialiter, ostendendo, quod syllogismus Sophisticus non peccet primo contra Syllogismum simpliciter. Nam petitio principii non peccat contra Syllogismum simpliciter, quia infert ex necessitate : ergo videtur quod iste locus Sophisticus specialiter non peccet primo contra syllogismum per se. 7. *Objectiones.*

Expositor dicit, quod petitio principii peccat contra Syllogismum simpliciter. Nam de ratione Syllogismi simpliciter est, ut *ex præmissis positis*, etc. *sequatur ex necessitate, aliud ab his, quæ posita sunt.* Sed in petitione principii non sequitur aliud, quia idem accipitur ad probandum idem, sed idem non est aliud a se. Et ulterius dicit, quod in petitione principii est necessaria illatio, non tamen necessaria illatio syllogistica. *Solutio expositoris.*

Si tamen dicatur, quod non peccat contra Syllogismum simpliciter, et tamen cum hoc dicatur, quod syllogismus Sophisticus primo peccat contra syllogismum simpliciter, potest dici, quod hoc est verum pro majori parte locorum Sophisticorum. Et ideo nihil prohibet, aliquem eorum peccare contra aliquam specialem conditionem Syllogismi. Aristoteles enim dicit, quod loci Sophistici extra dictionem, primo peccant contra Syllogismum, et loci in dictione contra contradictionem. Et hoc dictum veritatem habet pro majori parte locorum. Nam aliqui loci extra dictionem specialiter peccant contra contradictionem, ut puta secundum quid, et simpliciter, et ignorantiam Elenchi. Dicit enim Philosophus, quod secundum quid, et simpliciter est ex eo, quod de eodem non est affirmatio, et negatio. Similiter potest dici, quod locus Sophisticus in communi, peccat contra Syllogismum simpliciter, nihil tamen prohibet, aliquem illorum specialiter peccare contra aliquam rationem, vel conditionem specialem Syllogismi. *Solutio Doctoris.*

Ad ultimam quæstionem dicendum, quod syllogismus Sophisticus non est defectus syllogismi demonstrativi, inquantum syllogismus demonstrativus est. Nam privatio 8. *Conclusio Doct. ad q. præsentem*

nullius particulæ requisitæ ad syllogismum demonstrativum, ut talis est, est causa non existentiæ in syllogismo apparente : hoc patet discurrendo per non existentias locorum. Nam diversitas rei latens sub unitate vocis, est causa non existentiæ in æquivocatione. Sed unitas rei non est aliquid appropriatum ipsi syllogismo demonstrativo inquantum syllogismus demonstrativus est, et ideo non est ibi defectus, etc. et sic in aliis.

Ad rationem contra. Ad rationem dicendum, quod Sophistica dicitur apparens sapientia, quia procedit ex apparenter probabilibus, quæ tamen probabilia non sunt. Et non dicitur apparens sapientia, quia procedat ex apparenter veris ; quare, etc.

QUÆSTIO VIII

Utrum nomen æquivocum sit nomen unum, vel plura nomina

Vide Doct. *quæst.* 5. *in Prædic.* Occam 3 *p. Log. cap.* 2 Alb. *tr.* 5. Fonsec. 4. *Met. cap.* 3. Conimb, *in cap. de Æquiv. q.* 2 *art.* 3. Complut. *in cap. de univ. æquiv. et* Aversa *q.* 15. *Log. sect.* 1. Vide Boet. Simplic. *et* Ammon. *hic* et Damasc. *cap.* 31. *Dialect.*

1. Et quod plura videtur, nam multiplicato eo, quod est formale in aliquo, multiplicatur et ipsum : sed ratio significandi est formale in termino æquivoco, et in eo sunt plures rationes significandi; ergo ipsum nomen æquivocum multiplicatur : quare, etc.

Item, 5. Metaph. text. non habente. com. cap. 3. et 5. phys. impossibile est duo accidentia ejusdem speciei esse simul in eodem subjecto : et hujus ratio est, nam impossibile est idem subjectum moveri ad eamdem speciem duobus motibus, ut quod aliquod subjectum simul et semel moveatur duabus dealbationibus ad eamdem albedinem secundum speciem, est impossibile : sed omnes rationes significandi sunt ejusdem speciei ; ergo impossibile est, quod sint in uno nomine plures rationes significandi : cum ergo in termino æquivoco sint plures rationes significandi, ipse erit plura nomina.

Item, sicut modus significandi se habet ad partem orationis, sic ratio significandi se habet ad nomen : sed si plures modi significandi adveniant alicui voci, illa vox dicetur plures partes, ut *amor est nomen, et verbum* ; ergo eadem ratione, vox habens plures rationes significandi dicetur plura nomina ; ergo, etc.

Oppositum patet per Philosophum. Dicit enim in principio hujus, quod res sunt infinitæ : nomina vero finita, et orationum multitudo, ideo necesse est unum nomen plura significare. 2.

Item, si nomen habens plures rationes significandi dicatur plura nomina ; eadem ratione habens plures artes, et plures scientias, dicetur plures artifices, et plures scientes : hoc autem non dicimus. Consequentia patet, nam sciens a scientia denominatur, sicut nomen a ratione significandi.

Ad quæstionem dicendum, quod nomen æquivocum, nec debet dici simpliciter unum nomen, nec plura nomina, sed nomen multiplex, quasi ab uno multiplicans. Hoc est manifestum, nam nomen dicitur tale, eo quod sic per intellectum imponitur, unde intellectus est principium nominum, cum sit imponens ad placitum : nomen ergo est quoddam artificiale, sed in artificialibus tota substantia est ipsa materia. Unde artifex operatur ex materia, quam sibi ministrat natura, sed ipsa vox est materia, et substantia nominis ; manente ergo unitate vocis, non dicetur illud nomen plura nomina, sed in termino æquivoco vox est una ; ergo, etc. Nec simpliciter debet dici unum nomen, nam ibi sunt plures rationes significandi. 3. *Conclusio Doctoris.*

Relinquitur ergo dicendum, quod sit nomen multiplex. Et hoc vult Boetius in Divisionibus. Dicit enim, quod si res non sit subjecta voci, vox non dicitur significativa. Si autem plures voces imponantur pluribus rebus, illæ voces dicentur plura nomina. Si autem una vox imponatur uni rei, illa vox dicetur unum nomen, vel nomen simplex. Si autem pluribus rebus imponatur una vox, illa dicetur nomen multiplex.

4. *Ad 1. princ.* Ad primum argumentum dicendum, quod in rebus naturalibus multiplicato eo, quod est formale, multiplicatur et ens ipsum, non autem in artificialibus, sicut est in proposito, quia ipsorum substantiæ sunt suæ materiæ, et non suæ formæ, sicut est in naturalibus.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod illa propositio potest intelligi de accidentibus, quæ inducuntur per motum : rationes autem significandi non inducuntur per motum, sed sunt intentiones inductæ per animam. Vel potest dici per interemptionem, quod non omnes rationes significandi sunt ejusdem speciei, quæ rationes significandi diversificantur secundum diversitatem conceptuum. Vel potest dici, quod rationes significandi sunt in signo, ut in termino, et in anima, ut in subjecto. Nunc autem plures relationes possunt esse in eodem sicut in termino. In eodem enim patre possunt esse plures filiationes, tanquam in termino.

Ad 3. Ad ultimum, cum dicitur, si plures modi adveniant, etc. falsum est, non enim dicetur plures partes, sed pars multiplex.

Sunt autem tres modi secundum æquivocationem et amphibologiam, unus quidem, quando vel oratio, vel nomen principaliter significat plura, ut piscis, vel canis, etc. Cap. 2. primi hujus.

QUÆSTIO IX

Utrum terminus æquivocus contineat sua significata per modum distinctionis

Joan. de Magist. *hic q.* 1. *Not.* 3. *diffic.* 1.

1. *Argumenta pro parte affirmativa.* Quod sic videtur, nam terminus æquivocus proportionatur toti universali ; sed totum universale quodlibet suum suppositum indeterminate ponit, et nullum actu, quantum est de se : ergo similiter se habebit vox æquivoca ad sua significata. Cum ergo totum universale disjunctive se habeat ad sua supposita, et vox æquivoca similiter se habebit ad sua significata. Si dicatur, quod vox, inquantum vox, se habet ad sua significata, sicut totum universale ad sua supposita. Sed vox ut habet diversam rationem significandi, non respicit sua significata, sicut totum universale sua supposita.

Sed contra, sicut totum universale secundum aliud sui, et aliud correspondet uni supposito, et alteri ; sic terminus æquivocus per aliam, et aliam rationem significandi respicit unum significatum, et aliud : ergo vox æquivoca, ut habens diversas rationes significandi, proportionatur toti universali, et per consequens redit argumentum.

Item ad principale, omnis vox significativa ordinatur ad exprimendum mentis conceptum ; ergo necesse est vocem significare : sicut possibile est eam cadere sub usu significantis. Sed vox æquivoca sub usu significantis solum cadit pro hoc, vel pro illo ; nam simul non potest nisi unum dare intelligere ; ergo, etc.

Item, per Aristotelem 4. Metaph. cont. 1. et circiter : Illa disjunctiva per terminum importantur, de quibus contingit quærere utrum sermone prolato. Sed sic dicto, *Canis currit*, contingit quærere utrum animal latrabile sit, vel sidus cæleste, et sic de aliis : ergo, etc.

Item, per Aristotelem in Topicis ad construendum multiplex, sufficit construere in altero sensu hoc, vel illo.

Item, termino æquivoco semel posito, non contingit uti æquivoce, per Boetium, ergo terminus æquivocus determinate accipietur pro hoc, vel pro illo.

Ad oppositum, si sic esset, non esset respondendum ad terminum æquivocum per distinctionem, si prædicatum uni significatorum conveniret, imo respondendum esset simpliciter, quod talis propositio esset simpliciter vera. Nam disjunctiva est vera, cujus altera pars est vera ; ergo, etc.

QUÆSTIO X

Utrum terminus æquivocus contineat sua significata per modum copulationis

Joan de Magistr. *ubi supra quæst. præced.* Tartar. *hîc quæst.* 1. *dub.* 1.

1. *Argumenta pro parte affirmativa.* Quod sic videtur, nam quod significat actu plura, significat hoc, et hoc ; sed terminus æquivocus, eo quod æquivocus est, significat plura actu, ergo, etc.

Item, illa significantur copulative per terminum, quæ actu concipiuntur sermone prolato. Sed sic dicto, *Canis currit*, multa significata possunt apprehendi, ergo, etc.

Item, per Aristotelem, in libr. Perihermenias, si tunica imponatur homini et equo, et dicatur, *Tunica est alba*, idem est ac si diceretur, homo est albus, et equus est albus. Sed hîc multa importantur copulative, ergo, etc.

Item, per Philosophum non refert quærere, utrum Callias, et Themistocles sint domi, quam si ei esset unum nomen, ipsis tamen existentibus diversis ; sed hîc cadit copulatio, ergo, etc.

2. Ad oppositum, si sic esset, tunc ad orationem multiplicem non esset respondendum per distinctionem. Sed respondendum, quod esset simpliciter vera, vel simpliciter falsa. Vera enim, si prædicatum omnibus significatis attribueretur ; falsa, si alteri significato non conveniret : nam copulativa est falsa, cujus altera pars est falsa.

3. *Conclusio Doctoris ad quæst. 10.* Ad primam quæstionem dicendum, quod hæc quæstio, *Utrum terminus æquivocus contineat*, etc. dupliciter potest quærere. Uno modo, utrum terminus æquivocus significet unum, scilicet hoc totum disjunctum, *Animal latrabile, vel cœleste sidus.* Et alio modo utrum significet hoc, vel illud indeterminate. Et dicendum quod neutro modo : non primo modo, quia æquivocum unum solum significaret, hoc enim totum *Animal latrabile, vel cœleste sidus*, sub ratione determinata occurreret intellectui, et per consequens terminus æquivocus unum solum significaret. Sed de ratione æquivoci est plura significare. Nec secundo modo, nam quælibet vox significativa aliquid determinate repræsentat intellectui . Quod enim unum significat, nihil significat : sed si significaret hoc vel illud disjunctive, nihil determinate significaret. Hoc idem patet per rationem sumptam in oppositum.

Ad primum dicendum est, sicut diceba- 4. *Ad 1. principale.*
tur.

Ad illud in contrarium dicendum, quod licet vox æquivoca in eo, quod secundum aliud, et aliud, respicit aliud, et aliud significatum, conveniat cum universali, quod secundum aliud, et aliud respicit sua supposita, in alio tamen est differentia, nam in termino æquivoco non contingit considerare aliquam rationem communem, in qua significata conveniant præter solam vocem, sed in toto universali contingit considerare aliquam rationem, in qua supposita univocantur, et ideo non est simile.

In alio etiam est differentia, nam omnis ratio significandi actu importatur per terminum æquivocum : sed nullum suppositum importatur actu, per terminum communem, ideo non est simile.

Ad aliam rationem, cum accipit quod ne- *Ad 2.*
cesse est vocem significare solum, sicut possibile est eam cadere sub usu significantis, dico, quod illud falsum est : nam voces sunt finitæ, res autem infinitæ. Et ideo necesse est unum nomen plures res significare, et tamen utens non potest uti illa voce simul, et semel, nisi pro una significato. Vel potest dici, quod quia multa per terminum actu importantur, ideo utens potest uti hoc termino pro hoc significato, vel illo.

Ad aliud respondendum est per interemp- *Ad 3.*
tionem minoris, quando accipit, sic dicto, *Canis currit*, contingit quærere de quo cane fit sermo, hoc non est verum. Nam si dicatur, quod Callias, et Themistocles sunt domi, non contingit quærere utrum Callias sit domi. Similiter est in proposito, nam hæc actu significantur prolato sermone.

Ad 4 et 5. Ad aliud dicendum, quod constructio habet intelligi, quando multiplicitas est latens, nam ipse subdit, quod utendum est hujusmodi loco in his, quæ latent.

Ad ultimum dicendum, quod licet utens termino æquivoco, simul et semel non possit uti eo pro pluribus significatis, illa tamen dictio est plurium significativa.

5. *Triplex intellectus quæstionis.* Ad aliam quæstionem dicendum, quod illa quæstio triplicem potest habere intellectum, et duo intellectus sunt falsi, et tertius potest habere veritatem. Primo potest sic intelligi, quod terminus æquivocus significet unum conceptum copulatum, sicut faciunt isti duo termini, *duo*, et *tria*, in ista oratione, *duo, et tria sunt quinque.* Alio modo potest intelligi sic, quod significet duos conceptus ad invicem copulatos, mediante copulatione, sicut est in propositione copulativa. Tertio modo potest intelligi, scilicet quod inter actus significandi cadat copulatio, et iste intellectus potest esse verus. *Prima conclusio Doctoris.*

6. *Secunda conclusio.* Primus intellectus est falsus, nam de ratione æquivoci est significare plura, sicut de ratione univoci significare unum : et quod habet unam rationem intelligendi, si significetur, potest habere unam rationem significandi. Sed totum copulatum potest habere unam rationem intelligendi, cum sit extremum orationis ; ergo habebit unam rationem significandi. Sed ad terminum æquivocum requiruntur plures rationes significandi ; ergo iste intellectus quæstionis est falsus.

7. *Tertia conclusio.* Similiter secundus intellectus est falsus, scilicet, quod significet duos conceptus ad invicem copulatos. Nam de ratione prioris non est aliquid posterius : sed intentio significata per nomen, est naturaliter prior intentione significata per conjunctionem ; ergo de intellectu nominis non erit copulativa conjunctio.

Item, fallacia Æquivocationis peccat secundum multiplex, sed si terminus æquivocus significaret duos conceptus ad invicem copulatos, non peccaret secundum multiplex, nam in omni oratione acciperetur nomen æquivocum, pro omni significato, et non quandoque pro uno, quandoque pro altero, et per consequens secundum multiplex non peccaret fallacia Æquivocationis.

Si tertio modo intelligatur, scilicet quod inter actus significandi cadat copulatio, non autem inter res significatas, et tunc intellectus potest esse verus, nam *canis* significat latrabile animal, et significat marinam belluam, etc. unde inter actus significandi cadit copulatio, non autem inter res significatas. Nam inter significata termini æquivoci nulla est habitudo. 8. *Quarta conclusio.*

Ad primum argumentum dicendum, quod si intelligitur quod inter actus significandi cadit copulatio, tunc concedo majorem. Si inter significata, nego. *Ad argumenta.*

Ad secundum nego majorem.

Ad tertium dicendum, quod idem est dicere, equus est albus, et homo est albus, et dicere, tunica est alba, et quantum ad pluralitatem propositionum, non autem quantum ad modum significandi : nam sicut hæc, *Homo est albus*, et *Equus est albus*, significat plura, sic hæc, *Tunica est alba.*

Ad ultimum dicendum, quod quantum ad pluralitatem interrogationum, verum est quod dicit Aristoteles. Et ideo subdit Aristoteles quod ideo si non est rectum, ad plures interrogationes respondere una responsione, non erit rectum ad nomen æquivocum una responsione respondere.

QUÆSTIO XI

Utrum terminus æquivocus habeat omnia sua significata actu respectu prædicati

Intelligo quæstionem sic : Terminus univocus determinate unum significat, et illud actu ponit, respectu prædicati : terminus vero æquivocus significat actu plura, ideo erit quæstio utrum illa plura ponat actu respectu prædicati, sicut terminus univocus unum. Quod non videtur ; quia si sic, hæc esset incongrua , *Canis currit*, quia hîc geminatur substantia, et non geminatur actus. 1. *Intellectus quæstionis.*

Argumenta pro parte negativa. Item, si sic esset, tunc hæc consequentia esset bona, *Canis currit; ergo animal latrabile currit.* Consequens est falsum; ergo et Antecedens. Falsitas consequentis patet, nam determinata falsitas in consequente, arguit determinatam falsitatem in antedente; si ergo hæc esset falsa, *Latrabile animal currit,* hæc esset falsa, *Canis currit,* quod non est verum. Consequentia patet, quia illud quod actu significatur per terminum, sequitur ad ipsum.

Item, Commentator Alexander dicit, quod terminus æquivocus significat unum significatum, ac si illud significaret, sed hoc non esset, nisi unum tantum significatum poneret actu respectu prædicati.

Item, de eo quod actu significatur per terminum, fatuum est quærere prolato sermone, an de ipso fiat sermo, sed sic dicto, *Canis currit,* vere potest quæri de quo cane fiat sermo, utrum de latrabili animali, vel cælesti sidere, ergo, etc.

Item, si sic esset, non posset contrahi ad aliquid istorum, per aliquod immediate adjunctum. Consequens falsum, nam aliter non contingeret conceptum mentis significare. Consequentia patet, nam nihil contrahitur ad illud, quod actu significat: *homo* enim ad naturam humanam contrahi non potest, cum illam actu significet.

Item, si sic esset, propositio multiplex non esset distinguenda. Consequens est falsum, ut patet per Philosophum. Consequentia etiam patet, nam distinctio est determinata acceptio termini pro uno significato, sed si omnia significata actu ponerentur respectu prædicati, tunc omnibus attribueretur prædicatum; quare, etc.

2. *Argumenta pro parte affirmativa.* Ad oppositum. Si vox æquivoca non haberet omnia sua significata actu respectu prædicati, oporteret quod positivum aliquid ab ipsa voce tolleretur respectu prædicati, quod ab ea per se sumpta non aufertur: sed nihil aufertur a voce posita respectu prædicati, nisi sola negatio, ergo, etc.

Item, illud determinate ponitur in quæstione, ad cujus responsionem exigitur dicere ad illud; sic, aut non sic: sed si quæratur, *Curritne canis?* hæc quæstio quærit responsionem ad omnia significata istius termini *canis,* ad omne enim multiplex est respondendum, sic, aut non sic; sed non una responsione, ergo, etc.

Item, illa significantur per terminum, quæ concipiuntur sermone prolato. Sed sic dicto, *Canis currit,* possunt plura actu concipi, quia unus potest accipere ly *canis,* pro animali latrabili, et alius pro cælesti sidere, ergo, etc.

Item, recta solutio est cujus oppositum dantem impossibile est solvere, ut si aliquis ad multiplex respondet una responsione, non contingit ipsum vitare redargutionem: sed si terminus æquivocus unum tantum significatum poneret, respectu prædicati, possem simpliciter concedere orationem pro illo significato, nec fieret mihi redargutio in admittendo multiplex; quare, etc.

Circa istam quæstionem est duplex modus ponendi. Quidam ponunt, quod licet de ratione termini æquivoci sit, quod significet plura, tamen de ratione ejus non est, quod semper actu repræsentet plura, nam si ponatur in oratione, ponet unum significatum tantum respectu prædicati, indeterminate tamen, nam aliter terminus æquivocus esset signum universale. Et hoc confirmant per tres rationes prius positas per ordinem, quarum prima est de consequentia ista, *Canis currit; ergo animal latrabile currit.* 3. *Prima opinio.*

Ista autem positio non potest stare propter duo, nam terminus æquivocus significat sua significata sub propriis rationibus. Sed ponere, quod terminus æquivocus repræsentet indeterminate aliquod suorum significatorum, est ponere ipsum significare sua significata sub ratione communi. Ponere ergo, terminum æquivocum significare aliquod suorum significatorum indeterminate, est ponere ipsum non significare sua significata sub propriis rationibus: et per consequens est ponere ipsum non esse æquivocum. *Objectiones.*

Item, si terminus æquivocus unum suorum significatorum respectu prædicati poneret, posset talis oratio concedi, vel negari simpliciter pro illo significato, nec oporteret ad terminum æquivocum respondere per distinctionem, sicut ad multiplex.

4. *Opinio Doctoris.* Et ideo dicendum est, quod terminus æquivocus actu, quantum est de se, omnia sua significata ponit respectu prædicati. Et hujus ratio est, quia vox non proportionatur ipsi rei, nisi per rationem significandi : sed in termino æquivoco sunt actu plures rationes significandi ; ergo in termino æquivoco erunt actu plura significata. Major, et minor patent.

5. *Ad 1. princ.* Ad primum argumentum dicendum, quod terminus æquivocus repræsentat, et significat unum significatum, ac si aliud non significaret, quia inter significata termini æquivoci nulla cadit habitudo media. Unde *canis* non significat ea per modum simultatis, neque per modum geminati, neque numerati ; sed tria repræsentat sine habitudine, quorum quodlibet potest esse sufficiens subjectum respectu prædicati, et ideo non est incongrua hæc, *Canis currit*. Ad hoc autem, quod esset incongrua, oporteret quod actus sub ratione unius attribueretur subjecto, sub ratione geminati.

Objectio. Contra istam responsionem arguitur ; quia tunc non esset hæc incongrua, *Socrates Plato currit*, quia illud non significatur sub ratione simultatis. *Solutio.* Dicendum quod hæc non est incongua. Nam Aristoteles utitur talibus interrogationibus : *estne cœlum, terra, mare, vel non?*

Ad 2. princ. Ad secundum dicendum, quod ista conquentia non valet : *Canis currit : ergo animal latrabile currit.* Nam ad hoc quod consequentia sit bona, oportet quod consequens virtualiter includatur in antecedente, et non sub propria ratione : nunc autem consequens sub propria ratione includitur in antecedente ; et ideo consequentia non valet.

Objectio. Sed forte aliquis diceret ad hoc, quod ex copulativa sequitur quælibet pars, et tamen quælibet pars includitur in copulativa sub propria ratione ; ergo similiter consequentia ista erit bona. *Solutio.* Dicendum, quod ex copulativa inquantum habent partes distinctas ad invicem non copulatas, non sequitur altera pars ; sed inquantum habent intellectum copulatum distinctum ab intellectu utriusque partis. Sed in termino æquivoco non est aliquis conceptus communis omnibus significatis ; quia nihil est eis commune, nisi sola vox, et ideo non est simile utrobique.

Ad 3. princ. Ad tertium principale dicendum, quod Commentator Alexander non intelligit, nisi quod terminus æquivocus significat sua significata, sine aliqua habitudine media.

Ad aliud dicendum, quod sic dicto, *Canis currit*, non debet quæri de quo fit sermo : nam hîc actu plura ponuntur. Sed potest quæri pro quo significato utens debet uti termino æquivoco.

Ad 4. Ad aliud, utrum terminus æquivocus possit contrahi, vel non, videbitur inferius: verumtamen ratio æqualiter concludit contra illam positionem sicut contra istam. Nam si de ratione termini æquivoci sit repræsentare unum indeterminate respectu prædicati, salva ratione termini æquivoci, non posset contrahi per aliquid ad determinatum significatum.

Ad 5. Ad ultimum, cum dicitur, distinctio est determinata acceptio, etc. falsum est ; quia distinctio istam determinatam acceptionem præsupponit, et est ulterius manifestatio sensus veri, et sensus falsi : quare, etc.

QUÆSTIO XII

Utrum terminus æquivocus possit contrahi per immediate adjunctum : ita quod de virtute sermonis solum possit accipi pro altero ejus significato

1. *Argumenta pro parte affirmativa.* Quod sic videtur. Nam *multum* est æquivocum, ad multum in aere, et in aqua, per Philosophum 7. Phys. context. 25. et 26. sed cum dicitur multum in aere, jam contrahitur, ergo, etc.

Item, per Philosophum ibidem, context. 24. et primo Topic. cap. 12. *Album* esse æquivocum ad album in voce, et ad album in colore; sed cum dicitur, album in voce, jam contrahitur : ergo, etc.

Item, si dicatur, *Ajax venit ad Trojam*; et *Ajax fortiter pugnavit:* dubium est utrum de eodem Ajace fiat sermo. Sed si dicatur, *Ajax venit ad Trojam, et idem fortiter pugnavit*; certum est quod de eodem fit sermo: *Ajax* ergo contrahitur per hoc relativum *idem*.

Item, nisi terminus æquivocus posset contrahi per immediate adjunctum, in nominibus propriis frustra adderentur cognomina : nam cum sic dicitur, *Petrus Heliæ*, nisi ly *Heliæ*, quod est cognomen, contraheret ly *Petrum*, frustra adderetur.

2. *Argumenta pro parte negativa.* Ad oppositum, nihil contrahitur ad illud, quod actu significat, quia enim *homo* significat naturam humanam, ideo ad naturam humanam contrahi non potest, sed terminus æquivocus actu significat plura sub propriis rationibus; ergo ad nullum eorum contrahi potest.

Item, adjunctum non permutat naturam illius, cui adjungitur, quasi sic sibi non adjungeretur : sed de ratione termini æquivoci est, quod significet plura; ergo manente ejus natura ad nullum eorum contrahi potest.

Item, si posset contrahi per immediate adjunctum, tunc quæro utrum illud immediate adjunctum significet idem, quod terminus æquivocus in altero ejus significato : vel significet aliquam ejus proprietatem, vel significet aliquod, quod pertinet ad alterum significatum, quod contrahi non debet. Si primo modo, erit ibi nugatio. Si secundo modo, scilicet quod sit ibi contractio, ratione alicujus significantis proprietatem alterius significati, et ita ratione convenientiæ rei sit contractio, tunc posset esse contractio hîc, *Omne animal est homo.* Si tertio modo, erit repugnantia intellectuum : uare , etc.

QUÆSTIO XIII

Utrum terminus æquivocus possit contrahi per mediate adjunctum

1. *Argumenta pro parte affirmativa.* Et videtur quod sic. Nam per Boetium, si dicatur, *Canna Romanorum sanguinem sorbuit*, hîc ly *Canna* est æquivocum, et indifferens, ut accipiatur pro fluvio, et pro calamo. Si tamen dicatur, *Canna Romanorum sanguinem sorbuit plenus*, jam contrahitur, ut accipiatur pro fluvio, et additum est mediate adjuncto; ergo, etc.

Item, *amor* est æquivocum ad nomen, et ad verbum. Si tamen dicatur, *Amor est bonus*, jam contrahitur ad nomen.

Argumenta pro parte negativa. Ad oppositum, si terminus æquivocus per mediate adjunctum posset contrahi ad alterum significatorum, hæc non esset distinguenda, *Canis currit*, sed hoc est falsum. Consequentia patet, nam ly *currit* contrahit ly *canis* ad illud significatum, cui competere potest cursus.

2. *Prima opinio circa quæst. 12.* Ad primam quæstionem quidam dicunt, quod necesse est terminum æquivocum contrahi per immediate adjunctum. Et ratio eorum est ista, quia finis imponit necessitatem his, quæ sunt ad finem, unde a fine accipitur necessitas in rebus. Quia enim finis serræ est dividere, in hunc autem finem non potest nisi sit dentata, nec dentata potest in illum finem, nisi sit ferrea ; et ideo a fine accipitur ratio, quare necesse est serram esse ferream, et dentatam. Similiter dicunt in proposito. Finis enim sermonis est, ut exprimamus quæ apud nos sunt, id est, quæ in mente concipimus, unde ad hunc finem ordinatur quælibet vox significativa. Sed oratio in qua ponitur terminus æquivocus, in hunc finem non posset, nisi per immediate adjunctum contraheretur, nam cum actu plura per terminum æquivocum significentur, nisi posset contrahi, non possemus uti eo, pro altero significato : et per consequens, vel oporteret eo uti, pro omnibus significatis, vel pro nullo;

sed eo uti pro pluribus simul non possumus; ut ergo sit instrumentum conveniens ad illum finem: necesse est, quod per immediate adjunctum contrahatur.

Alia ratio aliorum. Et ulterius dicunt quidam, quod sicut in impositionibus vocum non est ratio quærenda, cum imponantur ad placitum, sic in tali contractione æquivoci, non est ratio quærenda, quia ex voluntate imponitur, terminum æquivocum sic contrahi.

3. *Refutatio præcedentis opinionis.* Contra istos arguitur. Et primo videtur, quod sic dicentes fingant aliquid a parte impositionis, ut evitent difficultatem quæstionis. Nam si contrahitur per immediate adjunctum, et habeat hoc ex ipso imponente, ut sit instrumentum congruens in suum finem. Eadem ratione potuit impositor posuisse terminum æquivocum per mediate adjunctum, contrahi posse. Nam sic esset instrumentum magis congruum in suum finem. Et tolleretur ambiguitas in sermone: et per consequens hujusmodi propositiones, *Canis latrat: Canis lucet: Canis natat*, non poneremus esse distinguendas, eadem coacti necessitate, ut propter finem sermonis.

Ulterius, quando accipiunt, quod in impositionibus vocum non est ratio quærenda illud non videtur verum, Nam licet significata incomplexorum probare non possimus, significata tamen complexorum probare possimus, quia horum habemus media determinata, ut significata incomplexorum; quod ergo hoc complexum, *canis currit*, et alia hujusmodi determinate significent aliquid, hoc non debemus accipere a voluntate imponentis, sed recurrere debemus ad significata incomplexorum.

4. *Opinio Doctoris ad utramque quæst. Contractio est determinatio alicujus communis.* Propter ista duo quæsita, intelligendum est, quod terminus æquivocus, proprie loquendo, non potest contrahi per immediate sibi adjunctum, nec per mediate. Nam *contractio est determinatio alicujus communis* ita quod aggregatum ex contrahente, et contracto necesse est repræsentare intellectum determinatiorem, quam sit intellectus ipsius contracti de se. Sed in termino æquivoco non est intellectus communis omnibus significatis, quia cum æquivocata per terminum æquivocum significentur sub propriis rationibus, nihil est eis commune præter solam vocem, quæ contrahi non potest, cum sit singularis. Propter quod vox æquivoca plura significans sub propriis rationibus de vi sermonis, non potest contrahi ad alterum suorum significatorum; nam ibi sunt plures rationes significandi, actu correspondentes diversis significatis, quibus nihil est commune, nisi vox. Per accidens tamen, et per quemdam discursum possumus accipere terminum æquivocum pro altero significato. Nam audiens aliquem loquentem per terminum æquivocum, bene percipit quod non intendit significare nisi unum, nam non potest nisi unum simul intelligere: illud autem unum subito percipit audiens, ex determinatione addita ipsi termino æquivoco. Nam si dicatur, *Petrus currit*, audiens bene percipit, quod proferens intendit loqui de aliquo uno; quod autem sit illud unum, percipit ex determinatione sequente, cum dicitur, *Petrus Heliæ currit*: sed non est ita intelligendum, quod hæc determinatio *Heliæ* faciat vocem primo plura significantem, tunc determinate significare unum: ita quod non aliud. Sed quod per quemdam discursum in ejus cognitionem facit devenire.

Ad primam ergo quæstionem, dicendum quod terminus æquivocus, per immediate adjunctum contrahi non potest: licet per tale immediatum adjunctum contrahi non potest: licet per tale immediatum adjunctum, possit audiens manuduci, ut accipiat terminum æquivocum pro altero suorum significatorum determinate. 5. *Prima conclusio Doctoris.*

Ad primum argumentum in oppositum dicendum, quod quædam sunt nomina, penitus univoca: et illa sunt, quorum ratio substantiæ eadem est et nomen idem. Quædam sunt nomina, quæ proprie dicuntur æquivoca: ut illa quæ actu plura significant sub propriis rationibus; et illa sunt, quorum nomen est idem, et ratio substantiæ diversa: et aliqua sunt nomina analoga, quæ significant primo aliquod commu- *Ad 1. princ.*

ne, sed tamen illud commune diversimode reperitur in diversis. Sicut *infinitum* significat illud, cujus non est terminus; sed hoc diversimode reperitur in magnitudine, et numeris: et in continuis, et discretis; quia ergo hujusmodi nomina significant aliquid commune, ideo proprie non dicuntur æquivoca, Et quia illud commune diversimode reperitur in diversis, ideo talia nomina non dicuntur proprie univoca, sed dicuntur proprie analoga; quia ergo hujusmodi nomina significant aliquid commune primo, ideo per immediate adjunctum contrahi possunt. Hujusmodi autem nomina sunt *multum*, et *Album*: nam *multum* primo significat excessum in quantitate: et ideo contrahi potest. Similiter *album* primo significat aliquid faciliter movens sensum; sed hoc diversimode reperitur in diversis, scilicet in colore, et in voce, quia in colore est albedo: et id etiam in voce reperitur, sumendo *albedinem* pro alta, et elata voce, et hujusmodi; et ideo potest contrahi. Quia ergo *multum*, et *album* significant aliquid commune, ideo per immediate adjunctum contrahi possunt. Æquivocum autem, inquantum æquivocum, nihil commune significat; et ideo contrahi non potest.

Ad 2, 3 et 4. Ad secundum responsum est.

Ad tertium dicendum, quod ly *idem* potest manuducere, ut aliquid determinate apprehendat audiens; hoc autem est per accidens, et per discursum, ut dictum est.

Ad quartum de cognomine patet quid dicendum per se.

6. *Secunda conclusio.* Ad secundam quæstionem dicendum, quod terminus æquivocus per mediate adjunctum contrahi non potest; nec per tale mediate adjunctum potest audiens manuduci, ut concipiat aliquem determinatum conceptum de virtute sermonis; quia nihil tale mediate adjunctum cadit in identitate extremi, cui additur mediate. Et ideo non potest esse modus intelligendi alterum extremum.

Nota. Verumtamen intelligendum est, quod ipsi termino æquivoco annectitur quædam univocatio in modis significandi respectivis sibi correspondentibus, penes res significatas diversas: verbi gratia, *amor* significat conceptum nominalem, et verbalem; qui duo conceptus sufficiunt ad æquivocationem, in ipso tamen potest esse univocatio in modis significandi respectivis, qui ad contractionem requiruntur; cujusmodi sunt *persona*, *numerus*, etc. sufficiens ad contractionem per accidens termini æquivoci. Et quia isti modi significandi sunt respectivi; ideo possunt se invicem determinari. Unde si terminus æquivocus sub uno modo significandi conveniat alteri significatorum, si ille modus significandi respectivus contrahat modum significandi, ipsius modi significandi per se erit contractio, æquivoci autem per accidens: verbi gratia, *Canna* est æquivocum ad fluvium, et ad calamum, si tamen dicatur, *Canna Romanorum sanguine fluit plenus*; jam ipsius generis est contractio per se: æquivoci autem per accidens. Et per hoc patet ad argumenta.

QUÆSTIO XIV

Utrum signum universale adveniens termino æquivoco, possit ipsum distribuere pro omnibus suppositis cujuslibet sui significati

Joan. de Magist *hic q. 2. diff. 3*

Quod sic videtur. Nam signum universale circa subjectum, et ejus significatum, si sibi conformetur, ponit suum significatum, et modum significandi: ergo sic dicendo, *Omnis canis currit*, ly *omnis*, circa ly *canis*, et quodlibet ejus significatum, cum sibi conformetur in accidentibus, ponet suum modum significandi, qui est distributio, 1. *Argumenta pro parte affirmativa.*

Item, signum universale adveniens termino æquivoco, distribuit ipsum pro suppositis alicujus significati, nam aliter sibi frustra adderetur. Sed qua ratione distribuit pro suppositis unius, et cujuslibet.

Probatio hujus, nam æque primo sub termino continentur.

Item, agens rationis proportionatur agenti naturæ; cum ars imitetur naturam inquantum potest : sed agens naturæ simul potest agere in multa possibilia ; sicut ignis in multa combustibilia ; cum ergo significata termini æquivoci sint distribuibilia ejusdem rationis, ipsum pro omnibus distribuet.

2. *rgumentum pro parte negativa.* Ad oppositum. In quibuscumque reperitur aliqua proprietas communis, reperitur in illis per aliquam rationem communem; sed in termino æquivoco nihil est commune, nisi sola vox, quæ distribui non potest, cum sit singularis ; ergo in termino æquivoco ista proprietas, quæ est distributio, non reperietur pro omnibus suis significatis, etiam quia tunc iste syllogismus esset rectus, per *dici de omni*, *Omnis canis currit, Cæleste sidus est canis; ergo cæleste sidus currit.* Nam pro omnibus potest fieri sumptio sub, pro quibus fit distributio, unico actu distributionis.

onclusio. Ad quæstionem dicendum, quod signum universale adveniens termino æquivoco, potest distribuere ipsum pro omnibus suppositis cujuslibet significati.

3. Sed intelligendum est, quod sicut terminus æquivocus significat unum significatum, ac si aliud non significaret : et unum repræsentat respectu prædicati, ac si aliud non repræsentaret, hoc est, sub nulla habitudine : sic etiam signum universale distribuit unum significatum, ac si aliud non distribueret, hoc est, unum distribuit sub uno actu distribuendi, et aliud sub alio. Et *istributio uid est.* hujus ratio est, nam *distributio est acceptio alicujus communis pro quodlibet ejus supposito, quorum quodlibet est ipsum*; Nunc autem in termino æquivoco non est aliquod commune, super quod possit cadere distributio; quia nihil est ibi commune nisi sola vox. Et ideo distributio cadit super uno significato, ac si super aliud non caderet, et super quodlibet : sed hoc est alio actu distribuendi, et alio.

Rationes ad primam partem ostendunt, quod signum universale possit distribuere terminum æquivocum pro omnibus suis significatis : et hoc est verum, sed non unico actu.

Contra hoc potest argui sic : Signi semel *Objectio.* positi est unum significatum, et unus modus significandi; ergo et unus actus distribuendi. Dicendum, quod syncategoremata *Solutio.* finitatem suæ significationis trahunt ex adjunctis : cum ergo hîc sint actu plura significata, quorum nullum ad aliud habet habitudinem, ut dictum est, diversi hîc erunt actus distribuendi, quorum nullus ad alium habet habitudinem.

Rationes ad aliam partem ostendunt, quod signum universale non possit distribuere terminum æquivocum, pro omnibus suppositis cujuslibet sui significati, unico actu distributionis, et hoc est verum.

Ex his patet, quod causa apparentiæ in 4. æquivocatione est unitas actualis vocis incomplexæ secundum materiam, et formam. Per hoc quod ejus apparentia est in dictione, separatur a locis extra dictionem, et per hanc particulam *vocis incomplexæ* separatur ab Amphibologia; et per hoc, quod additur, *secundum materiam, et formam,* separatur a compositione, et divisione, et accentu : nam ibi est unitas secundum materiam, non tamen secundum formam. Per hoc autem quod dicitur *unitas actualis vocis,* separatur a figura dictionis, nam ad figuram dictionis non requiritur, nisi unitas phantastica. Si autem ibi major unitas reperiatur, hoc accidit figuræ dictionis. Et sic patet, quod fallacia æquivocationis distinguitur ab omnibus aliis in dictione, et extra dictionem.

Alius antem quando sic sol ti sumus dicere, etc.
Cap. 2. primi hujus.

QUÆSTIO XV

Utrum possibile sit aliquod nomen significare unum per prius, et reliquum per posterius

Arist. 3. *hujus, et* 1. *Ethic. c.* 6. Boetius *in c. de æquivocis*. Doctor *q. seq.* D. Thom. *q.* 2. *de Verit. art.* 2. Cajet. *de nom. Analog. c.* 2. *et* 3. Conimb. *ubi sup. q.* 8. Complut. *disp.* 10. *Log. q.* 2. *et seqq.*

1. *Argumenta pro parte negativa.* Quod non videtur; nam si hoc esset possibile, aut hoc erit ex parte vocis, aut ex parte ipsius imponentis, aut ex parte ipsius rei. Non ex parte vocis, quia vox, inquantum vox est, nullam rem sibi determinat; nec ex parte imponentis, quia ex quo imponens imponit ad placitum, potest prius imponere nomen, quod est posterius in re; nec ex parte ipsius rei, nam licet res inter se ordinem habeant, non tamen propter hoc sequitur, quod habeant ordinem ad invicem, ut sunt significabiles, quia illud quod est posterius, ut dictum est, potest prius significari.

Prima opinio. Ad istam rationem dicitur, quod quædam sunt res, quæ inter se ordinem non habent, et quædam quæ ordinem habent. Istæ autem res, quæ nullam ad invicem habent habitudinem, si significentur per vocem, pure æquivoce significentur. Istæ vero res, quæ habitudinem ad invicem habent, significantur sub modo prioris, et posterioris. Nam intelligere sequitur esse, et significare, intelligere. Ex quo ergo est in re ordo prioris, et posterioris, in significando erit ordo prioris, et posterioris.

2. *Refutatur* Sed contra istam solutionem arguo dupliciter. Primo sic, significare est quidam actus intellectus, prout est attributus ipsis rebus, sed illud quod posterius est in re, potest esse magis, et prius notum apud intellectum, quam illud, quod simpliciter prius est in re. Et sicut intelligit intellectus, sic imponit nomen ad significandum; ergo ei, quod posterius est in re, prius potest nomen imponere: prioritas ergo, et posterioritas in intellectu non includit prioritatem, et posterioritatem in rebus, prout sunt significabiles, ergo, etc.

Item, si aliquod nomen imponitur diversis, aut ergo illis imponitur una impositione, aut pluribus impositionibus. Si una impositione, cum una impositio accipiatur sub una ratione significandi, illa duo in una ratione univocabuntur. Si eis imponitur diversis impositionibus, cum prima impositio non magis imprimat voci repræsentationem, quam secunda, illa duo æqualiter repræsentabuntur.

Propter hæc dicitur aliter, quod nomen analogum significat primo unam rationem communem, ista tamen ratio per prius, et posterius in diversis reperitur. Et sicut ista ratio in diversis reperitur, sic nomen illud per prius, et posterius de eis dicetur: verbi gratia, *Ens* primo significat entitatem, et *unum* primo significat indivisionem. Sed ratio essendi primo competit Substantiæ, deinde Quantitati, et sic cæteris Prædicamentis. Et sic hoc nomen *ens* per prius dicitur de substantia, et per posterius de Quantitate, et aliis. Similiter est de uno. 3. *Secunda opinio.*

Sed contra hoc. Inter idem, et diversum non cadit medium; ergo omne quod concipitur, concipitur sub eadem ratione, vel diversa. Sed illa, quæ concipiuntur sub eadem ratione, sub illa ratione univocantur. Quæ autem sub diversa ratione concipiuntur, sub illis rationibus diversis æquivocantur. Cum igitur inter idem, et diversum non cadat medium, omne nomen vel erit simpliciter æquivocum, vel univocum. *Impugnatur.*

Item, terminus, quod primo significat, supponit respectu prædicati: si ergo nomen analogum significaret unum commune, illud supponeret respectu prædicati, et per consequens ad tale nomen non esset respondendum per distinctionem; quia ibi esset unitas, et non duplicitas, et per consequens talis analogia æquivocationem non causaret.

Item, quod additur de ente, veritatem non habet, nam primo non significat aliquam rationem communem illis, de quibus dicitur. Et hoc propter tria. Nam per Philosophum 8. Metaph. cont. ult. idem 2. Metaph, context. 53. duplex est materia, sensibilis, et intelligibilis. Quæ autem habent materiam sensibilem, vel intelligibilem, non statim sunt id quod sunt, nam in illis materia expectat adventum formæ : in illis autem, in quibus non est materia, nec sensibilis, nec intelligibilis, statim sunt id quod sunt,quia ibi non est aliquid expectans adventum ipsius formæ. Et exemplificat de ente, et uno, nam ens, et unum statim sunt quale, et quantum, etc, Sed si *ens* significaret aliquam rationem communem, illa ratio expectaret aliquod additum,per quod determinaretur ad substantiam,vel ad accidens. Cum ergo statim sit decem Genera, non significabit aliquam rationem communem.

4. Item, si *ens* significaret aliquam rationem communem, diversa Prædicamenta minus differrent, quam duæ species ejusdem generis, nam duæ species ejusdem generis conveniunt in ratione communi generis. Et differunt per differentias essentiales. Sed si *ens* significaret unam rationem communem ad diversa Prædicamenta, in ista ratione communi convenirent, et non differrent per differentias essentiales, quia ens non est genus,quia extra intellectum generis est differentia, et e converso. Et de differentia per se non prædicatur genus, sed ens de differentia per se prædicatur. Unde ens 3. Metaph. context. 10. non dividitur in decem Genera per differentias essentiales, sed per diversos modos essendi, quibus correspondent diversi modi prædicandi, et ideo dicuntur Prædicamenta : ergo, etc.

Ens quomodo dividitur in decem Prædicamenta.

Item, quilibet conceptus aut est comparati, aut absoluti ; ergo conceptus entis, vel erit absolutus, vel comparatus. Sed conceptus absolutus est conceptus substantiæ, et conceptus comparatus est conceptus accidentis ; ergo conceptus entis, vel erit conceptus substantiæ, vel accidentis.

* Forte diceret aliquis, quod in isto argumento est fallacia figuræ Dictionis, ac si sic argueretur, *Omne animal est vel rationale, vel irrationale; ergo animal significat rationale, vel irrationale.* Hîc est fallacia figuræ Dictionis, a suppositione personali ad simplicem. Licet enim in re animal non fuerit aliud quam rationale, vel irrationale, animal tamen potest significare indifferens ad rationale. Similiter, licet quilibet conceptus sit absolutus, vel comparatus, ens tamen potest significare indifferens ad hunc, et ad illum.

Sed ista responsio non impedit argumentum, nam absolutum, et comparatum sunt differentiæ ipsius conceptus. Sicut rationale, et irrationale sunt differentiæ animalis,ut in rerum natura existit. Sed impossibile est in rerum natura reperire aliquod animal, quod indifferenter se habeat ad rationale, et irrationale ; ergo impossibile est esse aliquem conceptum, qui indifferenter se habeat ad absolutum, et comparatum. Quare relinquitur, quod ens non significat primo rationem communem illis de quibus dicitur. Et similiter, quod nomen analogum non significat primo unam rationem communem, quæ per prius, et posterius in diversis reperiatur. Et per consequens responsio illa data non fuit sufficiens, nec bene fundata ; quare, etc.

Ad oppositum arguitur. Et primo sic, differentia est inter univocum, et æquivocum, et analogum. Univocum enim significat unum, Æquivocum vero plura, sed æqualiter. Ergo analogum significat unum per prius, et reliquum per posterius. 5.

Argumenta pro parte affirmativa.

Item, per Philosophum in 4. Metaph. context. 2. *Ens dicitur multis modis*, et per hoc innuit, quod non penitus univoce, sed nec æquivoce, sed ad unum, et unam naturam, ut sanum.

Item, intelligere sequitur esse, et significare intelligere, ergo modus intelligendi sequitur modum essendi ; et modus significandi sequitur modum intelligendi, sed in re est habitudo, ergo et in significando est habitudo.

Item, in hoc libro, c. 2. distinguit Philosophus nomina, quæ dicuntur per prius, et posterius : ergo. etc.

6. *Opinio Doctoris.* Ad quæstionem dicendum, quod quantum est ex parte vocis significantis, non est possibile vocem significare unum per prius, et reliquum per posterius. Nam *significare est aliquid intellectui repræsentare*, quod ergo significatur, ab intellectu concipitur. Sed omne quod ab intellectu concipitur, sub distincta, et determinata ratione concipitur, quia intellectus est quidam actus, et ideo quod intelligit ab alio distinguit. Omne ergo quod significatur, sub distincta ratione, et determinata significatur. Hoc patet; nam materia prima, quæ de se est ens in potentia, si intelligitur, oportet quod intelligatur sub ratione distincta. Et si ita sit de materia prima, multo fortius hoc erit verum de omni alio.

Si ergo dictio analoga, vel vox imponitur diversis, necesse est ut sub ratione distincta, et determinata eis imponatur. Si ergo dictio analoga sub diversis rationibus, diversis imponatur, necesse est quantum est ex parte vocis significantis, quod ea æqualiter repræsentet : unde in re potest esse analogia, sed in voce significante nulla cadit prioritas, vel posterioritas. Aliqua enim est proprietas, quæ magis convenit uni rei quam alteri : sed non est aliqua proprietas, quæ magis conveniat substantiæ vocis, quam alia. Hoc etiam patet per signum, quia Aristoteles in libro Prædicamentorum, ubi determinat de vocibus significativis, nullam mentionem facit de his, quæ in re sunt analoga, sed solum ibi de Univocis, et Æquivocis. Unde Boetius dicit ibidem, quod cum Aristoteles dicit, quod *Æquivoca sunt, quorum nomen est commune, et ratio substantiæ diversa*, quod sub ista definitione comprehendit quæ in re sunt analoga, et omne genus æquivocationis. Unde *ratio substantiæ* per ipsum accipitur ibi posterius, non tamen oportet, quod prius sit causa quare posterius significetur : nam posterius in re potest esse magis, et prius notum intellectui, et per consequens sibi pro ratione determinata, quam intellectus attribuit ipsis rebus, et non pro ratione, prout constat ex genere, et differentia. Propter quod dico, quod quantum est ex parte vocis significantis, nulla cadit prioritas, vel posterioritas, licet res significatæ ad invicem habeant habitudinem.

Ad primam rationem dicendum, quod quantum est ex parte vocis significantis, medium non cadit inter univocum, et æquivocum. 7. *Ad 1. princ.*

Ad 2. Ad aliam rationem dicendum est, quod Naturalis, et etiam Metaphysicus ipsas res considerant. Logicus autem considerat res rationis. Et ideo multa sunt univoca apud Logicum, quæ dicuntur æquivoca apud Naturalem. Naturalis enim diceret, quod corpus æquivoce dicitur de corpore superiori, et inferiori. Sed Logicus diceret, quod de utroque diceretur univoce. Unde a quibuscumque potest Logicus abstrahere unam rationem communem, dicuntur illa in illa ratione communi uniri, vel univocari. Unde quia in corpore superiori, et inferiori contingit reperire unam rationem communem, quia hæc, et illa corpora conveniunt in habendo tres dimensiones, ideo Logicus dicit tam hæc, quam illa in illa ratione communi uniri. Sed quia Naturalis applicat suam considerationem ipsis rebus, et alia est natura corporis corruptibilis, et corporis incorruptibilis, ideo Naturalis dicit, quod corpus dicitur de hoc æquivoce, et de illo. Logicus etiam dicit, quod omnes ejusdem Generis species in suo genere univocantur. Sed Naturalis dicit, quod in Genere latent æquivocationes multæ : unde Logicus considerat res ipsas, ut sub ratione cadunt. Et quia inter idem, et diversum non cadit medium, ideo Logicus medium non ponit inter æquivocum, et univocum. Unde per hoc ad formam argumenti dicendum, quod quia primus Philosophus considerat res secundum suas quidditates. Et in re est ita, quod quædam res ad invicem habent habitudinem, ideo dicit primus Philosophus, quod ens dicitur de substantia, et accidente analogice. Sed quia Logicus con-

Multa sunt univoca apud Logicum, quæ sunt æquivoca apud Physicum.

siderat res, ut sub ratione cadunt, ideo dicit, quod ens æquivoce dicitur de substantia, et accidente. Unde Porphyrius cap. de Specie, dicit, quod *si quis omnia entia voçet, æquivoce, non univoce nuncupabit.*

8. *Objectio.* Sed contra hoc arguitur. Si enim vox, quæ dicitur analoga, quantum est ex parte vocis significantis, non significaret unum per prius, et reliquum per posterius, sequeretur, quod primus modus æquivocationis, et secundus non differrent; nam primus modus est, quando aliqua dictio significat æqualiter plura.

Solutio. Ideo dicendum est, quod analogia non causatur secundum modum æquivocationis, quia proprie analogia reducitur ad primum modum æquivocationis. Unde ad præsens dicatur, quod translatio, et transumptio a propria significatione ad impropriam, per aliquam similitudinem causat secundum modum æquivocationis. Hoc patet per Aristotelem in littera, dicit enim quod secundus modus æquivocationis, et Amphibologiæ resultat ex hoc, quod soliti sumus sic dicere. Sicut *ridere* proprie significat actum hominis, et per quamdam translationem, floritionem, vel florigerationem pratorum, unde dicerem, quod hîc est secundus modus æquivocationis, *Quidquid ridet habet os*; *pratum ridet, ergo*, etc. Ubi in secundo modo nulla cadit habitudo, unde si illa, quæ in re habent habitudinem ad invicem, sub diversis orationibus significentur, æquivoce quantum est ex parte vocis importantur. Unde talis analogia est reducenda ad primum modum æquivocationis.

Ad 3. princ. Ad aliud dicendum, quod si accidens intelligitur, ut habet habitudinem ad substantiam, et nomen, si sic sibi imponitur, sub ratione distincta, et determinata sibi imponetur, et per consequens si idem nomen imponatur utrique, illa æquivoce repræsentabit, unde licet prius sit causa esse posterius, non tamen oportet, quod prius sit causa quare posterius significetur; nam posterius in re potest esse magis, et prius notum intellectui, et per consequens sibi prius potest nomen imponi, unde habitudo in re non concludit necessario prioritatem, et posterioritatem in sermone.

Ad aliud patet.

QUÆSTIO XVI

Utrum terminus Analogus, per se positus stet solum pro modo famosiori

Joan. de Magist. *hîc q.* 2. *diff.* 4. Tartaret. *hîc. q.* 1. *dub.* 3.

Quod sic, videtur; nam hîc est fallacia secundum quid ad simpliciter, secundum Philosophum 1. Elench. c. 3. et 2. Elench. c. 8. et de Gen. et Periherm. c. 5. *hoc est opinabile*; *ergo hoc est.* Quod non esset nisi ly *esse* in consequente solum staret pro esse in actu. 1. *Argumenta pro parte affirmativa.*

Item, Aristoteles concedit istam consequentiam, *Hoc est in potentia, ergo hoc non est.* Sed hoc non esset, nisi in consequenti negatio solum negaret esse in actu.

Item, Aristoteles 7. Ethic. dicit, quod si dicatur incontinens, jam stat ly *incontinens* hîc pro eo, quod excedit rectam rationem in gustu, vel in tactu. Sed si dicatur *incontinens iræ, vel lucri*, jam stat pro eo, quod excedit rectam rationem in ira, vel lucro : sed excedere certam rationem in gustu, vel tactu, est modus famosior incontinentiæ; ergo, etc.

Ad oppositum est Boetius. Quod si dicatur, *Homo vivit*, hîc stat ly *homo*, pro homine picto, et vivo, sed homo vivus est modus famosior; ergo, etc. 2. *Argumenta pro parte negativa.*

Item, si sic dicatur, *Quæcumque expediunt, bona sunt* : *mala expediunt*; *ergo*, etc. Paralogismus est æquivocationis; sed si terminus analogus per se positus, staret pro modo famosiori, non esset hîc aliqua duplicitas; nam major non esset duplex, quia ponitur ly *expedire* per se; nec minor, quia contrahitur ibi per ly *mala*. Si concedatur quod neutra illarum propositionum est per se multiplex, hoc non potest stare, quia paralogismi in dictione non

solum peccant contra Syllogismum, sed contra contradictionem, sed in non multiplicibus salvatur vera contradictio; sequitur ergo, quod hîc non esset fallacia æquivocationis, si neutra præmissarum esset multiplex.

Item, Aristoteles in 1. Physic. context. 13. arguit sic. Si tantum unum ens est, aut ergo ens illud est substantia, aut accidens; sed talis forma arguendi non valeret nisi ens, quantum est de se, posset accipi pro substantia, et accidente.

Item, dictum est, quod terminus analogus, quantum est ex parte vocis significantis, utrumque significatum repræsentat æqualiter; cum ergo accidentale sit sibi, quod in oratione ponatur, sequitur quod quantum est de se, pro utroque significato possit accipi, cum nullum accidentale permutet essentiale.

Item, si ponatur, quod aliqua vox pluribus imponatur, scilicet rei, et ejus similitudini, ut si *homo* imponatur naturæ humanæ, et ejus similitudini, volo significare vivere inesse similitudini hominis, licet falso: sed hoc non possum facere, nisi sic dicendo, *Homo vivit*; *ergo*, etc.

3. *Prima opinio.* Ad quæstionem dicitur, quod analogum per se positum, stat solum pro modo famosiori, nam sic utuntur Auctores, ut patet per exempla adducta, sed omnis significatio nominis debet esse nota in scientia; quia per rationem scientificam significata terminorum probare non possumus: ergo quia Auctores sic utuntur, ideo concedere debemus terminum analogum sic debere accipi.

Refellitur. Sed contra hoc arguo sic: Si terminus analogus, qui dicitur importare multitudinem, imponatur diversis, quæro utrum eis una impositione imponatur, vel diversis impositionibus. Si una, cum una impositio accipiatur ex una ratione significandi, ista diversa in illa ratione univocabuntur. Si diversis impositionibus, cum prima impositio non magis imprimat voci repræsentationem, quam secunda, sequitur quod quantum est ex parte vocis significantis, æque pro utroque accipietur.

Item, ista responsio non facit ad quæstionem, quia hîc non quæritur de significato termini analogi, quia ejus significata debemus supponere. Sed hîc quæritur de modo significandi analogi, licet enim non possimus probare, quod *homo* significet naturam, quæ ratiocinari potest, supposita tamen ejus significatione, modum ejus accipiendi pro suis suppositis probare possumus.

4. *Opinio Doctoris.* Propter hoc dicendum, quod cum terminus analogus utrumque significatum repræsentet, tanquam signum utriusque, fit tamen signum utriusque per hoc, quod sub determinata ratione, et distincte utrique imponitur. Et ideo concludere possumus, quod quantum est ex parte vocis significantis, utrumque significatum æqualiter repræsentat, et per consequens, quod pro utroque accipi possit.

Terminus analogus quandoque plura, quandoque unum repræsentat. Unde intelligendum, quod terminus analogus quandoque plura repræsentat, quandoque tantum unum, sed illud unum secundum diversa esse in diversis reperitur. Exemplum primi. *Expedire* significat expeditionem, quæ est in bonis, et utilitatem, quæ est in malis, et ista duo in voce significante non se habent secundum prius, et posterius. Similiter *ens*, significat ens, quod est substantia, et ens, quod est accidens. Et licet ens quod est accidens in re habeat attributionem ad substantiam, in voce tamen significante, nullam habet habitudinem ad substantiam. Et ideo omnia talia analoga habent reduci ad primum modum æquivocationis. Exemplum secundi, nam *sanum* significat proportionem calidorum, et frigidorum, humidorum, et siccorum: ista proportio in *animali* reperitur, ut in subjecto, et in *urina*, ut signo, et in *diæta*, ut in conservante: et similiter est de elemento respectu ignis, et materiæ primæ. Et talia analoga reducenda sunt ad univocationem, cum solum unum primo significent.

5. *Ad I. princ. pro parte affirmativa.* Ad primum argumentum dicendum, quod hîc est fallacia secundum quid ad simpliciter, *est opinabile*, *ergo est*. Et cum

dicitur, esse opinabile est secundum significatum hujus quod dico *esse*, nego, Unde dico, quod esse in opinione, esse non significat, sed hoc totum esse in opinione illud intellectui repræsentat.

Ad 2. Ad secundum dico, quod *esse* non significat, esse in potentia, et ideo Aristoteles concedit illam consequentiam, *Est in potentia, ergo non est.*

Ad 3. Ad tertium dico, quod *incontinens* significat excessum rationis in gustu, et tactu, et significat excessum rationis simpliciter, et hoc æquivoce. Sed termino æquivoco uti possumus pro altero significato, ideo hoc nomine *incontinens* uti possumus, et pro excessu rationis in tactu, et gustu, et pro excessu rationis in communi. Et quia commune de se non accipitur pro aliquo determinato, nisi per additum determinetur, ideo *incontinens*, quod significat excessum rationis in communi, potest determinari ad alterum eorum, ita quod possit accipi pro excessu rationis in ira, vel in lucro, sic dicendo, *incontinens iræ, vel lucri*, etc.

Tertius vero quando compositum plura significat, separatum vero simpliciter, ut scit seculum. Cap. 2. primi hujus.

QUÆSTIO XVII

Utrum tertius modus æquivocationis resultet ex hoc solum, quod aliqua dictio significat unum de se, et aliud ex adjuncto

Vide Auctores citandos *infra quæst.* 27. Item Occam 3. *p. Logicæ, cap.* 4,

1. *Argumenta pro parte negativa.* Hoc est quærere, utrum hæc sit distinguenda, *Laborans sanus est?* Videtur quod non ; nam per Aristotelem tres sunt modi communes æquivocationis, et amphibologiæ. Et tertius modus est, quando dictio significat unum de se, et reliquum ex adjuncto. Cum ergo in ista oratione, *Laborans sanus est*, non sit aliquid quod possit conferre huic, quod dico *Laborans*, multitudinem aliquam, sequitur quod hæc non sit distinguenda, *Laborans sanus est.*

Item, Priscianus in magno volumine dicit in princ. cap. *Tempora quoque Participiis accidunt, quod nobis deficiunt duo Participia, præsens passivi, et præteritum activi*, concludens ex hoc, quod Participium desinens in *ens*, vel in *ans*, non significat tempus præteritum. Et nihil ponitur in hac oratione, *Laborans sanus est*, quod possit conferre huic quod dico *laborans*, aliquam multiplicitatem ; ergo, etc.

Item, multiplicitas consignificatorum determinari potest per adjunctum : licet ergo *laborans* de se significet duo tempora, tamen in ista oratione, *Laborans sanus est*, ad unum tempus determinatur. Assumptum patet per Boetium, qui dicit, quod si dicatur : *Canna Romanorum sanguinem sorbuit plenus*, jam contrahitur *Canna* per mediate adjunctum.

Item, in multiplicibus utraque pars contractionis potest esse vera secundum vocem, sed hæc secundum Aristotelem in littera est determinate vera, *Sanus est non laborans*, et hæc apparet determinate falsa, *Laborans sanus, est* ; ergo, etc.

Ad oppositum. Illa oppositio est distinguenda ut multiplex, quæ potest habere secundum vocem utramque partem contradictionis veram : sed istæ duæ possunt esse veræ, *Non laborans sanus est*, et *Laborans sanus est*, ut patet in littera. Dicit enim Aristoteles, *Verum quidem sanabatur laborans, et non laborans, sanus est autem non laborans. Sed laborans non nunc, sed prius.* *Argumenta pro parte affirmativa.*

Item, in æquivocatione multiplicitas latet sub unitate vocis incomplexæ : sed si huic quob dico *laborans*, confertur tempus ex adjuncto, sequitur quod tota multiplicitas æquivocationis esset in complexo et non in incomplexo.

Circa istam quæstionem duplex est opinio. Quidam dicunt, quod hæc non est distinguenda, *Laborans sanus est*, et quidam, quod sic. Et ratio primorum est illa, quæ tacta est, scilicet quod tres sunt modi communes, etc. Hæc autem est distinguenda secundum ipsos, *Laborans sanabitur.* Et 2. *Prima opinio.*

hujus rationem ponunt ipsi, quia præteritum imperfectum, sicut est imperfecte factum, sic est imperfecte præsens. Unde verbum talis temporis consignificat actum inchoatum, sed tamen non totaliter determinatum, unde de eo qui complevit totaliter actum scribendi versum non possum dicere, quod scribebat versum; propter igitur convenientiam præteriti imperfecti ad præsens, volunt ipsi quod *sanabatur* conferat tempus imperfectum huic quod dico, *laborans*, et cum *laborans* de se non consignificet nisi tempus præsens, hæc non erit distinguenda, *Laborans sanus est*. Et sic dicentes de levi respondent ad argumenta in contrarium.

Ad 1. et 2. Ad primum dicunt, quando dicitur, istæ sunt veræ, *Laborans sanus est, et non laborans sanus est*, ipsi negant. Ad aliud dicunt, quod nihil prohibet, quod aliquid alteri conferat multiplicitatem, et tamen quod ista multiplicitas solum sit in dictione una: verbi gratia, hæc propositio *B convenit esse A*, habet duas acceptiones ab hoc verbo *convenit*, et tamen tota multiplicitas est in hoc quod dico B. Similiter dicerent in proposito, quod nihil prohibet, quod tempus conferatur ab hoc verbo *sanabatur* huic quod dico *laborans*, et tamen quod tota multiplicitas sit in hoc, quod dico, *laborans*.

3. *Prima objectio.* Sed contra: et primo contra hoc quod dicitur, quod hoc quod dico *laborans*, non significat duplex tempus. Priscianus in magno volumine dicit, quod Participium desinens in *ans*, vel in *ens*, consignificat duplex tempus, scilicet præsens, et præteritum imperfectum, et idem dicit in minori; ergo, etc.

Secunda objectio. Item, modi significandi absoluti, et respectivi præcedunt ordinationem dictionis in oratione; cum sint principia ordinandi dictionem cum dictione in oratione. Et hujus signum est, nam Priscianus in magno volumine, primo determinat de modo significandi, antequam determinet in minori de oratione: non videtur ergo rationabile, quod aliquis modus significandi conferatur dictioni ex ordinatione ejus in oratione.

Tertia objectio. Item, licet aliqua dictio alteri posset conferre aliquem modum significandi respectivum, cum secundum modos significandi respectivos ad invicem dependeant, non tamen videtur, quod aliqua dictio posset alteri conferre aliquem modum significandi absolutum: cum ergo tempus sit modus significandi absolutus, non videtur, quod aliqua dictio possit tempus conferre alteri.

Ad illud, quod dicitur de illa convenientia inter præsens, et præteritum imperfectum, veritatem habere posset, si caderent ex una parte orationis.

4. *Opinio Doctoris.* Quid autem sit tenendum, non potest bene probari per rationes demonstrativas. Nam ista materia propinqua est impositionibus nominum, in quibus non est ratio quærenda. Verumtamen potest dici ad præsens, quod hæc est distinguenda, *Laborans sanus est*, ex eo quod *laborans* potest accipi pro laborante nunc, et prius. Et ad hoc multum facit quod dicit Prisciamus, scilicet quod Participium consignificat duo tempora. Propter hoc dico, quod tertius modus æquivocationis est ex hoc, quod dictio de se consignificat plura, et non ex adjuncto.

Ad 1. princ. Ad primum argumentum dicendum, quod tantum duo sunt modi communes, et tertius modus non est communis, sed amphibologiæ appropriatur. Et isto modo loquendi utitur Aristoteles in lib. 2. de Anima, ubi distinguit sensibilia propria, et communia. Et dicit, quinque sunt sensibilia communia, scilicet *motus, quies, numerus, magnitudo, et figura*. Et tamen ista non sunt communia cuilibet sensui, sed quædam sic, et quædam non. Numerus enim odoratui non convenit.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod duo Participia nobis deficiunt, scilicet præsens passivi, et præteritum activi, quod circumloquimur sic dicendo, *Sum qui legi*, sed hoc non intelligit de præterito imperfecto.

Ad 3. Ad tertium dicendum, quod illud argumentum est commune utrique parti. Nam quidam sunt modi significandi respectivi, et quidam absoluti, modo multiplex in modis

significandi respectivis, potest determinari per mediate adjunctum, et hoc intelligit Boetius. Sed tempus est modus significandi absolutus, et ideo non oportet quod per mediatum determinetur.

Ad quartum dicendum, quod istæ duæ propositiones veræ sunt, *Non laborans sanus est.* Et adjungo sicut Philosophus, *laborans* non nunc, sed prius.

6. *Ad 4. Objectio.* Item, ad principale ; quod non sit distinguenda, probatio ; quia quandocumque est multiplicitas in termino absolute. Aristoteles in manifestando exempla semper manifestat, ubi est multiplicitas, absolute esse distinguendum. Dicit enim, quod *expedire* est duplex. Sed in manifestando exempla juxta tertium modum æquivocationis, non manifestat multiplicitatem in aliquo termino absolute. Dicit enim laborantem quemlibet facere, vel pati, non tantum unum significat : videtur ergo quod multiplicitas fuerit in toto, et non in ista particula *laborans.*

7. *Solutio.* Dico, quod Aristoteles hanc multiplicitatem manifestans tertii modi æquivocationis dicit, hoc totum, *Laborantem quemlibet facere, vel pati,* multa significare, ut designet hunc modum accipi penes consignificata dictionum : quæ quidem sunt modi significandi, qui modi significendi dictioni insunt, ut in oratione ordinatur. Quilibet enim modus significandi inest dictioni, ut ordinationem habet, cum licet modi respectivi sint principia ordinandi dictionem cum alia. Et licet tempus non sit principium ordinandi dictionem cum dictione, scilicet appositum cum supposito, est tamen mensura actus qui ab eo egreditur.

Secundum amphibologiam tales velle me accipere pugnantes. Et putas, quod quis scit, hoc sit, etc. Cap. 2. primi hujus.

QUÆSTIO XVIII

Utrum unitas vocis complexæ sit sufficiens principium distinguendi Amphibologiam ab æquivocatione

Albertus de Saxon. *tract.* 6. *cap.* 3.

1. *Argumenta pro parte negativa.* Quod non videtur ; quia complexum, et incomplexum solum differunt materialiter, sed diversitas in materia non concludit diversitatem in forma. Sed loci Sophistici distinguuntur secundum speciem ; ergo per complexum, et incomplexum solum, non distinguuntur.

Item, complexum, et incomplexum differunt sicut pars, et totum ; sed pars, et totum non distinguuntur specie, quia quæ distinguuntur specie totaliter sunt diversa ; sed pars, et totum totaliter non sunt diversa ; ergo, etc.

Ad oppositum. Æquivocatio, et Amphibologia differunt, sicut dictio, et oratio : sed dictio, et oratio differunt per complexum et incomplexum ; ergo, etc.

QUÆSTIO XIX

Utrum diversa ratio construendi requiratur ad Amphibologiam

Occam 3. *part. Logicæ, cap.* 5.

Quod sic videtur ; quia omnes paralogismi ejusdem fallaciæ, dicuntur habere 1. *Argumenta pro parte affirmativa.*
unum principium non existentiæ, sicut unum principium apparentiæ : sed aliqui paralogismi, hujus fallaciæ, non habent aliud principium non existentiæ, quam diversam rationem construendi : ergo diversa ratio construendi ad Amphibologiam requiritur.

Si dicatur quod omnes loci hujus fallaciæ habent unam causam communem non existentiæ, scilicet diversitatem sententiæ, et per consequens quod illud assumptum est falsum, quando accipitur, quod aliqui paralogismi habent diversam rationem construendi pro non existentia. Contra, in aliquibus paralogismis hujus fallaciæ, diversitas sententiæ resultat ex diversitate constructionis, sicut ex causa : modo unius effectus secundum rationem una est causa secundum rationem. Cum ergo diversitas sententiæ in omnibus paralogismis hujus loci reperiatur, et in aliquibus, ut planum est, resultet ex diversitate constructionis, videtur quod diversa ratio construendi requiratur ad Amphibologiam.

Item in oratione amphibologica tria re-

quiruntur, scilicet vox, significatum, et modi significandi dictionum. Sed diversitas sententiæ non resultat ex voce, nam vox manet eadem. Nec ex diversitate significati : nam hæc per se requiritur ad æquivocationem. Oportet ergo,quod diversitas sententiæ in amphibologia resultet ex diversitate modorum significandi dictionum, quæ causat diversitatem constructionis.

Item, hoc patet per signum, nam Aristoteles instruens nos circa istam fallaciam, non ponit aliquem paralogismum, quin in eo contingat reperire diversitatem constructionis.

Ad oppositum, quandocumque duo sic se habent ad invicem, quod contingit reperire unum sine altero, unum non est de ratione alterius, licet e converso. Quia enim contingit reperire animal sine homine, ideo homo non est de ratione animalis, licet e converso. Sed contingit reperire Amphibologiam, sine diversa ratione construendi,ut patet hic, *Littus aratur;* ergo, etc. Ad primam quæstionem dicendum, quod unitas vocis complexæ secundum materiam, et formam, est sufficiens principium distinguendi Amphibologiam a quolibet alio loco Sophistico in dictione, et extra. Per hoc enim, quod ejus apparentia accipitur ex parte vocis, distinguitur a locis extra dictionem. Et per hoc, quod dicitur *secundum materiam, et formam*, distinguitur a compositione. et divisione, et accentu. Et per hoc, quod est ibi vera multiplicitas, distinguitur a figura dictionis, ad quam non exigitur nisi unitas phantastica. Per hoc quod dicitur, *vocis complexæ*, ab æquivocatione distinguitur. Est enim complexum sufficiens principium distinguendi ipsam Amphibologiam ab æquivocatione. Nam diversitas aliquorum secundum speciem, provenit ex diversitate materiæ, et formæ: sed complexum, et incomplexum differunt ex parte materiæ, et formæ, ergo loci qui accipiuntur secundum complexum, differunt specie. Quod autem complexum, et incomplexum differant ex parte materiæ, hoc patet per simile. Nam alia est materia propria

2. Conclusio Doctoris ad q. 18.

ipsius lapidis, et ipsius domus. Similiter alia est materia complexi, et incomplexi. Propria materia autem complexi, sunt dictiones per se significativæ : sed materia incomplexi, sunt syllabæ, et litteræ non per se significativæ. Differunt etiam ex parte formæ : nam forma complexi consistit in unione dictionum, quæ per se significant. Sed forma incomplexi consistit in unione litterarum, et syllabarum, quæ per se non sunt significativæ. Differunt ex parte materiæ, et formæ; ergo,etc.

Ad primum argumentum dicendum, quod complexum, et incomplexum magis differunt, quam secundum materiam, quia secundum formam, ut dictum est. *3. Ad 1.*

Ad secundum dicendum, quod duplex est totum, scilicet homogeneum,et heterogeneum. In toto autem primo modo dicto, est idem nomen totius, et partis; quælibet enim pars ignis, est ignis, et quælibet pars carnis, est caro. Et ideo in toto homogeneo, pars non differt a toto, specie. In toto autem secundo modo dicto, nomen totius non convenit cuilibet parti, quælibet enim pars hominis non est homo. Et sicut duplex est totum,sic duplex est pars, scilicet homogenea, et heterogenea. Pars autem primo modo dicta, non differt a suo toto, specie. Sed secundo modo dicta potest dupliciter considerari, aut ut est per formam totius ; et adhuc talis pars a suo toto non differt specie; aut ut est quoddam compositum in se, habens esse distinctum ab esse totius ; et talis pars potest differe a suo toto, specie. Et sic intelligimus Amphibologiam accipi ex parte vocis complexæ, et a quivocationem ex parte vocis incomplexæ, prout scilicet incomplexum, habet esse distinctum a complexo. *Ad 2. Totum duplex.* *Pars duplex.*

Ad aliam quæstionem dicendum, quod ad Amphibologiam, sicut ad quemlibet alium locum Sophisticum, duo requiruntur, scilicet apparentia, et non existentia. Si enim aliquid appareat, et simul cum hoc existat, deceptionem non causat. Similiter si aliquid non existat, nec apparentiam habeat, nullam causabit fallaciam. *4. Conclusio Doctoris ad quæst. præsentem.*

Multiplicitas duplex. Sed sciendum, quod duplex est multiplicitas, in dictione, et extra dictionem. In dictione est triplex multiplicitas, scilicet actualis, potentialis et phantastica. Actualis multiplicitas est, quando est ibi identitas vocis secundum materiam, et formam quæ est prolatio. Potentialis est, quando est ibi identitas vocis secundum materiam, et non secundum formam. Phantastica est, quando aliqua dictio unum significat, sed propter similem figurationem videtur aliquid aliud significare. Nam omnis multiplicitas aut est vera, aut non vera. Si non vera, tunc ibi est figura dictionis. Si est vera multiplicitas, aut ibi est identitas vocis secundum materiam, et formam, aut secundum materiam tantum. Si secundum materiam tantum, aut hoc erit in voce complexa, et tunc habemus compositionem, et divisionem; si in voce in complexa, tunc habemus accentum. Si sit identitas secundum materiam, et formam, et ista identitas sit in voce complexa, sic est Amphibologia; si in voce incomplexa, sic est æquivocatio.

5. *Dubium. Responsio.* Nunc videndum est, utrum ad Amphibologiam requiratur diversitas constructionis. Et dicendum, quod tum Amphibologia operetur actualem multiplicitatem, quæ provenit ex diversitate sententiæ: diversitas autem sententiæ haberi potest sine diversa ratione construendi. Concludendum est ergo, quod ad Amphibologiam non requiritur diversitas constructionis.

Quod autem diversitas sententiæ non semper proveniat ex diversitate constructionis, hoc patet: nam inter constructibilia quæ tantum uno modo construuntur ad invicem, potest esse diversitas sententiæ, quia inter illa potest esse diversitas habitudinis, et ex diversitate habitudinis sequitur diversitas sententiæ: verbi gratia, si dicatur *liber Aristotelis*. Hic potest esse habitudo efficientis ad effectum, ut sit sensus, liber est Aristotelis, ut efficientis. Vel potest esse habitudo possessi ad possidentem, ut sit sensus, liber est Aristotelis ut possidentis. Similiter aliqua oratio, potest significare aliquem conceptum, ita quod partes illius orationis significent partes conceptus, ut si dicatur, *Littus aratur*. Hæc enim oratio significat scissionem littoris, et partes orationis significant partes illius conceptus. Et ista oratio absque diversa ratione construendi, potest tranferri ad significandum amissionem temporis. Et hoc propter aliquam similitudinem, nam omnes transferentes secundum aliquam similitudinem transferunt.

Ad primum argumentum dicendum, quod omnes paralogismi istius loci habent unum principium commune non existentiæ, scilicet diversitatem sententiæ, cui etiam multoties annectitur diversa ratio construendi. 6. *Ad 1. princ.*

Ad rationem in contrarium, cum dicitur, Unius effectus, etc. dicendum, quod ista propositio non est generaliter vera. Nam sanitas potest induci a natura, et per artem. Et quædam animalia ejusdem speciei possunt generari per putrefactionem, et per propagationem. Unde licet diversitas constructionis quandoque fuerit causa diversitatis sententiæ, hoc tamen non concludit, quod ubicumque fuerit diversitas sententiæ, quod ibi fuerit diversitas constructionis.

Ad aliud principale dicendum, quod si penes nullum istorum accidat diversitas, adhuc potest tota oratio complexa diversa significare. Sicut patet in ista oratione multiplici secundum compositionem, et divisionem, *Possibile est sedentem ambulare*. Eadem enim significata, et eumdem modum significandi habet ista oratio in sensu composito, et diviso. Et similiter, ut videtur, potest esse in Amphibologia. Sed illud non solvit, nam modus proferendi conjunctim, vel divisim, est modus proferendi, sive significandi ipsius complexi, inquantum tale est. Et ideo in compositione, et divisione accidit diversitas sententiæ propter tales modos significandi: sed in Amphibologia non sunt tales modi significandi, propter quod videtur, quod in Amphibologia resultet diversitas sententiæ, ex diversitate modi significandi dictionum. Et dicendum *Ad 2.*

est nunc ad rationem, quod in Amphibologia quandoque ex diversa ratione construendi resultat diversitas sententiæ, vel saltem diversitati sententiæ annectitur diversa ratio construendi. Quandoque autem in Amphibologia diversitas sententiæ resultat, eo quod tota oratio transfertur a propria significatione ad impropriam, ut si dicatur, *Littus aratur.*

Ad 3. Ad ultimum dicendum, quod Aristoteles sufficienter instruxit nos, quantum ad hoc quod per se requiritur ad Amphibologiam, quia ad illam requiritur unitas vocis secundum materiam, et formam, et diversitas sententiæ. Et quantum ad hæc duo, sufficienter instruxit nos, sed quia diversitati sententiæ accidit diversa ratio construendi, ideo Aristoteles ponit tales paralogismos.

Putas est tacentem dicere, duplex enim est tacentem dicere, et hunc dicere, et quæ dicuntur. Cap. 2. primi hujus.

QUÆSTIO XX

Supposito quod in aliquo paralogismo reperiatur diversitas constructionis, utrum talis oratio sub uno actu proferendi possit multa significare

1. *Argumenta pro parte negativa.* Videtur quod non. Nam ad hoc quod ista oratio, *Pugnantes vellem me accipere,* repræsentet diversos sensus, necesse est, quod ibi sit diversitas constructionis. Sed ad diversitatem constructionis sequitur diversitas prolationis. Nam secundum quod ly *me*,ad diversitatem constructionis sequitur, construitur a parte ante, est una prolatio. Et secundum,quod construitur a parte post,est alia ; sub uno ergo actu prolationis non potest multa significare.

Item, secundum quod ly *me* construitur a parte ante, necesse est intelligere modum significandi a parte ante; et per consequens necesse est intelligere vocem ipsam a parte ante, quia modi significandi non sunt sine voce. Similiter secundum quod ly *me* construitur a parte post, necesse est intelligere modum significandi a parte post, et ipsam vocem,sed unico actu proferendi non potest intelligi ly *me* a parte ante, et a parte post; ergo, etc.

Item, constructio est congrua dictionum ordinatio. Sed in hoc dicto, *Vellem me accipere pugnantes,* est tantum unica dictionum ordinatio ; ergo tantum una constructio.

Ad oppositum. Aristoteles 1. Elench. c. 2. ubi dicit istam orationem esse distinguendam, *Contingit tacentem dicere,* sed hoc non esset, nisi ista oratio unico actu proferendi diversa significaret. 2.

Item, nisi ita esset, actualis multiplicitas non differret a potentiali, quia pro tanto dicimus aliquam propositionem esse multiplicem secundum compositionem, et divisionem, quia talis oratio diversis prolationibus ad diversos sensus determinatur.

Ad quæstionem dicendum, quod cum Amphibologia operetur actualem multiplicitatem, secundum Alexandrum, necesse est Amphibologicam orationem, sub uno actu proferendi, diversos sensus repræsentare. Et ratio hujus est ; quia ex 2. Periherm. c. 1. nomina, et verba transposita habent eadem significata, et eumdem modum significandi, cum significata, et modi significandi sint essentialia dictioni : sed transpositio est sibi accidentalis. Inter nomina enim quæ tantum uno modo construuntur, manifestum est, quod transpositio non diversificat constructionem, quia non diversificat modos significandi dictionum, qui sunt principia construendi. Idem enim est dicere, *Pelei filius, et filius Pelei.* 3. *Conclusio Doctoris.*

Ulterius ista oratio, *Pugnantes vellem me accipere,* sub isto actu proferendi, actu repræsentat hunc sensum, Vellem accipere pugnantes. Et ista oratio, *Pugnantes vellem accipere me,*actu repræsentat hunc sensum, Vellem quod pugnantes acciperent me. Cum ergo nomina, et verba transposita idem significent,oratio primo modo prolata,repræsentabit acta secundum sensum,et secundo modo prolata, primum sensum. Ista ergo oratio, *Pugnantes vellem accipere me,* sub

uno actu proferendi repræsentat actu diversos sensus. Et hoc satis sequitur ex hoc, quod actualem multiplicitatem operatur.

4. Ad 1. princ. Ad primum argumentum concedo majorem : sed cum dicitur in minori, quod ad diversitatem constructionis sequitur diversitas prolationis, Nego ; quia modi significandi sunt causæ constructionum, qui manent in terminis transpositis.

Ad 2. Ad aliud dicendum, cum dicitur, *Pugnantes vellem me accipere*, quod ad hoc quod habeatur iste sensus, scilicet quod vellem accipere pugnantes, necesse est intelligi ly *me*, construi a parte ante de ly *accipere*, ita quod ejus dependentiam a parte ante terminet, quia construi a parte ante, nihil aliud est, quam quod modi significandi dictionis correspondeant modis significandi ipsius verbi, qui debentur ei per comparationem, quam habet ad substantiam, a qua actus egreditur a parte ante. Et similiter construi a parte post, nihil aliud est, quam quod modi significandi dictionis correspondeant modis significandi ipsius verbi, qui ei debentur per comparationem ad substantiam, a qua actus egreditur a parte post. Unde modi significandi dictionis possunt habere correspondentiam cum modis significandi verbi, qui ei debentur per comparationem ad substantiam, a qua actus egreditur. Unde congruitas orationis resultat ex correspondentia modorum significandi, et non ex ordinatione eorum, nisi per accidens. Unde potest intelligi aliqua dictio construi a parte ante, licet vox a parte ante non ordinetur. Et cum dicitur ulterius, quod si modi significandi ejus, quod est ly *me*, intelliguntur a parte ante, necesse est vocem intelligi a parte ante. Verum est secundum correspondentiam. Unde ad hoc, quod ly *me* construatur a parte ante, vel a parte post, sufficit correspondentia in modis significandi : nec oportet, quod aliud vocaliter intelligatur, quod ibi est proferre a parte ante, vel post, unde ista oratio, *Pugnantes vellem me accipere*, sub uno actu proferendi diversos sensus repræsentat, sive ly *me* vocaliter proferatur a parte ante, vel post.

Ad ultimum dicendum, quod hæc consequentia non valet, tantum est una ordinatio dictionum ; ergo tantum una constructio. *Ad* 3.

QUÆSTIO XXI

Utrum oratio multiplex secundum Amphibologiam uno modo prolata, sit multiplex quocumque modo proferatur

Quod sic videtur ; quia causa in actu, et effectus in actu simul sunt, et non sunt, ex 5. Metaph. text. com, 3. et 2. Phys. text. com. 37. Sed modi significandi sunt causæ diversitatis constructionis. Et modi significandi manent idem, quocumque modo proferantur ; ergo, etc. 1. *Argumenta pro parte affirmativa.*

Item, ex 2. Periherm. c. 1. nomina, et verba transposita, idem significant ; quocumque ergo modo transponantur termini, non auferunt multiplicitatem a propositione, ergo, etc.

Item, si determinata prolatio determinaret orationem multiplicem ad alterum ejus sensum, actualis multiplicitas a potentiali non differret. Consequentia patet, quia oratio multiplex, secundum potentialem multiplicitatem, ad alterum sensum determinari potest per determinatam prolationem.

Ad oppositum. Nisi determinata prolatio determinaret orationem Amphibologicam ad alterum sensum, nulla habitudo syllogistica esset sine multiplicitate. Et universaliter, ubicumque hoc verbum *est* prædicaretur tertium adjacens, talis oratio esset distinguenda, et sic tunc hæc esset distinguenda, *Homo est animal*. 2. *Argumenta pro parte negativa.*

Item, orationes imperfectæ essent simpliciter perfectæ. Hæc enim esset perfecta, *Albus est homo*. Et similiter oratio incongrua esset congrua simpliciter, ut hæc, *Mulier est vir alba*.

Item, Aristoteles dicit in 1. hujus cap. 5.

quod in Elencho concludente hanc conclusionem, *Contingit tacentem dicere,* est multiplicitas in contradictione, et non in syllogismo, sed conclusio sequitur ex istis præmissis, *Quidquid contingit esse album, contingit dicere : Tacentem contingit esse album ; ergo tacentem contingit dicere.* Major non est multiplex, quia tunc esset peccatum in syllogismo, et non in contradictione solum : nec per eamdem rationem minor. Hoc non esset, nisi determinata prolatio determinaret orationem Amphibologicam ad alterum sensum.

3. *Prima opinio.* Circa istam quæstionem est duplex opinio. Quidam dicunt, quod oratio multiplex secundum Amphibologiam uno modo prolata, est multiplex, etiam quocumque alio modo proferatur. Unde isti dicunt, istam orationem esse distinguendam, *Homo est animal.*

Secunda opinio. Alia opinio est, quod oratio amphibologica non est alia, quam illa, quæ sub eodem actu proferendi multa significat, ut in hac, *Isti asini sunt Episcopi.*

4. *Refutatio utriusque opinionis.* Neutra istarum opinionum est vera simpliciter. Prima enim ponit tantam indeterminationem in sermone, quod vix homo posset, ubi hoc verbum *est* prædicatur tertium adjacens, conceptum determinatum audienti exprimere : ergo propter finem sermonis non debemus ponere indeterminationem tantam in sermone. Secunda opinio ponit multas orationes multiplices secundum Amphibologiam non esse distinguendas, quia si dicatur, *Pugnantes vellem me accipere,* planum est, quod ly *me,* et ly *pugnantes,* secundum hunc situm non possent pluribus modis construi, ita quod ordo conceptuum correspondeat ordinationi dictionum.

5. *Opinio Doctoris.* Propter hæc dicendum, quod oratio multiplex secundum Amphibologiam, cum operetur actualem multiplicitatem uno actu proferendi, multos sensus repræsentat. Tamen oratio multiplex secundum Amphibologiam, uno modo prolata, non est multiplex, quocumque alio modo proferatur. Et hujus ratio est, nam penes primum modum Amphibologiæ provenit multiplicitas ex diversitate constructionis actualis, et non potentialis. Sed causa diversitatis, actualis constructionis non est, quod dictiones habeant modos significandi, secundum quos sunt ad invicem constructibiles. Nec causa præcisa est, quod dictiones in oratione sint sibi proximæ, sed causa diversitatis actualis constructionis est, quod modus significandi dictionis fuerit mutuo dependens : ita quod dependentia ex utraque parte dictionum, fuerit mutua. Unde si dicatur, *Homo animal est.* Hæc oratio est distinguenda, eo quod modus significandi hujus verbi *est,* dependens est. Et hoc quod dico *homo* ratione qualitatis potest istam dependentiam terminare, et hoc quod dico *animal.* Sed si dicatur, *Homo est animal,* hæc oratio non est distinguenda. Nam modi significandi non sunt hic mutuo dependentes, quia dependentia de ly *est* a parte ante, et a parte post sufficienter terminatur.

Est tamen intelligendum, quod licet terminata prolatio determinet orationem multiplicem secundum actualem multiplicitatem, et potentialem, sicut accidit in compositione, et divisione, una tamen multiplicitas ab alia differt. Nam determinata prolatio orationis multiplicis, secundum potentialem multiplicitatem, punctuando ad alterum sensum, potest ipsam determinare, manente semper eodem ordine vocum. Sed determinata prolatio manente eodem ordine vocum, punctuando, non determinat orationem multiplicem secundum actualem multiplicitatem ad alterum sensum, sed ipsa transpositio terminorum. Si enim dicatur, *Pugnantes vellem me accipere,* ly *pugnantes,* non per punctuationem ad alterum sensum potest determinari. 6.

Ad primum dicendum, quod causa diversitatis actualis constructionis non est, quod dictiones habeant modos significandi, secundum quos sunt ad invicem constructibiles, sed ad diversitatem actualis constructionis requiritur, quod illi modi sint dependentes, ut dictum est. 7. *Ad primum pro parte affirmativa.*

Ad 2. Ad aliud, cum dicitur, nomina et verba, etc. dicendum, quod verum est, non tamen in oratione multiplici. Et hujus signum est, quod Aristoteles probat istam propositionem per contradictionem, et in multiplicibus non est contradictio. Quid autem sit dicendum ad tertium, patet in positione.

Ad 1. *et* 2. *pro parte negativa.* Ad argumenta in oppositum, ad primum patet ex dictis.

Ad secundum dicendum, quod hæc est imperfecta, *Albus est homo.* Et si dicatur, quod ly *albus* potest construi a parte post, dicendum est, quod dependentia verbi a parte post sufficienter determinatur, et ideo non oportet, quod a parte post construatur.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod hæc est incongrua, *Mulier est vir alba,* quia verbi dependentia per hoc quod dico *vir,* determinatur, nec mulier ad ly *alba,* in tali situ refertur, nec verbum dependet.

Ad ultimum dicendum, quod hæc conclusio, *Contingit tacentem dicere,* ex non multiplicibus potest sequi sic, *Contingit quod Socrates dicat, Socrates est tacens,* etc.

Tertius vero quando compositum plura significat, etc. Cap. 2. primi hujus.

QUÆSTIO XXII

Utrum hæc sit distinguenda, scit seculum

Occam 3. *part. Logicæ, cap.* 7.

1. *Argumenta pro parte negativa.* Et videtur quod non, quia hæc oratio est imperfecta in altero sensu. Ut constructio ly *seculum,* a parte post, quia tunc deficit suppositum.

Ad oppositum est Aristoteles, Elenchorum, qui dicit, quod hîc est tertius modus Amphibologiæ, *scit seculum.*

2. *Prima opinio.* Ad istam quæstionem dicunt quidam, quod hæc est distinguenda secundum tertium modum, *scit seculum.* Et dicunt, quod tertius modus Amphibologiæ est, quando oratio per se, solum significat unum : juncta autem alteri, plura. Sed si hoc pronomen *hoc* jungatur isti orationi, hæc oratio primo significabit plura, ut si dicatur, *Hoc scit seculum,* tunc significatur quod seculum habeat scientiam alterius, vel quod alterum habeat scientiam seculi. Et quod sic debeat intelligi, et assignari tertius modus, hoc dicunt ipsi : patet per litteram Aristotelis; quia tertius modus est secundum ipsum, quando oratio per se significat unum : juncta autem alteri plura.

Ulterius assignant differentiam inter primum modum, et tertium ; quia primus modus est, quando oratio significat plura primo : si ab illa oratione auferatur aliqua ejus pars, adhuc significabit plura, ut patet in ista, *Pugnantes vellem me accipere.* Sed tertius modus est, quando ablato aliquo, residuum non significat plura, ut patet in ista oratione, *Hoc scit seculum.* Auferatur ly *hoc,* et residuum non significat plura.

Sed contra arguo tripliciter. Primo, quod ista oratio, quam ipsi ponunt multiplicem, non sit multiplex, quia in primo, et tertio modo Amphibologiæ resultat diversitas sententiæ ex diversitate constructionis actualis. Sed diversitas constructionis actualis resultat ex hoc, quod modi significandi fiunt ad invicem dependentes, sed dependentia hujus verbi *scit,* sufficienter terminatur a parte ante, et a parte post. Videtur ergo, quod hæc non sit multiplex, *Hoc scit seculum.* 3. *Refutatur.*

Item dato, quod hæc sit distinguenda, ostendo quod non sit distinguenda secundum tertium modum. Primo per litteram Aristotelis, quia ipse dicit, quod tertius modus Amphibologiæ est, quando oratio per se significat unum, juncta tamen alteri significat plura, ut *scit seculum* : nam utrumque, et *scire,* et *seculum,* si contingat per se dicere, unum quidem significat, ambo autem plura. Si ergo hoc quod dico *ambo,* includit conjunctim, et hoc quod dico *utrumque,* significat divisim, videtur quod ista oratio, *scit seculum,* non conjuncta alteri debeat plura significare.

Item, multiplicitas Amphibologiæ secundum tertium modum, provenit ex hoc, quod eadem oratio secundum materiam, et modum pronuntiandi significat plura alteri adjuncta; illa ergo oratio, quæ primo significat plura principaliter,non est Amphibologica, secundum tertium modum : sed hæc, *Hoc scit seculum*,est hujusmodi; ergo, etc. Probatio minoris,quia ista oratio non indiget aliquo, ut sit plurium significativa : ergo ista oratio primo plura significat.

Item, quod differentia assignata inter primum modum, et tertium non valeat, probatio per simile in æquivocatione; quia ad hoc quod oratio sit multiplex secundum æquivocationem, et hoc primo modo, non requiritur, quod ibi ponantur plures termini æquivoci, hæc enim est distinguenda secundum primum modum, *Canis currit*, sicut et hæc, *Canis expedit*; ergo ad hoc, quod oratio sit multiplex secundum modum Amphibologiæ, non oportet, quod ablato aliquo remaneat multiplicitas in propositione residua.

4. *Opinio Doctoris.* Ad quæstionem ergo dicendum, quod hæc est multiplex secundum tertium modum, *scit seculum.* Sed intelligendum, quod tertius modus Amphibologiæ est, quando oratio de se solum significat unum: ipsa tamen juncta alteri significat plura, per Aristotelem in littera : non tamen sic intelligendo, quod multiplicitas sit in toto aggregato primo, sicut ponit alia positio, sed tota multiplicitas est in ista particula, *scit seculum*, ut tamen ad aliud refertur; sicut est in ista propositione, *B contingit esse* A. Huic enim quod est *B*, attribuuntur duæ acceptiones, et non ipsi propositioni, nec etiam ipsi *B* absolute considerato, sed ipsi *B*, ut stat sub tali prædicato : similiter in proposito. Nam hæc oratio, *scit seculum*, *seculum* de se solum significat unum juncta tamen alteri plura significat, ut si dicatur, *Socrates si est sapiens, scit seculum*, hoc consequens, *scit seculum*, est distinguendum. Ex eo quod ly *seculum*, potest construi a parte post de ly *scit*. Et tunc est sensus. *Si Socrates est sapiens, ipse habet scientiam de seculo*, et sic est propositio vera. Si ly *seculum* construatur a parte ante de ly *scit*, tunc est propositio falsa, sub hoc sensu, *si Socrates est sapiens, seculum habet scientiam.* etc.

Ulterius est intelligendum, quod differentia est inter tertium modum Amphibologiæ, et primum, quia primus est quando oratio primo, et principaliter plura significat. Tertius autem modus est, quando oratio significat plura, ut ad aliud habeat relationem. Unde dicerem, quod hic est primus modus Amphibologiæ, *Hoc scit seculum*, quia hæc oratio primo, et principaliter plura significat, sed hic est tertius modus, *scit seculum*, quia ista oratio de se non significat, nisi unum et ista adjuncta alteri plura significat. Ita quod tota multiplicitas sit in ista particula *scit seculum*, prout alteri adjungitur. *Nota.*

Per hæc ad rationem principalem, cum dicitur, quod huic orationi, *scit seculum*, deficiet suppositum, si ly *seculum* construatur a parte post. Dicendum, quod hæc oratio suppositum potest habere ex illo cui adjungitur. 5. *Ad 1. prin[...]*

Sed contra hæc arguo tripliciter. Primo sic : Multiplicitas actualis in oratione non resultat nisi ex conjunctione partium ipsius orationis : sed ex nulla conjunctione partium istius orationis, *scit seculum* resultat diversa sententia, quia utrumque de se unum solum significat; ergo hæc oratio, *scit seculum*, non est multiplex secundum Amphibologiam. Et confirmatur ratio, iste intellectus, *Socrates scit seculum*, qui debet esse alter sensus ex conjunctione istarum partium haberi non potest. *Prima ob[...]jectio.*

Sed forte dicetur, quod hæc ratio solum concludit, quod hîc non sit primus modus Amphibologiæ, *scit seculum*, quia primus modus Amphibologiæ est, quando diversitas sententiæ resultat ex conjunctione partium orationis. Sed tertius modus est, quando oratio de se significat unum, et ipsa juncta alteri significat plura. Unde quod hîc sit primus modus Amphibologiæ concludit ratio.

Contra, hæc oratio non habet significatum, nec modum significandi, nisi ex partibus; quod ergo partibus non confert significatum, nec modum significandi, non faciet orationem plura significare : sed tale adjunctum non confert partibus significatum, nec modum significandi ; ergo hæc oratio *scit seculum*, non significat plura ex adjunctione aliqua.

6. lutio. Sed dicendum est ad rationem, quod in partibus orationis per se acceptæ, sunt modi significandi, secundum quos ipsæ ad invicem diversimode possunt construi. In hoc enim quod dico, *seculum* est casus rectus, ratione cujus potest supponi verbo a parte ante, et cum eo intransitive construi in ratione suppositi. Et in hoc quod dico, *seculum* est casus accusativi, ratione cujus potest construi cum verbo a parte post transitive. Cum igitur dicitur, quod adjunctum non confert significatum partibus, nec modum significandi, dico, quod adjunctum confert actum huic quod dico *seculum*, per quem in altero sensu potest construi cum ly *scit* a parte ante, per hoc quod suppositum præcedentis orationis potest supponere verbo. Secundo dat actum huic quod dico *seculum*, ut possit construi cum hoc, quod dico, *scit*, a parte post. Hæc enim oratio non potest esse perfecta, si hoc quod dico, *seculum*, a parte post construeretur, nisi aliquid redderet suppositum huic quod dico *scit*, a parte ante. Unde quod reddit suppositum, dat actum huic quod dico *seculum*, ut construatur a parte post de ly *scit*, etc.

Secunda objectio. Item adhuc potest objici secundo sic, quod si hæc oratio, *scit seculum*, non significaret plura, nisi ut alteri adjungitur, sequitur, quod totum aggregatum primo significet plura, quia quando aliqua operatio non potest inesse alicui, nisi ut illud junctum est cum alio, dicimus illam operationem esse utriusque, ut si trahere navem non insit Socrati, nisi per adjutorium Platonis, utrique attribuimus hunc actum, qui est trahere navim, et non alteri per se. Si ergo hæc oratio, *scit seculum*, non significat plura, nisi ut juncta alteri ; videtur quod totum aggregatum primo significet plura.

Tertia objectio. Item tertio, hoc videtur esse de intentione Aristotelis. Dicit enim quod tertius modus Amphibologiæ est quando compositum significat plura : separatum vero unum solum, ut *scit seculum*, nam ly *scire*, et ly *seculum*, unum significat; ambo autem plura. Si ergo Aristoteles uniformiter accipiat *utrumque* divisim, et *ambo* conjunctim, videtur quod hæc oratio, *scit seculum*, de se debeat significare plura, et non ex adjunctione cum alio.

Ad 2. objectionem. Ad primum istorum duorum dicendum, quod ratio non concludit, quin tertius modus Amphibologiæ sit ex conjunctione alicujus cum alio. Et ad majorem rationis, cum dicitur : quando aliqua oratio non inest uni, nisi ut junctum est alteri, etc. Dico, quod major habet sic intelligi, quod ista oratio est utriusque, vel unius partis, ut attributionem habet ad aliam.

Ad 3. objectionem. Ad aliud dicendum, quod Aristoteles in illa littera intelligit, quod multiplicitas tertii modi non resultet ex hoc, quod aliqua dictio ibi habeat plures significationes. Unde idem est, ac si diceret, quod hæc oratio, et ejus partes solum unum significant; adjuncta autem alteri, plura.

Nota. Ultimo sciendum est circa hunc locum, quod tres sunt modi Amphibologiæ, et tres æquivocationis ; tertius tamen modus assignatus a Philosopho non est communis utrique fallaciæ. Duo tamen modi communes sunt utrique. Nam primus modus est, ut dicit Aristoteles quando dictio, vel oratio significat plura. Secundus, quando est translatio a propria significatione ad impropriam. Unde Aristoteles sic dicit, quod secundus modus resultat ex hoc quod soliti sumus sic dicere. Et juxta secundum modum æquivocationis sic fiunt paralogismi ; *Quidquid ridet habet os* ; *pratum ridet* ; *ergo*, etc. *Ridere* enim proprie significat actum hominis : et propter aliquam similitudinem transfertur ad floritionem in pratis. Juxta secundum modum Amphibologiæ sic fiunt

paralogismi. *Quandocumque littus aratur, terra scinditur : sed quandocumque indocilis docetur, littus aratur*; *ergo quandocumque indocilis docetur, terra scinditur. Arare* enim significat proprie scissionem terræ, sed ille qui arat littus, amittit tempus suum; ideo propter istam similitudinem transfertur ad amissionem temporis. Tertius modus æquivocationis est ex eo, quod aliqua dictio plura consignificat, ut *laborans*. Similiter tertius modus Amphibologiæ est quando oratio de se significat unum, et ipsa eadem juncta alteri significat plura, ut *scit seculum*.

Secundum compositionem autem, et divisionem, etc. cap. 2. primi hujus.

QUÆSTIO XXIII

Utrum compositio et divisio sint duæ fallaciæ distinctæ specie

D. Thom. *opusc. de fallac. cap.* 8. Tartar. *hîc q.* 2. Conimb. *hîc q.* 1. *art.* 2. *et in* 1. *Prior. cap.* 3. Vide Complut. *notat. in lib. Elench.*

Argumenta pro parte negativa. Videtur quod non, nam sicut se habet multiplicitas actualis orationis ad orationem, sic se habet multiplicitas potentialis ad orationem : sed multiplicitas actualis non constituit nisi unum locum Sophisticum, vel unam fallaciam, ut Amphibologiam; ergo nec potentialis.

Item, sicut se habet multiplicitas potentialis dictionis ad dictionem, sic se habet multiplicitas potentialis orationis ad orationem : sed multiplicitas potentialis dictionis, non constituit nisi unum locum Sophisticum, ut Accentum; ergo, etc.

Item, loci Sophistici distinguuntur specie per causas apparentiæ; illi ergo loci, qui habent eamdem causam apparentiæ, specie non distinguuntur : sed compositio, et divisio habent eamdem causam apparentiæ ut unitatem materiæ; ergo, etc.

Ad oppositum. Nisi compositio, et divisio specie distinguerentur, non essent sex loci Sophistici in dictione, quod est contra Aristotelem cap. 2. primi hujus. Nam hunc numerum probat inductive ex syllogismo.

QUÆSTIO XXIV

Utrum unitas materialis vocis complexæ sit sufficiens causa distinguendi compositionem, et divisionem

Occam 3. *part. Log. cap.* 8. Alb. de Sax. *tract.* 5. *cap.* 4.

Quod sic videtur; quia cum unitas materialis vocis complexæ sit causa generalis apparentiæ, in compositione, et divisione, nisi fuerit principium sufficiens distinguendi unum locum ab alio, oporteret super istam causam generalem aliquid addere, quod ipsam determinet ad compositionem, et divisionem : et illud additum oporteret esse aliquid pertinens ad modum pronunciandi, et sic compositio, et divisio actualem multiplicitatem operarentur, quod falsum est. Consequentia patet; quia ibi esset unitas materiæ, et unitas modi pronunciandi; et hæc duo integrant locum operantem actualem multiplicitatem; ergo, etc. 1. *Argumenta pro parte affirmativa.*

Item, illud est causa apparentiæ in compositione, et divisione, sub quo multa latent : sed sub unitate materialium multa latent in compositione, et divisione; ergo est sufficiens principium distinguendi compositionem, et divisionem. Minor patet per Aristotelem 1. Elench. in illo cap. *Fallacia autem fit in his*. Nam ibi vult Aristoteles quod propter unitatem materialium credimus compositionem, et divisionem esse idem.

Item, illud est causa apparentiæ in compositione, et divisione, quod est principium tegendi defectum; quia defectus latet sub apparentia : sed unitas materialium est sufficiens principium tegendi defectum; ergo etc. Minor patet per Aristotelem. Dicit enim, quod compositio, et divisio deficiunt ab Elencho : eo quod non est eadem oratio composita, et divisa; diversitas ergo orationum est causa defectus in compositione, et divisione; sed iste defectus latet sub unitate materialium; ergo, etc.

Ad oppositum. Quod est commune duobus, non distinguit illa specie ; sed unitas materialis est communis compositioni et divisioni ; ergo, etc.

2. *...ma opi-* Ut sciatur veritas primæ quæstionis, primo oportet dissolvere secundam, circa quam sunt diversæ opiniones. Quidam dicunt,quod unitas materialis est causa apparentiæ generalis in compositione, et divisione : ipsa tamen diversificata per diversas habitudines diversos locos constituit.Et hoc ponitur sic, Proponens orationem secundum compositionem, non debet eam proferre,ut indifferenter se habet ad utrumque sensum, quia sic ita de facili perciperet respondens sensum compositum falsum, sicut sensum divisum verum. Nec debet eam profere sub sensu diviso vero determinate, nam manifestatio sensus divisi veri, est manifestatio sensus compositi falsi. Sed debet eam proferre sub sensu composito falso, cum habitudine ad sensum divisum verum. Unde unitas materialis habitudine ad sensum divisum verum,est causa apparentiæ in compositione : et unitas materialis cum habitudine ad sensum compositum verum, est causa apparentiæ in divisione. Ista autem habitudo est ex parte orationis : propter quod unitas materialis cum habitudine ad sensum divisum verum, est causa apparentiæ in compositione.

...futatur. Sed contra hoc : in causa apparentiæ, cum sit principium tegendi defectum, non debet esse aliqua occasio manifestandi defectum ; sed in ista causa apparentiæ, est sufficiens occasio percipiendi utrumque sensum ; quia per hoc, quod profertur sub sensu composito falso, possumus percipere sensum compositum falsum. Et per hoc quod profertur sub habitudine ad sensum divisum verum, est ibi occasio percipiendi sensum divisum verum ; in causa ergo apparentiæ esset sufficiens occasio ad defectum manifestandum.

Item, inferius probatur, quod inter prolationem compositam, et divisam non cadit aliqua prolatio media : quod tamen ponit ista positio ; quælibet ergo prolatio, vel est determinate prolatio sensus compositi, vel sensus divisi, et non unius sub assimilatione ad aliud.

Propter hæc dicitur aliter, quod causa apparentiæ in compositione, est unitas materialis sub actuali prolatione sensus divisi veri ; quia opponens sophistice tria debet celare,scilicet pluralitatem significatorum, falsitatem propositionis, et indeterminationem ad utrumque sensum. Quæ tria per causam apparentiæ teguntur; quia per unitatem materialem tegitur pluralitas significatorum. Per hoc, quod profertur sub determinato sensu, tegitur indeterminatio ad utrumque sensum. Per hoc quod iste sensus divisus verus est, tegitur falsitas propositionis. 3. *Secunda opinio.*

Sed contra istam viam arguo dupliciter. Primo sic, omne quod apparet, habet aliquam similitudinem illius quod apparet : sicut aurichalcum, quod apparet aurum, habet aliquam similitudinem auri ; si ergo oratio composita apparet esse vera, oportet quod in se habeat aliquam similitudinem ad divisam veram. Sed ista positio non ponit aliquam similitudinem in oratione composita ad divisam ; ergo, etc. Confirmatur ratio, nam vera natura auri, non est causa quare aurichalcum appareat aurum. Ergo veritas sensus divisi non est causa quare oratio composita falsa, appareat esse vera. Sed sic dicentes forte dicerent, quod veritas sensus divisi non est causa præcisa apparentiæ in compositione, sed similitudo orationis compositæ ad divisam. Et ista similitudo provenit ex unitate materialium. *Rejicitur.*

Sed videtur, quod ista responsio concedat propositum : nam formale in compositione est ista similitudo, et ista similitudo provenit ex unitate materiali ; ergo unitas materialis est sufficiens principium apparentiæ in compositione, et divisione.

Item, in omni loco in dictione, idem est quod tegit falsitatem propositionis, vel pluralitatem : et quod facit apparentem contradictionem : sed unitas materialis est causa apparentis contradictionis ; ergo, etc. Minor probatur, nam si quæratur, *Vidistine*

oculo hunc percussum? Hæc propositio conceditur. Si iterum quæratur, *Vidistine hunc percussum oculo*, hæc negabitur. Et causa istius apparentis contradictionis, est unitas materialis; ergo, etc.

4. *Tertia opinio.* Propter [6]hoc dicitur aliter, quod causa apparentiæ in compositione est unitas materialium, prolata in sensu composito falsa. Et hoc videtur haberi ab Aristotele, quia Aristoteles in 1. hujus, ubi determinat de locis Sophisticis, quantum ad eorum apparentiam, non ponit aliquam orationem in fallacia compositionis, quin in sensu composito sit falsa, nec aliquam juxtadivisionem, quin in sensu diviso sit falsa.

Refellitur. Sed contra hanc viam arguitur dupliciter. Primo sic, illud non potest esse causa apparentiæ in loco Sophistico, sine quo convenit reperire locum illum, quia locus Sophisticus non est sine apparentia. Sed convenit reperire compositionem, et divisionem, sine falsitate alterius sensus, ut patet per exemplum: *Video hominem magnum baculum tenentem*, hîc est compositio, et divisio, eo quod hæc determinatio nominalis *magnum* potest determinare *hominem*, vel *baculum*, et in utroque sensu potest esse propositio vera, posito casu possibili.

Item, Sophista debet arguere ex apparenter veris, sed si causa apparentiæ in compositione esset unitas materialis prolata in sensu composito falso, ex manifesto falsis argueret Sophista, quod ei non esset conveniens. Et præterea, ut argutum est, in causa apparentiæ non debet esse aliqua occasio manifestandi defectum, ex qua defectus latere debet sub apparentia. Sed prolatio compositi falsi est occasio manifestandi defectum; ergo, etc.

5. *Opinio Doct.* Propterea potest dici ad quæstionem, quod unitas materialis est causa apparentiæ generalis in compositione, et divisione: sed quia commune, inquantum hujusmodi, non distinguit, ideo ipsa divisa, vel partita per diversas differentias, diversos locos constituit. Nam similitudo orationis compositæ ad divisam, est causa apparentiæ in compositione. Et similitudo orationis divisæ ad compositam, est causa apparentiæ in divisione. Nunc autem istæ similitudines *Solutio q. 23.* differunt secundum speciem, et ideo possunt distinguere locos secundum speciem. Quod autem istæ duæ similitudines differant secundum speciem, probatio; nam relationes diversificantur secundum speciem, secundum diversitatem fundamentorum secundum speciem. Nunc autem fundamenta istarum similitudinum sunt modi proferendi compositim, vel divisim. Et isti modi differunt secundum speciem, ideo istæ similitudines differunt secundum speciem. Major patet, nam similitudo, quæ fundatur super albedinem, differt specie a similitudine, quæ fundatur super nigredinem, quia albedo, et nigredo specie distinguuntur. Secunda pars minoris patet, scilicet quod modi proferendi compositim, vel divisim differunt secundum speciem, quia major est diversitas inter modos proferendi compositim, vel divisim, quam inter materialia nunc, et iterum prolata: sed materialia nunc, et iterum prolata differunt secundum numerum; ergo modi proferendi compositim, vel divisim differunt secundum speciem. Et præterea modi proferendi sunt formæ locorum differentium secundum speciem; ergo, etc.

Prima pars minoris patet, quæ fuit, quod istæ similitudines fundantur super istos modos proferendi specie diversos. Nam similitudo orationis compositæ ad divisam, vel attenditur solum penes unitatem materialium, vel penes modos proferendi compositim, vel divisim. Non penes unitatem materialium, nam talis similitudo non causat deceptionem, quæ appropriatur compositioni, et divisioni, nam in materialibus compositio, et divisio non distinguuntur. Si enim aliquis credat materialia esse eadem, propter hoc non decipitur. Ista ergo similitudo attenditur secundo modo. Hoc patet, si nos inspiciamus ad modum, quo decipimur secundum compositionem, et divisionem. Si enim quæritur, *Putasne verum dicere nunc, quoniam tum factus es.* Cito respondens hanc concedet. Si ergo ul-

terius inferatur, *factus es; ergo nunc*, deceptio non accidit, quia respondens credat materialia esse eadem, sed propter similem modum proferendi compositim, et divisim. Et hoc vult Aristoteles tam in primo hujus, quam in secundo. Dicit enim, quod nos decipimur secundum compositionem, et divisionem, eo quod nihil putatur differre composita, et divisa oratio.

Unde dicendum, quod unitas materialium cum similitudine orationis compositæ ad divisam, est causa apparentiæ in compositione, et e converso, in divisione. Et licet istæ similitudines radicaliter proveniant ex unitate materialium : istæ tamen similitudines super modos proferendi compositim, vel divisim fundantur, qui sunt specie differentes.

6. *Nota.* Ulterius intelligendum est, quod arguens sophistice secundum compositionem habet proferre talem orationem in sensu diviso vero. Nam si proferret eam in sensu composito falso, ibi esset occasio manifestandi defectum, et falsitatem. Sed tamen veritas sensus divisi non erit causa apparentiæ in compositione, sed similitudo orationis compositæ ad divisam, ut dictum est.

Objectio. Sed contra hoc arguo, et ostendo, quod ista similitudo non sit causa apparentiæ in compositione, quia causa apparentiæ in compositione, debet esse objectum sensus. Cum ergo similitudo ista sensui non objiciatur, non erit causa apparentiæ in compositione.

Solutio Dicendum est, quod ista similitudo objicitur sensui per hoc quod unitas materialium sensui objicitur, sicut similitudo Socratis ad Platonem in albedine sensui objicitur.

Ad 1. principale quæst. præsentis. Ad primam rationem istius secundæ quæstionis, cum dicitur, Si unitas materialis non sit sufficiens causa apparentiæ, cum sit generalis, oportet super istam aliquid addere. Dicendum, quod illud additum, est similitudo orationis compositæ ad divisam, et non modus proferendi.

Ad 2. et 3. Ad secundam patet per dicta in quæstione. Ad tertiam, quando dicitur quod unitas materialis tegit defectum, etc. Dicendum, quod unitas materialis non facit apparentiam sine similitudine : nec tegit defectum.

Ad rationes primæ quæstionis, dicendum pro prima ratione, quod simile est quo ad hoc, quod utraque multiplicitas est in oratione : sed tamen ex hoc non sequitur ulterius, quod si in actuali multiplicitate orationis non est nisi unus locus, quod ideo secundum potentialem multiplicitatem non sit nisi unus locus. Nam in potentiali multiplicitate orationis, est distinguere duas causas apparentiæ specie differentes, sicut dictum est ; et etiam duas causas non existentiæ latentis sub illis causis. Sed in actuali multiplicitate orationis, non est distinguere nisi unam causam apparentiæ, et unam causam non existentiæ, ideo non est simile. 7. *Ad I. princ. quæst. 23.*

Ad aliud dicendum, quod circa hoc sunt diversæ opiniones, de quibus videte inferius. Sed tamen dicendum est pro nunc, quod quantum est ex potentiali multiplicitate, Aristoteles potuit distinxisse duos locos penes Accentum : sicut penes compositionem, et divisionem. Sed forte consideravit hunc locum, prout magis conveniens est usui Sophistico. Et hoc est in scriptura, et poëmatibus, ut ipse testatur : et considerando accentum prout est in scriptura, et poëmatibus, est ibi solum una causa apparentiæ, scilicet eædem litteræ et Syllabæ.

Ad tertium patet per dicta in dictione.

QUÆSTIO XXV

Utrum ad fallaciam compositionis requiratur quod sensus compositus sit falsus

Videtur quod sic, nam locus Sophisticus non est sine sua causa apparentiæ, et non existentiæ, nam ex his duobus integratur locus Sophisticus : sed causa non existentiæ in compositione est falsitas sensus compositi ; ergo, etc. Forte aliquis interimeret 1. *Argumenta pro parte affirmativa.*

minorem dicendo, quod causa non existentiæ est diversitas orationis compositæ ad divisam, et hoc patet per Aristotelem in 1. Elench. cap. *Aut ergo sic dividentes*, qui dicit, quod compositio, et divisio in ignorantiam Elenchi reducuntur, quia non est eadem oratio composita, et divisa.

Contra. Illud non est sufficiens causa non existentiæ hujus fallaciæ, quod adjunctum suæ causæ apparentiæ, non potest in proprium effectum istius fallaciæ ; sed diversitas orationis compositæ ad divisam annexa causæ apparentiæ hujus fallaciæ, non potest in proprium effectum ; ergo, etc. Probatio assumpti, quia proprius effectus fallaciæ est fallere : nullus autem fallitur nisi credendo falsum esse verum. Sed si quandoque respondens credat sensum divisum esse idem cum sensu composito, non credit falsum esse verum, ut patet in exemplo isto, *Video hominem magnum baculum tenentem.*

Item, ratio eorum quæ sunt ad finem a fine sumitur : sed locus Sophisticus ordinatur ad metam, sed ad metam non dicitur nisi per propositionem falsam ; ergo, etc.

Item, recta solutio est manifestatio falsi, et propter quid accidit falsum : si ergo divisio sit solutio compositionis, quia ubi fallit compositio, solvit divisio, necesse est quod sensus compositus in compositione sit falsus.

2. *Argumenta pro parte negativa.* Ad oppositum. Ex falso contingente concesso a respondente, cum aliqua propositione vera, de sensu composito, sequitur inconveniens, quod non sequitur cum eadem propositione vera in sensu diviso : sed hoc erit per aliquem locum Sophisticum, et non nisi per compositionem ; ergo, etc.

Item, si dicatur, *Video hominem magnum baculum tenentem*, hæc potest esse vera in utroque sensu, et est distinguenda secundum compositionem, et divisionem. Item hæc, *Cæcus videt hominem pulchrum librum tenentem*, in utroque sensu est falsa.

3. *Conclusio. Compositio.* Ad quæstionem dicendum, quod compositio potest dupliciter considerari, aut in se, et absolute, aut prout pertinet ad finem Sophisticæ. Si primo modo consideratur, non est necesse in compositione sensum compositum esse falsum, quia ad potentialem multiplicitatem non requiritur, nisi quod materialia sub diverso modo proferendi diversa significent. Quod autem illa materialia sint vera, vel falsa, vel in alio sensu vera, et alio falsa, hoc accidit potentiali multiplicitati. Si consideratur secundo modo, sic necesse est sensum compositum in compositione esse falsum. Nam opponens sophistice, intendit respondentem ducere ad metam, sed hoc non facit, nisi faciat ipsum opinari falsum esse verum, propter similitudinem falsi ad verum. Et propter hoc Aristoteles determinans de locis Sophisticis, prout ducunt ad metam, omnes orationes quas ponit in compositione, fallunt in isto sensu. Et omnes orationes, quas ponit in divisione, sunt falsæ in isto sensu. Primæ rationes ostendunt, quod prout compositio ducit ad metam, necesse est sensum compositum esse falsum. *potest dupliciter considerari.*

Ad I. princ. pro parte negativa. Ad illud primum in oppositum dicendum, quod quandoque oratio vera in sensu composito, est incompossibilis alicui contingenti falso. Et eadem oratio in sensu diviso vera, eidem falso contingenti non est incompossibilis. Et tunc ex propositione vera in sensu compositionis, cum isto contingenti falso, sequitur inconveniens, propter incompossibilitatem inter ea, quod tamen falsum non sequitur cum oratione vera in sensu diviso : unde forte fallacia compositionis non accidit propter illationem illius falsi. Sed tantum ista incompossibilitas est causa illius falsi. Intelligendum est quod eadem compositio, prout est fallens, dicitur *fallacia compositionis* ; ut est solvens, dicitur *sensus compositionis*. Et similiter est de divisione.

QUÆSTIO XXVI

Utrum hæc oratio, Sedentem ambulare est possibile, *sub diversis prolationibus possit diversa significare*

Occam *ubi supra cap.* 8.

1. *Argumenta pro parte negativa.* Videtur quod non, nam omnis diversitas in orationibus, vel provenit ex diversitate significati, vel ex diversitate modorum significandi. Sed materialia diversimode prolata, habent eosdem modos significandi, et eadem significata ; ergo, etc. Major pâtet : nam diversitas in significando, resultat ex diversitate in intelligendo. Sed diversitas in intelligendo, vel provenit ex diversitate significati, vel modorum significandi ; ergo, etc.

Item, quod sensus compositionis non sit ibi possibilis, probatio : nam *sedens,* cum sit præsentis temporis, significat illum qui sedens est. Sed ly *ambulare,* potest ampliari per modum possibilitatis ; significatur igitur, quod iste, qui nunc est sedens, posset in futuro ambulare, et iste est sensus divisionis ; ergo, etc.

Item, quod sensus divisionis non sit ibi possibilis, probatio : nam terminus concretus, aut supponit formam tantum, et tunc est oratio falsa, qualitercumque constructibilia dividantur. Si supponat tantum subjectum, tunc hæc est fallacia figuræ dictionis, *Quidquid heri vidisti, hodie vides ; album heri vidisti* ; *ergo,* etc. Oportet igitur dicere, quod supponit formam, ut subjectum concernit. Sed tunc adhuc sequitur idem, quia tunc denotatur, potentiam esse in sedente, ut concernit subjectum. Sed sicut una forma non potest esse alia, sic nec subjectum sub tali forma est in potentia ad formam oppositam. Ad oppositum est Aristoteles in 1. hujus.

2 *Conclusio.* Ad quæstionem dicendum, quod materialia illius orationis, *Possibile est sedentem ambulare,* sunt in potentia, ut significent diversa sub diversis prolationibus, ut ostendit Aristoteles in 2. hujus, per simile, in dictione prolata, sud gravi accentu, et acuto. Nam sicut ipsa dictio est in potentia, ut constituat intellectum simplicem sub accentu gravi, et alium conceptum sub accentu acuto. Sic materialia istius, *Sedentem,*etc. sunt in potentia ut diversas sententias sub diversis modis proferendi significent, vel repræsentent. Et ista similitudo patet : nam sicut accentus est quidam modus significandi attributus dictioni, per quem unum intellectum simplicem ab alio distinguit : sic modus proferendi est quidam modus significandi, per quem nos distinguimus unum intellectum ab alio. Unde sicut accentus variat potestatem dictionis, sic modus proferendi variat potestatem orationis. Unde quod dicitur, quod orationi non attribuitur modus significandi, nisi qui attribuitur partibus ejus ; hoc habet intelligi de modis significandi Grammaticalibus quæ sunt principia construendi unam dictionem cum alia, sed tamen modi significandi Logicales ipsi orationi attribuuntur.

Sed contra, modus proferendi, qui est modus significandi orationis, ex parte nostra est : nam quod constructibilia sic, vel sic proferantur, hoc est ex parte nostra. Si ergo constructibilia sub diversis modis proferendi diversa significarent, sequeretur, quod multiplicitas eorum ex parte nostra acciperetur. Et talem diversitatem orationis increpat Aristoteles, etc. *Objectio.*

Dicendum, quod diversitas modi proferendi est ex parte nostra. Sed quod oratio sic prolata, hoc significet, et sub alio modo proferendi significet aliud, hoc non est ex parte nostra. Unde Aristoteles non increpat multiplicitatem ex parte nostra, dummodo oratio habeat in se multiplicitatem, quod enim *pendere* proferatur sub accentu gravi, vel acuto ex parte nostra est. Sed quod dictio prolata sub gravi accentu, significet unum, et sub alio significet aliud, hoc ex parte nostra non est, sed ex parte dictionis. *Solutio.*

Sed ulterius oportet videre, quis modus 3

Dubium. proferendi, facit sensum compositum, et *Solutio.* divisum. Et dicendum est, quod continua prolatio ejus, quod est *sedentem*, cum hoc quod est *ambulare*, causat sensum compositum. Iste autem modus proferendi possibilis est in oratione, nam sic modi significandi Grammaticales ad invicem dependentes terminantur, et quæ nata sunt conjungi conjunguntur. Iste autem sensus accidit orationi præter aliquam violentiam, ideo iste sensus magis appropriatur orationi. Sensus autem divisionis accidit ex discontinua prolatione earumdem partium. Et quia quæ nata sunt conjungi ad invicem separantur, ideo iste sensus minus appropriatur orationi, unde accidit ei cum quadam violentia.

In primo sensu ex continua prolatione ejus quod est *sedentem*, cum *ambulare*, intelligimus extrema referri ad idem. Unde secundum quosdam de hoc toto, *sedentem ambulare*, ponitur possibilitatis modus: secundum alios modus possibilitatis dicit dispositionem circa ista extrema. Sed sive sic, sive sic, semper ista extrema in sensu compositionis ad idem habent referri. Sed in sensu divisionis, ex discontinua prolatione istarum dictionum, potest ly *sedens* accipi pro uno tempore, et ly *ambulare* pro alio: unde in sensu divisionis, modus non dicit dispositionem circa ista extrema pro eodem tempore, sed permittitur quod pro diversis temporibus accipiatur.

4 *Ad 1. princ.* Ad rationes. Ad primam dicendum, quod si major intelligitur solum de modis significandi Grammaticalibus, qui sunt principia construendi unam dictionem cum alia, tunc falsa est major. Sed si intelligatur, quod omnis diversitas in oratione, vel provenit ex diversitate significati, vel modorum significandi Logicalium, tunc vera est et minor falsa. Nam *modus proferendi* est quidam modus significandi Logicalis, per quem unus intellectus ab alio distinguitur.

Ad 2. Ad secundam, cum dicitur, quod *sedens* significat illum, qui nunc est sedens, et ly *ambulare* ampliatur per modum possibilitatis; dico, quod in sensu composito ad idem tempus, ad quod ampliatur ly *ambulare* ad illud ampliatur *sedentem*. Unde a parte ly *sedentem*, est possibilitas ut amplietur. Nam Priscianus dicit, quod Participiis præsentis temporis insunt tempora, quemadmodum Infinitivis. Unde cum dicitur, *Fuit legens, est legens, erit legens*; ly *legens* accipitur pro tempore præsenti, sed non pro tempore, quod est præsens, sed pro eo quod erit, vel fuit præsens.

Ad ultimam dicendum, quod terminus concretus supponit formam, ut concernit subjectum. Sed hoc dupliciter contingit, aut prout cum forma conjungitur aut prout in se, et absolute consideratur. Primo modo supponit in sensu composito, secundo modo in sensu diviso. Et cum dicit ulterius, quod in sedente denotatur potentia ad ambulandum, supposito quod hoc sit verum; dicendum, quod in sensu diviso supponit subjectum ratione formæ, cui inest sessio. Et ideo sufficit solum subjectum esse præsens ambulationi, quæ terminat potentiam. Exemplum hujus est, materia prima, ut est in potentia ad formam, sed non est in potentia ad formam, nisi ut est sub privatione. Et ideo materia prima est in potentia per accidens. Et quod est sic in potentia, ut solum concomitans, non oportet esse præsens actui terminanti potentiam; sic est in proposito, quia forma sessionis solum est in potentia ad ambulandum per accidens, ideo non oportet quod sit præsens, cum subjectum conjunctum est cum ambulatione. *Ad 3.*

QUÆSTIO XXVII

Utrum hæc propositio, Sedentem ambulare est possibile, *sit vera in sensu divisionis*

Doctor *supra q.* 23. *hujus.* Tartar. *hic. q.* 5. *dub.* 1. De hac materia vide D. Thom. *opusc.* 40. Ferrar. 1. *contra gentes, cap.* 67. Alvar. *lib.* 12. *de Aux. disp.* 115. Complut. *lib.* 2. *Instit. cap.* 8. Item Doct. 4. *dist.* 9. *q.* 2.

Videtur quod non. Nam possibile, sub quocumque modo proferatur, dicit possibi- 1 *Argumenta pro parte negativa.*

lem unionem ejus, quod est *sedentem* cum *ambulare*. Sed tunc arguitur sic, illa propositio est falsa, quæ significat possibilem unionem eorum, quæ ad invicem componi non possunt; sed hæc est talis, ergo, etc.

Item, in sedente denotatur esse potentiam ad ambulandum, sed cujus est potentia, ejus et actus. Nam actus est terminus per se potentiæ: significatur ergo per propositionem in sensu diviso, quod sedens, sub forma sessionis possit esse conjunctum cum ambulatione, quod est impossibile.

Item, propositio vera de possibili, habet aliquam veram de inesse, nam *possibile* est, quo posito in esse, non accidit impossibile; sed propositio de in esse respondens isti de possibili est hæc, *Sedens ambulat*, quæ simpliciter falsa est; ergo, etc.

2. *Responsio diversorum.* A quibusdam dicitur quod hæc, *Sedentem ambulare est possibile*, debet sic poni in esse, *Sedens prius ambulat*. Secundum tamen alios sic debet poni in esse, *Homo, vel animal ambulat*. Ratio primi est hæc, nam ex discontinua prolatione istarum partium, *Sedentem ambulare*, permittitur, quod ly *sedens*, possit accipi pro uno tempore, et ly *ambulare* pro alio, et hoc virtute modi potentiæ, propterea sic debet poni in esse, *Sedens prius, ambulat*. Ratio secundi est, potentiæ respectu illius, respectu cujus est solum per accidens, non correspondet actus. Unde propositio debet poni in esse ratione subjecti sessionis, ut, *homo ambulat*, vel *animal*.

Objectio. Sed contra hoc arguo sic: Diversis propositionibus de possibili, correspondent diversæ propositiones de inesse: sed istæ duæ sunt diversæ propositiones de possibili, *Sedentem prius, possibile est ambulare* et *Sedentem possibile est ambulare*. Sed primæ de possibili correspondet hæc de inesse *Sedens prius, ambulat*; ergo secundæ de possibili correspondet hæc, *Sedens ambulat*.

Item, istæ sunt diversæ de possibili, *Animal ambulare est possibile*, et *Sedentem ambulare est possibile*. Sed huic possibili de possibili correspondet hæc de inesse, *Animal ambulat*; ergo isti, *Sedentem ambulare est possibile*, correspondet alia de inesse.

Ad oppositum, hæc propositio, *Possibile est sedentem ambulare*, sequitur ex veris; ergo est vera. Sequitur enim ex istis, *Possibile est Socratem ire, Socrates est sedens*; ergo, etc.

QUÆSTIO XXVIII

Utrum sit vera in sensu compositionis

Vide citatos *quæst. præced.*

Quod sic videtur, nam ly *sedentem* potest comparari ad diversa tempora per notam potentiæ, et per consequens potest esse sensus in propositione, *Sedentem prius, possibile est ambulare*. 1. *Argumenta pro parte affirmativa.*

Item, continua prolatio ejus, quod est *sedentem* cum ly *ambulare* non facit, quod *sedentem*, et *ambulare* accipiantur pro eodem tempore, nam sic dicto, *Homo qui fuit est*, potest ly *homo* accipi pro præsenti, et ly *fuit* pro præterito, non obstante, quod sub continua prolatione profertur; ergo eadem ratione in proposito. Oppositum vult Aristoteles primo hujus cap. 2.

Propter primam quæstionem, intelligendum est, quod *potentia* dicitur multis modis. 2. *Potentia dicitur multis modis.* Et in quibusdam est multiplicitas æquivocationis, et in quibusdam est multiplicitas analogiæ, per Aristotelem in princ. 9. Metaph. cont. 1. Aliqua enim dicuntur potentialia, non quia habeant aliquod principium transmutationis. Et sic reperitur potentia in Geometria, et in Logica. Linea enim quæ est radix alicujus quadrati, dicitur potentia ipsius, sicut in numeris dicimus, quod ternarius est potentia novenarii; ista autem potentia non dicitur propter aliquod principium transmutationis, sed propter aliquam similitudinem. Sicut materia est potentia actus, quia transmutatur ad actum, sic numerus dicitur potentia alterius, quia ex ductu ejus in seipsum resultat alterum. Similiter est in Logica;

possibile enim, et impossibile non dicimus in Logicalibus propter aliquod principium transmutationis, sed solum propter ordinem ad verum, et ad falsum. Sicut enim *ens* non solum significat ens extra animam, sed verum circa compositionem intellectus. Sic potentia cum dicat ordinem, transfertur ad compositionem, et divisionem in propositionibus. Unde illa propositio dicitur *possibilis*, quæ potest esse vera, et illa *impossibilis*, quæ non potest esse vera. Sed hoc non est propter aliquam potentiam activam, vel passivam, sed solum propter convenientiam, et repugnantiam terminorum. Potentia autem in naturalibus accipitur, prout est principium transmutationis, quæ secundum analogiam dividitur.

3. *Conclusio Doctoris ad q. 27.* Hoc supposito dicendum, quod propositio potest esse vera in sensu diviso, *Sedentem ambulare est possibile.* Nam propositio significat quod unio prædicati ad subjectum est possibilis. Sed hoc potest esse dupliciter. Vel pro eodem tempore, et sic est composita et falsa ; vel pro diversis temporibus, et sic est divisa, et vera. Unde illud, quod est subjectum sessionis in uno tempore, potest esse subjectum ambulationis in alio tempore. Et quia potentia æquivoce accipitur in Logicalibus, et naturalibus, ideo Logicus dicit multas propositiones esse veras, quas tamen diceret Naturalis esse impossibiles. Unde concedit istam propositionem, *Falsum potest esse verum* , in altero sensu. Et etiam istam, *Cæcus potest esse videns.*

4. *Ad 1. princ. quæst. 27.* Ad primum argumentum, cum dicitur, quod possibile, sub quocumque modo proferatur, etc. dico quod verum est. Sed hoc potest esse dupliciter, vel pro eodem tempore, et sic propositio falsa est, vel pro temporibus diversis, et sic vera est, et ratione subjecti.

Ad 2. Ad aliud, cum dicitur, quod in sedente denotatur esse potentia, etc. Dico, quod propositio non significat quod compositio extremorum est possibilis. Unde propositio non significat quod in sedente, ut in subjecto, sit potentia, ut subjecti ad prædicatum. Verumtamen hoc posito, dicendum est ad rationem ulterius, cum dicitur, ejus est actus, cujus est potentia. Dico, quod cujus est potentia ut subjecti per se, ejus erit actus. Cujus tamen est potentia ut subjecti per accidens, non oportet, quod ejus sit actus, nec per se, nec per accidens. Nam privatio, et forma, opposita sunt in potentia per accidens ad formam, quæ est terminus motus, et tamen nec privatio, nec forma opposita manet sub actu. Et hoc, quia non est alia potentia earum, quam potentia ipsius materiæ.

Verumtamen propter intellectum illius propositionis est sciendum, quod sicut aliquid se habet ad potentiam, sic se habet ad actum, et si per accidens se habet ad potentiam, per accidens se habet ad actum. Et intelligendum quod aliquid potest per accidens accidere illi, quod per se est in potentia ad actum, vel illi ad quod est in potentia. Exemplum primi, nam materiæ accidit privatio, et forma opposita. Exemplum secundi, nam formæ humanæ ad quam materia hominis est in potentia, accidit esse album, vel musicum. Quod est in potentia primo modo, non oportet quod sit sub actu nec per accidens, nec per se. Sed quod est in potentia secundo modo, potest esse in actu, licet per accidens. 5. *Nota.*

Ad ultimum dicendum, quod hæc propositio, *Sedentem ambulare est possibile*, debet sic poni in esse, *Sedens in A ambulat in B.* Et sic homo ambulat, posito quod homo sit proprium subjectum sessionis. Si enim propositioni de possibili correspondeat aliqua de inesse ratione subjecti per accidens, tunc sic debet poni inesse, *Sedens in A*, etc. Si autem propositioni de possibili solum correspondeat propositio de inesse ratione subjecti per se, sic debet poni in esse, *Homo ambulat.* *Ad 3.*

Ad rationes in oppositum, cum dicitur, quod sunt diversæ de possibili, etc. Dicendum quod istæ duæ propositiones, *Sedentem prius possibile*, etc. prout accipiuntur in sensu divisionis, non differunt. *Ad objectionem p sitam q. præcedenti n. 2.*

Ad aliam eodem modo dicendum est.

6. *Conclusio Doct. ad q. præsentem* Ad secundam quæstionem dicendum, quod hæc est falsa in sensu compositionis, *Sedentem ambulare*, etc. Nam ex continua probatione ejus quod est *sedentem ambulare*, significatur, quod unio istorum extremorum est possibilis pro eodem tempore.

Ad 1. principale. Ad primum argumentum cum dicitur, quod ly *sedentem*, ampliatur per notam potentiæ, dicendum, quod hoc posito, propositio falsa est, nam ad quodcumque tempus ampliatur ly *sedentem*, ad idem tempus in sensu compositionis ampliatur ly *ambulare*. Unde in sensu composito propositio significat, quod compositio istorum extremorum pro eodem tempore possibilis est.

Ad 2 Ad aliud dico, quod sic dicto, *Homo qui fuit est*, et hoc sub continua prolatione. Vel *homo* accipitur pro præterito, vel pro præsenti sub ratione præteriti, unde ratio accipit falsum.

QUÆSTIO XXIX

Utrum hæc copula, et, possit copulare inter terminos, vel propositiones in hac propositione, Quinque sunt duo, et tria

Quod inter terminos videtur, nam per Priscianum conjunctio copulat inter partes orationis, sed orationes non sunt partes orationis; ergo, etc.

Item, Conjunctio construitur cum illis inter quæ copulat : sed constructio fit ratione modorum significandi; cum ergo orationes non habeant modos significandi, hæc Conjunctio *et* inter orationes non copulat.

Ad oppositum secundum Priscianum, *Heu, idem, homo, ab, hodie, concidit, lapsus*, hic sunt omnes partes orationis, præter Conjunctionem, quæ si apponeretur, exigeret aliam orationem, hoc non esset, nisi inter orationes copularet.

Item, copulatio videtur esse inter similia, sed sic dicto, *Quinque sunt duo, et tria*, oratio præcedit Conjunctionem; ergo aliam orationem exigit sibi conjungi.

QUÆSTIO XXX

Utrum hæc dictio, et, *operetur potentialem multiplicitatem*

Videtur quod non. Nam multiplicitas dictionis ejusdem secundum materiam, et formam non causat multiplicitatem potentialem, nam ad potentialem multiplicitatem requiritur diversitas formæ : sed hæc dictio *et* manet eadem secundum materiam et formam ; ergo, etc. 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Ad oppositum : *et* dissolvit compositionem, et divisionem ; ergo, etc. Ad primam quæstionem dicendum, quod Conjunctio, vel copulatio, per se copulat inter terminos : per accidens autem inter propositiones. Et hujus ratio est : nam cum Conjunctio sit pars orationis, habet modos significandi secundum quod cum aliis partibus orationis construi potest ; sed non construitur, nisi cum illis, inter quæ copulat, oportet igitur ista habere modos significandi sibi proportionabiles, qui sint principium constructionis ; ergo non copulat inter orationes. Sed tamen, quia terminos inter quos copulat accidit partes unius orationis esse, vel diversarum, ideo dicitur copulare inter terminos, vel inter orationes. Magis tamen proprie potest dici, quod Conjunctio posset copulare inter terminos unius orationis, vel inter terminos diversarum orationum. *Conclusio Doct. ad q. 29.*

Ad primum argumentum in oppositum, cum dicitur, *Heu, idem, homo*, etc. sunt omnes partes orationis præter Conjunctionem, quæ si apponatur, exigit aliam orationem sibi adjungi. Dicendum, quod Conjunctio apposita per accidens fit copulatio inter orationes, quia per se fit copulatio inter partes diversarum orationum. *Ad 1. princ. quæst. 29.*

Ad secundum cum dicitur, quod copulatio vult esse inter similia. Verum est de copulatis per se, cujusmodi sunt dictiones. Vel potest dici, quod in hac oratione, *Quinque sunt duo, et tria*, copulatio solum co- *Ad 2.*

pulat unam partem prædicati alteri. Et tunc est sensus compositus, et copulat simile simili. Vel potest sic proferri, *Quinque duo sunt, et tria.* Et tunc copulat orationem præcedentem orationi subsequenti, et sic est sensus divisionis, et significat quod quinque sunt duo : et quinque sunt tria divisim. Et tunc copulat simile simili, quia orationem orationi.

2. *Conclusio Doctoris ad quæst. præsentem* Ad quæstionem aliam dicendum, quod distinctio solvens hunc paralogismum, *Quinque sunt duo, et tria,* operatur potentialem multiplicitatem : nam provenit ex hoc, quod eadem materialia diversimode prolata, diversa significant. Huic distinctioni accidit quod hæc dictio *et,* copulat inter terminos, vel inter propositiones. Unde *et,* ex distinctione, in se considerata operatur actualem multiplicitatem, licet in principio operetur potentialem multiplicitatem. Et hoc probant rationes.

QUÆSTIO XXXI

Utrum iste paralogismus, Quinque sunt duo, et tria, *sit verus in sensu compositionis*

Quod sic videtur. Nam duo, et tria, sunt
1. *Argumenta pro parte affirmativa.* aliquis numerus. Aut ergo quinarius, aut major, aut minor numerus, sed non major, nec minor; ergo, etc.

Item, quilibet numerus additus alteri constituit numerum ; ternarius ergo additus binario, constituit aliquem numerum, et non alium, quam quinarium.

Item, iste paralogismus est paralogismus divisionis ; ergo est verus in sensu compositionis : nam ubi fallit divisio, solvit compositio.

Item, duplex est totum, universale, et integrale. Totum universale de suis partibus divisim prædicatur : sed totum integrale non nisi conjunctim ; hæc ergo est vera, *Duo, et tria sunt quinque,* et per consequens hæc per conversionem, *Quinque sunt duo, et tria.*

Ad oppositum est Aristoteles 5. Metaph. cont. 19. cap. de Qualitate, quælibet res habet esse semel et non bis : unde concludit, quod sex est semel sex, et non bis tria; ergo eadem ratione, quinque est semel quinque, et non duo, et tria.

Item, sic dicto, *Quinque sunt duo, et tria,* *Pro parte negativa.*
hæc pars prædicati, *et tria* nihil aufert a prima parte prædicati, quin de subjecto prædicetur, similiter prima pars prædicati nihil aufert a secunda, quin de subjecto prædicetur, et si hoc sit verum; ergo significatur quod quinque sunt duo, et quinque sunt tria.

Item, per Aristotelem in 7. Met. cont. 24. pars non prædicatur de toto, nisi concretive ; sed duo, et tria sunt partes quinarii ; ergo, etc.

Ad quæstionem dicendum quod est falsa, 2. *Conclusio.*
formaliter loquendo, nam quinarius secundum se est unum, quia secundum se est ens. Et unumquodque, sicut est ens, sic est unum, et præter hoc, quinarius est secundum se intellectus ; ergo secundum se unum ; quia omne quod intelligitur, sub una ratione intelligitur : qui enim unum non intelligit, nihil intelligit. Sed quando aliquid est secundum se unum, et ex pluribus partibus compositum, requiritur aliquid uniens istas partes ; sed quinarius componitur ex multis unitatibus, quæ secundum se sunt discretæ ; ergo requiritur aliquid uniens istas unitates. Illud autem uniens non potest esse aliqua unitas, quia ex ista unitate, et aliis constituitur quinanarius, et tunc remanet quæstio, quod aliud unit istas unitates; ergo oportet quod illud uniens sit aliud ab unitatibus, et hoc est forma ipsius quinarii. Sicut enim ex elementis componitur mixtum, et in mixto est aliquid, quod non est elementum, nec ex elementis, ut forma mixti : sic in quinario est aliquid, quod non est unitas numeralis, nec ex unitatibus compositum, et hæc est forma ejus. Cum ergo materia non prædicetur de composito ex materia, et forma, et quinarius est quoddam compositum ex unitatibus, et sua forma, et duo, et tria sunt materialia ipsius quinarii : hæc

erit falsa formaliter loquendo, *Quinque sunt duo, et tria.* Unde sicut hæc est falsa, *Homo est carnes, et ossa*, sic hæc est falsa, *Quinque sunt duo et tria.*

Item, Philosophus in 7.Metaphysic. cont. 23. dicit, quod qui dicit domum esse lapides, et ligna, dicit domum esse in potentia domum : nam lapides, et ligna sunt materia domus. Qui ergo dicit, quinque esse duo, et tria, solum dicit quinarium esse quinarium in potentia. Nam duo, et tria sunt materia quinarii, unde si hæc sit vera aliquo modo, *Quinque sunt duo, et tria*, hoc erit solum materialiter loquendo, formaliter enim propositio falsa est.

3. *Ad 1. princ.* Ad primum argumentum, cum dicitur, quod duo, et tria sunt aliquis numerus. Dico, quod duo, et tria possunt dupliciter considerari. Aut prout sunt in potentia ad ulteriorem formam ; aut prout distinguuntur per suas formas. Primo modo sunt aliquis numerus in potentia. Secundo modo sunt duo numeri specie distincti.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod quilibet numerus additus alteri constituit numerum materialiter, sed ad formam numeri requiritur forma uniens, quæ non habetur, sic dicendo, *Quinque sunt duo et tria.*

Ad 3. Ad tertium dico, quod hæc est falsa de virtute sermonis in sensu compositionis, *Quinque sunt duo, et tria.* Aristoteles tamen concedit eam, propter apparentiam veritatis. Nam apparentia sufficit ad Sophistam. Et quia numerus est quantitas discreta, ideo multoties admittimus tales propositiones.

Ad 4. Ad ultimum dicendum, quod totum integrale non significat suas partes, sed significat compositum ex partibus sub sua forma : sed partes non significantur uniri sub forma totius, nisi nomine totius. Unde sic dicto, *Duo, et tria*, istæ partes non significantur ut unitæ sunt in forma totius, sed solum significantur uniri per copulationem. Unde ad argumentum dico, quod totum integrale prædicari potest de omnibus suis partibus, ut unitæ sunt in forma totius, non tamen potest prædicari de partibus sui unitis per copulationem. Unde hæc non est vera, *Domus est lapides, et ligna.* Sed hæc, *Domus est composita ex lapidibus, et lignis*, in forma tamen totius unitis.

QUÆSTIO XXXII

Utrum iste paralogismus, Quod unum solum potest ferre, plura potest ferre, *sit distinguendus secundum compositionem, et divisionem, prout ly* solum *tenetur adverbialiter*

Occam *ubi supra cap.* 8

Videtur quod non, nam Adverbium est Adjectivum Verbi : sed Adjectivum Verbi Nomen determinare non potest ; ergo, etc. *Argumenta pro parte negativa.* Minor patet, nam Adjectivum Verbi habet modos significandi, quibus non proportionatur ipsi Nomini. Et confirmatur ratio, nam Adjectivum Nominis verbum determinare non potest ; ergo Adjectivum Verbi Nomen determinare non potest.

Item, Adverbium circa idem ponit suum significatum, et modum significandi. Sed suos modos significandi solum ponit circa Verbum ; ergo solum Verbum determinabit, quare, etc.

QUÆSTIO XXXIII

Utrum sit distinguendus secundum compositionem, et divisionem, prout ly solum *nominaliter tenetur*

Videtur quod non, nam, ut supra, Adjectivum Nominis Verbum determinare non potest. 1.

Ad oppositum, hæc est distinguenda, *Omnis homo est unus solus homo*, secundum compositionem, et divisionem.

Ad primam quæstionem, et secundam, dicendum, quod ista, *Quod unum solum*, etc. est distinguenda secundum compositionem, et divisionem, prout ly *solum* tenetur Adverbialiter, non autem prout No- *Conclusio ad utramque quæstionem.*

minaliter tenetur. Ratio primi est, nam Adverbium, licet sit Adjectivum Verbi, non tamen habet modos significandi speciales, quibus ipsi soli Verbo proportionatur. Unde quia habet modos significandi generales, ideo determinare potest Participium, et Pronomen, et ipsum Nomen. Quod determinet ipsum Nomen patet. Nam talis oratio admittitur, *Iste mediocriter bonus, bene currit.* Quod determinet Participium, patet. Nam bene dicitur, *Iste fortiter pugnans, vincit.* Propterea ly *solum*, potest determinare ly *potest*, et tunc est sensus compositus falsus, et tunc significatur quod illud, quod potest ferre unum, ita quod non aliud, ferre potest plura. Si autem ly *solum* determinet ly *unum*, sic est sensus divisus verus, et tunc significatur, quod illud quod potest ferre unum ens, et nulli associatum, potest ferre plura, et hoc verum est divisive. Unde paralogismus potest sic formari. Quod unum solum potest ferre, plura potest ferre; sed quod unum solum potest ferre, non potest plura ferre; ergo quod potest plura ferre, non potest plura ferre. Major et minor est distinguenda, sed major est vera in sensu divisionis, et minor est vera in sensu compositionis.

Ratio conclusionis quoad 2. partem. Secundum acceptum patet, scilicet, quod si ly *solum* teneatur Nominaliter, non est distinguenda secundum compositionem, et divisionem, nam Adjectivum Nominis habet modos significandi speciales, quibus suo Substantivo proportionatur, puta *numerum*, *casum*, et *genus*; sed per tales modos significandi ipsum Adjectivum Nominis Verbo non proportionatur, propter quod accepto ly *solum* Nominaliter, propositio est distinguenda secundum æquivocationem, ex eo quod ly *solum* potest teneri categorematice, vel syncategorematice; si categorematice, sic potest esse vera, quia tunc significatur, quod illud quod potest ferre unum non associatum alteri, potest ferre plura. Nam sic ly *solum* significat quamdam solitudinem, sed si teneatur syncategorematice, tunc significat præcisam acceptionem illius cui adjungitur. Sed hoc potest esse dupliciter, vel absolute, ut *Socrates est unus homo*, vel in comparatione ad actum, ut *Solus Socrates currit.* Sed sive sic, sive sic, syncategorematice tenetur et est propositio falsa.

Ad primum argumentum dicendum, quod Adverbium est Adjectivum Verbi, et aliarum partium, unde est proprium Verbo, sed non soli verbo, sicut Priscianus dicit, quod Ablativus casus est proprius casus passivorum, et Accusativus proprius activorum, et tamen cum aliis verbis construi possunt. *2. Ad 1. principale q. præcedentis.*

Ad confirmationem dico, quod non est simile, ut dictum est, nam Adjectivum Nominis habet modos significandi speciales quibus suo substantivo solum proportionatur. Sed Adverbium habet modos significandi generales, et ideo non est simile, et per idem patet ad ultimum primæ quæstionis.

Ad illud secundæ quæstionis in oppositum, dicendum est quod ista, *Omnis homo est unus solus homo*, est distinguenda secundum æquivocationem. *3. Ad 1. quæst præsentis. ad oppositum.*

Circa tamen modos intelligendum est, quod tot sunt modi secundum compositionem, et divisionem, quot modis componere contingit, quæ nata sunt componi, et illa ad invicem dividere, resultante diversitate sententiæ. Sed ad videndum quæ nata sunt componi, intelligendum est, quod Priscianus dicit, in majori volumine, quod omnis determinatio, et omnia adjectiva Nominaliter, vel adverbialiter designata, et præponuntur aptius suis substantivis, ut, *fortis Imperator fortiter pugnat*, et ratio potest esse, nam Adjectiva de se quasi infinita sunt, et ideo per sua Substantiva determinantur. Dicit etiam Priscianus, quod licet omnia postponere, exceptis monosyllabis, ut *nunc*, *tunc*, et hujusmodi, sed hic videtur esse dicendum, quod quando determinatio componitur cum determinabili subsequenti, tunc dicitur oratio composita; et quando ab eodem removetur, dicitur divisa: sed huic modo dicendi repugnat iste paralogismus, *Ex quinquaginta virorum*

centum reliquit divus Achilles, nam si prædicta oratio dicetur composita, quando ly *virorum* componitur cum ly *Quinquaginta*, tunc propositio est falsa, cum tamen ille paralogismus sit paralogismus divisionis, et tunc dicitur esse vera in sensu composito, sed tunc dicendum est, quod hæc est littera, *Quinquaginta ex centum virorum*, etc. vel quod paralogismus ille est compositionis, ponitur tamen inter paralogismos divisionis, etc.

Secundum Accentum autem in his quidem, quæ sunt sine scriptura Dialecticis, non est idoneum facere orationem. In scripturis autem et poematibus magis, etc. Cap. 3. primi hujus.

QUÆSTIO XXXIV

Utrum accentus sit duæ fallaciæ

De fallacia accentus vide Aver. *Comment. in cap.* 3. *prim. Elench.* D. Thom. *opusc. de fallac. cap.* 15. Joan. de Mag. *hic q.* 2. *dub.* 2. Occam *c.* 9. Alb. *c.* 5. Fons. *lib.* 8. *Instit. c.* 13. Conimbr. *hic q. unic.* Complut. *notati in lib. Elench. n.* 7.

1. *Argumenta pro parte affirmativa.* Videtur quod sic: nam sicut se habet multiplicitas potentialis orationis ad orationem, sic se habet multiplicitas potentialis dictionis ad dictionem: sed secundum multiplicitatem potentialem orationis accipiuntur duæ fallaciæ, ut compositio, et divisio, quæ sunt species distinctæ; ergo, etc. Et confirmatur ratio, quia Aristoteles in solvendo orationes secundum compositionem, et divisionem dicit, quod solvendæ sunt, eo quod aliud significat oratio composita, et divisa; sicut aliter significat nomen graviter et acute prolatum, unde unam multiplicitatem semper alteri assimilat.

2. Ad istam rationem quidam dicunt, quod non est simile de potentiali multiplicitate in dictione, et oratione, eo quod modi proferendi graviter, et acute, diversificant solum accidentaliter ipsam dictionem, sed modi proferendi ipsam orationem compositim, vel divisim, orationem essentialiter diversificant. Sed illud non videtur verum, nam eadem est identitas, et diversitas orationis compositæ, et divisæ, et dictionis graviter, et acute prolatæ, quia utrobique est identitas materialis, et diversitas secundum formam: sicut ergo fit apparens Elenchus secundum compositionem, et divisionem, eo quod oratio est differens, sic fit secundum accentum, eo quod non est idem terminus graviter, et acute prolatus: et præterea de ista differentia dictum est supra, quod sicut modus proferendi orationem ipsam diversificat, sic accentus diversificat dictionis potestatem.

Ideo dicitur aliter, quod accentus habet nomen unum, compositio autem, et divisio non habet unum nomen, et ideo penes compositionem, et divisionem accipiuntur duæ fallaciæ, et penes accentum solum una fallacia.

Sed contra, locus Sophisticus constituitur in esse per suam causam apparentiæ, et non existentiæ, nam hæc duo integrant locum Sophisticum; ubi ergo est reperire duas causas apparentiæ specie distinctas, et duas causas non existentiæ, latentes sub illis causis apparentiæ; ibi necesse est distinguere duos locos Sophisticos. Sed æque evidens ratio apparet, ut distinguantur duæ causæ apparentiæ in accentu, sicut in compositione, et divisione: nam sicut ponitur, quod similitudo orationis compositæ ad divisam, sit causa apparentiæ in compositione: sic dicam, quod similitudo dictionis graviter prolatæ, ad acute prolatam, sit causa apparentiæ in accentu gravi, et e converso in acuto.

Et præterea, sicut prolatio materialium sub sensu composito determinata, facit credere quod solum hoc unum significent, ita prolatio dictionis sub accentu gravi. Si dicatur, quod non est tanta similitudo dictionis graviter prolatæ, ad acutam prolatam, sicut orationis compositæ ad divisam; hoc concedo, quia hoc concludit, quod accentus non est ita efficax locus ad decipiendum, sicut compositio, et divisio.

Propter hæc dicendum est breviter, quod 3.

Conclusio Doctoris. quantum est ex potentiali multiplicitate dictionis, potuit Aritoteles ponere duos locos Sophisticos juxta accentum, sicut juxta compositionem, et divisionem. Verumtamen quia Aristoteles consideravit locos Sophisticos, prout magis apti sunt ad decipiendum. Nam sic magis congruunt in finem Sophisticæ, et iste locus non est aptus ad decipiendum in his quæ sunt sine scriptura, ut in his quæ sunt in prolatione, nam prolatio manifestat ejus defectum. Unde Aristoteles 1. Elenchor. cap. 2. dicit, quod iste locus maxime decipit in scripturis et poematibus, et ut in scriptura est, habet unam solam causam apparentiæ, quia easdem litteras, et syllabas. Ideo Aristoteles sic considerans hunc locum, quia sic decipit magis, posuit accentum solum unum locum Sophisticum.

4. *Ad argumentum principale* Ratio ad oppositum concludit, hoc quod concessum est, quod quantum est ex parte potentialis multiplicitatis dictionis, accentus possent esse duæ fallaciæ. Sed quia Aristoteles hunc locum consideravit prout maxime decipit et hoc est in scripto; et ut in scripto est, solum habet unam causam apparentiæ : ideo sic considerando non posuit Accentum, nisi unum locum. De ejus causa apparentiæ dicitur, quod est unitas vocis incomplexæ secundum materiam.

Objectio. Sed contra. Causa apparentiæ debet manere in utroque sensu propositionis distinguendæ, sed secundum accentum distinguimus, eo quod aliquid potest esse dictio, vel oratio; cum ergo unitas vocis incomplexæ non maneat in oratione, non potest esse causa apparentiæ in accentu.

Solutio. Propter hæc dicendum est, quod unitas vocis secundum materiam, prout communis est voci complexæ, et incomplexæ, est causa apparentiæ in accentu.

5 *Quatuor sunt modi accentus.* Circa modos intelligendum est, quod *quatuor sunt modi accentus.* Primus est in hoc, quod aliqua dictio potest legi gravi accentu, vel acuto. Secundus est, eo quod aliqua dictio potest legi correpto accentu, vel producto. Tertius est, quod aliqua dictio potest proferri cum aspiratione, vel sine. Juxta quem modum sic paralogizatur. *Quidquid hamatur, hamo captum est : iste homo hamatur; ergo iste homo hamo captus est.* Nec oportet dicere, quod ly H sit littera, quia tunc non manerent eadem materialia. Quartus modus est ex eo, quod aliquid potest proferri sub uno accentu, vel pluribus, ut *metuo.*

Quæ autem secundum figuram dictionis sunt, accidunt quando non idem interpretatur, similiter ut masculinum, fœmininum, etc. Cap. 2. primi hujus.

QUÆSTIO XXXV

Utrum figura dictionis operetur aliquam multiplicitatem

De fallacia figuræ dictionis vide Occam, *q.* 10. Averroem et auctores alios citatos *quæst. præcedenti.* Item communiter Summulistas.

Videtur quod non, nam secundum Commentatorem Alexandrum, figura dictionis operatur phantasticam multiplicitatem, id est, multiplicitatem apparentem. Sed quod tantum apparet multiplicitas, non est multiplicitas; cum ergo figura dictionis operetur phantasticam, id est, apparentem multiplicitatem, in illa nulla erit multiplicitas. 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Forte aliquis diceret, quod ratio concludit quod figura dictionis non operatur veram multiplicitatem, operatur tamen apparentem multiplicitatem. Contra hoc. Si figura dictionis operetur tantum apparentem multiplicitatem; sicut ergo in loco operante veram multiplicitatem, necesse est eamdem orationem, vel idem nomen plura significare, sic necesse est in apparenti multiplicitate, quod aliqua dictio, vel oratio appareat plura significare.

Sed si sic arguitur: *Homo est species, Socrates est homo*; *ergo*, etc. hìc, nec nomen, nec oratio apparet plura significare. Sed forte dicetur ad hanc rationem, quod licet nulla oratio sit hìc multiplex, nec etiam nomen, est tamen hìc multiplicitas

latens ex collatione unius dictionis ad aliam. Nam licet hæc dictio *homo*, non significet plura in ista oratione, *Homo est species*, nec etiam in ista, *Socrates est homo*, comparando tamen hunc terminum ad seipsum prout accipitur in una propositione, et in alia, videtur significare *quale quid*, et *hoc aliquid*, cum tamen solum significet *quale quid*.

Sed contra, per Aristotelem. Loci in dictione peccant contra contradictionem, sed loci extra dictionem peccant contra syllogismum. Tunc arguo sic : Ubicumque est apparens contradictio, necesse est idem nomen, vel eamdem orationem plura significare : si ergo figura dictionis peccet contra contradictionem, necesse est idem nomen, vel eamdem orationem plura significare; ejus ergo multiplicitas non consistit in collatione unius termini ad alium. Major rationis patet, nam ubi est apparens contradictio, necesse est utramque partem contradictionis esse veram, et necesse est quod uterque conceptus significetur.

Item, ad multiplicitatem, respondendum est per distinctionem, sed ad figuram dictionis non est respondendum per distinctionem ; ergo, etc. Minor patet per Aristotelem in 2. hujus cap. 5. Dicit enim, quod palam est quomodo solvendæ sunt orationes, quæ sunt secundum figuram dictionis, eo quod habemus genera Prædicamentorum distincta.

Item, si figura dictionis consisteret in collatione unius termini ad alium, sequeretur, quod figura dictionis peccaret immediate contra syllogismum, sicut fallacia Accidentis.

[Ar]gumen[ta] pro par[te a]ffirma[tiva]. Ad oppositum est Aristoteles, qui dicit, quod æquivocatio et Amphibologia, et figura dictionis peccant secundum duplex : sed ubi est duplicitas, ibi est multiplicitas ; ergo in figura dictionis aliqua est multiplicitas.

Item, omnes loci in dictione fiunt ex hoc, quod eisdem nominibus, et orationibus non idem significamus ; sed figura dictionis est locus in dictione ; ergo, etc.

QUÆSTIO XXXVI

Utrum figura dictionis operetur veram multiplicitatem

Quod sic videtur, nam quod vere impedit formam Syllogisticam, veram operatur multiplicitatem; sed figura dictionis est hujusmodi : nam omnes loci in dictione, et extra dictionem peccant eo quod sunt immodificati. Major patet, nam si non esset vera multiplicitas, medium vere posset unire extrema. 1. *Argumenta pro parte affirmativa.*

Ad oppositum Alexander 1. Elench. cap. 4. dicit, quod figura dictionis operatur phantasticam multiplicitatem, id est, apparentem.

Item, ubicumque est vera multiplicitas, necesse est idem nomen, vel eamdem orationem plura significare : sed in figura dictionis, nec nomen, nec oratio plura significat.

Ad primam quæstionem dicendum, quod omnes consentiunt in hoc, quod figura dictionis aliquam multiplicitatem operatur, propter hoc, quod in omni loco Sophistico, in dictione, significamus non idem eisdem nominibus, vel orationibus. Unde sub eisdem vocibus in omni loco in dictione, est aliqua latentia plurium, et hoc est, locum aliquam operari multiplicitatem. 2. *Conclusio ad quæst. præsentem*

Sed circa quæstionem secundam, dicunt quidam, quod figura dictionis veram operatur multiplicitatem, et hoc quia differentia est inter multitudinem, et multiplicitatem : nam *multitudo* importat absolute pluralitatem ; *multiplicitas* autem supra pluralitatem addit unitatem. Unde multiplicitas est plica multorum sub uno. Sed unum dicitur multipliciter, sicut et ens ; unum enim in substantia dicitur identitas ; in Quantitate æqualitas, in Qualitate similitudo. In figura dictionis est unitas, quæ est similitudo ; videtur ergo, quod veram multiplicitatem operetur. 3. *Prima opinio circa q. præsentem.* *Unum dicitur multipliciter.*

Alii dicunt, quod non operatur veram 4.

Secunda opinio. multiplicitatem,sed solum multiplicitatem apparentem, pro eo quod in vera multiplicitate necesse est idem nomen, vel orationem plura significare. Sed in figura dictionis, nec nomen, nec oratio plura significat, hoc patet discurrendo per omnes modos. Nam si sic arguitur, *Musca, et scamna similiter terminantur in A*, et musca *est fœminini generis*, ergo et scamna, *Musca* non consignificat duo,scilicet, masculinum, et fœmininum. Similiter si dicatur, *Homo est species, Socrates est homo*; ergo, etc. *homo* non significat quale quid, et hoc aliquid.

5. *Opinio Doctoris.* Utraque istarum opinionum est probabilis : verumtamen dici potest, quod figura dictionis operatur multiplicitatem, non tamen ita veram sicut alii loci in dictione : nam in multiplicitate unitas est formale ; sed in figura dictionis non est unitas vocis secundum substantiam, sed solum vocis secundum similitudinem, propter quod iste locus operatur multiplicitatem, illa tamen multiplicitas est secundaria, respectu illius multiplicitatis, ubi est unitas vocis secundum substantiam.

6. *Ad l. princ.* Ad primam rationem dicendum, quod in figura dictionis est apparens multiplicitas, non tamen est sic apparens, quod sit sine existentia, sed ideo dicitur apparens, quia provenit ex similitudine dictionis ad dictionem : sed similitudo dicitur phantasma rei, ideo illa multiplicitas ab Alexandro vocatur multiplicitas phantastica.

Ad argumentum in oppositum. Ad illud in oppositum cum dicitur,quod figura dictionis peccat contra contradictionem, dici potest, quod non est verum : et cum dicitur, quod omnes loci in dictione peccant contra contradictionem, dicendum quod verum est pro majori parte locorum in dictione. Nam Aristoteles statim subdit, quod loci extra dictionem peccant contra Syllogismum, tamen dicit quod fallacia secundum *quid*, et simpliciter ducit in ignorantiam Elenchi,eo quod non est affirmatio, et negatio de eodem.

Quod figura dictionis non peccet contra contradictionem, potest probari, nam quælibet propositio in se una est ; ergo unam potest habere negationem.Et ubi affirmatio, et negatio est una, et ejusdem, non contingit utramque partem contradictionis esse simul veram, quod tamen requiritur in loco peccante contra contradictionem. Sustinendo tamen quod figura dictionis peccet contra contradictionem, dici potest, quod in figura dictionis est peccatum in contradictione, eo quod non vere infertur contradictoria præconcessa a respondente. Proposito enim sub interrogatione, *Putasne dat aliquis quod non habet ?* hac autem negata a respondente, opponens arguit sophistice, *Dat unum solum denarium, et non habet unum solum denarium*; *ergo dat quod non habet.* Hîc non infertur contradictoria præconcessi, nam hæc conclusio bene sequeretur ; *ergo dat quod non habet,* Alia tamen conclusio non sequitur, nisi propter similitudinem quam habet ad hanc, *Aliquis dat quod non habet.* Ista autem apparens contradictio accidit propter similitudinem in dictione, sed illud non sufficit,nam si hoc sufficeret, tunc omnes loci in dictione, et extra, et Accidens de quo minus videtur,peccaret contra contradictionem, quia per omnem locum Sophisticum potest concludi oppositum præconcessi a respondente apparenter.

Ad alias rationes, patet quid dicendum ex quæstione.

QUÆSTIO XXXVII

Utrum figura dictionis sit locus in dictione

Videtur quod non, nam omnis locus in dictione, fit eo quod eisdem nominibus, vel orationibus non idem significamus. Sed si sic arguatur, *Musa, et poeta similiter terminantur*, et Musa *est fœminini generis* ; *ergo et poeta.* Hîc nec dictio, nec oratio plura significat, nec consignificat. Iste igitur locus non accidit, eo quod eisdem nominibus, vel orationibus non idem significamus. 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Item, ille non dicitur locus in dictione, cujus apparentiæ principium sumitur a parte rei : sed principium apparentiæ figuræ dictionis sumitur a parte rei ; ergo, etc. Major patet, quia loci in dictione, distinguuntur a locis extra dictionem,per hoc, quod principium apparentiæ locorum in dictione a parte vocis accipitur. Minor patet, nam si sic arguitur, *Quidquid heri vidisti, hodie vides : album heri vidisti* ; *ergo album hodie vides*. Hîc causa apparentiæ non est similitudo vocis, nec unitas, nam *albi* ad *quidquid*, nulla est similitudo. Similiter si arguitur, *Homo est species, Socrates est homo* ; etc. *Socratis ad hominem* nulla est similitudo ex parte vocis.

Oppositum patet per Aristotelem 1. Elench. c. 2. qui ponit sex locos in dictione, cujus numerum probat inductive, et syllogistice.

2. *[Co]nclusio [au]ctoris.* Ad quæstionem dicendum, quod fallacia figuræ dictionis est locus in dictione. Et hoc patet per rationes. Una est quia iste locus magis fit considerando cum alio, quam cum seipso, sed cum alio consideratio fit per sermonem. Alia ratio, quia iste locus fit ex similitudine, et similitudo est in dictione.

[Pr]ima opi[nio]. Circa tamen ejus causam apparentiæ, et circa ejus modos sunt diversæ opiniones. Nam quidam dicunt, quod aliqui modi istius fallaciæ accipiuntur realiter,et tamen locus est in dictione. Nam ad dictionem tria requiruntur, scilicet res significata, modus significandi, et modus proferendi. Penes ista tria accipiuntur tres modi figuræ dictionis.

Primus modus est,quod propter unitatem rei significatæ interpretamur unitatem in modis significandi, juxta quem modum sic fit paralogismus, *Omnis substantia est colorata : lapis est substantia* ; *ergo lapis est colorata*,propter unitatem rei inter substantiam, et lapidem, arguimus unitatem in modis significandi.

Secundus modus accipitur,quando propter unitatem modorum significandi arguimus unitatem rei significatæ, ut *Quidquid heri vidisti, hodie vides, album heri vidisti*; *ergo*, etc. Nam prædicamenta habent modos significandi concretive similes, propter quod unum de alio potest concretive prædicari.

Tertius modus est, quando propter unitatem modi proferendi, interpretamur unitatem rei significatæ, vel modi significandi, ut *secare*, et *videre* similiter terminantur, et *secare* significat actionem ; ergo et *videre*. Et licet aliqui modi istius fallaciæ accipiantur realiter, tamen locus in dictione est, nam principium apparentiæ ex parte vocis est : nam ad vocem pertinent terminatio, et ipsa concretio. Sed concretio est duplex. Una qua utimur in prædicationibus essentialibus : alia qua utimur in prædicationibus accidentalibus. Penes primam concretionem accipitur primus modus figuræ dictionis, penes secundam secundus : sed penes terminationem dictionis accipitur tertius modus ; quia ergo concretio est ex parte vocis, ideo figura dictionis est locus in dictione.

Sed contra istam positionem potest argui multipliciter. Nam ille locus, cujus principium motivum ex parte rei accipitur, est locus extra dictionem : si igitur principium motivum figuræ dictionis ex parte rei accipitur, sequitur quod figura dictionis sit locus extra dictionem. Major patet per distinctionem locorum in dictione, et extra dictionem. Quod autem hæc positio ponat, quod principium apparentiæ figuræ dictionis fit ex parte rei, hoc patet, nam cum sic dicitur, *Omnis substantia est alba, lapis est substantia*; *ergo*, etc.Dicitur,quod propter unitatem rei lapidis ad substantiam, interpretamur modos significandi esse eosdem. 3. *Prima objectio contra prædictam opinionem.*

Item, in omnibus modis unius loci, una debet esse causa apparentiæ indivisa secundum speciem ; cum ergo in tertio modo similitudo vocis ad vocem sit causa apparentiæ figuræ dictionis, in alio modo ejusdem loci unitas rei non potest esse causa apparentiæ. Quod autem convenientia in modo significandi concretive non sit causa *Secunda objectio.*

apparentiæ dictionis, probatio, nam illud quod cadit ex parte non existentiæ in aliquo loco Sophistico, non potest cadere ex parte apparentiæ ejusdem loci. Sed modus significandi concretive cadit ex parte non existentiæ in figura dictionis ; ergo non potest esse causa apparentiæ in secundo modo. Major patet inductive, et ratione. Inductive, nam in æquivocatione diversitas significati, quæ est causa non existentiæ, non cadit ex parte apparentiæ. Similiter ratione, locus Sophisticus integratur ex causa apparentiæ, et non existentiæ, ut compositum ex materia, et forma. Sed illud quod est ex parte materiæ, non potest cadere ex parte formæ, nec e converso. Quod modus significandi cadat ex parte non existentiæ, patet per Aristotelem in 2. hujus.

Tertia objectio. Item, causa apparentiæ generalis debet esse ejusdem naturæ cum causa apparentiæ speciali, sed causa generalis omnium locorum in dictione, quæ est unitas vocis, non est ejusdem naturæ cum causa apparentiæ, quæ accipitur ex parte rei ; ergo, etc. Assumptum patet, nam causa apparentiæ locorum in dictione debet esse objectum virtutis sensitivæ, ut auditus, sed unitas rei non est objectum sensitivæ virtutis,ut auditus, sed unitas vocis ; ergo, etc.

4. *Quarta objectio.* Item, si causa apparentiæ in figura dictionis, ex parte rei acciperetur, magis deciperemur per se, quam cum alio per figuram dictionis. Si dicatur, ad figuram dictionis non exigitur quod ejus causa apparentiæ accipiatur a parte vocis : unde dicitur figura dictionis, non vocis.Nunc autem ad dictionem tria requiruntur,scilicet vox, significatum,et modus significandi,ex parte cujuslibet istorum accidit deceptio figuræ dictionis, est tamen res aliter, et aliter causa apparentiæ in figura dictionis, et in locis extra dictionem. In locis extra dictionem accidit deceptio ex parte rei absolute consideratæ. In figura dictionis, accidit deceptio ex parte rei per vocem significatæ.

Ista responsio sufficienter non distinguit inter locos in dictione, et extra dictionem. In locis extra dictionem videmus, quod ex parte rei absolute consideratæ non accidit deceptio, quia hæc est secundum quid, et simpliciter, *Homo mortuus, ergo homo.* Si tamen hoc nomen *cadaver*, imponatur ad significandum hoc totum,*Homo mortuus* ; et diceretur, *Cadaver est hîc intus, ergo homo est hîc intus*, non est secundum quid, et simpliciter, deficit enim apparentia : ergo in locis extra dictionem non cadit deceptio ex parte rei absolute consideratæ. Similiter in fallacia secundum plures interrogationes, propositio *plures* non apparet una propter unitatem rei ; ut si diceretur, *Estne cœlum, terra aut mare ?* Inter ista interrogata non est aliqua convenientia, nisi ut cadunt sub uno modo interrogandi. Modus autem interrogandi pertinet ad ipsam vocem. Ideo dicendum est, quod si causa apparentiæ accipitur a parte rei sive absolute consideratæ, sive ut per vocem significatur, semper est fallacia extra dictionem.

Ideo dicendum est, quod figura dictionis est locus in dictione, quia causa suæ apparentiæ accipitur a simili figuratione vocis ad vocem. 5. *Opinio Doctoris.*

Si deceptio proveniat ex simili figuratione vocis ad vocem, est primus modus,et est quando interpretamur eadem esse, sive genera, sive casus, ut hic,*Secare*, et *videre* similiter terminantur, etc. Secundus modus provenit ex simili figuratione dictionis diversimode consideratæ : ut unum significat, et aliud concernit : ut *Quidquid heri*, etc. Tertius modus provenit ex simili figuratione dictionis, ut unum significat, et aliud appellat : ut hîc, *Homo est species*, etc. Similis ergo figuratio est causa apparentiæ in figura dictionis.

Ad primum argumentum, concedo majorem : ad minorem dicendum, quod est falsa ; quia in figura dictionis significamus non idem eisdem nominibus. *Ad 1. principale.*

Ad secundum dicitur, quod albedo dupliciter consideratur, scilicet, ut subjectum concernit, vel ut qualitatem significat,nunc autem ista similitudo albi, qua unum si- *Ad 2.*

gnificat ut qualitatem, et aliud concernit, ut subjectum, est causa apparentiæ in isto paralogismo, *Quidquid vidisti*, etc.

Ad illud de homine eodem modo respondetur.

QUÆSTIO XXXVIII

Utrum iste paralogismus, Musa et Poeta similiter terminantur in A, et Musa est fœminini generis; ergo et Poeta, etc. *debeat sic formari*

1. Argumenta pro parte affirmativa et negativa. Quod sic videtur. Nam Aristoteles 2. hujus, cap. 5. sic format quemdam paralogismum, *Ut videre, et secare similiter terminantur, secare significat agere : ergo et videre.*

Ad oppositum paralogismus debet apparere syllogismus : sed hîc non est apparentia formæ syllogisticæ; ergo, etc.

Item, arguens sophistice non debet exprimere illam falsam maximam, secundum quam arguit. Nam arguens secundum locum æquivocationis, non debet istam falsam maximam exprimere, scilicet, *Quod uni nomini solum correspondeat unum significatum* ; sed hæc est falsa maxima, secundum quam arguitur juxta primum modum figuræ : Dictiones quæ similiter terminantur, habent eosdem modos significandi ; istam ergo non debet exprimere.

Item, si sophista istam maximam exprimeret, *Dictiones quæ similiter terminantur, habent eosdem modos significandi : Musa, et Poeta similiter terminantur ; ergo*, etc. tunc faceret Syllogismum peccantem in materia, et non in forma.

2. Conclusio. Ad quæstionem dicendum, quod duplex est modus formandi syllogismos juxta primum modum. Et uterque conveniens est. Primus modus est, quem Aristoteles videtur innuere in 2. hujus. Arguit enim sic, *Videre et secare similiter terminantur, sed* secare *significat agere*; *ergo et* videre ; secari *significat pati; ergo et* videri : *sed contingit idem secundum idem videre, et videri; ergo contingit idem, et secundum idem agere et pati.* In isto paralogismo non exprimitur illa falsa maxima, secundum quam arguit, sed eam tacet, et veram proponit, tamen virtute illius falsæ maximæ arguit. Alius modus est formandi paralogismos secundum formam syllogisticam sic, Quæcumque sunt alba, sunt plura, mulier est alba ; ergo plura. Quia enim *plura* et *alba*, similiter terminantur, et plura est pluralis numeri, credit quod *alba* sit pluralis numeri, sic dicendo, *Mulier est alba.*

Ad primum argumentum dico, quod non oportet, quod paralogismus appareat syllogismus in dispositione terminorum, sed sufficit quod appareat illatio. 3. Ad 1. princ.

Ad aliud dicendum, quod Sophista non exprimit illam falsam maximam, secundum quam arguit, sed tamen virtute illius arguit. Ad 2.

Verumtamen intelligendum est, quod cum in figura dictionis interpretemur, non eadem esse eadem propter figurationem similem vocis. Similiter autem figuratio potest esse ex parte principii, sicut ex parte finis. *Albus* enim similiter figuratur ei quod est *alba* est parte principii, sicut *alba* ei quod est *scamna* ex parte finis; si ergo moveamur aliqua esse eadem quæ non sunt, propter similem vocis figurationem, sive hoc proveniat ex parte termini, sive ex parte principii, semper figura dictionis erit.

QUÆSTIO XXXIX

Utrum commutatio unius Prædicamenti in aliud causet figuram dictionis

Videtur quod non. Nam sequitur, *Socrates percutit Platonem; ergo Plato percutitur a Socrate*, hîc tamen mutatur actio in passionem. 1. Argumenta pro parte negativa.

Item sequitur, *Quantum est ; ergo substantia est*, et sequitur : *Quale est; ergo quansum est.* Hîc tamen commutatur, unum prædicamentum in aliud; ergo, etc.

Item sequitur, *Quidquid heri vidisti, hodie vides : albedinem heri vidisti*, ergo, etc. hæc tamen est commutatio, etc.

Ad oppositum Aristoteles dicit quod figura dictionis est, quando nos interpretamur quale, quantum, vel faciens, patiens.

2. *Conclusio Doctoris.* Ad quæstionem dicendum, quod commutare rem unius prædicamenti in rem alterius acceptam sub diverso modo prædicandi, causat figuram dictionis, tamen commutare rem unius prædicamenti in rem alterius sub eodem modo prædicandi, forte non causat figuram dictionis.

Verumtamen intelligendum est, quod aliud est commutare rem unius prædicamenti in rem alterius, et rem unius prædicamenti sequi ad rem alterius : tunc enim commutatur res unius prædicamenti in rem alterius, quando res unius accipitur ac si esset alterius, et hoc propter aliquam similem vocis figurationem, et hoc vult Aristoteles. Dicit enim quod figura dictionis est, quando interpretatur quale, esse quid, vel faciens, esse patiens ; sed propter hoc, quod res unius prædicamenti sequitur ad res alterius, non accipitur res unius prædicamenti, ac si esset res alterius, sed accipitur ut diversa, quando enim sic dicitur, Socrates percutit Platonem : ergo Plato percutitur a Socrate, non accipitur hîc agere ac si esset pati. Significatur enim quod ad actionem alicujus, ut agentis, sequitur passio alterius, ut patientis.

3. *Ad 1. et 2. principalia.* Per hæc patet, ad duo argumenta prima. Ibi enim non accipitur res unius prædicamenti, ac si esset res alterius, sed denotatur, quod ad rem unius prædicamenti sequitur res alterius prædicamenti.

Ad 3. Ad tertium dico, quod ly *quidquid*, non distribuit solum pro his quæ sunt in genere substantiæ imo absolute distribuit pro his quæ dicunt quid, sed in quolibet genere convenit reperire quid, et res cujuslibet prædicamenti, ut dicit quid, sub hoc quod dico, *quidquid*, potest accîpi, unde si ly *quidquid*, solum distribueret pro his, quæ sunt in genere substantiæ : forte hîc esset figura dictionis, quidquid heri vidisti, hodie vides, etc.

Ad argumentum in oppositum dicendum, quod textus habet intelligi quando res unius prædicamenti sub uno modo accepta, commutatur in rem alterius prædicamenti acceptam alio modo. *Ad argumentum in oppositum*

QUÆSTIO XL

Utrum commutare rem unius prædicamenti sub uno modo acceptam, in rem ejusdem generis, vel alterius sub alio modo acceptam, sit sufficiens causa existentiæ figuræ dictionis

Videtur quod non, nam posita causa, ponitur effectus ; sed alicubi est commutatio, ubi non est figura dictionis ; ergo, etc. Probatio assumpti, nam sequitur, *Quidquid currit, movetur, album currit; ergo*, etc. Oppositum conclusionis non potest stare cum præmissis. Ista enim non stant simul, quod nullum album moveatur, et quod album sit aliquid quod currat, et quidquid currit, moveatur. 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Similiter hic est bonus Syllogismus, *Omnis homo currit, omnis homo albus est homo, ergo omnis homo albus currit*, nam ex opposito conclusionis cum minore, infertur oppositum majoris sic : *Non omnis homo albus currit, omnis homo albus est homo; ergo non omnis homo currit.*

Hîc dicitur, quod ex opposito conclusionis cum minore non sufficit inferre oppositum majoris, sed etiam oportet quod ex opposito conclusionis cum majore inferatur oppositum minoris; nam duæ præmissæ se habent in ratione Antecedentis, respectu conclusionis. Si autem accipitur oppositum conclusionis cum majore, erit idem defectus, qui fuit in priori Syllogismo, sic arguendo, *Omnis homo currit ; non omnis homo albus currit : ergo non omnis homo albus est homo.* Hîc est idem defectus, ergo, etc.

Objectio. Sed contra, quandocumque ex opposito conclusionis cum altera præmissarum, in-

fertur oppositum alterius præmissæ, necesse est utrumque syllogismum esse bonum : cum ergo ex opposito conclusionis cum majore inferatur oppositum minoris, necesse est illum syllogismum esse bonum. Probatio assumpti. Quandocumque alters yllogismourm probantium est bonus, necesse est, quod ex opposito conclusionis cum utraque præmissarum possit inferri oppositum utriusque præmissæ, hoc enim conceditur, et probatur per hanc regulam; *Quando ad antecedens sequitur consequens, ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis* ; sed alter syllogismorum probantium primum syllogismum est syllogismus bonus : necesse est ergo quod uterque syllogismus sit bonus.

2. *Solutio.* Ideo dicitur aliter, quod hîc non est figuræ dictionis fallacia, *Omnis homo currit ; homo albus est homo, ergo homo albus currit.* Nam hoc quod dico, *omnis,* vel *quidquid,* distribuit pro his, quæ dicunt *quid,* sed tamen hoc signum *quidquid* distribuit pro his quæ dicunt *quid* et sub ratione *quid;* sed hoc quod dico *omnis,* etsi distribuat pro his quæ dicunt *quid,* non tamen sub ratione *quid.* Et ideo sub hoc quod dico, *omnis homo,* potest accipi *homo albus.*

Objectio. Sed contra, hîc est figura dictionis, *Omnis homo, qui heri cucurrit, hodie currit ; homo albus heri cucurrit; ergo hodie currit.* Præmissæ enim possunt esse veræ ; et conclusio falsa, posito casu possibili; ergo diversitas distribuendi cum *quidquid,* et *omnis,* non facit quod sit fallacia cum ly *quidquid,* et non cum ly *omnis.*

Solutio. Hîc dicitur, quod defectus causatur ex diversitate compositionis secundum tempus, nam cum utroque signo accepta duplici compositione ejusdem temporis, argumentum erit bonum, variata autem compositione utrobique deficiet. Nam diversitas compositionum secundum tempus, variat veritatem, et falsifitatem, et habitudinem aliquorum terminorum inter se ex identitate eorumdem in aliquo tertio illatam.

Objectio. Sed contra, contingit reperire figuram dictionis sine diversitate compositionum, secundum tempora. Nam hîc est figura dictionis, *Quidquid auditur a Platone, profertur a Socrate; falsum auditur a Platone ; ergo falsum profertur a Socrate.* Nam conclusio est falsa præmissis existentibus veris, posito quod Socrates proferat istam, *Nullus homo est asinus,* et quod Plato audiat totum præter signum.

Item, cum diversitate compositionum secundum tempora stat bonitas syllogismi. Nam hoc argumentum est bonum, *Quidquid heri vidisti, hodie vides : Socratem heri vidisti; ergo,* etc. Et, *Quidquid heri vidisti, hodie vides, album heri vidisti; ergo,* etc. Si dicatur, quod non est simile de istis duobus, *quidquid heri vidisti, hodie vides. Socratem,* etc., et, *Quidquid heri vidisti hodie vides, album heri vidisti, ergo,* etc. quia inter substantiam, et accidens cadit aliqua implicatio media, quæ non cadit, quando sub *quidquid* accipitur aliquid, quod dicitur quid. Sed contra, circa ly *Socratem,* convenit exprimere eamdem implicationem, et tamen argumentum est necessarium; diversitas ergo compositionis per se non causat defectum in argumento.

Ad oppositum, hîc est figura dictionis, *Quod scriptum est scripsit aliquis; falsa oratio scripta est; ergo falsam orationem scripsit aliquis,* et hîc est commutatio in causa.

Ad quæstionem dicendum est, quod commutatio unius modi prædicandi, in alium modum prædicandi, est sufficiens causa non existentiæ figuræ dictionis; hoc tamen difficile est videre in quibusdam : nam istam commutationem concomitatur diversitas compositionum secundum tempus, et quando aliquid quod est causa per accidens conjungitur illi, quod est causa per se, difficile est videre, quod eorum sit causa. Dicit enim Aristoteles in 7. Metaph. context. 34 et inde, quod si natura circuli non possit reperiri nisi in ære : difficile esset videre utrum æs esset de ejus essentia, vel non ; sed quia natura circuli potest reperiri in alia materia, quam in ære, ut in materia lignea, et cuprea, ideo facile est videre, quod æs non est de essentia circuli. Et 3. *Conclusio Doctoris.*

similiter est de ista oratione, *Quod scriptum est, scripsit quis*, etc, nam hîc sunt duo, quorum utrunque videtur esse causa figuræ dictionis, scilicet diversitas, et commutatio : nam amota diversitate compositionis, commutatione manente, argumentum apparet : ut si sic arguatur, *Quidquid currit movetur : album currit*; *ergo*. Similiter amota commutatione, diversitate compositionis manente, argumentum apparet necessarium : ut si sic arguatur: *Quidquid heri vidisti, hodie vides : Socratem*, etc. unde neutrum per se videtur esse causa defectus, sed utrumque simul.

4. *Secunda conclusio.* Verumtamen dicendum, quod commutatio solum, per se est causa defectus, cui tamen quandoque annectitur diversitas compositionis, sed tamen diversitas compositionis non est causa defectus. Hoc patet exemplo, et ratione. Exemplo, nam hîc est figura dictionis, *Quidquid auditur a Platone, profertur a Socrate*; *falsum auditur a Platone* ; *ergo*, etc. Conclusio est falsa remanente hypothesi, ut supra : hîc tamen non est diversitas compositionis secundum tempus. Ratione sic, nam in quolibet syllogismo necesse est, quod una propositio se habeat ut totum, reliqua ut pars decisa ab illo toto : nam omnis syllogismus concludit virtute primæ figuræ : sed nec *quale* sub ratione *qualis*, nec *quantum* sub ratione *quanti*, se habent in ratione partis decisæ ab eo, quod dicit *quid*, nec e converso. Si ergo sub eo quod dicit *quid*, sub ratione totius accipitur quale sub ratione partis, ibi erit figura dictionis, et tamen non erit ibi diversitas compositionis ; hoc patet per illud exemplum : *Quod scriptum est, scripsit quis : falsa oratio scripta est*; *ergo*, etc. Nam ly *quod in* majori accipitur sub ratione *quid* ; et in minori comparatur ad hoc quod dico : *falsa oratio* sub ratione *qualis* ; ergo mutatur *quid* in *quale*. Et hoc est quod vult Aristoteles 2. Elench. cap. 5. si quæratur, *Putasne quod quis habuit, et non habet, amisit illud?* Ex hac concessa a respondente infertur, *Decem digitos habuit quis, et non habet*; *ergo decem digitos amisit quis;* hîc est figura dictionis, nam hîc mutatur *quod* in *quantum* : nam decem significant quantum. Sed quando est commutatio, et quando non, hoc potest dignosci exemplo et ratione præcedente, cum identitas extremorum inter se includatur in identitate extremorum in medio, aliter propter præmissas, non sequeretur conclusio. Si ergo medium comparetur uni extremo sub ratione *quid*, et alteri extremo sub ratione *qualis*, vel *quanti;* si ista diversitas lateat propter similem figurationem vocis, figura dictionis erit in argumento, ut patet in isto exemplo : *Quidquid additur a Platone, profertur a Socrate*, etc, res enim intellecta in hoc quod dico *quidquid*, comparatur ad hoc quod est *proferri a Socrate* sub ratione *quid*, quia inquantum vox est, et non ut est significativa veri, vel falsi : sed ad hoc quod est falsum comparatur sub ratione *qualis*, et ideo ibi commutatur *quid* in *quale*. Unde commutatio est causa non existentiæ figuræ dictionis, vel fallacia accidentis, saltem in secundo modo, vel in tertio modo figuræ dictionis. Sicut ergo in fallacia accidentis est defectus syllogismi, et in figura dictionis est defectus syllogismi. Sed in figura dictionis occultatur non existentia per similem figurationem vocis ad vocem. Sed in fallacia accidentis occultatur non existentia per unitatem rei.

Sed contra, hoc est bonum argumentum: *Iste dat unum solum denarium, et non habet unum solum denarium*; *ergo dat denarium*. Et sequitur, *Dat denarium* ; *ergo dat quod habet*, et non sequitur : *Iste dat unum solum denarium, et non habet unum solum denarium* ; *ergo dat quod non habet*. Hîc tamen fit eadem commutatio, quæ fit in hoc argumento, scilicet, *Iste dat unum solum denarium, et non habet unum solum denarium : ergo*, etc. Commutatio ergo non est causa præcisa figuræ dictionis. 5. *Objectiones.*

Solutio. Dicendum, quod illud argumentum est bonum, *Iste dat unum solum denarium*, etc. qui est primus paralogismus, nec est ibi figura dictionis et tamen in paralogismo Aristotelis

est figura dictionis. Cum enim dicitur, *Iste dat unum solum denarium*, duo dicuntur, scilicet dare denarium, et modus dandi. In minori autem cum dicitur, *et non habet unum solum denarium*, ibi solum negatur modus habendi, et non res ipsa, et ideo res potest concludi, sic dicendo; *ergo dat quod habet*. Sed in paralogismo Aristotelis ex negatione modi rei, proceditur ad negationem ipsius rei, ideo ibi commutatur modus rei in rem.

6. *Ad 1. princ* Ad primum argumentum dicendum, quod hîc non est figura dictionis : *Quidquid currit, movetur, album currit; ergo*, etc. Non enim sumptio cujuslibet denotantis *quale* sub aliquo denotante *quid*, facit fallaciam figuræ dictionis, sed solum si *quale* accipitur, ut pars decisa ipsius *quid*. Unde ad formam argumenti dico, quod in ista propositione majore, *Quidquid currit, movetur*, attribuitur *moveri* ipsi currenti accepto sub ratione *quid*. In minori autem significatur attribui rei cui accidit album, unde est sensus, album, id est, res alba, etc.

Ad secundum dico, quod hîc non est figura dictionis, *Omnis homo currit, homo albus est homo*; *ergo*, etc, nam in minori *homo albus*, non accipitur sub ratione albi, sed sub ratione hominis cui accidit album, et sic patet ad quæstionem.

QUÆSTIO XLI

Utrum commutare quale quid in hoc aliquid, faciat fallaciam figuræ dictionis

1. *Argumenta pro parte negativa.* Videtur quod non, nam si sic, in consequentiis Aristotelis in lib. Prædicamentorum cap. de Substantia, esset figura dictionis. Arguit enim sic : *Si color est in corpore, ergo in aliquo corpore*. Similiter, *Si anima movetur, aliqua specie motus movetur*, hîc tamen procedit a *quali quo* ad *hoc aliquid*. Si dicatur, quod hîc proceditur a *quali quo* ad *quale quid*, nam aliquam rationem habet ejus quod est *quale quid*.

Contra, Aristoteles ibidem per hoc intendit ostendere, quod omnia quæ sunt, vel sunt in primis substantiis, vel dicuntur de primis substantiis, unde per hoc quod est *aliquod corpus*, videtur sumere substantiam primam, et per consequens *hoc aliquid*.

Item, si talis commutatio faceret figuram dictionis, sequeretur, quod in conversione universalis affirmativæ esset figura dictionis. Consequens est falsum; ergo antecedens. Consequentia patet, nam sic dicendo, *Omnis homo est animal*; *ergo quoddam animal est homo*. In primo ly *animal* significat *quale quid*, et in secunda *hoc aliquid*.

Item, interpretari ea esse eadem quæ eadem sunt, non facit figuram dictionis, sed singulare et universale sunt realiter idem; ergo, etc.

Item, si commutare *quale quid* in *hoc aliquid*, faceret figuram dictionis, tunc e converso commutare *hoc aliquid* in *quale quid*, faceret figuram dictionis ; consequens est falsum, ergo et antecedens. Consequentia patet, nam sicut commutare *quale* in *quantum* facit figuram dictionis, sic e converso, commutare *quantum* in *quale* facit figuram dictionis. Falsitas consequentis patet, nam tunc hîc esset figura dictionis, *Iste homo currit, et iste homo est homo*; *ergo*, etc.

Si dicatur quod ly *homo* in hac minori, *Iste homo est homo*, non significat *quale quid*, sed *hoc aliquid*. Contra, tunc non esset hîc figura dictionis, *Homo est Plato, Socrates est homo; ergo Socrates est Plato*. Et præterea in hac minori prædicatur superius de inferiori, superius autem respectu sui inferioris, dicit *quale quid*.

Ad oppositum, Aristoteles 2. Elench. cap. 5. dicit quod hîc est figura dictionis : *Coriscus est alter ab homine : Coriscus est homo, ergo*, etc.

Ad quæstionem dicendum est quod commutare *quale quod* in *hoc aliquid*, facit figuram dictionis. Circa quod primo intelligendum est, quid intelligimus per *quale quid*, et *hoc aliquid*. Ad cujus evidentiam 2. *Conclusio Doctoris.*

intelligendum est, quod nomen Speciei, et nomen Individui ejusdem speciei eamdem naturam important, sicut *homo*, et *iste homo*. Sed ista natura per nomen Speciei, et Individui diversimode importatur, per nomen enim Speciei importatur prout sibi accidit universalitas, et particularitas : per nomen autem Individui importatur prout est hæc natura. Ratio autem significandi prima est ratio significandi ejus quod est *quale quid* : cujus rationem assignat Boetius : natura *quid* dicit, et circa primam substantiam qualitatem determinat. Ista autem eadem natura significata per terminum singularem, per modum determinati dicitur *hoc aliquid*. Unde *hoc aliquid*, et *quale quid*, sunt diversæ rationes accipiendi eamdem naturam. Si autem aliquis interpretatur hanc acceptionem, vel rationem accipiendi esse illam, et hoc propter similitudinem vocis ad vocem, figura dictionis erit. Si autem propter unitatem rei, fallacia accidentis erit. Et quia difficile est videre diversitatem rei, et unitatem rei, licet facile sit videre similitudinem vocis ad vocem, ideo paralogismi tertii modi figuræ dictionis, difficiles sunt ad solvendum, propter causam apparentiæ accedentis annexam.

Ulterius est intelligendum, quod non omnis illatio a termino significante *quale quid*, ad terminum significantem *hoc aliquid*, facit figuram dictionis : sed solum illa, in qua *quale quid* accipitur, ac si esset *hoc aliquid*, vel e converso, et hoc est quando aliquid attribuitur ipsi communi prout commune est, et postea singulari prout est hoc unum, sicut hîc : *Homo est species, Socrates est homo ; ergo Socrates est species.*

3. *Ad1.princ.* Ad primam rationem dicendum, cum dicitur, *Color est in corpore*, etc. quod hîc proceditur a *quali quo*, ad *quale quid*, quia ly *aliquod corpus*, rationem communis habet, unde supposita concernit, nam univoce de multis potest prædicari.

Ad illud contra hoc, dico, quod licet prima substantia in re sit *hoc aliquid* determinatum, tamen secundum intellectum potest habere rationem communis. Et ut substantia prima habet rationem communis, per hoc quod est *aliquod corpus*, designatur. Nam sicut prima substantia de hac substantia prima, et illa prædicatur, sic *aliquod corpus*, de hoc corpore, et illo prædicatur. Unde si per hoc, quod dico *aliquod corpus*, solum hoc corpus designaret, Aristoteles faceret fallaciam Consequentis, sic arguendo, *Color est in corpore ; ergo in aliquo corpore.*

Ad aliud dicendum, quod in conversione universalis affirmativæ, non est figura dictionis. Nam ibi non accipitur *quale quid*, ac si esset *hoc aliquid*. Sed ibi proceditur a termino significante *quale quid*, prout stat pro pluribus suppositis, ad eumdem significantem *hoc aliquid*, et hoc prout stat pro paucioribus. Nam in prima propositione significatur, quod animal pro aliquo sui attribuitur homini pro quolibet sui ; et in secunda, quod homo pro aliquo sui attribuit animali, pro aliquo sui, unde uniformiter accipitur in antecedente, et consequente.

Ad aliam rationem dico, quod licet terminus communis, et suum suppositum per se sint realiter eadem, modi tamen significandi ejus quod est *quale quid*, et *hoc aliquod*, sunt diversi. Unde commutare ista ad invicem, propter similitudinem vocis causant figuram dictionis. *Ad2.princ.*

Ad ultimum dico, concedendo quod infertur. Et cum dicitur, tunc esset hîc figuro dictionis : *Iste homo currit, iste homo est homo ; ergo homo currit* ; dico, quod figura dictionis non est hîc, nam *hoc aliquod* non accipitur ac si esset *quale quod*, unde in ista ; *Iste homo est homo*, attribuitur prædicatum ei quod est *hoc aliquod*, sed non solum sub hac ratione, ut est *hoc aliquod*, sed ut secum compatitur aliam acceptionem. Unde hîc est figura dictionis : *Socrates est individuum, homo est Socrates ; ergo homo est individuum*. Ex istis sequitur plus, vel ulterius, quod procedere a pluribus determinatis ad unum istorum, *Ad 3.*

est procedere a *quali quo*, ad *hoc aliquod.* Nam quando aliquid in præmissis accipitur pro diversis, habet rationem communis, et per consequens ratio ejus est *quale quid*; accipere ergo aliquod istorum respectu alicujus, de quo illud quod habet rationem communis prædicatur, est facere figuram dictionis, sicut hic, *Socrates est homo : Plato est homo ;* ergo *Socrates est Plato.*

QUÆSTIO XLII

Utrum sub termino significante quale quid lateat diversitas interpretatorum in tertio modo figuræ dictionis

1. *Argumenta pro parte negativa.* Videtur quod non, nam diversorum locorum secundum speciem, sunt diversæ causæ apparentiæ secundum speciem ; sed figura dictionis, et æquivocatio sunt diversi loci, secundum speciem distincti : cum ergo in æquivocatione, unitas vocis secundum materiam, et formam sit causa apparentiæ, non potest esse causa apparentiæ figuræ dictionis, vel sequitur quod in tertio modo figuræ dictionis sit æquivocatio.

Item, in quolibet modo ejusdem loci Sophistici,debet esse eadem causa apparentiæ: nam modi ejusdem loci non differunt specie. Cum ergo,in primo modo figuræ dictionis, similitudo vocis ad vocem, sit causa apparentiæ, identitas vocis non erit causa apparentiæ in tertio modo.

Item, in figura dictionis, similitudo vocis ad vocem est causa apparentiæ, sed ubi est similitudo, ibi non est identitas ; cum ergo similitudo vocis ad vocem sit causa apparentiæ in tertio modo figuræ dictionis ; sequitur, etc.

Ad oppositum, figura dictionis est quidam locus, cujus principium motivum est in voce,sed nisi diversitas interpretatorum, sub termino significante *quale quid* lateret, difficile esset assignare causam apparentiæ in tertio modo figuræ dictionis, ut puta in isto paralogismo, *Homo est species, Socrates est homo*; *ergo Socrates est species* ; *quare*, etc.

Ad quæstionem dicendum, quod hæc est duplex via, et utraque probabilis. Prima, quod diversitas interpretatorum in tertio modo figuræ dictionis, lateat sub termino significante *quale quid* ; nam cum defectus occultetur per apparentiam, in eisdem debet esse causa apparentiæ, in quibus cooperta est causa non existentiæ ; sed universaliter causa non existentiæ est diversitas interpretatorum ; sed diversa interpretata interpretantur quandoque per diversas dictiones, ut in primo modo figuræ dictionis, cum sic arguitur, *Secare, et videre, similiter terminantur*,etc.et tunc causa apparentiæ consistit in duabus dictionibus. Quandoque diversa interpretata interpretantur per unam dictionem, et hoc dupliciter, aut sic, quod dictio unum significat, et aliud concernit, et tunc est secundus modus. Aut sic, quod dictio unum significat, et aliud appellat, et tunc est tertius modus.Cum ergo in termino significante *quale quid,* lateat diversitas interpretatorum,et in eisdem est causa apparentiæ, sub quibus latet causa non existentiæ, ut dictum est : sequitur, quod in tertio modo figuræ dictionis diversitas interpretatorum lateat in termino significante *quale quid.* Et hæc videtur velle Aristoteles in lib. Prædicamentorum, cap. 2. secundæ partis, ubi dicit, quod *Omnis substantia videtur significare hoc aliquid*, et in primis substantiis indubitabile verum est. In secundis autem similiter videtur sub appellationis figura *hoc aliquid* significare. 2. *Prima conclusio.*

Verumtamen intelligendum est, quod similis figuratio vocis ad vocem per se requiritur ad figuram dictionis. Quod autem major identitas in figura dictionis reperiatur, quam identitas similitudinis, hoc accidit figuræ dictionis, et per hoc patet ad rationes.

Ad primam, dico quod unitas vocis secundum materiam, et formam, per se requiritur ad æquivocationem. Quod autem unitas vocis reperiatur in figura dictionis, 3. *Ad 1. princ.*

hoc accidit ei : sed tamen propter primum argumentum dicendum, quod licet in tertio modo figuræ dictionis diversitas interpretatorum lateat sub unitate vocis, non tamen est æquivocatio, nam in æquivocatione requiritur, quod nomen significet diversa, sed terminus dicens *quale quid* in tertio modo figuræ dictionis non significat duo, scilicet *quale quid* et *hoc aliquid*, sed solum *quale quid*, et sub appellationis figura videtur hoc aliquid significare.

4. *Secunda conclusio.* Alia via probabilis est, quod similis figuratio vocis ad vocem est causa apparentiæ in figura dictionis, et in quolibet ejus modo est hoc manifestum, in primo modo, nam Aristoteles in secundo hujus, sic format paralogismum, *Videre et secare similiter terminantur, sed secare significat agere, ergo et videre : secari autem significat pati; ergo et videri.* Sed contingit aliquid simul et semel videre, et videri; ergo agere, et pati.

Objectio. Si dicas, quod in isto paralogismo, *Quidquid auditur a Platone, profertur a Socrate, falsum auditur a Platone*; ergo, etc. nulla est similitudo inter *quidquid* et *falsum*. *Solutio.* Dicendum, quod paralogizans penes secundum modum sic paralogizat, *Falsum, et lignum similiter terminantur, sed lignum significat* quid; *ergo et falsum significat* quid, et si significat *quid*, sub *quidquid* potest capi.

Ergo secundum accidens quidem paralogismi sunt, quando quidlibet assignatum fuerit rei subjectæ inesse et accidenti, nam quoniam eidem accidunt multa, non necesse est omnibus prædicatis, et de quo prædicantur hæc omnia inesse, etc. cap. 3. primi hujus.

QUÆSTIO XLIII

Utrum partialis identitas alicujus habentis in se diversas naturas, vel rationes, ad aliquid participans, una illarum sit causa apparentiæ fallaciæ Accidentis

De fallacia accidentis vide Interpretes *in cap.* 4. *hujus.* D. Thom. *opusc.* 40. *cit. cap.* 17. 18. 19. *et* 20. Occam *c.* 11. Alb. *cap.* 7. Fonsec. *lib.* 8. *instit. cap.* 10. Conimb. *hîc quæst. unic. art.* 4. Sot. *et* Complut. *et* Summulistas passim, *de fallac. extra dictionem.*

Videtur quod non, nam tunc in quolibet bono syllogismo esset fallacia Accidentis. Consequens est falsum; ergo et Antecedens. Probatio consequentiæ : nam hîc esset fallacia accidentis, *Omnis homo est animal : Plato est homo*; *ergo Plato est animal.* Nam *animal* in se includit diversas rationes, et secundum unam illarum in conclusione concluditur de Platone. 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Item, diversorum locorum secundum speciem, diversæ debent esse causæ apparentiæ; sed partialis identitas est causa apparentiæ in secundum *quid*, et simpliciter, quia partialis identitas alicujus dicit secundum *quid*, ad idem dictum simpliciter : ergo non est causa apparentiæ fallaciæ accidentis.

Ad oppositum, Aristoteles 1. hujus, cap. 3. dicit, quod fallacia Accidentis est, quando aliquid similiter attribuitur rei subjectæ, et accidenti, cum tamen dissimiliter insit. Sed si nulla esset ibi identitas, nulla esset ibi apparentia, et si totalis identitas, nullus esset ibi defectus : ergo, etc.

QUÆSTIO XLIV

Utrum superius possit accidere suo inferiori

Videtur quod non, nam Aristoteles 1. Physicorum dicit, Quod vere est, nulli accidit : sed animal vere est; ergo nulli accidit. Quod animal sit illud quod vere est, patet, nam animal est substantia, substantia autem est id quod vere est, cum nulli accidat. 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Item, superius est de intellectu inferioris; ergo, etc.

Item, accidens potest inesse, et non inesse subjecto; sed superius non potest non esse, suo inferiori manente inferiori; ergo, etc.

Ad oppositum, Aristoteles in 1. hujus, c.

4. dicit, quod triangulo accidit figura; sed figura superius est ad triangulum; ergo, etc.

2. *Conclusio ad quæst. præcedentem.* Ad primam quæstionem dicendum, quod partialis identitas alicujus habentis in se diversas rationes, ad aliquam earum, est causa apparentiæ fallaciæ Accidentis, nam tegit defectum accidentis, et fallaciam accidentis ab aliis locis distinguit. Primum patet in isto paralogismo, *Homo est species: Plato est homo*; *ergo Plato est species*, nam partialis identitas de ly *homo*, prout in se includit diversas rationes, per quarum unam potest substare accidenti intentionali, et per aliam convenire singulari ad Platonem, facit credere, quod quidquid potest prædicari de homine, possit prædicari de Platone.

Secundum patet, per hoc enim quod ejus apparentia accipitur a parte rei, distinguitur a locis in dictione; quomodo autem distinguatur ab aliis locis extra dictionem, hoc patebit. Et hoc est quod dicit Aristoteles 1. Elench. in illo c. *Fallacia autem fit in his.* Dicit enim quod fallacia Accidentis provenit ex eo, quod non potest dividere inter idem, et diversum; unum, et multa.

3. *Ad 1. princ. quæst. 33.* Ad primum argumentum dicitur, negando consequentiam.

Ad probationem ejus, cum dicitur, quod superius in se includit duas naturas, dicendum, quod licet animal in se includat duas naturas, et secundum unam earum conveniat suo inferiori, quia tamen istæ rationes non sunt extraneæ, ut ad tertium comparantur, ideo in illo syllogismo non est fallacia Accidentis. Ad hoc enim quod sit fallacia Accidentis, requiritur quod illæ rationes sint sibi repugnantes, ut ad tertium comparantur.

Ad aliud dicendum, quod inferius patebit, quomodo partialis identitas sit causa apparentiæ secundum *quid*, et simpliciter. Vel potest dici ad rationem, quod rationes diversæ inclusæ in termino paralogismi Accidentis sunt ita repugnantes, quod una earum nec includit in se, nec simpliciter, nec diminute aliam : sed in dicto secundum quid, diminute includitur dictum simpliciter.

Ad aliam quæstionem dicendum, quod *accidens* dicitur tripliciter, uno modo, quod advenit rei post complementum ejus, et sic dicimus omnia novem Genera esse accidentalia ; alia modo dicitur accidens quod advenit rei, et est extra ejus intellectum, et isto modo potest dici, quod inferius accidit suo superiori, nam in intellectu superioris non includitur inferius. Tertio modo capitur accidens pro illo, quod est extraneum alteri, prout ad tertium comparatur. Et hoc modo non solum inferius accidit superiori, sed superius inferiori, ut figura triangulo. Nam ratio ipsius figuræ est extranea rationi trianguli, prout triangulo convenit hæc passio *habere tres*, etc. per se et primo. Et isto tertio modo accipitur accidens in fallacia Accidentis ; et ratio hujus est, nam accidens peccat contra rationem syllogismi : sed ad syllogismum requiritur, quod primum sub eadem ratione attribuatur medio, sub qua ratione medium attribuitur postremo, ita quod illæ rationes non differunt, scilicet nisi sicut pars et totum. Unde quandocumque in aliquo discursu syllogistico, accipitur terminus includens in se diversas rationes, ita quod iste terminus acceptus sub una ratione, est extraneus sibi ipsi, ut sub alia ratione accipitur, et per unam illarum rationum comparatur uni extremo, et per aliam alteri, ibi erit fallacia Accidentis, ut hic, *Homo est Plato ; Socrates est homo* ; *ergo Socrates est Plato*, unde rationes procedunt viis suis. 4. *Conclusio Doct. ad q. præsentem.* *Accidens dicitur tripliciter.*

De accidente intelligendum est, quod terminus major, et minor, et medius potest habere rationem accidentis. Unde terminus includens alteram rationem, est extraneus termino includenti diversas rationes : ut ad utrumque comparatur. Unde Aristoteles dicit, quod fallacia Accidentis est, quando aliquid similiter attribuitur rei subjectæ, et accidenti inesse, cum tamen similiter non insit. Unde ibi vult minorem habere rationem accidentis : sed tamen magis proprie ille terminus includens diversas rationes potest dici accidens. 5. *Nota.*

Sed intelligendum est, quod quidam con-

siderant fallaciam Accidentis, quantum ad fieri : et quidam quantum ad factum esse. Considerantes primo modo, dicunt minorem habere rationem accidentis. Nam ante additionem minoris non fit aliqua variatio ; licet enim medium includat diversas naturas : tamen secundum unam earum tantum comparatur subjecto ante additionem minoris. Considerantes secundo modo dicunt, quod terminus includens in se diversas naturas, debet dici accidens, quia ex illo termino capitur tota variatio ; tamen secundum Philosophum quilibet terminus potest habere rationem accidentis. Rationes solvuntur in quæstione.

QUÆSTIO XLV

Utrum fallacia accidentis possit causari ex variatione alterius termini, quam medii Syllogistici : vel utrum possit causari indifferenter ex variatione majoris, minoris, et medii

1. *Argumenta pro parte negativa.* Quod ex variatione medii solum, probatio. Nam fallacia accidentis causatur ex diversa comparatione alicujus termini ad diversa ; sed in præmissis nihil potest comparari ad diversa, nisi medium, quia in præmissis nullus terminus bis accipitur, nisi medius terminus ; ergo, etc.

Item, si medium non sit variatum, necesse est extrema conjungi ; sed in fallacia Accidentis conclusio non sequitur ex necessitate ; ergo necesse est medium variari. Assumptum patet 1. hujus, cap. 4. Nam quæcumque uni, et eidem non variato sunt eadem, ipsa inter se sunt eadem.

Si dicatur ad istas rationes, quod major sub una ratione, ipsi medio in præmissis potest comparari, et sub alia minori in conclusione, et per consequens ibi erit accidens ex variatione majoris. Contra, habitus, et privatio habent fieri circa idem : sed fallacia accidentis quantum ad sui non existentiam, est privatio formæ syllogisticæ, nam peccat contra formam syllogismi : sed forma syllogistica solum consistit in præmissis; ergo fallacia Accidentis solum causatur ex variatione in præmissis : sed nihil potest variari in præmissis, nisi medium ; ergo, etc. Assumptum patet, nam per Aristotelem 1. Priorum, *Quando medium est in toto primo, et postremum in toto medio, necesse est extrema conjungi.* Per hoc innuit Aristoteles quod forma syllogistica solum in præmissis consistit. Item, conclusio est aliud a præmissis, ut patet intuenti ejus definitionem.

Item, intellectus conclusionis includitur in intellectu præmissarum : sicut ergo termini accipiuntur in præmissis, sic necesse est accipi in conclusione, aliter enim propter præmissas non sequetur : ergo si non fit variatio in præmissis, non erit variatio in conclusione ; sed in præmissis nihil potest variari, nisi medium : quia variatio non est absque bina acceptione alicujus termini : sed nihil bis accipitur in præmissis, nisi medium ; ergo, etc.

Ad oppositum, Philosophus dicit in 2. hujus, cap. 7. quod hæc est fallacia Accidentis, *Iste canis est tuus : iste canis est pater ; ergo est tuus pater.* Iste enim terminus *canis* non variatur, sed solum ly *tuus*, quod est major, in qua accipitur ratione possessionis. Significatur enim quod *Iste canis est tua possessio*, in conclusione autem accipitur ratione efficientis. Potest etiam causari ex variatione minoris, ut patet hîc, *Socrates est individuum, homo est Socrates, ergo homo est individuum.* Hoc etiam patet per rationem, nam fallacia Accidentis accidit ex diversa compositione, et extranea alicujus ad diversa, sed quilibet terminus sub diversa ratione, et extranea potest comparari ad diversa ; ergo, etc.

Ad quæstionem dicendum, quod fallacia Accidentis potest causari ex variatione majoris, minoris, et medii, differenter tamen : 2. *Conclusio.* nam medium variatum, secundum diversas rationes comparatur uni extremo, et alteri. Sed extremum variatum, secundum unam rationem comparatur medio, et secundum aliam rationem alteri extremo in

conclusione. Ratio hujus est ista, nam fallacia Accidentis est immediate defectus formæ syllogisticæ : sed forma syllogistica non solum consistit in præmissis,sed etiam in conclusione; ergo variatio quæ est in fallacia Accidentis, potest esse in præmissis, et in conclusione. Medium autem non ingreditur conclusionem.Potest igitur causari tam ex variatione alterius termini, quam medii. Assumptum patet, scilicet quod forma syllogistica non solum consistit in præmissis. Nam syllogismus est quædam habitudo inferens conclusionem tanquam consequens ex præmissis, vel tanquam ex uno antecedente : unde duæ præmissæ se babent in ratione unius antecedentis respectu conclusionis.

Hoc etiam patet ex modo, et figura Syllogismi, quæ sunt quasi quædam dispositiones consequentes ipsum Syllogismum. Modus autem distinguitur a modo per conclusionem. Si enim ex istis præmissis, *Omnis homo est animal* : *omne risibile est homo*, inferatur ista conclusio ; *ergo omne risibile est animal*, est primus modus primæ figuræ. Si autem ex eisdem præmissis inferatur ista conclusio, *ergo quoddam animal est risibile*, est quintus modus primæ figuræ. Figura autem a figura distinguitur per conclusionem, ut patet in syllogismo ex oppositis. Si enim sic arguitur, *Nulla disciplina est studiosa, omnis disciplina est studiosa*, et infertur conclusio ista : *ergo nullum studiosum est studiosum*, est dispositio tertiæ figuræ. Si autem ex eisdem præmissis inferatur ista conclusio, *Nulla disciplina est disciplina*, est dispositio secundæ figuræ. Cum ergo conclusio diversificet modum, et figuram, quæ sunt dispositiones consequentes ipsum syllogismum, videtur quod de ratione Syllogismi sit conclusio.

3. Hoc etiam patet per exempla. Et primo in prima figura. Nam hæc est fallacia Accidentis, *Homo est species : Socrates est homo*; *ergo*, etc. Et hoc est ex variatione medii. Sed si arguatur sic, *Socrates non est species* ; *Socrates est homo : ergo homo non est species*. Hîc ex variatione ejusdem termini causatur accidens, primo tamen fuit medium, et nunc est minor extremitas. De variatione majoris in prima figura. Exemplum, *Triangulus habet tres angulos per se, et primo* : *figura est triangulus* ; *ergo*, etc. Hoc quod est *habere tres*, diversimode comparatur medio, et ipsi majori ; *habere autem tres* est major extremitas. In secunda figura, hoc patet. Nam hîc est fallacia Accidentis, *Socrates non est species : homo est species* ; *ergo homo non est Socrates*, ex variatione minoris. Et ex variatione majoris sic, *Homo est species : Socrates non est species* ; *ergo Socrates non est homo*. In tertia figura ex variatione minoris sic : *Socrates non est species, Socrates est homo* ; *ergo*, etc. Ex variatione majoris sic ; *Omnis triangulus habet tres*, *primo* : *triangulus est figura* ; *ergo*, etc. Sic ergo patet, quod arguendo per eumdem paralogismum affirmative in una figura, et negative in alia, medius terminus variatus in uno syllogismo erit major, vel minor in alio.

Quod autem necesse sit eumdem terminum variari in paralogismo affirmativo et negativo, patet per hoc, quod quælibet propositio in fallacia Accidentis una est, aliter enim sub unitate vocis lateret multiplicitas, et esset locus in dictione. Sed sic arguendo, *Homo est species : Socrates est homo* ; *ergo Socrates est species*, ly *Socrates*, non variatur : ergo in isto paralogismo, *Socrates non est species, Socrates est homo* ; *ergo homo non est species*, non variabitur, cum uniformiter accipiatur affirmative, et negative. Sed hic est fallacia Accidentis, et non ex variatione medii, quod est ly *Socrates* ; ergo ex alterius variatione. Patet ergo cum dicitur, *Homo est species, Socrates est homo*; *etc.* quod hîc est accidens ex variatione medii in prima figura. Si iste terminus fiat medium in tertia figura, adhuc erit accidens ex variatione ejusdem termini, ut, *Homo est species, homo est Socrates* ; *ergo*, etc. Et ex variatione alterius termini, quam medii in tertia figura sic, *Non Socrates est species* : *Socrates*

est homo; *ergo non homo est species.* Conclusio est falsa, et præmissæ sunt veræ, et variatur minor extremitas. Similiter si sit syllogismus in secunda figura, ut sic, *Homo est species: non Socrates est species*; *ergo non Socrates est homo.* Conclusio est falsa et præmissæ veræ. In quolibet ergo paralogismo Accidentis est accidens penes variationem termini, qui in aliquo paralogismo est major, in aliquo minor, et in aliquo medium. Ad hujus probationem suppono duo, primum patet de unitate propositionis; secundum quod in contradictionibus necesse est terminos similiter sumi, aliter non erit contradictio,

4. *Medium quomodo variatum.* Ad videndum autem quando medium est variatum, et quando non, secundum quosdam utendum est tali regula: sumenmendum est medium, cum reduplicatione alterius extremi. Et si medium sic sumptum vere conveniat alteri extremorum, tunc non est variatum: si autem non vere conveniat, tunc est variatum. Alii dicunt, quod est semper considerandum ad subjectum, et accidens, utrum differant inter se, et in tertio, vel non: si non, non fit accidens, sicut hîc: *Percutio Socratem, Socrates est veniens*; *ergo percutio venientem.* Si autem differant inter se, et in tertio, tunc est accidens, ut hîc: *Cognosco Coriscum, Coriscus est veniens*; *ergo*, etc.

5. Aliter dico, quod considerandum est, utrum oppositum majoris extremitatis convenire possit medio, secundum quod medium convenit minori extremitati: et si sic, tunc est accidens, ut hîc, *Animal est genus, homo est animal*; *ergo*, etc. si non, non, ut, *Animal est corpus, homo est animal*; *ergo*, etc.

6. *Ad 1. princ. pro parte negativa.* Ad primum argumentum, cum dicitur, quod fallacia Accidentis non causatur absque diversa comparatione alicujus termini ad diversa, dico quod verum est. Et ulterius cum dicitur, in præmissis nihil potest variari, nisi medius terminus. Concedo. Ideo ratio concludit, quod in præmissis non potest esse accidens absque variatione medii, et hoc concedo.

Ad secundum cum dicitur, si medium sit unum, necesse est extrema conjungi. *Ad 2.* Dico, quod si medium est sic unum in comparatione ad extrema, necesse est aliquam conclusionem sequi, ut illam, in qua extrema habent unitatem: sed tamen per medium sic unum non oportet illam conclusionem, quæ accipitur in paralogismo accidentis, sequi.

Ad rationes in oppositum.

Ad primam dicendum, quod forma syllogistica consistit in præmissis, ut ordinantur ad conclusionem. *Ad 1. princ. pro parte affirmativa.* Unde ex hoc non sequitur, quod accidens solum causetur ex variatione medii, nam licet nullus terminus in præmissis posset variari, nisi medium; si tamen præmissæ considerentur respectu conclusionis inferendæ, quilibet terminus potest variari, nam sic quilibet terminus bis accipitur.

Ad aliud, cum dicitur, quod conclusio *Ad 2.* est aliud a præmissis, dico, quod licet conclusio sit aliud a præmissis, non tamen est aliud a syllogismo.

Ad ultimum cum dicitur, quod conclusio includitur in præmissis; dico, quod illa conclusio, quæ sequitur ex præmissis, in præmissis includitur, sed tamen illa conclusio, quæ infertur ex variatione majoris respectu medii, et minoris in conclusione, in intellectu præmissarum non includitur.

QUÆSTIO XLVI

Utrum processus a re subjecta ad accidens faciat fallaciam Accidentis

Videtur quod sic, quia Aristoteles 1. 1. Elench. cap. 3. dicit, quod accidens fit, eo quod non est necesse, quod de re dicitur, de accidente dici.

Item, hîc est accidens: *Tu cognoscis Coriscum, Coriscus est veniens*; *ergo*, etc. et procedit hîc a re subjecta ad accidens.

Ad oppositum, hæc consequentia est necessaria, *Omnis ædificator ædificat, hoc al-*

bum est ædificator ;ergo hoc album ædificat, quia non stant simul, quod hoc album ædificet, et sit ædificator, et quod non omnis ædificator ædificet, arguendo ex opposito conclusionis cum minori, inferendo oppositum majoris.

2. ...clusio. Dicendum, quod accidens peccat immediate contra Syllogismum. Ad videndum ergo, quando est accidens, et quando non, videndum est primo quid facit necessitatem in Syllogismo, cognoscitur enim privatio per habitum. Unde intelligendum est,quod tota necessitas Syllogismi est in hoc, quod medium uniformiter ad quod uniformiter extrema sunt comparata, sub una ratione accipitur. Quandocumque ergo extrema accipiuntur ad invicem comparata, et ut ad medium, secundum varias rationes, accidens est. Et possibile est aliquando, quod conjungantur,sed hoc non erit propter comparationem, quam habent extrema ad medium. Hoc manifestum est in omnibus exemplis Aristotelis : *Tu cognoscis omne bonum, quod volo interrogare est bonum* ; *ergo*, etc. Ista conclusio non sequitur, quia hoc, quod dico, *bonum* sub diversa ratione comparatur ad hoc, *Tu cognoscis*, et ad hoc, *quod volo interrogare*, quia hæc propositio, scilicet, *Tu cognoscis omne bonum*, vera est sub ratione qua bonum. Sed cum dicitur, *Quod volo interrogare est bonum*, hoc quod dico *bonum*, accidens est huic *quod volo interrogare*, prout *bonum* cadit sub cognitione tui. Et ideo non conjunguntur extrema.

Et breviter intelligendum est, quod quandocumque aliquis terminus uni comparatus accipitur sub alia ratione, ut est alteri termino comparatus, si illæ rationes non necessario se includunt, accidens est ; quia in omni bono syllogismo necesse est alteram propositionem esse, ut totum, et alteram ut partem. Et hinc concludo, quod si ratio, sub qua sumitur res subjecta in una propositione, sit extranea rationi, sub qua sumitur in alia respectu prædicati, in tali processu accidens erit.

3. ...d1.princ. Ad primam rationem dico, quod Aristoteles intelligit, quando ratio unius termini est extranea rationi alterius, secundum quod ad aliquod tertium comparatur, sicut dictum est, ut hîc, *Iste canis est tuus* : *iste canis est pater* ; *ergo iste canis est pater tuus.* quia illa duo accidunt tertio. Ratio enim ejus, quod est *tuus*, secundum quod comparatur ei quod est *canis*, extranea est a ratione ejusdem, secundum quod comparatur ei, quod est *pater*.

Ad aliud dico, quod ille processus non valet, quia proceditur a re subjecta ad accidens, quod est ei extraneum. Causa apparentiæ in fallacia Accidentis, est identitas apparens alicujus diversitatis, ita quod fit aliquod unum pro medio, comparatum ad extrema, secundum diversas naturas in ipso existentes, et hîc est apparens identitas, et causa apparentiæ, ipsa tamen diversitas est causa non existentiæ. *Ad 2.*

QUÆSTIO XLVII

Utrum variatio medii sit sufficiens causa non existentiæ in fallacia Accidentis

Videtur quod non. Nam posita causa, de necessitate ponitur effectus ; sed medio variato, non est necesse fieri accidens ; ergo, etc. Probatio assumpti per syllogismos utiles : nam majore existente de necessario, et minore de contingenti, sequitur conclusio de contingenti. Nam sequitur, *Omnis homo de necessitate est animal : contingit ad utrumlibet album esse hominem* ; *ergo contingit album esse animal.* Et similiter sequitur, *Omnis homo de necessitate est animal* ; *album est homo* ; *ergo album est animal*, et tamen medium hîc, ut *homo*, diversa ratione comparatur majori, et minori, quia majori comparatur sub modo necessitatis ; minori autem per notam contingentiæ, vel per verbum de inesse. 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Item, medium respectu majoris habet rationem partis, respectu minoris habet rationem totius. Et ideo diversæ sunt rationes

variantes medium; non ergo causat accidens variatio medii.

Ad oppositum, medium variatum est duo media, vel habet rationem duorum mediorum; sed duo media non uniunt extrema; ergo, etc.

2. Ad quæstionem dicendum, quod cum accidens, quantum ad sui non existentiam, sit immediate obliquitas Syllogismi (nam Aristotelis 1. hujus, cap. 4. dicit, quod peccat definito Syllogismo.) Ad hoc ut videamus naturam accidentis, primo oportet videre quid requiritur ad Syllogismum.

Ad Syllogismum quid requiratur. Circa quod, intelligendum, quod tota necessitas Syllogismi consistit in hoc, quod medium unum sub uniformi ratione acceptum per respectum ad extrema, ipsa extrema conjungit: si ergo ipsa extrema conjungantur inter se, per respectum ad medium, secundum variam rationem accepta, in alio processu erit accidens. Patet hoc in exemplis Philosophi. Dicit enim 2. hujus, cap. 7. quod in isto paralogismo est accidens: *Tu cognoscis omne bonum*; *quod volo interrogare a te est bonum*; *ergo quod volo interrogare cognoscitur a te.* Nam *bonum* sub alia ratione comparatur ad hoc, quod est *cognosci a te*, et ad *interrogare.* Nam tu cognoscis bonum, in eo quod bonum, cui accidit, quod cadat sub *interrogare,* in quantum a te cognoscitur. Et ideo dicit Aristoteles 2. Elench. cap. 7. quod solum in his, quæ secundum substantiam sunt indifferentia, et quæ unum sunt, omnia videntur esse eadem, intelligens per *indifferentiam secundum substantiam* identitatem propriæ rationis alicujus, ut ad duo comparatur. Unde sive medium respectu extremorum accipitur sub varia ratione, sive extremum alterum respectu medii, et alterius extremi, in tali processu erit fallacia Accidentis.

Verumtamen intelligendum est, quod quantumcumque medium fuerit variatum, in ipso tamen erit aliqua identitas partialis, respectu extremorum: aliter enim ibi deficeret apparentia. Si ergo extremum ibi concludatur de extremo, secundum illam identitatem partialem, erit syllogismus bonus. Unde in quolibet paralogismo accidentis potest sequi aliqua conclusio. Nam bene sequitur, *Coriscus cognoscitur a te : Coriscus est veniens*; *ergo illud quod est veniens, cognoscitur a te,*

Unde ad quæstionem dicendum, quod quandocumque medius terminus, vel quilibet alius terminus comparatur uni extremo secundum unam rationem, et alteri secundum aliam, ita quod illæ rationes non includant se invicem, in tali illatione necessario erit accidens. Si autem includant se, bonus erit syllogismus. 3. *Conclusio.*

Ad primam rationem dicendum, quod minor est falsa. Ad probationem, cum dicitur: majore existente de necessario, et minori de contingenti, etc. Dico, quod in tali processu, medium est sufficienter idem extremis, respectu conclusionis de inesse, et de contingenti, quia ibi *homo* uniformiter accipitur in majori, et minori respectu talis conclusionis. *Ad argumenta.*

Ad aliud, cum dicitur, quod medium in majori habet rationem partis, etc. dico quod diversitas rationum non causat accidens, quando illæ rationes includunt se, unde cum identitate medii stat diversitas talium rationum: si enim medium in utraque propositione acciperetur sub ratione partis, vel totius, non haberet vere rationem medii. Unde ibi est fallacia secundum quid, et simpliciter; ac si sic argueretur: Medium stricte sumitur in majori, et ampliatur in minori; ergo variatur, etc.

QUÆSTIO XLVIII

Utrum hic sit fallacia Accidentis, Coriscus cognoscitur a te : Coriscus est veniens; ergo, *etc.*

Videtur quod non. Nam hic est bonus syllogismus, *Omnis ædificator ædificat, album est ædificator*; *ergo album ædificat.* Hic tamen proceditur a re subjecta ad ac- 1. *Argumenta pro parte negativa.*

cidens, talis processus ergo non causat accidens.

Item, sequitur : *Coriscus cognoscitur a te, Coriscus est veniens* ; *ergo id quod est veniens, cognoscitur a te,* et sequitur, *id quod est veniens cognoscitur a te* ; *ergo veniens cognoscitur a te.* Et cum quocumque stat antecedens, et consequens, ergo a primo ad ultimum, sequitur, *ergo veniens cognoscitur a te.*

Item, paralogismus ille non negatur, nisi quia *cognosci* attribuitur *venienti* cum reduplicatione, ut sit sensus : Veniens, inquantum veniens, cognoscitur a te. Sed videtur quod oratio ad hunc intellectum non limitetur, quia oratio non significat se esse veram cum reduplicatione, nec per se.

...lusio. Ad oppositum est Aristoteles 2. Elench. cap. 7.

Ad quæstionem dicendum, quod hîc est fallacia Accidentis : *Coriscus cognoscitur a te*, etc. nam *cognosci* prius attribuitur Corisco sub ratione Corisci. Coriscus autem secundum aliam rationem comparatur ad ly *veniens*, quia secundum quid accidit ei *cognosci*, propter quod non sequitur, *veniens cognoscitur*, etc.

...princ. Ad primum argumentum, cum dicitur, *Omnis ædificator*, etc. Dico, quod in omni tali illatione est accidens, intelligendo, quod *ædificare* concludatur de albo, sub propria ratione albi, quia inest ipsi ædificatori, sub ratione propria ædificatoris. Si tamen intelligitur, quod *ædificare* concludatur de re quæ est alba, quia inest ædificatori cui accidit albedo, sic dici potest quod conclusio sequitur. Et sic patet, quod hæc conclusio, *Id quod est veniens, cognoscitur a te*, sequitur ex præmissis.

Ad secundum dicendum, quod bene sequitur ex præmissis, *Id quod est veniens cognoscitur a te,* sed non sequitur ulterius, *Id quod est veniens cognocitur a te, ergo veniens cognoscitur a te.*

Ad tertium cum dicitur, quod ille syllogismus non negatur, nisi quia *cognosci* attribuitur *venienti* cum reduplicatione, etc. Dico, quod oratio non limitatur ad hunc intellectum : Veniens, inquantum veniens, cognoscitur a te, vel album, inquantum album, ædificat, quia tamen nos non dicimus, quod aliquid, nisi sub propria ratione, vel per suam similitudinem, virtutem cognitivam immutet, ideo nos accipimus hanc propositionem, *Veniens cognoscitur a te,* sub hoc intellectu, veniens, inquantum veniens, cognoscitur a te.

Contra hoc quod dicebatur, quod illa conclusio, *Id quod est veniens cognoscitur a te,* sequitur ex illis præmissis, *Coriscus cognoscitur a te, Coriscus est veniens,* non tamen sequitur illa conclusio, *Veniens cognoscitur a te.* Sic enim conclusio uno modo accepta, sequitur ex præmissis, et alio modo non, cum diversæ acceptiones sint ex parte nostra : ergo ex parte nostra accidens accipitur. *Objectio.* Dico, quod locus Sophisticus ex parte nostra non accipitur, quod enim hæc conclusio, vel illa accipiatur, hoc est ex parte nostra. *Solutio.* Sed quod conclusio accepta sic sequatur ex præmissis, et alio modo accepta non sequatur, hoc non est ex parte nostra, sed ex parte conclusionis.

QUÆSTIO XLIX

Utrum Paralogismus Accidentis possit fieri negative sicut affirmative

Videtur quod non. Nam Aristoteles in 1. lib. tradit regulam quomodo debemus cognoscere, ubi est accidens, et ubi non. Dicens, *Accidens fit quando aliquid similiter attribuitur rei subjectæ, et accidenti inesse.* Accidens ergo non fit quando aliquid attribuitur alicui non inesse : negative ergo non potest fieri paralogismus accidentis. 1. *Argumenta pro parte negativa*

Item, Aristoteles nec in 1. lib. nec in 2. Elenchorum ponit aliquem paralogismum negativum : signum ergo est quod solum fiat affirmative.

Ad oppositum. Ex eisdem terminis contingit fieri paralogismum æquivocationis negative, et affirmative, et sic de aliis locis Sophisticis. Videtur ergo, quod similiter

sit in accidente. Confirmatur ratio, quia affirmatio, et negatio non diversificant illationem formæ syllogisticæ : nam si processus affirmativus sit syllogisticus, et negativus ; ergo eadem ratione similiter erit in defectibus, quod si processus affirmativus deficiat, et negativus deficiet.

2. Conclusio. Ad quæstionem dicendum, quod paralogismus accidentis, potest fieri negative, sicut affirmative. Hoc patet, si consideremus regulam per quam noscere debemus accidens, quæ est, Quando accipitur aliquis terminus in processu aliquo, includens in se diversas naturas, et rationes, et semel in illo processu accipitur pro una illarum rationum, et alia vice in eodem processu pro alia : si illæ rationes non includunt se prout ad tertium comparantur, in tali processu erit accidens. Sed terminum sic variari contingit in processu negativo, et affirmativo. Et ex hoc sequitur, quod accidens potest fieri in prima, secunda, et tertia figura. Et hoc est, quod dicit Aristoteles 2. Elenchorum cap. 10. quod cum una est oratio, transposita contradictione, omnes similiter habebit syllogismos. Unde, si defectus sit in affirmativo, de necessitate erit, et in negativo processu ; ut si sic arguatur : *Nulla species currit, homo est species* ; *ergo nullus homo currit.* Ponatur quod omnis homo currit, præmissæ sunt veræ, et conclusio falsa per casum. Ergo hic de necessitate erit aliquis defectus, sed non alius quam accidens. Nam cum sic dicitur, *Homo est species*, accipitur *homo* prout subjacet intentioni, in conclusione vero pro re ipsa, quia nunquam utimur termino pro intentione, nisi quando res subjacet intentioni, taliter enim hæc est falsa, *Homo est substantia*, quia intentio substantia non est. Et similiter hic non esset accidens, *Homo est species, Socrates est homo* ; *ergo*, etc, quia *homo* uniformiter posset accipi in majori et minori. Propter hoc dicitur, quod accidens potest fieri negative.

3. Ad princ. Ad primum argumentum dicendum, quod processus affirmativus manifestior est, et potior quam negativus, unde processus negativus indiget affirmativo, per Aristotelem primo Poster. Similiter est in defectibus, quia defectus manifestior est in processu affirmativo, quam negativo. Et ideo Aristoteles suam regulam dedit in affirmativo.

Ad secundum dicendum, quod licet Aristoteles non posuerit exempla in processu negativo, hoc tamen non concludit, quin accidens possit fieri negative, quia Aristoteles posuit exempla, ubi defectus est manifestior. Et hoc est in processu affirmativo magis, quam in negativo. *Ad 2.*

Præterea ipse 2. hujus, cap. 3. ponit exempla quæ ad affirmationem, et negationem reduci possunt. Ponit enim tale exemplum, *Coriscus est alter a Socrate*, etc. et in ly *alter* includitur quædam negatio.

Vel potest dici ad primum argumentum, cum dicitur, quod accidens fit quando aliquid assignatum fuerit rei subjectæ, et accidenti similiter in esse, quod hæc propositio se extendit ad affirmationem et negationem, ita ut iste sit sensus propositionis. Accidens fit, quando aliquid assignatum fuerit rei subjectæ, et accidenti similiter inesse affirmative, vel negative. Nam Aristoteles 1. Priorum, dividens omnem propositionem, dicit, quod omnis propositio, aut est de inesse, aut de necessario inesse, aut de contingenti inesse. Et secundum quamlibet combinationem propositio de inesse potest esse affirmativa, et negativa.

Secundum autem quod simpliciter dicitur hoc, aut quo, et non proprie quando particulariter dicitur, etc. Primo hujus, cap. 2.

QUÆSTIO L

Utrum sit fallacia extra dictionem

Videtur quod non. Nam per Aristotelem in primo hujus, in illo cap. *Aut igitur dividentes.* Loci in dictione simpliciter peccant contra contradictionem : loci autem extra dictionem contra syllogismum. Sed secun- 1. *Argumenta pro te negativa.*

dum quid, et simpliciter specialiter peccat contra contradictionem. Quia dicit Aristoteles in 2. hujus, quod paralogismi qui fiunt secundum quid, et simpliciter, solvendi sunt considerando conclusionem ad contradictionem ; ergo, etc.

Item, ille locus est in dictione, qui accipit principium apparentiæ a parte vocis ; quia loci extra dictionem accipiunt causam apparentiæ a parte rei. Sed fallacia secundum quid, et simpliciter accipit suam apparentiam a parte vocis, ut hîc : *Est homo mortuus* ; *ergo homo*. Si tamen loco totius aggregati, *homo mortuus*, poneretur cadaver, sic dicendo : *Cadaver* ; *ergo homo*, hîc non est secundum quid, et simpliciter, cum deficiat apparentia ; ergo, etc.

Oppositum dicit Aristoteles 1. Elench. cap. 3. ponêndo septem locos extra dictionem.

2. nclusio. Ad quæstionem dicendum, quod fallacia secundum quid, et simpliciter, est locus extra dictionem. Nam causæ apparentiæ distinguunt locos Sophisticos. Sed causa apparentiæ in secundum quid, et simpliciter, est convenientia alicujus dicti secundum quid ad idem dictum simpliciter. Cum ergo ex parte rei accipiatur causa apparentiæ, sequitur quod sit locus extra dictionem.

ota. Verumtamen intelligendum est, quod convenientia vocis ad vocem alicujus dicti secundum quid, ad idem dictum simpliciter, cooperatur ad istam deceptionem. Nec tamen est per se causa apparentiæ in secundum quid, et simpliciter. Sed e converso est in fallacia figuræ dictionis : nam ibi identitas rei inter suppositum, et suum commune cooperatur ad deceptionem in tertio modo figuræ dictionis. Et tamen similitudo vocis ad vocem est per se causa apparentiæ figuræ dictionis. E converso est ex parte ista. Nam e convenientia rei dictæ secundum quid, ad idem dictum simpliciter, est causa apparentiæ per se in secundum quid, et simpliciter, tamen convenientia in voce ad istam deceptionem cooperatur.

3. d1. princ. Ad primum argumentum dico, quod minor est falsa. Unde dico, quod secundum quid, et simpliciter, per se peccat contra illationem : et non per se contra contradictionem. Ex apparenti enim contradictione, quæ accipitur in præmissis, infertur vera contradictio in conclusione, propter realem convenientiam inter secundum quid, et simpliciter. Hoc patet si sic arguatur : *Æthiops est niger : et non est niger in dentibus* ; *ergo est niger, et non niger*. Propter enim convenientiam nigri in dentibus, ad nigrum simpliciter, ex negatione nigri in dentibus ab Æthiope, concluditur negatio nigri simpliciter ab eodem : unde per se peccat contra illationem, vel syllogismum, et non contra contradictionem, quia nulla propositio est ibi multiplex, sicut in locis in dictione.

Ad secundum dico, quod minor est falsa. Ad probationem ejus dico, quod convenientia in voce, est de bene esse istius fallaciæ, et non de esse simpliciter. Et si sit de esse, non tamen est sicut causa prima apparentiæ. Sed convenientia in voce facit, quod paralogismus secundum quid, et simpliciter appareat syllogismus. Nam sic diceretur, *Hoc non est homo, et est cadaver*; *ergo est homo, et non est homo*, hîc nulla est apparentia syllogismi. Si tamen diceretur sic, *Hoc non est homo, et est homo mortuus* ; *ergo est homo, et non est homo*, hîc est apparentia syllogismi. Unde convenientia in voce, facit quod paralogismus secundum quid, et simpliciter, appareat syllogismus. Ejus tamen causa apparentiæ per se a parte rei accipitur. 4. Ad 2.

QUÆSTIO LI

Utrum ab aliquo sumpto cum determinatione diminuente, ad ipsum sumptum simpliciter, têneat consequentia

De fallacia a secundum quid ad simpliciter, vide interpretes *cap.* 4 *cit. hujus*. Item D. Thom. *Opusc. cit. de fallac. c.* 21 *et* 22. Joan. de Mag. *in primum Elench. quæst.* 3. *dub.* 2 Tartar. *ibid. com. cap.* 2. Conimbr. et Complut. *supra*.

Hoc êst quærere, utrum hæc consequentia teneat: *Est homo mortuus* ; *ergo homo*. Et videtur quod sit bona, nam quod intel- 1. *Argumenta pro parte affirmativa.*

ligitur in aliquo, sequitur ad ipsum : sed homo intelligitur in hoc, *Homo mortuus*, nam hîc est oppositum in adjecto, *Homo mortuus*. Quod patet, si definitiones pro nominibus ponantur. Nam *homo* est habens vitam : et *mortuus* privatum vita. Intellectus ergo hominis, ut opponitur mortuo, intelligitur in hoc antecedente, *Homo mortuus*, ergo sequitur ad ipsum.

Item, non obstante oppositione mortui ad hominem, sequitur, *Homo mortuus*; *ergo mortuum*. Cum ergo homo opponatur mortuo, sicut e converso, sequitur, *Homo mortuus*; *ergo homo*.

Item, significatum dictionis post ejus impositionem est sibi essentiale : sed *homo* significat veram naturam humanam ; hoc ergo est sibi essentiale. Sed poni in oratione cum aliquo est sibi accidentale. Cum ergo accidentale non permutet essentiale : sequitur, *homo mortuus* ; *ergo homo*.

Oppositum vult Aristoteles 1. hujus, cap. 3.

2. *Conclusio* Ad quæstionem dicendum, quod ab aliquo sumpto cum determinatione importante naturam oppositam, ad idem sumptum sub propria ratione, non valet consequentia. Hoc manifestat Boetius supra librum Perihermenias; ubi dicit, quod non sequitur, *Homerus poeta est*; *ergo homerus est*, quia primo *esse* attribuitur Homero sub ratione poesis, et in consequente sub propria ratione, ideo non sequitur : similiter est hîc, *Homo mortuus*; *ergo homo*.

3. Dubium tamen est, utrum in isto antecedente, *Homo mortuus*, ponatur vera natura hominis, sub determinatione tamen sibi repugnante. An hoc totum, *Homo mortuus*, dicat quemdam intellectum oppositum homini; sed quocumque modo dicatur, dici potest, quod consequentia non valet.

Si primo modo, tunc certum est, cum *homo* in antecedente accipiatur cum determinatione sibi repugnante, quod ad idem sumptum sub propria ratione, non tenet consequentia. Si secundo modo dicatur, tunc manifestus est defectus, apparentia tamen est, quia illud cujus intellectus constituitur per hoc quod dico, *Homo mortuus*, assimilatur homini in dimensionibus, et figurationibus. Secundum tamen aliquos, primus modus magis competit eis, quæ dicuntur secundum hanc fallaciam. Nam hæc fallacia fit, quando ab aliquo sumpto secundum quid, ad idem sumptum simpliciter proceditur.

Contra hoc potest argui, nam sequitur, *Homo albus currit*; *ergo homo currit*. Hîc tamen attribuitur prædicatum ipsi subjecto sub ratione albi. Sed esse album, est secundum quid esse, respectu hominis. *Objectio.* Dicendum est, quod sequitur, *Homo albus currit*; *ergo homo currit*. Sed tamen non sequitur sub ratione qua hoc est secundum quid, et illud simpliciter. Sed quia esse albi, simpliciter præsupponit esse hominis, ideo sequitur. *Solutio.*

4. *Ad argumenta.* Ad primum argumentum dicendum, quod inter istas partes, *Homo mortuus*, ut respectu tertii accipiuntur, non est oppositum in adjecto, sed inter istas partes divisim acceptas. Vel inter totum aggregatum, et alteram partem, non est oppositum in adjecto, sed inter partes totius aggregati, sicut ostendit Boetius, ubi supra. Dicit enim quod qui dicit manum marmoream non esse manum, verum dicit, quia manus habet potestatem dandi, et recipiendi : sed manus marmorea non. Similiter oppositionem, quæ est inter partes, manifestat ibidem, dicens, quod homo importat vitam habens, sed mortuum importat privatum vita.

Objectio. Sed si arguas, quia oppositio inter partes non impedit consequentiam, eo quod a parte ad partem non proceditur, sed a toto ad partem ; *Solutio.* dicendum, quod hoc non obstante, oppositio inter partes impedit consequentiam, quia cum aliqua determinatio importat naturam oppositam suo determinabili, tunc ex adjunctione determinationis cum determinabili, resultat quidam intellectus, qui est secundum quid, respectu illius determinabilis. Unde intellec-

tus determinabilis secundum quid ponitur; propter quod procedere a tali aggregato,ad talem partem,facit secundum quid, et simpliciter.

5. *Ad 2. princ.* Ad secundum dicendum, quod sequitur, *Homo mortuus*; *ergo mortuum*; quia *homo* accipitur in antecedente sub ratione mortui, et ideo sequitur, *Homo mortuus*; *ergo mortuum*. Sed quia *homo* sub propria ratione non ponitur in antecedente, ideo non sequitur, *Homo mortuus*; *ergo homo*.

Ad 3. Ad tertium cum dicitur, significatum dictionis est essentiale. Dicendum, quod *homo* in hoc aggregato, ponit naturam hominis, sed tamen sub ratione mortui, et ideo non sequitur. Tamen tenendo, quod *homo* ponit naturam propriam, quæ est esse vivum, et mortuum similiter suum significatum ponat, quod est esse privatum vita; tunc potest dici, quod in hoc antecedente, *Homo mortuus* includuntur duo opposita. Et tunc forte potest dici, quod utrumque sequitur. Si tamen per hoc quod dicitur, *Homo mortuus*, intelligitur corpus privatum vita, quod quidem corpus simile est corpori vivo in lineationibus, et dimensionibus, tunc posset dici, quod consequentia non valet, et tunc posset dici ad argumentum, quod inter ly *homo*, et ly *Homo mortuus*, est oppositio in adjecto.

QUÆSTIO LII

Utrum terminus communis, possit supponere pro tota propositione cujus est pars

1. *Argumenta pro parte negativa.* Quod non ostenditur, quia in propositione universali affirmativa, prædicatum denotatur convenire omni contento sub subjecto: si ergo alicui denotetur non convenire, illud sub subjecto non continetur. Sed qui dicit,omnem propositionem esse veram, vel omnia esse vera,non dicit suum dictum esse verum,per Aristotelem 4.Metaph. cont. 29. *Accidit itaque ex eo quod aliquid affirmatum est de omnibus talibus orationibus ipsas seipsas destruere. Nam qui omnia vera dicit,orationis suæ contrariam facit veram, quare suam non veram*: *contraria autem non dicit ipsam esse veram*; *qui vero et omnia falsa, et ipse seipsum*, etc. Sed si terminus supponeret pro tota propositione, cujus est pars: sequeretur, quod dicens omnia esse vera, diceret suam propositionem esse veram; ergo, etc.

Item, 4. Metaph. cap. 10. qui negat omnem loquelam, ponit loquelam, et non nisi eam, quam profert. Sed si loquela supponeret pro illa loquela, cujus est pars: sequeretur, quod qui diceret omnem loquelam esse falsam, diceret suam loquelam esse falsam.

Item, impossibile est idem esse totum universale, et partem integralem respectu ejusdem. Sed si pars supponeret pro toto, hoc sequetur: nam sic dicto, *Omnis propositio est vera*, propositio est pars integralis hujus totius, et prout de ista propositione prædicatur, est idem isti propositioni: sicut homo, ut dicitur de Socrate, est idem Socrati; ergo, etc.

Præterea sic dicto, *Omnis propositio est vera*: si ly *propositio* supponeret pro ista propositione, cujus est pars: sequitur, quod idem esset totum integrale, et pars integralis respectu ejusdem. Vel potest ratio aliter deduci sic: Intellectus resultat ex partialibus intellectibus partium; sed sic dicto, *Intellectus propositionis est intellectus*: intellectus hujus quod dico *propositio*, est intellectus partialis totius, et si pro toto supponeret, intellectus ejus adæquaretur toti. Sed hoc est contra communem acceptionem, quæ est, quod omne totum est majus sua parte?

Item, illud extra cujus intellectum est pars integralis, non constituit intellectum totius aggregati ex illo, et alio. Sed si dicatur, *propositio est vera*, extra intellectum hujus termini, *propositio*, est hoc, *esse veram*: ergo hoc quod dico *propositio*, ut est pars hujus, huic toti non adæquatur. Sed si supponeret pro ea, toti adæquaretur.

2. *Argumenta pro parte affirmativa.* Ad oppositum est Aristoteles in fine quarti Metaph. cont. 29. dicens, *Qui dicit omnia esse falsa, dicit suum dictum esse falsum : sed hoc non staret, nisi pars*, etc. Dici posset, quod Aristoteles non arguit ibi de virtute sermonis, sed solum secundum opinionem aliorum, qui dicebant omnia esse falsa. Sed illud non videtur verum, nam Aristoteles per illam propositionem arguit contra eos, et de virtute sermonis, quia si ipsi concederent dictum suum esse falsum, contra eos non argueret.

Item, hoc patet per naturam *dici de omni*, nam sequitur, *Omnis propositio est falsa, hæc propositio prolata est propositio; ergo hæc propositio est falsa.*

Item, istæ contradicunt, *Omnis propositio est vera, non omnis propositio est vera :* tunc quæro, utrum in ista propositione, *Omnis propositio est vera*, supponat ly *propositio*, pro hac propositione, vel non. Si sic, habetur propositum. Si non supponit pro hac, sed pro omni alia ab hac, tunc supponit pro sua contradictoria, quæ est illa, *Non omnis propositio est vera.* Cum ergo in contradictoriis termini supponant pro eisdem, in ista, non omnis propositio est vera, supponit terminus pro ea.

Item, terminus supponit pro eo, quod naturam ejus participat, si non contrahitur: cum ergo hæc propositio cujus ly *propositio*, est pars, non minus participet naturam propositionis, quam quælibet alia, sequitur, quod pro illa supponere potest, sicut pro qualibet alia; ergo, etc.

3. *Nota.* Pro solutione istius quæstionis est primum intelligendum, quod terminum pro alio supponere, nihil aliud est, quam intellectum suum pro alio ponere, in quo tamen salvatur, ut in parte subjecta.

Ulterius intelligendum est, quod quidam sunt termini, qui significant naturas determinatas, non tamen sunt de complexis dicibiles, ut *homo* de Socrate, et Platone, et *animal* de homine, et bove, et hujusmodi. Alii sunt termini, qui significant complexa, sed tamen non modo complexo, sed per modum simplicis apprehensionis, quia sunt objecta intellectus simplicis, cujusmodi sunt *Enunciatio, propositio, loquela*, et multa alia. Alii autem sunt termini, qui significant res dicibiles de complexis, et incomplexis, cujusmodi sunt *ens*, et *unum* et *quantum*, etc. De terminis autem primis non habet quæstio locum, sed solum de secundo genere, et tertio terminorum. In illis enim idem potest esse pars integralis, et totum universale : nam hæc est vera, *Omne totum est majus sua parte*, quæ est quoddam totum. Et similiter hîc, *Omnis oratio vera est oratio*, et sic de aliis.

Tertio intelligendum est, quod licet in rebus naturæ, vel in terminis significantibus res naturæ, nihil unum et idem possit esse pars integralis, et totum universale, nisi æquivoce, sicut corpus est pars animalis et genus æquivoce, quia alia est ratio totius, et partis. Et etiam alia res est totum et pars; tamen in ratione, ut in terminis propositis nihil prohibet unum et idem esse totum universale, et totum integrale, et etiam pars integralis. Intellectus enim potest apprehendere aliquod complexum, et sibi nomen imponere dicibile univoce de quolibet alio complexo. Et cum eodem termino non mutato secundum significationem, nec secundum modum significandi, potest aliquod aliud componere. Et terminus communis si non contrahatur, potest supponere indifferenter pro eo, quod ejus naturam participat, vel formam significatam per terminum. Et cum hæc propositio cujus est pars, non minus participet formam significatam per terminum, quam quælibet alia propositio, sequitur, quod pro hac potest supponere, sicut pro qualibet alia.

Unde propositio tripliciter potest considerari. *Propositio tripliciter potest considerari.* Uno modo inquantum est prædicabile de hac propositione, et illa ; et sic est totum universale. Alio modo prout constituit orationem cum prædicato, et sic est pars integralis totius propositionis. Tertio modo prout verificatur de hac propositione, et hoc est totum integrale, sicut et hæc propositio. Unde si dicatur *propositio est*,

ly *propositio* inquantum prædicatur de hac est totum universale respectu istius propositionis inquantum tamen cum hoc, quod dico *est*, constituit orationem, et est pars ejus integralis ; inquantum autem pro hac eadem verificatur, est totum integrale.

4. *Conclusio.* Unde ad quæstionem dicendum, quod pars, inquantum pars, pro tota propositione supponere non potest. Et si hoc imaginatum esset, idem esset imaginari, ut parietem supponere pro tota domo ; sed tamen illud quod est pars, non variatum secundum significatum, nec secundum modum significandi, potest respectu ejusdem habere rationem totius universalis. Unde sic dicto, *Omnis propositio est vera*, si ly *propositio* supponit pro hac propositione prolata, cum formam propositionis participet, sicut et pro qualibet alia. Unde propositio licet varietur, quod quædam est universalis, quædam particularis, et hoc ab universalitate, et particularitate subjecti : quælibet tamen propositio est singularis in genere propositionis, etc.

5. *Ad argumenta.* Ad primum argumentum dicendum, quod qui dicit omnem propositionem esse veram, dicit illam propositionem, quam profert esse veram, et non esse veram : sed alia habitudine, et alia. Nam per virtutem *dici de omni*, dicit suam esse veram : sicut et omnem aliam. Sed per naturam primi principii, dicit suam non esse veram : nam sequitur, *Omnis propositio est vera ; ergo contradictoria istius propositionis est vera* ; et sequitur per naturam primi principii, *Contradictoria istius propositionis est vera ; ergo hæc non est vera.* Unde hoc sequitur per discursum rationis, et non per *dici de omni*, etc.

Ad secundum dicendum, quod qui interimit omnem loquelam virtute *dici de omni*, negat suam loquelam, sed quia non potest negare loquelam, nisi per loquelam, ideo per actum exercitum ponit loquelam, virtute tamen *dici de omni* negat suam, sicut et aliam.

Ad tertium dicendum, quod licet impossibile sit in rebus naturæ, unum, et idem esse totum universale, et partem integralem respectu ejusdem, in rebus tamen rationis non est hoc inconveniens. Multa enim sunt impossibilia in re, quæ non sunt impossibilia in ratione. Sicut procedere in infinitum in rebus est impossibile, sed in ratione non est inconveniens.

Ad quartum dicendum, quod in rebus rationis idem potest esse totum integrale ; et pars integralis respectu ejusdem, sub alia consideratione, et alia.

Ad confirmationem dico, quod in rebus naturæ, omne totum est majus sua parte. Et illud quod est pars sub una consideratione, non potest respectu ejusdem habere rationem totius. Similiter in ratione, pars inquantum pars minor est suo toto, sed tamen illud, quod est pars sub una consideratione, potest respectu ejusdem sub alia consideratione habere rationem totius, ipso non variato, sed tota variatione cadente circa intellectum : quod autem non sit eadem vox, non mirum, quia eadem vox non prædicatur de hac, vel illa.

Ad ultimum dicendum, quod major sic habet intelligi, illud extra cujus intellectum est aliquid, ipsum sic acceptum non constituit intellectum totius aggregati ex illo, et alio. Sed ipsum consideratum sub alia ratione bene potest, sic est in proposito. Si enim dicatur, *propositio est vera*, ly *propositio*, si consideratur solummodo inquantum est pars hujus totius, *propositio est vera*, sic non constituit intellectum hujus totius. Si tamen consideretur inquantum prædicabile est de hac propositione, sic potest constituere intellectum totius.

QUÆSTIO LIII

Utrum incipiens sic loqui, Ego dico falsum, *sit simpliciter verus in dicendo*

Vide Ock. *cap.* 45. *de Insolubilib.* Albertum de Saxon. *Tract.* 3. *de Insolubilibus.* Hurtado *disp.* 4. *sum. sect.* 7.

Arguitur quod sic : sequitur enim, *Ego dico falsum ; ergo verum est me dicere fal-* *Argumenta pro parte*

te affirmativa. *sum*, et sequitur, *Verum est me dicere falsum*; *ergo dico verum*; ergo a primo ad ultimum sequitur; *Ego dico falsum*; *ergo dico verum*. Probatio primæ consequentiæ. Nam bene sequitur, *Ego dico hominem esse asinum*; *ergo verum est me dicere hominem esse asinum*; ergo sequitur consimiliter, *Dico falsum*; *ergo verum est me dicere falsum*. Probatio secundæ consequentiæ, nam qui dicit sicut est, dicit verum, sed qui dicit se dicere falsum, cum dicit hoc falsum, ego dico falsum, ipse dicit sicut est; qui ergo dicit se dicere falsum, dicit verum.

Item, sic incipiens loqui, aut dicit verum, aut falsum : si verum, est in dicendo simpliciter verus, quia dicens denominatur a qualitate sui dicti : si dicit falsum; ergo falsum est ipsum dicere falsum, cum ergo non dicat falsum, et dicit aliquale; ergo dicit verum.

Ad oppositum. Dicens denominatur a qualitate sui dicti, sed hæc oratio est falsa, *Ego dico falsum*, quam dicit incipiens sic loqui, cum nihil prius dixit, etc.

2. Conclusio. Ad quæstionem dicendum, quod sic incipiens loqui, *Ego dico falsum*, est simpliciter falsus in dicendo, verus tamen secundum quid. Difficile tamen est hoc videre in quibusdam, ut innuit Aristoteles in littera. Nam propter convenientiam in re inter dictum secundum quid, et simpliciter, quandoque nescimus distinguere inter falsum secundum quid, et simpliciter. Tamen dico, quod circa hoc enunciabile, *Ego dico falsum*, est veritas, et falsitas, sed veritas secundum quid, et falsitas simpliciter.

Quod autem circa ipsum sit falsitas simpliciter, hoc patet per hoc, quod oratio dicitur simpliciter falsa, quia est signum falsi, quoniam sic incipiens loqui, nihil dicit, quod sit falsum. Si enim diceret hominem esse asinum, vel aliquid hujusmodi, hæc esset vera.

Quod autem sic incipiens loqui sit verus secundum quid, diversimode ponitur a diversis. Quidam enim ponunt, quod est verus secundum quid, quia circa aliquam orationem falsam exercetur vere actus dicendi. Dicitur aliter, quod sic dicens est verus secundum quid, quia actu exercito, per propositionem intelligitur sicut est in re. Sed quia ab actu exercito non dicitur oratio simpliciter vera, vel falsa, ideo talis oratio dicitur secundum quid vera. Actu enim exercito intelligitur, quod ipse exercet actum dicendi circa falsum, et illud in re est verum.

Ad primum argumentum dicendum, cum dicitur, *Ego dico falsum*; *ergo verum est me dicere falsum*; dico, quod consequentia non valet formaliter. Sicut non sequitur, *Homo est animal, ergo verum est dicere hominem esse animal*, et tamen in actu exercito in antecedente includitur consequens. Ulterius posito quod sequatur, licet non formaliter, dico, quod non sequitur alterum, *Dico me dicere falsum*; *ergo sum verus in dicendo simpliciter*, sed est secundum quid, et simpliciter. Sicut hîc, *Iste bene jurat adimplendo juramentum, ergo bene jurat*. Similiter sic dicendo, *Homo est asinus*, verum est ipsum dicere falsum, et tamen non sequitur, quod ipse dicat verum. Verumtamen in quibusdam sequitur, *Verum est me dicere*; *ergo simpliciter sum verus*. Sicut hîc, *Verum est me dicere hominem esse animal*: *ergo sum simpliciter verus*, et hoc est in illis, in quibus est veritas in actu signato, et in actu exercito, sed in proposito falsitas est in actu signato, et veritas in actu exercito. Unde sequitur, *Verum est me exercere actum dicendi circa falsum*; *ergo illud circa quod exerceo, est falsum*. 3. Ad 1. principale.

Ad aliud, cum dicitur, sic incipiens loqui, *Ego dico falsum*, aut dicit verum, aut falsum. Dico quod dicit propositionem, quæ est falsa. Et ulterius cum dicitur, ergo falsum est ipsum dicere falsum; dico, quod non sequitur, sed magis sequitur; ergo verum est ipsum dicere falsum. Et ex hoc non sequitur, quod dicat verum; sed magis, quod dicat falsum. Ad 2.

QUÆSTIO LIV

Utrum scutum, cujus una medietas est alba, et alia nigra, debeat dici album, vel nigrum

Joan. de Mag. *hîc quæst.* 3. *dub.* 1.

1. *Argumenta pro parte affirmativa.* Quod alterum, probatio. Nam 4. Topicor. cap. 2. quod est in genere, est in aliqua ejus specie, cum genus nihil aliud sit realiter quam suæ species, sed tale scutum potest dici coloratum, sed non est coloratum aliquo medio colore; ergo vel dicetur album, vel nigrum.

Item, quod inest parti alicujus totius, denominat totum. Nam homo dicitur crispus, cum tamen crispitudo sit solum in capite; ergo multo fortius quod inest medietati alicujus, totum denominabit.

Item, Aristoteles dicit in 5. Physic. contex. 7. quod homo sanatur, quia thorax ejus sanatur. Ergo eadem ratione scutum potest dici album; quia ejus media pars est alba.

Ad oppositum, qua ratione hujusmodi corpus diceretur album, eadem ratione diceretur nigrum. Et sic idem simul, et semel a duobus contrariis denominaretur.

2. *Conclusio Doctoris.* Ad quæstionem dicendum, quod tale corpus de necessitate altero istorum quatuor modorum se habebit; vel enim dicetur album, et nigrum, vel neque album, neque nigrum; vel secundum quid nigrum, et simpliciter album; vel secundum quid album, et secundum quid nigrum. Primum est impossibile, quia tunc contraria simul eidem inessent. Nec secundum, quia ponitur quod una ejus medietas sit alba, et nigra. Nec tertio modo, quia non est major ratio, quare tale corpus dicatur simpliciter album, et secundum quid nigrum, quam e converso; ergo oportet, quod dicatur secundum quid album, et secundum quid nigrum.

3. *Ad 1. princ.* Ad primum argumentum cum dicitur: Illud quod est in genere, est in aliqua ejus specie, dico, quod illud quod est in genere, sicut homo in animali, de necessitate est in aliqua ejus specie. Sed tamen illud quod denominatur ab aliquo genere, non oportet quod simpliciter ab aliqua ejus specie denominetur, sed secundum quid ab una, et secundum quid ab alia.

Ad aliud dicendum, quod quædam sunt accidentia, quæ determinant partes in toto, sicut crispitudo in homine determinat sibi caput, et quod inest isto modo parti, potest totum denominare. Sed quædam accidentia non determinant sibi aliquam partem in toto, et quando tale accidens inest parti, non oportet quod denominet totum, et talia accidentia sunt album, et nigrum. *Ad 2.*

Sed si dicatur, quod sive accidentia determinent partem in toto, sive non, semper videtur quod processus a parte ad totum, vel a denominatione quæ fit a parte, ad denominationem totius, causet secundum quid, et simpliciter. Unde hîc videtur esse fallacia secundum quid, et simpliciter: *Est crispus secundum caput*; *ergo est crispus*, quia denominatio secundum partem est secundum quid, respectu denominationis totius. *Objectio.*

Dicendum quod hîc non est secundum quid, et simpliciter, *Est crispus secundum caput*: *ergo est crispus*. Nam ratio secundum quam prædicatum attribuitur subjecto in antecedente, non est secundum quid, respectu rationis, qua prædicatum attribuitur subjecto in consequente. Unde non secundum plus fit determinatio, dicendo, *Homo est crispus*, quam dicendo, *Homo est crispus* secundum caput, et hoc est ex natura speciali ejus, quod dico *crispus*. *Solutio.*

Ad tertium dicendum, quod ratio accipit falsum. Nam si homo posset dici sanus, quia sanatur secundum thoracem, eadem ratione posset dici infirmus, si infirmaretur secundum caput, vel secundum oculum. Et tunc unus, et idem posset dici sanus, et æger. Sed Aristoteles 5. Physic. contex. 1. intendit ibi, quod aliquid potest inesse parti alicujus totius; et aliquid potest inesse alicui toti primo; et aliquid *Ad 3.*

potest inesse alicui per accidens. Unde non intendit, quod ista habitudo sit bona simpliciter : *Pectus sanatur* ; *ergo homo sanatur.*

Quod autem secundum quod non determinatur quid syllogismus, aut quid Elenchus secundum diminutionem fuerit rationis. Nam Elenchus est contradictio ejusdem et unius, non nominis, sed rei ; et nominis non synonymi, sed ejusdem his quæ data sunt ex necessitate, non connumerato, quod erat in principio secundum idem, et ad idem, et similiter, et in eodem tempore. Cap. 3. primi hujus.

QUÆSTIO LV

Utrum ignorantia Elenchi sit locus distinctus ab aliis

De fallacia ignorantiæ Elenchi vide Interpretes *cap.* 4. *hujus* D. Thom. *Opusc. supracit. cap.* 23. *et* 24. Fonsec. Conimbr. *etc.* Occam *supra cap.* 14. Alb. *cap.* 10.

1. *Argumenta pro parte negativa.* Videtur quod non. Nam unusquisque locus Sophisticus, sicut habet sua principia propria, sic habet suam solutionem propriam. Sed ignorantia Elenchi, et secundum quid, et simpliciter, habent unam solutionem ; ergo non sunt fallaciæ distinctæ. Minor patet per Aristotelem qui dicit : Qui fiunt secundum quid, et simpliciter, et secundum diminutionem rationis, solvendi sunt considerando conclusionem ad contradictionem.

Item, quod non distinguatur a secundum quid, et simpliciter, probo : nam sicut in secundum quid, et simpliciter proceditur a quo ad simpliciter, sic in ignorantia Elenchi proceditur a quo ad simpliciter. Sicut enim hîc proceditur, *Est albus secundum dentes* ; *ergo est albus.* Similiter hic, *Hoc est duplum ad hoc secundum longitudinem, et non est duplum ad hoc secundum latitudinem* ; *ergo est duplum et non duplum*, in primo est secundum quid, et simpliciter ; in secundo est ignorantia Elenchi. Unde in modo arguendi non videtur differre.

Item, illud in quod aliquid reducitur, ab eo non distinguitur, inquantum in illud reducitur : sed omnes loci Sophistici reducuntur in ignorantiam Elenchi ; ergo ab illis non distinguitur ignorantia Elenchi.

Ad oppositum est Aristoteles, qui numerat hunc locum inter locos extra dictionem. Et nisi ab aliis distingueretur, non essent septem loci extra dictionem.

Ad quæstionem dicendum, quod ignorantia Elenchi numeratur inter alios locos Sophisticos extra dictionem, et ab aliis distinguitur. Nam loci Sophistici distinguuntur secundum suas causas apparentiæ, sed causa apparentiæ in ignorantia Elenchi, est apparens identitas apparentis contradictionis ad veram contradictionem. 2. *Conclusio.*

Circa hoc notandum, quod eadem est definitio Syllogismi, et Elenchi, nisi quod oportet addere contradictionem. Ex quo sequitur, quod quædam sunt conditiones speciales ipsius Elenchi et quædam communes. Unde licet omnes aliæ fallaciæ peccent contra Elenchum, et in hoc quælibet possit dici ignorantia Elenchi, tamen ista fallacia specialiter peccat contra proprietates, quas Elenchus addit supra Syllogismum, quæ sunt quatuor, scilicet *ad idem, secundum idem, similiter*, et *in eodem tempore.* Et quia sic peccat contra conditiones proprias ipsius Elenchi, ideo secundum quamdam excellentiam vocatur ignorantia Elenchi. Et ex hoc sequitur ulterius, quod quatuor sunt modi hujus fallaciæ, qui accipiuntur secundum istas quatuor proprietates, scilicet *ad idem, secundum idem, similiter*, et *in eodem tempore.* 3. *Nota.* *Quatuor modi fallaciæ Elenchi.*

Ad primum argumentum dicendum, quod illa consequentia non valet. Eadem est ars solvendi paralogismos secundum quid, et simpliciter, et secundum ignorantiam Elenchi ; ergo ignorantia Elenchi, et secundum quid, et simpliciter sunt idem locus Sophisticus. Nam solutio est manifestatio defectus. Et nihil prohibet eosdem 4. *Ad I. prin*

defectus diversis causis apparentiæ posse tegi.

Aliter ad primum. Vel potest dici, quod licet ignorantia Elenchi, et secundum quid, et simpliciter habeant eamdem solutionem communem, non tamen specialem. Nam in secundum quid, et simpliciter, apparentia est identitas dicti secundum quid, ad dictum simpliciter, et causa non existentiæ est diversitas eorumdem. Unde solutio specialis in secundum quid, et simpliciter, est manifestatio varietatis inter dictum secundum quid, et simpliciter. Sed apparentia in ignorantia Elenchi est identitas contradictionis apparentis, ad veram contradictionem. Et solutio specialis est manifestatio diversitatis inter ea. Et ideo non sequitur cum ignorantia Elenchi, et secundum quid, et simpliciter habeant diversas solutiones speciales, quod sint idem locus.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod licet in eodem paralogismo possit esse secundum quid, et simpliciter, et ignorantia Elenchi ; hoc tamen erit alia ratione, et alia. Quia in secundum quid, et simpliciter, ut dictum est, causa apparentiæ est identitas dicti secundum quid, ad dictum simpliciter. Sed in ignorantia Elenchi causa apparentiæ est identitas contradictionis in præmissis, ad veram contradictionem in conclusione. Et ex hoc sequitur, quod secundum quid, et simpliciter possit esse sine ignorantia Elenchi, quia potest esse sine apparenti contradictione, quia hîc est secundum quid, et simpliciter : *Iste est albus secundum dentes : ergo est albus*, et tamen hîc non est contradictio apparens.

5. *Ad 3.* Ad ultimum dicendum quod ignorantia Elenchi inquantum alii loci Elenchi generales ad ipsam reducuntur, non distinguitur ab illis : unde in ignorantiam Elenchi specialem, quæ distinguitur aliis locis, non reducuntur fallaciæ.

Objectio. Sed ex præmissis videtur sequi, quod ignorantia Elenchi est locus in dictione. Nam ex quo ejus apparentia accipitur a contradictione, et contradictio est a parte vocis, videtur, quod ejus apparentia accipiatur a voce. Unde cum peccet contra contradictionem, videtur sequi, quod sit locus in dictione, quia loci in dictione specialiter peccant contra contradictionem.

Solutio. Sed dicendum est, quod ignorantia Elenchi non est locus in dictione : quod innuit Aristoteles 2. Elench.cap.3. cum dicit, *Trahet autem aliquis hunc locum, in eos, qui sunt in dictione*, per hoc dicens, quod non potest poni locus in dictione, nisi per quamdam violentiam. Et dicendum est, quod ad contradictionem non solum requiritur unitas vocis, sed etiam unitas rei, quod patet per definitionem contradictionis 1. hujus, cap. 2. Contradictio non est nominis tantum, sed rei, et nominis. Unde si apparens contradictio accipitur a parte rei, tunc est ignorantia Elenchi. Si ex parte vocis, tunc est locus in dictione.

Vel potest dici, quod peccare contra contradictionem est dupliciter. Aut ita, quod paralogismus inferat contradictionem alicujus præconcessi ; aut quod videatur apparenter concludere contradictoria, non habendo respectum ad præconcessionem respondentis. Primo modo peccant loci in dictione contra contradictionem. Et quia Elenchus est magis contradictorius per respectum ad respondentem, ideo loci in dictione specialiter dicuntur peccare contra contradictionem. Secundo modo nihil prohibet quin sit ignorantia Elenchi, et secundum quid, et simpliciter ; quia ambo peccant contra illationem, quia inter præmissam negativam, et partem negativam conclusionis est defectus illationis.

QUÆSTIO LVI

Utrum ista consequentia sit bona, Hoc est non duplum ; ergo hoc non est duplum

1. *Argumenta pro parte negativa.* Videtur quod non. Nam aliquid stat cum antecedente, quod est incompossibile consequenti ; ergo consequentia nulla. Ista enim stant simul, *Hoc est duplum, et hoc est non duplum*. Et tamen ista, *Hoc est du-*

plum, non stat cum hoc consequente, *Hoc non est duplum*. Assumptum patet per Aristotelem, qui dicit secundo hujus, quod non est inconveniens fateri idem esse duplum, et non duplum ; ergo stant simul.

Item, sicut ad positionem plurium, non sequitur positio paucorum, et hoc sub indeterminatione ; sic ad negationem paucorum, non sequitur negatio plurium. Sicut enim non sequitur, *Animal currit* ; *ergo homo currit* ; sic non sequitur, *Homo non currit, ergo animal non currit* : ergo ad negationem extremi non sequitur negatio compositionis, et extremi.

Item, non sequitur, *Hoc est non simile* ; *ergo non est simile* ; quia aliquid stat cum antecedente quod est impossibile consequenti. Nam ista stant simul, *Hoc est simile, et hoc est dissimile*. Et sequitur, *Hoc est dissimile* ; *ergo est non simile*. Et tamen ista, *Hoc est simile*, non stat cum hoc consequente, *Hoc non est simile*.

Ad oppositum sequitur, *Hoc est non duplum ad A*, *ergo non est duplum ad A*. Ergo absolute sequitur, *Hoc est non duplum, ergo non est duplum*.

Item, negatio infinitans negat significatum termini, sed significatum hujus quod dico *duplum*, est quidam respectus : ergo negat respectum, et si negat respectum, nihil relinquitur ; ergo, etc.

2. *Conclusio.* Ad quæstionem dicendum, quod consequentia bona est, nam significatum hujus quod dico *duplum*, est quidam respectus. Non est autem intelligendum, quod supra significatum relativi fundetur respectus, tanquam habitudo media inter relativum, et suum correlativum. Sed illud quod nomine relativi importatur respectus est, sed negatio infinitans negat significatum termini. Sic ergo dicto, *Hoc non est duplum*, negatur universaliter respectus. Quo negato non dicitur ad dimidium. Ergo sequitur, *Hoc est non duplum, ergo non est duplum*. Et per Aristotelem lib. Perihermenias, *Non currere* indifferenter reperitur in eo quod est, et quod non est, præterquam in cursu. Ergo non duplum reperitur in eo quod est, et quod non est, præterquam in duplo. *Duplum* ergo, et *non duplum*, veram contradictionem important. Sed cuicumque attribuitur unum contradictoriorum, ab eodem removetur reliquum ; sequitur ergo, *Hoc est non duplum* ; *ergo non est duplum*.

Ad primam rationem dicendum, quod non est inconveniens fateri idem esse duplum, et non duplum cum diversis determinationibus, ut quod sit duplum ad A, et non duplum ad B ; tamen absolute loquendo, sic. Et hoc est, quod dicit Aristoteles quod non est fatendum idem esse duplum, et non duplum, ut erat concessum a redarguto. 3. *Ad* 1. *princ.*

Ad secundum dicendum, quod non est magis negare compositionem, et extremum, quam extremum per se. Nam in interemptione antecedentis, includitur interemptio consequentis. *Ad* 2.

Ad ultimum dico, quod sequitur, *Hoc est non simile* ; *ergo non simile* ; et cum probatur quod ista stant simul, *Hoc est simile, et hoc est non simile* ; dico quod non est verum. Et cum dicitur ulterius, quod ista stant simul, *Hoc est simile, et hoc est dissimile*, et quod sequitur, *Hoc est dissimile* ; *ergo hoc est non simile*; dico, quod ista ultima consequentia non valet, quia per hoc quod dicitur *dissimile* importatur quidam respectus ad *dissimile*, quod est dissimile suo dissimili. Sed per hoc quod dico, *non simile* privatur respectus. Et a remotione respectus ad unum non sequitur remotio respectus ab alio. *Ad* 3.

QUÆSTIONUM SUBTILIS DOCTORIS SCOTI SUPER LIBROS ELENCHORUM FINIS

F. JOANNIS
DUNS SCOTI
DOCTORIS SUBTILIS
IN LIBRUM PRIMUM PRIORUM ANALYTICORUM
ARISTOTELIS QUÆSTIONES

QUÆSTIO I

Utrum de syllogismo simpliciter sit scientia

Doctor *quæst.* 3. *Univers.* et ejus expositores *ibidem.* Vide citandos *quæst. sequenti.*

1. *rgumen- pro par- negati-*

Arguitur quod non; quia scientia habetur per definitionem tanquam per medium; sed de Syllogismo simpliciter non habetur definitio: ergo nec scientia. Major patet: quia definitio est medium demonstrationis, ut patet 2. Post. text. com. 14. et minor patet, quia Syllogismus simpliciter est quoddam complexum: modo solius incomplexi est definitio.

ide Doc- rem in 2. 3. q. 6. solutio- e ultimi incipalis in 3 d. . q. 2.

Secundo, omnis scientia est notitia habita per demonstrationem: sed de Syllogismo simpliciter non habetur notitia per demonstrationem. Major patet, quia scientia est habitus per demonstrationem acquisitus, ut patet 2. Post. text. com. 10. Minor patet, quia tunc demonstratio ista, per quam de Syllogismo simpliciter habetur scientia, esset notior Syllogismo simpliciter, et per consequens scientia de demonstratione, præcederet scientiam de Syllogismo simpliciter, quod tamen est falsum.

Tertio, quia de definitione, et divisione, et aliis argumentationibus a Syllogismo simpliciter non habemus scientiam distinctam: ergo nec de Syllogismo simpliciter. Tenet consequentia; quia ista sunt instrumenta sciendi, quemadmodum et Syllogismus; et antecedens apparet inducendo per libros Aristotelis.

Quarto, quia de ente per accidens non est scientia, ut patet 6. Metaph. text. com. 4. sed Syllogismus simpliciter est ens per accidens; quia est aggregatio ex pluribus propositionibus, quarum quælibet est in actu, modo ex pluribus existentibus in actu non fit nisi unum per accidens, ut patet 7. Metaphysicæ.

Quinto, quia omnis scientia est de necessariis impossibilibus aliter se habere, et perpetuis, ut patet primo Poster. sed Syllogismus simpliciter non est hujusmodi, imo potest aliter se habere, cum quandoque sit, et quandoque non; ergo, etc.

Oppositum arguitur per Aristotelem, qui in isto lib. cap. 1. dat nobis scientiam de Syllogismo simpliciter.

In quæstione primo videbitur, quomodo de aliquo est diversimode scientia: secundo videbitur expositio terminorum quæstionis, et tertio respondebitur ad quæsitum. 2. *Divisio quæstionis*

Quantum ad primum, notandum, quod de aliquo potest esse scientia tripliciter; uno modo tanquam de illo, de quo aliquid scitur, et hoc dupliciter. Uno modo tanquam de rebus significatis per subjectum conclusionis, quemadmodum dicimus, quod de *lactuca* habemus scientiam, quod sanat febrem; sicut etiam dicit Aristoteles in 1. Poster. text. com. 167. quod infinita sciuntur in propositione universali. Secundo tanquam de subjecto conclusionis, ut

Scientia de aliquo dupliciter.

quando dicimus de triangulo, *Demonstratur habere*, etc. Secundo modo de aliquo dicitur scientia, tanquam de illo, quod scitur de aliquo, et sic dicitur in secundo Poster. quod passio scitur de subjecto. Tertio modo de aliquo est scientia, tanquam de illo quod scitur, et hoc dupliciter. Uno modo, ut hoc verbum *scire* accipitur non modaliter, ut quando dico, *Scio cantare*, id est, habeo artem cantandi. Alio modo, ut hoc verbum *scire*, est modus determinans propositionem, et hoc quadrupliciter, ut dicit Linconiensis primo Poster. quia primo modo *scientia* est comprehensio veritatis etiam contingentis ad utrumlibet, vel ut in paucioribus. Secundo modo, *scientia* est comprehensio veritatis contingentis, ut in pluribus, et sic sciuntur multæ conclusiones scientiæ naturalis. Tertio modo, *scientia* est comprehensio veritatis necessarie, et non contingenter; et sic sciuntur tam principia, quam conclusiones. Sed quarto modo *Scientia est comprehensio veritatis necessarie dubitabilis, quæ nata est fieri evidens, per præmissas syllogistice applicatas.* Et isto modo scitur conclusio demonstrativa, ut *Homo est risibilis*, aut significabile per talem conclusionem, ut *Hominem esse risibilem*, et quid sit tale significabile postea videbitur, et hoc de primo.

3. *Secunda pars quæstionis.* De secundo notandum, quod ista dictio *simpliciter* in proposito non denotat diversitatem Syllogismorum, sed denotat diversum modum accipiendi istum terminum, *Syllogismus*; unde iste terminus *Syllogismus*, aliquando accipitur cum determinatione sibi addita, ut cum dicimus, *Syllogismus dialectus*, vel *Syllogismus demonstrativus*; sed aliquando accipitur iste terminus, *Syllogismus*, loquendo simpliciter, sine aliqua determinatione sibi addita, ut dicendo, *syllogismus*, et istam acceptionem absolutam, sine aliquo addito, denotat ista dictio, *simpliciter*, in proposito, et sic accipitur ista dictio *simpliciter* in 2. Top. ubi dicitur, *Simpliciter dico, quod sine addito dico.*

Sed dubitatur, et videtur quod hæc dictio *simpliciter*, denotat diversitatem syllogismorum, quia denotat syllogismum componi ex terminis non significativis, cujus signum est, quod Aristoteles in isto lib. text. com. 169. ponit omnia exempla in terminis non significativis. Secundo, quod syllogismus simpliciter non ordinatur ad aliquem finem, sed quilibet alius syllogismus ordinatur ad aliquem finem: igitur ista dictio, *simpliciter*, denotat diversitatem syllogismorum. Major probatur; quia finis syllogismi simpliciter, non est scientia, cum scientia sit finis demonstrationis; nec opinio, cum sit finis syllogismi dialectici, nec apparens demonstratio, quia illa est finis Sophisticæ; igitur non ordinatur ad finem. 4.

Ad ista dico, quod ista dictio *simpliciter*, non denotat syllogismum componi ex terminis non significativis, quia proprietates, et passiones consideratæ de Syllogismo in isto libro habent verum in omni syllogismo, sive componatur ex terminis significativis, vel non significativis. 5.

Ad primam dico, quod illi termini non sunt simpliciter non significativi, unde ista littera A, significat seipsam, et quamlibet sibi similem; et ideo Aristoteles explicat in istis terminis, ad significandum, quod bonus syllogismus non tenet specialiter gratia aliquorum terminorum, sed generaliter in omnibus terminis, et hoc conservata consimili dispositione terminorum. 6.

Ad secundam dico, quod tam scientia, quam opinio est finis hujus scientiæ, quia de utraque determinat ista scientia, quantum ad proprietates communes, quæ se tenent ex parte illationis, sed non quantum ad veritates præmissarum, supposita illatione.

Secundo notandum, ut patet ex prima parte quæstionis, quod *Scientia est notitia necessaria veri dubitabilis, nata fieri evidens per præmissas in forma syllogistica applicatas*; per hoc quod dicitur *necessaria*, differt scientia a notitiis falsis, et etiam a veris contingentibus. Per hoc quod dicitur, *veri* 7. *Scien[tia] quid.*

dubitabilis, differt scientia a principiis per se evidentibus, quæ a cognoscentibus *quod nominis*, non possunt dubitari. Ponitur ibi, *nata fieri*, etc. quia non oportet, quod de facto sit evidens per præmissas applicatas in syllogismo : quia potest esse evidens per experientiam, verbi gratia : ista conclusio, *Luna est eclipsabilis* , potest esse evidens per experientiam, quæ tamen est demonstrabilis. Deinde ponitur, *per præmissas in syllogismo applicatas*, ad di erentiam quorumdam principiorum naturalium, ut quod *Ignis est calidus*, vel hujusmodi, unde tale principium est notitia necessaria dubitabilis, tamen ab inexperto in illa notitia non dicitur scientia, eo quod non potest fieri evidens per præmissas, in forma syllogistica applicatas : imo solum potest fieri evidens per experientiam.

8. *ertia -s quæs- ionis.* De tertio recolenda est distinctio prius posita, quod de aliquo potest esse scientia, ut de subjecto conclusionis, vel ut de re significata per subjectum conclusionis, vel ut de conclusione demonstrata ; tunc sequuntur tres conclusiones.

Prima -nclusio. Prima est, quod de syllogismo simpliciter, ut de conclusione demonstrata, non est scientia. Probatur, quia syllogismus simpliciter non est conclusio demonstrata, et ideo non oportet, quod de syllogismo verificentur istæ conditiones, quæ dicuntur de scientia isto modo dicta ; sicut quod sit ex necessariis, ex impossibilibus aliter se habere, quod non sit de ente per accidens, et sic de aliis,

Secunda -nclusio. Secunda conclusio est, quod de isto termino, *syllogismus*, loquendo simpliciter sine additione, est scientia, tanquam de subjecto. Probatur, quia subjicitur in multis conclusionibus demonstratis in isto libro, ut in istis, *Omnis syllogismus fit ex tribus terminis. Omnis syllogismus fit ex duabus propositionibus*, et sic de consimilibus.

Tertia -nclusio. Tertia conclusio est, quod de omni syllogismo est scientia tanquam de re signata per subjectum conclusionis. Probatur ; quia omni syllogismo conveniunt proprietates demonstratæ de syllogismo in isto libro, ut puta, fore ex tribus terminis, ex duabus propositionibus, et sic de aliis proprietatibus ostensis in isto libro.

Nunc ad rationes. Ad primam concedo, quod scientia habetur per definitionem tanquam per medium, modo de isto termino, *syllogismus*, datur definitio, ut patet primo hujus. Nec debet imaginari, quod istud complexum, *syllogismus simpliciter*, definiatur, quia id complexum non est intelligibile, si hæc dictio, *simpliciter*, sit determinatio hujus termini, *syllogismus*, sed est determinatio hujus verbi, *loquitur*, vel *dico*, simpliciter loquendo de isto termino *syllogismus*, sine addito. 9. *Ad argumenta*

Ad secundam concedo majorem, et nego minorem. Ad probationem concedo quod demonstratio illa est notior, quantum ad necessitatem illationis, non tamen quantum ad proprietates verificabiles de demonstratione. Verbi gratia, in syllogismo primum principium est evidentissime notum, scilicet quantum ad evidentiam : tamen est bene dubitabile quantum ad proprietates dicibiles de primo principio, ut patet 4. Metaphysicæ.

Ad tertiam qualiter de aliis instrumentis sciendi habetur scientia, et ubi, dicetur in alia quæstione.

Ad quartam dico, quod auctoritas debet intelligi, quod de propositione per accidens vera non est scientia, tanquam de conclusione demonstrata, modo dictum fuit quod isto modo non est scientia de syllogismo simpliciter. Et per idem patet ad sequentem.

QUÆSTIO II

Utrum syllogismus simpliciter, sit subjectum in libro Priorum

Alex. Aphrod. Buran. Averroes, Conimbr. *in principio Prior.* Vide citatos *q de objecto Logicæ.*

Arguitur quod non; quia syllogismus est instrumentum acquirendi scientiam hujus 1. *Argumenta pro par-*

te negativa. libri, igitur syllogismus non est subjectum in ista scientia, Consequentia tenet; quia instrumentum acquirendi scientiam, ponitur in genere causæ efficientis, et subjectum in genere causæ materialis, modo efficiens, et materialis non coincidunt, ut patet secundo Physicorum, text. com. 70.

Secundo, quia subjectum alicujus scientiæ debet esse commune ad omnia contenta in illa scientia; sed Syllogismus non est communis ad omnia considerata in ista scientia, quia hîc determinatur de Inductione, Exemplo, et Enthymemate, quæ non sunt syllogismi.

Tertio, quia subjectum in aliqua scientia debet esse adæquatum illi scientiæ, ita quod non transcendat limites ejus; sed Syllogismus non est adæquatum subjectum hujus scientiæ, cum sit subjectum in tota Logica, ut communiter dicitur : igitur, etc.

2. Quarto, quia Syllogismus est subjectum in libro Elenchorum; igitur non in isto libro. Tenet consequentia; quia istæ sunt diversæ scientiæ; et antecedens patet; quia syllogismus Sophisticus est obliquitas syllogismi : modo idem est judex recti, et obliqui, ut patet tertio de Anima : igitur eadem est scientia de Syllogismo, et syllogismo Sophistico.

Quinto, quia nullus syllogismus est hujus subjectum : ergo Syllogismus non est hujus subjectum. Tenet consequentia per locum a toto in quantitate ad suam partem; et antecedens apparet inducendo.

Sexto, quia cujuslibet scientiæ anima est subjectum; igitur Syllogismus non est subjectum hujus scientiæ.

Oppositum arguitur per communiter exponentes istum librum, qui ponunt, quod Syllogismus est subjectum hujus, eo modo, quo in aliqua scientia totali assignatur unum subjectum.

Divisio quæstionis In quæstione primo videbitur de æquivocatione hujus nominis, *subjectum*; secundo quid sit subjectum, ut pertinet ad propositum, et quæ sint ejus conditiones, et tertio videbitur de quæsito.

Nomen subjectum æquivocum ad sex. Quantum ad primum notandum, quod hoc nomen, *subjectum*, est æquivocum ad sex. Nam primo dicitur subjectum de substantia, cui inhæret aliqua forma substantialis, vel accidentalis, ut paries dicitur subjectum albedinis, et anima subjectum scientiæ.

Secundo modo dicitur subjectum de ente in actu, et sic dicitur quinto Physicorum, quod *Necesse est omnem motum esse mutationem de subjecto in subjectum*, et hoc ad differentiam mutationis, quæ aliquando est de negato in affirmatum, ut generatio, et aliquando e contra, ut corruptio.

Tertio modo dicitur subjectum de servo, et sic dicitur primo Politicæ, quod secunda combinatio principalis ipsius condivisionis est inter principans et subjectum, quæ a natura est propter salutem.

Quarto modo dicitur subjectum de inferiori per prædicationem, ut dicitur in Anteprædicamentis, *Quando alterum de altero prædicatur, ut de subjecto*, idest, de inferiori.

Quinto modo dicitur subjectum in relatione ad prædicatum, et sic dicit auctor Summularum, tract. 1. quod *Subjectum est de quo aliud dicitur*, scilicet prædicatum.

Sexto modo dicitur subjectum in relatione ad rationem, quemadmodum dicimus, quod in aliqua scientia rationali est unum subjectum, et isto modo dicit auctor in primo Posteriorum, quod *Scientia una est unius generis subjecti, partes et passiones ejus considerans.*

Item, dicit auctor quarto Metaphysicæ, *Sicut unus sensus est unius generis sensibilis, ita una scientia est unius generis scibilis*, idest, subjecti, et hoc de primo.

Quantum ad secundum notandum, quod *subjectum*, et *passio* sunt duo termini, quorum unus, scil. *subjectum* est terminus absolutus, vel connotatus; et alter est connotans : ut iste terminus, *homo*, est subjectum respectu hujus termini *risibile*, qui est passio, et si ambo termini, scilicet *subjectum*, et *passio* sint connotati, tunc terminus, qui est passio, connotat aliud, vel aliqualiter ultra significationem, et connotationem 4. *Secunda pars quæstionis.*

subjecti, ut isti termini, *motus velox*, vel *tardus*, sunt connotativi, et iste terminus *motus*, se habet per modum subjecti, et totum istud disjunctum, *velox, vel tardus*, se habet per modum passionis, et ideo connotat aliud, vel aliqualiter ultra significationem, et connotationem subjecti.

5. *...nditiones sub... scien...* Secundo notandum, quod ipsius subjecti in aliqua scientia totali sunt aliquæ conditiones.

Prima est, quod subjectum debet esse primo notum in illa scientia cujus est subjectum.

Secunda est, quod tale subjectum debet esse commune ad omnia considerata in illa scientia, et ista sequitur ex præcedenti, quia communiora, et magis confusa sunt ad cognoscendum priora, ut patet primo Physicorum, text. com. 3.

Tertia conditio, subjectum debet esse adæquatum, ita quod non transcendat considerationem illius scientiæ cujus est subjectum.

Quarta conditio, quod debet prædicari explicite, vel implicite respectu passionum principalium illius scientiæ.

Quinta, quod possit dici in recto, vel in obliquo de subjectis aliarum conclusionum minus principalium, quæ determinantur in illa scientia.

Sexta, quod per ipsum possit convenienter responderi ad quæstionem quærentem, de quo determinetur in illa scientia.

6. Et notandum, quod secunda conditio non debet intelligi, quod subjectum sit commune secundum prædicationem, sed sufficit quod omnia considerata in illa scientia reducantur ad illud subjectum, vel ut principium, vel ut pars subjecti, vel ut passio totius subjecti, vel principii, vel partis ejus : et ita de aliis modis, quibus fit reductio unius ad alterum. Patet igitur quid subjectum, et quæ sint ejus proprietates, et hæc de secundo.

...ertia ...s quæs... ...is. Quantum ad tertium, notandum, quod si in aliqua scientia totali assignatur unum subjectum contractum, tamen propter aliquam conditionem potest esse subjectum partis illius scientiæ : ut verbi gratia, in Arithmetica assignatur iste terminus, *numerus*, pro subjecto ; quia terminus contractus per istam conditionem *sonorum*, est subjectum in Musica, quæ est pars subalternata Arithmeticæ, et ideo ad inquirendum subjectum hujus libri, oportet primo videre de subjecto totius Logicæ, et tunc per divisionem illius subjecti, invenietur subjectum hujus libri, et aliorum librorum Logicalium.

Tunc sit prima conclusio, quod iste terminus, *syllogismus*, non est subjectum in tota Logica. Probatur, quia subjectum debet esse commune ad omnia considerata in illa scientia, cujus est subjectum : sed iste terminus *syllogismus*, non est communis ad omnia considerata in Logica ; ergo Major patet per unam conditionem prius positam. Minor patet, quia in Logica determinatur de Definitione, et Divisione, de Enthymemate et Inductione, ad quæ iste terminus *syllogismus*, non est communis. 7. *Prima conclusio.*

Secunda conclusio est, quod iste terminus, *instrumentum sciendi*, est subjectum in tota Logica. Probatur per conditiones positas, quia est communis ad omnia considerata in Logica, nec transcendit metas Logicæ ; igitur, etc. *Secunda conclusio.*

Ex istis potest haberi subjectum hujus libri, quod omne instrumentum sciendi est divisio, vel definitio, vel argumentatio : si est divisio, sic est liber divisionum Boetii. Unde quia iste modus sciendi per divisionem, est valde imperfectus, ideo de ipso non curat Aristoteles. Si de definitione, sic est secundus Posteriorum, et sextus Topic. Si autem determinetur de argumentatione, tunc quia iste modus sciendi est perfectissimus inter alios, ideo de ipso Aristoteles fecit quasi totam Logicam. Unde consideratio de argumentatione vel est de argumentatione quantum ad se totam, vel quantum ad ejus partes ; si quantum ad partes ejus, vel quantum ad partes propinquas, vel remotas ; si quantum ad remotas, sic est liber Prædicamentorum, ad cujus supplementum facti sunt libri Porphyrii, et sex Prin- 8. *Tertia conclusio.*

cipiorum : si quantum ad propinquas, sic est liber Perihermenias, qui est de enunciatione, et est pars propinqua argumentationis. Si autem fiat consideratio de argumentatione quantum ad se totam, vel hæc est quantum ad proprietates communes, se tenentes ex parte necessitatis illationis, et sic est liber Priorum, cujus subjectum est Argumentatio, quantum ad ejus proprietates generales pertinentes ad necessitatem illationis. Vel consideratur de argumentatione quantum ad proprietates speciales contracta ad aliquam materiam specialem, et hoc quinque modis : vel quia contrahitur ad materiam probabilem, et sic est liber Topicorum, qui est de syllogismo dialectico ; vel ad materiam necessariam, et sic est liber Posteriorum, qui est de demonstratione ; vel ad materiam probabilem apparenter, et sic est consideratio de syllogismo Sophistico in lib. Elenchorum ; vel ad materiam persuasivam circa humana agibilia, et sic est liber Rhetoricæ ; vel ad materiam animæ illicitam propter delectationem, et sic est Poesis. Patet igitur, qualiter iste terminus, *argumentatio*, est subjectum in isto libro, non simpliciter, sed quantum ad proprietates communes, quæ se tenent ex parte necessariæ illationis, et hæc de tertio.

9. *Ad argumenta.* Ad rationes. Ad primam, patet ex dictis. Et si fiat ratio de argumentatione, etc. debet negari consequentia. Ad probationem, non est simile in naturalibus et in proposito ; ad alias rationes patet ex dictis.

QUÆSTIO III

Utrum propositio sit oratio affirmativa, vel negativa alicujus de aliquo, vel alicujus ab aliquo

Aphrod. Averroes et Burana *hic cap.* 1. Albertus Mag. *tract.* 1. *in* 1. *Prior. cap.* 3. Ægidius Roman. *ibidem.* Petrus Hisp. *tract.* 1. *summul.* Tartar. *ibidem.* Conimb. *in* 1.*Prior. q.* 1. Complut. *lib.* 2. *summul. cap.* 3. Rodriguez *ibidem, cap.* 2. Aversa *tract.* 3, *sum. cap.* 2. Doctor *in* 4. *d.* 8. *q.* 2.

1. *Argumenta.* Arguitur quod non, quia omnis propositio est affirmativa, igitur nulla negativa. Tenet consequentia. Antecedens probatur, quia sequitur, propositio est affirmativa, igitur propositio est ; igitur sequitur, omnis propositio est : igitur omnis propositio est affirmativa. Per istam regulam, Quando ad antecedens sequitur consequens, ad consequens distributum, sequitur antecedens distributum.

Secundo, quia omnis propositio affirmativa est : igitur omnis propositio est affirmativa. Consequentia probatur ; quia sequitur, hæc propositio affirmativa est ; igitur hæc propositio est affirmativa, et illa propositio affirmativa est : igitur illa propositio est affirmativa, et sic de singulis ; ergo per inductionem sequitur, si omnis propositio affirmativa est, quod omnis propositio est affirmativa.

Tertio, quia sequitur : Omnis propositio est affirmativa, vel negativa ; sed non omnis propositio est affirmativa : igitur omnis propositio est negativa. Et si dicitur quod consequens non sequitur, eo quod antecedens est de disjuncto extremo, quæ bene valeret, si esset disjunctiva.

Contra hoc objicitur, quia sequitur, hæc propositio est affirmativa, vel negativa : igitur hæc propositio est affirmativa, vel hæc propositio est negativa, et sic de singulis : igitur si omnis propositio est affirmativa, vel negativa, sequitur quod omnis propositio sit affirmativa, vel quod omnis propositio sit negativa. 2.

Quarto si omnis propositio sit affirmativa, vel negativa, tunc sequitur, quod si omnis propositio sit affirmativa, quod nulla esset negativa : modo consequens est impossibile, quia quotiescumque consequens est, ipsum est propositio negativa, et tamen antecedens est possibile. 3.

Quinto arguitur de propositionibus hypotheticis, de exclusivis exceptivis, de quibus non apparet, an sint affirmativæ, vel negativæ.

Sexto arguitur de propositionibus, in quibus ponitur terminus infinitus affirmativus : et quod tales sint affirmativæ, patet per Aristotelem in primo Perihermenias, c.

5. ubi dicit, quod *ad affirmativam de prædicato infinito, sequitur negativa de prædicato finito.* Sed quod tales sint negativæ, probatur, quia inferunt negativas. Et confirmatur : quia tales includunt in se negationem, cujus virtus est distribuere terminum sequentem ; et non distribuit affirmative : igitur negative, et per consequens, propositiones sunt negativæ, in quibus ponuntur hujusmodi termini infiniti, vel privativi.

Oppositum arguitur per definitionem propositionis datam in littera.

4. *Divisio quæstionis* In ista quæstione, primo dandæ sunt aliquæ regulæ, ad cognoscendum de propositione hypothetica, an sit affirmativa, vel negativa. Secundo videbitur quid requiratur, et sufficiat ad veritatem negativæ, et quid ad veritatem affirmativæ.

Quantum ad primum, sciendum quod quædam est propositio mere categorica, et aliqua hypothetica, et aliqua quæ non est hypothetica per conjunctionem expressam, æquipollet tamen hypotheticæ, ut propositio exclusiva, et copulativa reduplicativa, et propositiones in quibus ponuntur ista verba, *incipit, desinit, generari, corrumpi*, vel consimilia. Sicut quædam est categorica, in qua ponitur terminus infinitus, vel privativus, et alia in qua non ponitur. Tunc de istis propositionibus per ordinem dantur regulæ.

5. *Prima regula de propositione categorica.* Prima est, quod propositio categorica de terminis finitis, est mere affirmativa, quando copula principalis remanet affirmativa. Et dico notanter *principalis*, quia si dicatur, *Socrates qui non disputat est albus*, ista est affirmativa, non obstante quod copula minus principalis sit negata ; et propositio ista est negativa, cujus copula principalis est negata. Ex quo sequitur, quod illa propositio est negativa, cujus copulam præcedit negatio, vel explicite, vel implicite cadens super copulam. Et dico, *explicite*, ut *Homo non currit* ; implicite, ut *Nemo currit*. Ex quibus sequitur, quod istæ sunt negativæ, *Ego nego consequentiam : Ego contradico tibi* : *Nec iste disputat*, *Nunquam fui Romæ*, et sic de consimilibus; quia quælibet istarum includit negationem ante copulam.

Secunda regula est, quod propositio categorica in qua ponitur terminus infinitus, sive a parte subjecti, sive a parte prædicati, est affirmativa, dum tamen copulam illius propositionis non præcedat negatio aliqua, alia a negatione inclusa in termino infinito. 6. *Secunda regula.* Patet, quia iste terminus, *Non homo currit*, affirmative significat omnia, alia ab homine, currere ; sicut iste terminus, *homo*, significat hominem, cujus signum est, quod sibi potest addi convenienter signum universale negativum, vel negatio, faciens propositionem universalem negativam : et ideo quando negatio additur a parte prædicati post copulam, negatio efficitur infinitans, et manet propositio affirmativa, ut dicit Aristoteles primo hujus, cap. 2. in fine. Unde istæ sunt affirmativæ, *Homo est non bonum* : *Homo est non album.*

Et si quæratur de modalibus, dico, quod dictæ regulæ se extendunt ad modales. Unde ista ; *Contingit nullum B esse A*, est affirmativa: sed ista *Contingens non est B esse A*, est negativa, non obstante, quod modus sit affirmatus.

Tertia regula est, quod propositiones hypotheticæ non sunt affirmativæ, vel negativæ ratione categoricarum, ex quibus componuntur, sed ratione conjunctionis, per quam propositio fit hypothetica, quæ si fuerit affirmativa, propositio hypothetica est affirmativa ; et si negativa, ipsa est negativa ; ut ista est affirmativa, *Animal currit si homo currit* ; et si hæc dictio *si*, esset negativa, ut dicendo, *Non animal currit, si homo currit*, tunc est negativa, et debet intelligi, quod ista negatio *non*, cadat, non super istam propositionem *Animal currit*, sed super istam conjunctionem *si* ; et tunc denotat consequentiam non valere, videlicet, quod non est, *Quod si animal currit, homo currit.* Ex quibus sequitur, quod duæ propositiones contradictoriæ, sunt ambæ affirmativæ. Probatur, quia disjunctiva est contradictoria copulativæ 7. *Tertia regula de propositione hypothetica.*

hypotheticæ, ex partibus contradictoriis partibus disjunctivæ, et tamen utraque, scilicet tam disjunctiva, quam copulativa, est affirmativa, cum in utraque conjunctio remaneat affirmativa ; igitur, etc.

8. Sed objicitur, quia contradictio est affirmatio, et negatio unius, et ejusdem, ut patet primo Elenchorum ; igitur si una contradictoriarum est affirmativa, reliqua erit negativa.

Respondetur, quod contradictio est oppositio unius et ejusdem, seu affirmatio, et negatio, vel saltem affirmatio alterius, quæ æquipollet negativæ illius : modo disjunctivæ æquipollet negativa, et copulativæ sibi contradictoriæ, et e contra.

9. *Quarta regula de propositionibus æquipollentibus hypotheticis.*

Quarta regula est, quod propositiones æquipollentes hypotheticis, non sunt pure affirmativæ, vel pure negativæ, eo modo quo pure categoricæ, et ideo in eis assumenda non est affirmatio, et negatio, sicut in categoricis, quæ componunt ipsas.

Et si arguatur, quod istud verbum, *incipit*, includat negationem, quæ cadit super copulam ; igitur per primam regulam propositio in qua ponitur hoc verbum, *incipit*, erit simpliciter negativa, non habendo respectum ad suas exponentes. Respondetur, quod ista non valet, pro tanto, quod negatio inclusa in illo verbo, non intelligitur cadere super utramque exponentem, sed super alteram tantum. Verum est tamen, quod propositiones in quibus ponuntur hujusmodi dictiones possunt dici affirmativæ, vel negativæ cum additione, verbi gratia, ista, scilicet, *Socrates incipit esse*, est affirmativa de hoc verbo, *incipit*. Similiter ista, *Tantum animal est homo*, est exclusiva affirmativa, et ita de aliis, et hæc de primo.

10. *Secunda pars quæstionis.*

Quantum ad secundum, notandum, quod quædam est propositio de inesse, et quædam de præsenti, et quædam de præterito, et quædam de futuro. Alia est modalis, et talis, quædam de impossibili, et quædam de possibili, et quædam de necessario, et quædam de contingenti, et in qualibet istarum diversimode est assignanda causa veritatis.

11. *Prima conclusio.*

Et sit tunc prima conclusio ista, quod ad veritatem propositionis categoricæ, non requiritur, nec sufficit illud esse, quod ipsa significat. Probatur primo, quod hoc non requiritur, quia ista est vera, *Nulla Chimæra est hircocervus*, et tamen non est illud quod ipsa significat : similiter ista est vera, *Aristoteles fuit homo*, et tamen non est illud quod ipsa significat, cum Aristoteles non sit.

Secundo patet, quod non sufficit, quia ista propositio, *Homo est asinus*, significat inesse quod est, quia significat hominem esse, et ita est quod homo est, et tamen ista est falsa.

12. *Secunda conclusio.*

Secunda conclusio ut quod ad veritatem propositionis non sufficit, quod qualitercumque ipsa significat, ita sit. Probatur ; quia de propositionibus de præterito, et de futuro, et de possibili, et de quibusdam propositionibus necessariis, quæ sunt veræ, et tamen non est, ita qualitercumque istæ significant ; igitur. Ideo dantur aliquæ regulæ.

13. *Prima regula de veritate propositionum.*

Prima est, quod ad veritatem propositionis categoricæ affirmativæ, et de præsenti, et de inesse, requiritur, et sufficit ita esse, qualitercumque ipsa significat esse. Verbi gratia, ad veritatem istius, *Homo currit*, sufficit ita esse, qualitercumque ipsa significat esse.

Secunda. Secunda regula est, quod ad veritatem propositionis affirmativæ de præterito, sufficit ita fuisse, qualitercumque ista propositio significat fuisse, et non requiritur ita esse, quia ipsa significat fuisse.

Tertia. Tertia regula, quod ad veritatem propositionis affirmativæ de futuro requiritur ita fore, qualitercumque significat esse futurum, ut ad veritatem istius, *Antichristus curret*, non requiritur ita esse, qualitercumque ipsa significat, sed sufficit, quod ille curret, qualitercumque ipsa significat fore.

Quarta. Quarta regula, quod propositio affirmativa de possibili, ex eo est vera, quia potest esse qualitercumque ipsa significat posse esse. Verbi gratia, ista est vera, *Ali-*

quod potest esse quod nunquam erit, et ad veritatem istius non requiritur ita esse, nec ita fore, sed sufficit posse esse qualitercumque ipsa significat posse esse.

ıta. Quinta regula, quod ad veritatem propositionis de necessario, si sit de præsenti, requiritur sic esse de necessitate, qualitercumque ipsa significat necesse esse ; et si de præterito, requiritur sic fuisse de necessitate, qualitercumque ipsa significat necessario fuisse, et sic de præterito et possibili suo modo.

14. Et notandum, quod cum cuilibet propositioni affirmativæ contradicat una negativa, eadem erit causa veritatis affirmativæ, et falsitatis negativæ, scilicet contradictoriæ. Unde ad veritatem propositionis categoricæ negativæ de præsenti, et de inesse, sufficit non ita esse qualitercumque per affirmativam sibi contradictoriam significatur esse, et ita illa de præterito, quod ad ejus veritatem sufficit non ita fuisse qualitercumque per affirmativam sibi contradictoriam significatur fuisse, et debet intelligi, *significatur*, vel *significetur*, si sua contradictoria esset ; quod ita conformiter potest dici de negativis, de futuro, de possibili, de necessario, aut de impossibili. Patet igitur, unde aliqua propositio est affirmativa, et unde negativa, et unde propositio categorica habet causam veritatis, et falsitatis. Nunc ad rationes.

15. *argu-ta.* Ad primam, conceditur prima consequentia, et negatur secunda. Ad probationem dico, quod regula debet intelligi de distributione consequentis negativæ.

Ad secundam negatur consequentia.

Ad probationem dico, quod ad istas singulares antecedentis non sequitur propositio universalis, quæ est consequens : cujus causa est, quod multæ sunt singulares consequentis, quarum nulla potest inferri ex aliqua singulari antecedentis. Verbi gratia, ista est una singularis consequentis, *Ista propositio est affirmativa*, demonstrata una negativa, quæ non potest inferri ex aliqua singulari antecedentis.

Ad tertiam concedo majorem, et minorem, sed negatur consequentia.

Ad probationem dico, quod ex illis singularibus non inferunt istæ universales, quia inductio non debet sic fieri mediante disjunctione.

Ad quartam concedo consequentiam, et dico, quod consequens non est impossibile, licet non posset esse verum, et ideo quotiescumque consequens est, ipsum est falsum, et etiam antecedens, ex quo infertur.

Ad quintam, dictum est in quæstione.

Ad sextam dico, quod ista consequentia non valet, *Ista infert negativam ; ergo est negativa*, ut patet ex præcedentibus.

Ad confirmationem dico, quod negatio inclusa in termino infinito, non distribuit terminum in propositione, in qua ponitur terminus infinitus, sed in una alia, verbi gratia dicendo, *Non homo est asinus*, negatio inclusa in subjecto, non distribuit istum terminum, *homo*, in ista propositione, sed in una alia, scilicet in ista, *Aliquis est asinus, qui non est homo*, etc.

QUÆSTIO IV

An omnis propositio sit universalis, particularis, indefinita, vel singularis

Auctores citati *quæst. antec.*

Arguitur quod non, de istis propositionibus : *Omnis homo est totum in quantitate. Omnis homo est terminus communis signo universali determinatus. Nullus homo est totum in quantitate*, et sic de aliis, de quibus non videtur quod sint universales ; quia tunc essent falsæ, et tamen ponit ipsas Auctor Summularum, scilicet quod sint universales ; patet, quia ibi subjicitur terminus communis cum signo universali. 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Secundo dubitatur de istis, *Non omnis homo currit. Asinus cujuslibet hominis currit*, et de consimilibus. 2.

Tertio, quia ista *Omnis phœnix est*, non est universalis, quia subjectum non

distribuitur pro pluribus, et tamen hoc signum, *omnis*, ad minus requirit tria supposita, igitur videtur, quod illa non sit universalis ; et tamen isti subjicitur terminus communis, cum signo universali.

Quarto, de istis, *Omnem hominem esse animal, est necessarium : Omnem hominem currere, est contingens*, et sic de similibus, quæ videntur esse universales, ex quo in eis subjicitur terminus communis, signo universali determinatus, et tamen non sunt universales, quia sunt veræ, et quælibet suarum singularium est falsa. Oppositum arguitur per Aristotelem in primo hujus primi libri, cap. 1.

3. *Dubia multa.* In ista quæstione sunt multa dubia de diversis propositionibus, Et primo dubitatur de propositionibus hypotheticis, quantæ sint. Et respondetur uno modo, quod propositiones hypotheticæ non sunt quantæ, imo ista dictio solum intelligitur de propositione categorica.

Sed contra hoc objicitur, quia tria quæsita, *Quæ, Qualis, Quanta,* non solum quærunt de categorica, imo tam de categorica, quam hypothetica, ut patet in Summulis.

4. Ideo aliter dicitur, quod propositiones hypotheticæ sunt quantæ, secundum quantitatem categoricarum, ex quibus componuntur, ita quod si utraque pars hypotheticæ sit universalis, ipsa debet dici universalis, ut ista, *Si omnis homo currit, omnis homo movetur* ; sed si una partium sit universalis, et alia particularis, vel indefinita, tunc non debet dici simpliciter universalis, sed partim universalis, et partim particularis.

5. Secundo dubitatur de propositionibus exclusivis, exceptivis, et hujusmodi ; et videtur quod tales debent dici quantæ, secundum quantitatem hypotheticarum, quibus correspondent, ut, verbi gratia, ista, *Tantum animal est homo*, æquipollet isti copulativæ, *Animal est homo, et nihil ab animali est homo* ; et quia ista partim est universalis, et partim particularis, ideo illa exclusiva debet consimiliter denominari quanta. Similiter dicitur de propositionibus in quibus ponitur istud verbum, *incipit, desinit*, vel hujusmodi. Vel potest dici, quod tales sunt quantæ, sicut simplices categoricæ, verbi gratia, ista, *Socrates incipit esse*, est singularis, *Homo incipit esse*, est indefinita, et ista, *Omnis homo incipit esse*, est universalis.

Tertio dubitatur de ista, *Immediate post hoc erit instans*. Pro quo sciendum, quod ista æquipollet isti copulativæ, *Instans erit post hoc, et nullum erit medium antequam erit instans*, et quia ista copulativa est partim universalis, et partim indefinita, ideo ista, *Immediate post hoc erit instans*, est consimiliter quanta. 6.

Quarto dubitatur de ista, *Omnes Apostoli sunt duodecim*, et quod hoc signum, *omnis*, teneatur collective. Respondetur, pro quo sciendum, quod signum universale sumptum collective denotat terminum, cui additur stare pro majori multitudine suppositorum contentorum sub illo termino. Item denotat, quod nihil sit contentum sub illo termino, quod non sit pars illius multitudinis. Verbi gratia, dicendo, *Omnes Apostoli sunt duodecim*, istud signum, *omnes*, denotat idem quod ista copulativa, *Apostoli sunt duodecim, et nullus est Apostolus, quin sit aliquis istorum duodecim*, et tunc sicut ista copulativa est partim particularis, et partim universalis, ita et ista, *Omnes Apostoli sunt duodecim*. 7.

Quinto dubitatur de ista : *Totus Socrates est minor Socrate*, et dicitur quod est universalis, capiendo hoc signum, *totum*, distributive, quia significat, quod quælibet pars Socratis est minor Socrate. 8.

Sexto dubitatur de propositionibus, in quibus ponitur aliquis istorum terminorum, *continue, ab æterno, omnino*, et hujusmodi. Respondetur, quod tales sunt universales, quia sequitur, *Ab æterno fuit homo ; igitur heri fuit homo, et pridie, et sic in infinitum :* et sic significando, æquipollet isti, *Semper fuit homo*, sed quandoque iste terminus, *æternum*, accipitur categorematice, et adjective, et tunc ista dictio, *ab æterno*, significat pro omni infinito, ut si

diceretur, *Ab æterno fuit homo*, ut puta, *a Deo fuit homo*. Eodem modo, ista, *Continue per horam Socrates movebitur*, est universalis, et significat idem quod omni tempore hujus horæ Socrates movebitur. Similiter de ista dicendo, *Totus Socrates est albus*, quæ est universalis, quia significat quod omnis pars Socratis est alba.

9. Septimo dubitatur de ista, *Infinita puncta sunt in continuo*. Respondetur, quod accipiendo hoc signum, *infinita* syncategorematice, tunc ipsa est universalis affirmativa, et significat idem quod ista, *Quotlibet punctis plura sunt in continuo*, et suæ singulares sunt istæ, *Duobus punctis plura sunt in continuo, Tribus punctis plura sunt in continuo*, et sic in infinitum. Ex quo sequitur, quod aliqui ponentes singulares dictæ propositionis, scilicet istas, male ponunt: *Duo puncta sunt in continuo, tria puncta*, etc. et sic in infinitum; quia si poneretur casus per imaginationem, quod tres homines traherent navim, et nulli pauciores illis. Deinde 4. unam aliam, postea 5. tertiam, et sic in infinitum. Tunc, antecedens esset verum, scilicet, *Infiniti homines trahunt navem*, et tamen istæ singulares sunt falsæ ; *Igitur duo homines trahunt navem*, et ideo debet inferri; *Igitur duobus hominibus plures trahunt navem*, et hoc est verum.

10. Octavo dubitatur de propositionibus, in quibus ponuntur relativa diversitatis, ut ista nomina, *cæteri, singuli*, et hujusmodi. Respondetur, quod propositio, in qua ponitur hoc nomen, *singuli*, vel istud nomen *cœteri*, et sic de singulis, in ultima particula inductionis, est propositio universalis, vel æquipollet propositioni universali ; sed illa in qua ponitur hoc nomen *alii*, non est universalis, imo indefinita.

Nono dubitatur de istis propositionibus, in quibus ponuntur termini numerales, ut isti termini, *duo*, et *tres*, etc. et videtur quod sint universales, quia sub subjectis contingit descendere ad inferiora, per propositionem copulativam, quia sequitur, *Decem homines currunt*; *igitur duo homines currunt, et tres homines currunt*.

Respondetur quod tales propositiones sunt indefinitæ, et non universales. Quod patet, quia subjectum propositionis universalis non potest amplius distribui, quia non convenienter dicitur ; *Omnis hic homo currit*, et tamen hujusmodi termini numerales non suscipiunt distributionem, ut dicendo, *Omnes duo homines currunt*.

Ideo notandum, quod terminus numeralis significat multitudinem, et ideo ad propositionem, in qua subjicitur terminus numeralis, sequuntur aliæ propositiones, quarum subjecta supponunt pro partibus illius multitudinis, quemadmodum ad nomen significans totum integrale, sequitur nomen significans partem totius integralis. 11.

Per hoc patet instantia, quia terminus numeralis non significat per modum distribuentis, aut distributi, sed significat multitudinem, ad quam requiruntur suæ partes.

Istis præmissis sit ista conclusio, quod omnis propositio est universalis, particularis, indefinita, vel singularis. Probatur : in propositione vel subjicitur terminus discretus, et sic est propositio singularis ; aut terminus communis, et hoc tripliciter ; vel terminus communis est sine signo, et sic est indefinita ; aut cum signo, et hoc, vel universali, et sic est propositio universalis; vel particulari, et sic est propositio particularis. 12. *Conclusio.*

Ad rationes, illæ tres primæ propositiones sunt singulares, quia sensus est, quod istud complexum, *Omnis homo*, est totum in quantitate, et ita de aliis duabus. 13. *Ad argumenta.*

Ad secundam dico, quod illa, *Non omnis homo est animal*, est particularis, et illa, *Asinus cujuslibet hominis currit*, est indefinita, quia licet ponatur ibi signum universale, tamen non ponitur ad totum subjectum.

Ad tertiam dico, quod ista, *Omnis phænix*, est universalis ; unde signum universale denotat prædicatum propositionis dici de quolibet contento sub subjecto, non connotando multitudinem, aut non paucitatem suppositorum subjecto : et ideo supposito

quod sit unum subjectum suppositum, non minus propter hoc propositio est universalis.

Ad aliam dico, quod istæ sunt singulares, quia sunt modales in sensu composito. Unde ista, *Omnem hominem esse animal est necessarium*, æquipollet huic, *Omnis homo est animal, est necessaria,* et sic de aliis.

QUÆSTIO V

Utrum definitio Syllogismi sit vera, in qua dicitur, Syllogismus est oratio, in qua quibusdam positis ab his quæ posita sunt, aliud accidit de necessitate,eo quod hæc sunt

Aristot. 1. *Top. cap.* 2. Aphrod. Ægidius Rom. Barana *hic.* Alb. Mag. *tract.* 1. *hujus cap.* 5. Okam 3. *part. Log. cap.* 1. Petrus Hisp. *tract.* 3. Joan. a Magist. *hic quæst.* 1. Tartar. *ibidem.* Hurtado *disp.* 5. *sum.* Conimb. *hic quæst.* 2. *art.* 2. Complut. *lib.* 3. *sum. cap.* 3. Rodriguez *lib.* 3. *Dialect. cap.* 2. Brasavol. *super quæst.* 3. *univers.* Ruvius *hic cap.* 1. Aversa *tract.* 4. *inst. cap.* 4.

1. *Argumenta pro parte negativa.* Arguitur quod non, solius incomplexi est definitio; sed Syllogismus est quid complexum : igitur.

Secundo, quia nullius accidentis est definitio, ut patet septimo Metaphysicæ, text. com. 12. sed Syllogismus est accidens,cum sit qualitas accidentis ; igitur.

Tertio, ista definitio non competit cuilibet syllogismo : igitur non est bona. Tenet consequentia ex sexto Topicorum cap. 1. et major apparet ; quia non competit Enthymemati, et tamen dicit Aristoteles 1. Posteriorum quod *Enthymema est vere syllogismus.*

Quarto, quia illa definitio non est bona, quæ competit aliis a definito; modo ista definitio est hujusmodi : igitur. Probatur ; quia competit Inductioni, quia *Inductio est oratio, in qua quibusdam positis,* scilicet pluribus singularibus, *aliud ab his quæ posita sunt,* scilicet propositio universalis, *de necessitate accidit, eo quod hæc sunt,* scilicet propter plures singulares. Et confirmatur, quia competit Consequentiæ, in qua arguitur ab exponibilibus ad expositam: ut dicendo, *Animal est homo, et nihil aliud ab animali est homo*;igitur *Tantum animal est homo,* nam ista, *Consequentia est oratio, in qua quibusdam positis,* scilicet exponibilibus, *aliud ab his quæ posita sunt,* scilicet exposita, *de necessitate accidit, eo quod hæc sunt.*

Quinto contra partes definitionis, et primo contra istam partem, *oratio,* quia syllogismus non est una oratio, ergo non est oratio. Consequens tenet per Aristotelem in primo Elenchorum, ubi dicit, *Quia eadem est definitio orationis, et unius orationis* ; et antecedens apparet, quia syllogismus est *major, minor,* et *conclusio,* et per consequens plures orationes. 2.

Sexto, contra istam particulam, *in qua quibusdam positis,* quia in syllogismo ponitur una sola oratio, scilicet copulativa, ex qua infertur conclusio.

Septimo, contra istam partem, *de necessitate accidit,* quia ista implicat contradictionem, quod conclusio adsit de necessitate, et quod accidat de necessitate, quia accidentia non sunt necessaria, ut patet Primo Posteriorum. Et confirmatur ; quia in voluntare facientis syllogismum est proferre conclusionem factis præmissis, vel non proferre ; igitur conclusio non sequitur de necessitate propter istas præmissas.

Octavo arguitur contra istam particulam *eo quod hæc sunt,* quia propter ista non sequitur conclusio, quæ sine supplemento alterius non sunt causæ sufficientes ad necessariam illationem conclusionis ex præmissis,sed præmissæ non sufficiunt,ut patet de syllogismis secundæ, et tertiæ figuræ,quia præter præmissas indigent conversione, et transpositione præmissarum, aut conversione per impossibile, et confirmatur, quia quando sunt præmissæ, nondum est conclusio ; igitur non ex eo quod præmissæ sunt, sequitur conclusio. 3.

Oppositum arguitur per Aristotelem in 1. hujus primi, cap. 1

4. *Divisio quæstionis definitum dupliciter accipitur.* In quæstione, primo videbitur quid intelligimus per istos terminos, *definitio, definitum*. Secundo videbitur de definitione syllogismi. Quantum ad primum notandum, quod *definitum* accipitur dupliciter. Uno modo pro termino, cujus significationem implicitam exprimit definitio explicite, et sic attribuuntur definito tres conditiones. Prima est, quod *Definitum est terminus communis incomplexus*. Secunda est, quod *Definitum est convertibile cum definitione*. Tertia, quod *Nullum singulare definitur*. Alio modo accipitur *definitum* pro re significata per terminum convertibilem cum definitione, et sic dicit Commentator in proœmio de Anima, quod *Definitiones sunt ipsorum singularium existentium extra animam*, accipiendo *definitum* primo modo, tunc definitur iste terminus, *syllogismus*, quia est terminus communis incomplexus convertibilis cum definito. Sed accipiendo *definitum*, secundo modo, tunc definiuntur omnes syllogismi de mundo, quia cuilibet syllogismo competit ista definitio.

5. *Definitio duplex.* Secundo est notandum, quod duplex est definitio. Quædam est definitio *quid rei*, et quædam *quid nominis*. Definitio *quid rei*, est duplex, quia quædam exprimit quid res est per verum genus, et differentias formales, sine explicatione alicujus extraneæ conditionis. Et voco extraneam conditionem, puta quod definitio non exprimat, a quo res est, in quo est, cujus gratia sit, aut aliquam hujusmodi conditionem, sed solum debet exprimere quid res est : et talis definitio datur solum de substantia composita, ut patet 7. Metaphysicæ text. com, 12. Secunda est definitio *quid rei*, quæ non solum exprimit quid res est, sed cum hoc explicat aliquam extraneam conditionem, ut verbi gratia, definitio Accidentis, si sit bona, debet exprimere Subjectum, et in definitione Materiæ debet explicari forma, et e contra in definitione Formæ, Materia. Sed definitio *quid nominis* proprie dicitur Descriptio, et est illa, *Quæ exprimit explicite significationem implicitam termini definiti*. *Tres conditiones definitionis quid nominis.* Ad talem descriptionem, quod sit bona, sufficiunt tres conditiones. Prima est, quod *sit convertibilis cum definito*. Secunda est, quod *exprimat explicite significationem definiti*. Tertia est, quod *sit sine nugatione*, et sic patet de istis terminis *definitio*, et *definitum*, quid significent, et de quibus dicuntur, et hæc de primo.

6. *Conclusio prima.* Quantum ad secundum ponuntur conclusiones. Prima est, quod definitio Syllogismi non est simpliciter quidditativa, Probatur, quia definitio simpliciter quidditativa, non est nisi substantiæ compositæ ; modo syllogismus non est substantia composita, etc.

7. *Secunda conclusio.* Secunda conclusio est, quod definitio prædicta syllogismi, non est definitio *quid rei*. Probatur, quia syllogismus est accidens, modo in definitione Accidentis debet explicari subjectum, sed in ista non explicatur ; igitur, etc.

8. *Tertia conclusio.* Tertia conclusio est, quod ista est bona definitio *quid nominis*. Similiter probatur : quia ista definitio exprimit explicite quod hoc nomen, *syllogismus*, significat implicite, convertibiliter, et sine nugatione : igitur illa definitio est bona. Tenet consequentia per conditiones prius positas ; et antecedens apparet, quia de ratione Syllogismi est habere plures præmissas, et unam conclusionem, et quod sit necessaria illatio conclusionis ex præmissis : modo præmissæ exprimuntur in ista definitione, per hoc quod dicitur, *quibusdam positis*. Similiter conclusio, per hoc quod dicitur, *aliud ab his, quæ posita sunt*, et illatio utrinque exprimitur per hoc quod dicitur, *accidit de necessitate, eo quod hæc sunt*.

9. *Definitio syllogismi explicatur* His igitur præmissis exponenda est definitio. Unde in definitione primo ponitur *oratio*, tanquam genus ad differentiam Terminorum incomplexorum, et debet intelligi, quod sit *oratio*, non categorica, sed hypothetica, facta ex pluribus categoricis, mediantibus pluribus conjunctionibus, quarum una est inter præmissas, et alia inter præmissas et conclusionem. Secundo ponitur ista, *in qua quibusdam positis*, ad differentiam Consequentiæ, in qua ex una

propositione infertur alia, cujusmodi est Conversio, Æquipollentia, Enthymema, et hujusmodi, quarum aliquæ sunt consequentiæ formales, et aliquæ materiales. Tertio ponitur, *aliud ab his quæ posita sunt*, ad differentiam Consequentiæ, quæ est a copulativa ad alteram ejus partem, quia in tali Consequentia infertur idem per idem. Similiter ad differentiam Consequentiæ, quæ est ab exponentibus ad expositam, quia exponentibus, et expositæ correspondet idem conceptus in mente, et ideo in tali consequentia infertur idem per idem. Quarto ponitur ibi, *de necessitate accidit*, ad denotandum, quod si præmissæ sint veræ, et conclusio formetur, necesse est conclusionem esse veram. Quinto ponitur, *eo quod sunt*, ad differentiam Inductionis, quia in syllogismo propter hoc quod præmissæ sunt veræ, conclusio est vera, si formetur : sed propter hoc quod singulares inducentes sunt veræ, non sequitur conclusio universalis, nisi cointelligatur una alia propositio, ut patebit secundo hujus.

10. *Ad argumenta* Ad rationes. Ad tertiam dico, quod *Enthymema vere est Syllogismus*, id est, vere potest fieri Syllogismus. Ad septimam dico, quod ista non implicat contradictionem, quia per ipsam non denotatur aliud, nisi quod si præmissæ sint veræ, et conclusio formetur, necesse est conclusionem esse veram : et per idem dicitur ad confirmationem. Ad octavam, istam solvit Aristoteles in littera, cap. 1. unde Syllogismus secundæ, vel tertiæ figuræ, non indiget aliqua propositione totaliter diversa a præmissis, quæ sumptæ sunt, sed indiget conversione alicujus istarum assumptarum, aut transpositione præmissarum.

Ad alias patet ex dictis. Et sic patet quæstio.

QUÆSTIO VI

Utrum syllogismus sit genus ad syllogismum Dialecticum, et Demonstrativum

Joan. a Magistris *hîc quæst.* 1. *dub.* 2. Brasavol. *super quæst.* 3. *Univers.* Fuente 3. *p. sum. diff.* 1. *art.* 2.

1. *Argumenta pro parte negativa.* Arguitur quod non, quia illud non est genus ad aliquas species, quod non dividitur in illas species per differentias formales se tenentes ex parte formæ : sed Syllogismus non dividitur in Syllogismum Dialecticum, et demonstrativum per hujusmodi differentias formales : igitur. Major patet in 2. Metaph. text. com. 20. et minor, quia Syllogismus dividitur in Dialecticum, et demonstrativum per istas differentias, *probabile*, et *necessarium*, quæ se tenent ex parte materiæ Syllogismi, scilicet, ex parte propositionum.

Secundo, quia nullum complexum est species respectu alicujus generis, sed isti termini, *Syllogismus Dialecticus, et Syllogismus demonstrativus*, sunt termini complexi ; igitur respectu ipsorum iste terminus, *Syllogismus*, non est genus. Major patet, ex *quid nominis* prædicabilis. Unde prædicabile debet esse terminus incomplexus natus dici de pluribus, et minor nota est.

Tertio, quia nullus Syllogismus est genus ad Syllogismum Dialecticum, et demonstrativum : igitur. Consequentia patet per locum a toto in quantitate ad suam partem ; et antecedens apparet inducendo.

Pro parte affirmativa. Oppositum arguitur, quia Syllogismus Dialecticus, et Syllogismus demonstrativus sunt diversæ species, et de ipsis prædicatur Syllogismus *in quid* ; igitur, etc. Tenet consequentia per definitionem generis. Et prima pars antecedentis apparet ; quia plus differunt Syllogismus Dialecticus, et demonstrativus ab invicem, quam duo Dialectici, et tamen duo Dialectici differunt ab invicem numero ; igitur Dialecti-

cus, et demonstrativus differunt plus quam numero, et per consequens specie.

2. *nus, et tum in do quo- do con- iunt, et erunt.* Notandum est, quod genus, et totum in modo, conveniunt in hoc, quod utrumque se habet in plus, quam illud, respectu cujus dicitur genus, vel totum in modo; sed differunt : quia genus de sua ratione determinat sibi quod sit terminus incomplexus; secundo quod habeat plures species, de quibus prædicetur *in quid*, et univoce; tertio, quod dividatur in istas species per differentias, quæ se tenent ex parte formæ.

Sed contra hoc objicitur, quia tunc sequeretur, quod nomen, *substantia*, non esset genus ad Angelum, et hominem. Et probatur consequentia ; quia substantia non dividitur, nisi per differentias materiales in istas substantias, verbi gratia, Substantia vel est materialis ; vel immaterialis, modo istæ differentiæ *materiale*, et *immateriale* se tenent ex parte materiæ.

Respondetur negando consequentiam ; quia substantia per illas differentias non dividitur in prædictas substantias ; sed per istas differentias, *corporeum*, et *incorporeum*, quæ se tenent ex parte formæ. Sed totum in modo est terminus incomplexus, respectu sui ipsius sumpti cum determinatione accidentali, vel materiali : vel saltem non est terminus unus complexus, sicut est pars in modo. Verbi gratia, iste terminus, *homo*, est totum in modo, respectu hujus complexi, *Homo albus*, et dico notanter, *cum determinatione accidentali, vel materiali*, quia si esset determinatio essentialis, se tenens ex parte formæ, tunc oratio composita ex determinatione, et determinabili esset definitio, et non pars in modo. Verbi gratia, ista oratio, *Animal rationale*, non est pars in modo, sed est definitio hominis. Nunc ponantur conclusiones.

3. *Prima conclusio.* Prima est, quod iste terminus *Syllogismus*, non est genus ad Syllogismum Dialecticum, et demonstrativum, sive ad istos terminos, *Syllogismus Dialecticus*, *Syllogismus demonstrativus*. Probatur, supponendo, quod propositiones, ex quibus componitur Syllogismus, sint materiæ Syllogismi. Secundo, quod forma Syllogismi est modus inferendi, seu illatio concludens ex præmissis. Tunc arguitur, illud non est genus ad Syllogismum Dialecticum, et demonstrativum, quod in ipsos dividitur per differentias materiales, et non formales : Syllogismus dividitur in istas per istas differentias, *probabile*, et *necessarium*; quæ se tenent ex parte propositionum, quæ sunt materiæ Syllogismi, et non ex parte illationis, quæ est forma Syllogismi. Secundo, quia vel ista differentia, *Dialecticus*, est differentia accidentalis, vel materialis, vel formalis : si accidentalis, vel materialis, tunc sequitur quod istud aggregatum, *Syllogismus Dialecticus*, sit pars in modo, et non species. Et si dicatur, quod sit differentia essentialis formalis, tunc sequitur, quod illud aggregatum sit definitio, et non species, nec pars in modo.

Secunda conclusio est, quod iste terminus, *Syllogismus*, est totum in modo, respectu istorum terminorum, *Syllogismus Dialecticus*, et *Syllogismus demonstrativus*. Probatur ; quia omnis terminus incomplexus est totum in modo, respectu sui ipsius, sumpti cum determinatione accidentali, vel materiali : modo isti termini, *Dialecticus*, *demonstrativus*, sunt determinationes materiales additæ huic termino, *Syllogismus*, ergo. etc. 4. *Secunda conclusio.*

Tunc ad rationem post oppositum eo modo dico, quod isti termini, *syllogismus dialecticus et syllogismus demonstrativus*, non sunt species, sed quilibet eorum est pars in modo, respectu hujus termini, *syllogismus*. Et quando probatur per definitionem generis, dico quod non omne de quo prædicatur genus, in eo *quod quid*, est sua species. Nam genus prædicatur *in quid* de definitione suorum inferiorum, et tamen definitio non est species, cum de ratione speciei sit, quod sit terminus incomplexus. Rationes ante oppositum probant conclusiones, et sic patet ad quæsitum. 5. *Ad rationem pro parte affirmativa.*

QUÆSTIO VII

Utrum dici de omni, et dici de nullo, sint principia necessaria, et sufficiant ad bonitatem syllogismi

Philopon. 1. *Pri. c.* 7. Averroes *in expos. c.* 5. *hujus.* Alex. 2. *Pri. c.* 7. Burana *in expos. c.* 1. *hujus.* Bagolinus *in annot. ad hunc librum.* Occam 3. *p. Log. c.* 2. 4. *et* 5. Joan. a Magistris *q.* 2. *hujus.* Petrus Hisp. *tract.* 4. *sum.* Brasavol. *super q.* 3. *Univers. Scoti.* Tartar. *hîc dub.* 2. Fonseca *lib.* 6. *Instit. c.* 21. Complut. *lib.* 3. *sum. cap.* 4.

1. *Argumenta pro parte negativ.* Arguitur primo, quod non sufficiant. Quia si sic, sequeretur, quod conjugationes inutiles essent boni syllogismi; consequens est falsum, quia tunc non essent inutiles: et probatur consequentia, quia in pluribus conjugationibus inutilibus inveniuntur *dici de omni*, et *dici de nullo*, ut in prima figura, quando arguitur ex majori universali affirmativa, et minori universali negativa.

Secundo sequeretur, quod ex particularibus, et indefinitis posset fieri bonus syllogismus. Consequens est falsum, ut patet in isto primo; et probatur consequentia, quia in particularibus, et indefinitis inveniuntur, *dici de omni*, et *dici de nullo*. Unde hîc est dici de omni, *Homo est animal*, quia nihil est sumere sub subjecto, de quo non dicatur prædicatum: et hoc est dici de nullo, *Homo non est asinus*, quia nihil est sumere sub subjecto, a quo non removeatur prædicatum.

Tertio, quia syllogismi secundæ, et tertiæ figuræ sunt boni, et evidentes, et tamen non tenent in virtute, *dici de omni, aut de nullo*; igitur non omnis syllogismus tenet in virtute istorum principiorum; et antecedens apparet per Aristotelem in isto primo, c. 5. et deinceps.

Quarto, quia syllogismus expositorius est bonus syllogismus, et tamen non tenet in virtute *dici de omni, aut de nullo*, cum ibi nullus sit terminus distributus affirmative, vel negative.

Quinto, quia vel essent principia complexa, vel incomplexa: non complexa, quia principium complexum debet esse evidens, et per se notum: modo istud principium, *dici de omni*, non est evidenter notum, cum nec sit verum, nec falsum: igitur nec incomplexum, quia ista dicta, *dici de omni*, et *dici de nullo*, sunt complexa.

Oppositum arguitur per Aristotelem in littera, cap. 1.

Notandum, istud dictum, *dici de omni*, non est oratio completa, et indiget complemento, et ponitur loco alterius propositionis, scilicet istius, prædicatum universaliter, et affirmative dici de subjecto. 2.

Secundo notandum, quod talis oratio complexa proprie non habet definitionem, nec descriptionem, quia definitio, et descriptio dantur de terminis incomplexis: bene tamen potest habere quamdam explanationem, vel interpretationem, eo modo quo oratio minus nota declaratur, et explicatur per orationem magis notam.

Et ideo ista descriptio, vel explanatio, *dici de omni est, quando nihil est sumere sub subjecto, de quo non dicatur prædicatum.* Et debet sic intelligi, quod propositio universalis affirmativa significat prædicatum dici de omni eo, de quo prædicatur subjectum: et ideo si subjectum sumatur dici de aliquo, necesse est prædicatum dici de illo eodem. Et ita definitio, *dici de nullo, est quando nihil est sumere sub subjecto, a quo non removeatur prædicatum.* Et debet sic intelligi, quod propositio universalis negativa significat prædicatum negari ab omni illo, de quo affirmatur subjectum: et ista duo principia significant *quid nominis* propositionis universalis; ideo non possunt probari. Nam, *quid nominis*, est principium omnis doctrinæ, ut patet in Libro de Sensu, et Sensato, et ideo *quid nominis*, debet præsupponi in qualibet scientia. Ex quibus patet, quod signum universale non requirit aliquem certum numerum suppositorum termini communis cui additur, sicut aliqui dicunt, *Dici de omni, et dici de nullo declaratur*

quod hoc signum, *omnis*, ad minus requirit tria supposita : quia signum universale affirmativum non denotat aliud, quam prædicatum dici de omni supposito subjecti, non connotando, vel significando multitudinem, vel paucitatem suppositorum termini, cui additur.

3. Tertio notandum, quod quando dicitur, quod omnis syllogismus tenet in virtute *dici de omni, vel de nullo*, debet intelligi, quod omnis syllogismus est evidens aliquo dictorum principiorum, et hoc quantum ad illationem conclusionis : et dico notabiliter, *aliquo*, quia non oportet, quod ambo principia illa applicentur ad eumdem syllogismum. Nunc ponuntur conclusiones.

Prima conclusio. Prima est, quod omnis syllogismus in aliquo quatuor modorum primæ figuræ, tenet directe, et immediate, virtute alicujus dictorum principiorum. Probatur exemplificando, quia si *omne B est A*, et *omne C est B*, sequitur, quod *omne C sit A*, et tenet virtute aliquorum, quæ significant prædicatum dici de omni illo de quo dicitur subjectum : et ideo quia subjectum accipitur dici de *C*, oportet quod virtute significationis majoris prædicatum universaliter dicatur de *C*, et major sic significat virtute hujus signi, *omnis*, quod distribuit subjectum. Similiter potest exemplificari de negativis, ostendo sic : *Nullum B est A*, ista est major, et ratione signi significat prædicatum negari de omni illo, de quo dicitur subjectum. Ideo si subjectum sumatur dici de aliquo, ut *omne C est B*, sequitur virtute significationis majoris, quod *nullum C est A*.

4. *Secunda conclusio.* Secunda conclusio est, quod syllogismus secundæ, et tertiæ figuræ, non tenent directe, et immediate virtute istorum principiorum. Probatur, quia ad hoc, quod directe sit adjectio dictorum principiorum, oportet quod de aliquo subjecto universaliter sumpto, dicatur prædicatum : et quod illud subjectum sumatur dici de aliquo alio modo, sic non est in secunda, nec in tertia figura, quia terminus medius prædicatur in utraque præmissa, et terminus distributus nunquam prædicatur de aliquo in præmissis ; ita etiam in tertia figura terminus distributus semper subjicitur respectu sui prædicati, et nunquam prædicatur de aliquo alio.

Ex quo sequitur, quod syllogismi secundæ, et tertiæ figuræ sunt imperfecti, et inevidentes, fiunt tamen evidentes per primam figuram.

Secundo, sequitur, quod Inductio non est consequentia evidens, quia singulares, ex quibus infertur universalis, non significant istas esse omnes singulares istius universalis : igitur ad ipsas non sequitur universalis evidenter.

Tertio, sequitur, quod consequentia in qua ex *esse* unius rei sequitur *esse* alterius, aut ex *non esse* unius, *esse* alterius, non est consequentia simpliciter evidens, et perfecta. Probatur, quia talis est minus evidens, quam syllogismus factus in secunda, vel tertia figura, et tamen talis syllogismus non est simpliciter evidens, et perfectus.

Tertia conclusio est, quod syllogismi secundæ, et tertiæ figuræ mediate, et indirecte tenent virtute *dici de omni, et de nullo*, exponendo prædicto modo. Probatur, quia aliter sequitur, quod ex puris particularibus indefinitis, et singularibus, posset fieri bonus syllogismus in secunda, et tertia figura, quod est falsum. Secundo, quia syllogismi primæ figuræ tenent immediate, et directe virtute dictorum principiorum : igitur syllogismi secundæ et tertiæ figuræ, tenent indirecte, et mediate. Tenet consequentia ; quia isti syllogismi in secunda, et tertia figura reducuntur ad illos de prima figura. Tertio, patet exemplariter arguendo in *Cæsare*, *Nullus lapis est animal*, *omnis homo est animal* ; *igitur nullus homo est lapis*. Certum est, quod nulla fit sumptio sub termino distributo, nisi indirecte, et ideo si convertatur major simpliciter, jam erit sumptio directa sub termino distributo, ut si ista, *Nullus lapis est animal*, convertatur in istam, *Nullum animal est lapis*, tunc fiet directa sumptio argumentando in *Celarent*. 5. *Tertia conclusio.*

6. *Quarta conclusio.* Quarta conclusio est, quod aliquis syllogismus expositorius tenet in virtute *dici de omni, et dici de nullo*, et non est dubium, quin omnis syllogismus expositorius teneat virtute dictorum principiorum, si est bonus; tamen dico specialiter propter syllogismos expositorios, qui fiunt de rebus illis, quarum una est eadem cuilibet diversarum rerum, in quibus syllogismus expositorius non valet, nisi reguletur virtute alicujus dictorum principiorum. Verbi gratia, non sequitur, *Iste Deus est Pater*, *Iste Deus est Filius*; *ergo Filius est Pater*; non valet syllogismus, nisi major reguletur per *dici de omni*, isto modo, *Omne quod est iste Deus, est Pater*, et tunc major esset falsa.

Ad rationes. Ad Primam, negatur consequentia. Ad probationem dico, quod si per *dici de omni*, intelligas propositionem universalem, tunc dico, quod hoc non sufficit ad veritatem syllogismi; sed requiritur ad *dici de omni* propositio universalis, et cum hoc quod ipsius subjectum accipiatur dici de aliquo alio, de quo concludetur prædicatum universalis: et oportet quod subjectum universalis debite sumatur, ut dicatur de alio secundum regulas positas in primo hujus: et tunc ista principia sufficient ad bonitatem syllogismi.

7. Ad secundam, negatur consequentia, quia licet prædicatum particularis dicatur de quolibet contento sub subjecto, tamen hoc non significatur formaliter per propositionem particularem vel indefinitam. Unde bene signatur per universalem, scilicet, quod prædicatum dicatur universaliter de subjecto, et ideo non est simile de universali et particulari.

Ad tertiam, syllogismi secundæ, et tertiæ figuræ, dico, quod illi syllogismi secundæ, et tertiæ figuræ tenent indirecte, et mediate per *dici de omni, et de nullo*; sed syllogismi primæ figuræ tenent directe.

Ad quartam de syllogismo expositorio dicetur postea.

Ad quintam dico, quod sunt principia complexa per se manifesta, et supponenda in ista scientia, eo quod explicant significationem terminorum, quæ præsupponenda est in omni scientia. etc.

QUÆSTIO VIII

Utrum dici de omni, sit aliquid, vel aliqua, scilicet, utrum prædicatum dici de subjecto universaliter sumpto, *sit prædicatum, vel subjectum, aut ambo simul, vel dispositio inhærens prædicato, vel significabile complexum præter ista*

Vide citatos *quæst.* 5. *hujus.*

Arguitur quod non sit prædicatum; quia tunc sequeretur quandocumque prædicatum esset *dici de subjecto universaliter sumpto*: modo consequens est falsum, quia prædicatum manebit, quando tamen non erit *dici de subjecto universaliter sumpto*, quando signum universale removetur manente propositione indefinita. 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Secundo, si *dici*, esset prædicatum, sequeretur, quod qui intelligeret prædicatum, intelligeret etiam prædicatum dici universaliter de subjecto. Consequens est falsum; quia prædicatum potest intelligi, sive dicatur de subjecto sumpto universaliter, sive particulariter, sive indefinite. Probatur consequentia, quia ex quo ista sunt eadem: qui intelligit unum, simul intelligit et reliquum.

Tertio arguitur, quod sit significabile complexe; quia ista propositio, *Dici universaliter de subjecto*, plus significat quam isti duo termini, *prædicatum, et subjectum*; igitur præter significata illorum terminorum correspondet aliquod aliud significatum dictæ propositioni, et non aliud quam significabile complexe per propositionem, scilicet prædicatum, *dici de subjecto*, quia illo significabili posito redditur propositio vera, et ipso non posito, adhuc positis subjecto, et prædicato, propositio non est vera.

Quarto ad hoc, quod ista propositio sit vera, *prædicatum dicitur de subjecto*, non sufficiunt prædicatum, et subjectum, sicut

ad veritatem istius, *Homo est albus*, non sufficiunt *homo*, et *albus*. Dico igitur : præter ista duo, requiritur aliquid aliud, ut puta, *Hominem esse album*, aut prædicatum *dici de subjecto*, et sic de similibus.

Quinto, sicut talibus propositionibus non correspondet significabile complexe per propositionem, sed res significata per subjectum, tunc quæro quid correspondet isti, *Si asinus volat, asinus habet alas*, et non potest dici, quod *asinus*, quia posito quod nullus asinus esset in rerum natura, adhuc propositio ista esset vera, et non propter aliud quam propter significabile complexe, quod sibi correspondet, igitur, etc.

2. Oppositum arguitur, quia in dictis secundum quid, est idem *ipsum*, et *esse ipsum*, ut *Hominem esse hominem*, sed in dictis secundum accidens, non est idem *ipsum*, et *esse ipsum*, ut *album*, et *esse album*, quia esse album est albedo. Modo omnis propositio, vel est facta ex terminis absolutis, vel ex terminis concretis : si ex terminis absolutis : igitur sibi correspondet significatum per subjectum : si ex terminis concretis, sibi correspondet accidens, vel dispositio connotata per illos terminos.

visio tionis In quæstione primo dicentur aliqua, et improbabitur una opinio. Secundo respondebitur ad quæsitum.

3. Quantum ad primum, notandum quod istud dictum, *dici de omni*, vel aliud, ut *Hominem esse album*, quandoque accipitur materialiter, et tunc sibi correspondet una propositio, ut *Homo est albus*, et alio modo accipitur significative : et sic dicit Aristoteles 5. Metaphys. cap. 1. de Ente, quod *idem est vadere, et esse vadens*, et quod *idem est secare, et esse secans*. Ex quo sequitur, quod significatum correspondens illi dicto, scilicet *esse secans, vel dici de omni*, est aliquid : aliter enim ista propositio affirmativa, *esse secans est esse agens*, esset falsa.

lusio. Suppositio igitur, quod significatum per talem propositionem sic, sive per tale dictum ponitur ista conclusio, quod significatum correspondens propositioni non est significabile complexe, per propositionem, quod quidem significabile non est res significata per subjectum, aut per prædicatum, aut dispositio alteri eorum inhærens, cujus tamen oppositum multi ponunt. Dicunt enim quod isti propositioni, *Deus est*, correspondet significabile complexe, puta *Deum esse*, quod quidem significabile non est dependens a significabili.

Probatur conclusio, quia vel tale significabile est dependens a Deo, vel independens: si independens, tunc sequitur, quod ipsum est prima causa, quod est impossibile. Et confirmatur, quia in illis significabilibus complexis unum est causa alterius, ut *Solem esse lucidum*, est causa hujus quod est, *Lunam esse lucidam*; tunc igitur in ordine tali causarum est processus in infinitum, et hoc non valet, ut patet 2. Metaphys. Igitur aliquando erit status, et per consequens illud significabile complexe, ad quod est status, erit prima causa, et per consequens præter Deum esset ponere aliam primam causam.

Si dicatur, quod illud significabile sit dependens a Deo, tunc sequitur quod Deus possit ipsum annihilare, salvatis quibuscumque aliis rebus, et poterit ipsum salvare, aliis rebus annihilatis. Ponatur igitur, quod separet albedinem Socratis a Socrate manente Socratem esse album, tunc sequitur, quod Socrates est albus, et quod nulla erit albedo, et per consequens Socrates erit albus sine albedine, quod implicat. 4.

Secundo, quod si ad hoc quod Socrates sit albus, requiritur quidam modus se habendi præter Socratem, et albedinem, scilicet Socratem esse album, tunc iste modus se habendi, aliter se habebit ad Socratem, et aliter ad albedinem. Et quæro de illis modis habendi, quorum unus aliter se habebit ad Socratem, et aliter ad albedinem, utrum illi modi se habeant aliter, et aliter per se ipsos, aut per alium modum superadditum. Si per se ipsos, tunc eadem ratione erit standum in primo, scilicet, quod albedo per ipsam sine dispositione addita, inhæret Socrati; si per modos alios, tunc

in illis modis aliter se habendi erit processus in infinitum, quod est impossibile.

5. Tertio, si ita esset, sequeretur, quod essent infinita talia significabilia complexa perpetua independentia a Deo, quorum numerum Deus non potest mutare, vel annihilare, cujusmodi essent ista, *Deum esse*, *Deum posse producere*, et sic de singulis.

Quarto, quia inter ista esset ordo perfectionis, vel non.

Iterum quæritur de significatione hujusmodi significabilium complexe in comparatione ad materiam.

Item, utrum complexe significabilia possint replere vacuum,

Item, an sint substantiæ, vel accidentia, ubi sunt, et quando, et ita de aliis, de quibus non apparet verisimilis responsio.

Iterum, quia frustra ponitur talis multitudo, quando omnia possunt salvari melius, non ponendo talem multitudinem, ut patet primo Physicorum. Modo omnia possunt melius salvari, igitur. Et hoc de primo.

6. *2. Pars quæstionis Propositio triplex.* Quantum ad secundum, notandum quod quædam est propositio categorica, et alia hypothetica. Item, quædam est categorica *de inesse*, et alia *modalis*. Illarum *de inesse*, quædam est de terminis absolutis, alia de terminis connotativis, et hoc dupliciter, quia quædam est de terminis positivis, alia de terminis privativis. Item, quædam de futuro, et alia de præterito, quædam de possibili. Et hypotheticarum quædam est conditionalis, etc.

Secundo notandum, quod terminorum connotativorum, quidam sunt qui connotant dispositionem superadditam, et distinctam a subjecto, ut iste terminus, *album*: alii connotant subjectum quodammodo se habere, licet non per dispositionem superadditam, ut secundum aliquos iste terminus *figura* supponit pro re figurata, connotando ipsam aliter se habere, et non per dispositionem additam.

7. Tertio notandum, quod in propositione inveniuntur duplices termini, quidam qui sunt ut subjectum et prædicatum, et sunt termini categorematici ; alii sunt termini syncategorematici, ut signa universalia, particularia, copula universalis, et conjunctiones, et hujusmodi : et istis terminis non correspondet aliquod significatum aliud a significatis terminorum categorematicorum, sed per ipsos intellectus aliter intelligit, et apprehendit eamdem rem, et ita eadem res significatur per ambo condeterminantia, quia intellectus diversimode concipit, propter diversitatem syncategorematum.

Nunc ponuntur conclusiones.

Prima est, quod propositioni categoricæ de præsenti affirmativæ, factæ ex terminis absolutis, correspondet significatum per subjectum. Verbi gratia, dico, quod significatum correspondens isti propositioni, *Homo est animal*, est *homo* ; et ideo hominem esse animal, est homo : et Deum esse, est Deus, et sic de singulis. Probatur, quia homo est illud quod est per suam essentiam: modo homo est animal per suam essentiam, igitur hominem esse animal, est homo ; nec ista consequentia valet, hominem esse animal, est hominem esse corpus, igitur qui cognoscit hominem esse animal, cognoscit hominem esse corpus, vel contra, et saltem si arguatur e contra, consequentia non valet. 8. *Prim[a] conclus[io]*

Secunda conclusio est, quod si propositio categorica affirmativa de præsenti sit composita ex terminis connotativis, qui non connotant dispositionem additam, vel ex terminis privativis, significatum correspondens tali propositioni est significatum subjecti, ut *Socratem esse figuratum, est Socrates : Hominem esse risibilem, est homo*, et ita de similibus. Exemplum de privativis, ut *Homo est cæcus*, ista significat hominem esse, et hominem esse aptum ad videndum, et hominem non habere visum, modo *hominem esse*, est idem quod *homo*. Similiter *Hominem esse aptum ad videndum, est homo*, quia accipiendo illa, non est res alia ab homine apto. Similiter *Hominem non videre*, non est aliud nisi deficere a debito inesse. Et ideo si sit aliquis homo qui non videat, tunc hominem non videre, est homo, 9. *Sec[unda] conclu[sio]*

et si nullus homo sit, quin videat, tunc hominem non videre, nihil est. Ex quibus sequitur, quod *Hominem esse cæcum est homo*, et ita de aliis privativis.

[1]0. *Tertia conclusio.* Tertia conclusio est, quod si propositio categorica affirmativa de præsenti sit composita ex terminis connotativis, qui connotant, dispositiones additas suis subjectis; tunc tali propositioni correspondet significatum, scilicet dispositio connotata per illum terminum, ut isti propositioni, *Homo est albus*, correspondet pro significato albedo hominis, et ideo hominem esse album, est albedo hominis, et per consequens albedo, et non sequitur contra, quia non convertitur.

Quarta conclusio. Quarta conclusio est, quod non oportet, quod propositioni negativæ correspondeat aliquod significatum, et ideo chimæram non esse hircocervum, nihil est. Similiter Socratem non esse asinum, si Socrates sit, est Socrates : si Socrates non sit, tunc nihil est, et sic de aliis negativis.

11. *Quinta conclusio.* Quinta conclusio est, quod non oportet, quod propositioni de possibili correspondeat aliquod significatum, sed sufficit quod possit correspondere.

Secundo, de propositione de præterito non oportet, quod sibi correspondeat significatum, sed quod alias correspondebat, conformiter de futuro, quod sibi correspondebat significatum.

Quarto, de conditionali dico, quod non oportet, quod sibi correspondeat significatum, nisi conditionaliter, et ideo asinum habere alas si volaret, non est, nec erit aliquid, sed esset asinus si volaret.

Similiter de disjunctiva, quia ei non correspondet significatum nisi disjunctive, ut isti, *Socrates est, vel Socrates non est*, si Socrates sit, correspondet Socrates, si Socrates non sit, nihil correspondet, et per hoc potest dici de omnibus aliis. Patet igitur, quod prædicatum *dici universaliter de subjecto*, non est aliud quam prædicatum.

12. *Ad argumenta.* Tunc ad rationes; ad primam negatur consequentia, quia licet prædicatum, et prædicatum *dici de subjecto* sint idem, non sequitur, quod quandocumque erit prædicatum, *dici de subjecto universaliter sumpto*, quia sicut contingit, quod album erit, quando non erit album esse, ita debet concedi, quod prædicatum *dici universaliter de subjecto erit*, quando non erit prædicatum.

Ad secundam responsum fuit in responsione præcedenti.

Ad tertiam dico, quod ista propositio plus significat, non quod sibi respondeat aliud significatum, sed quod intellectus aliter per ipsam concipit propter syncategoremata.

Ad quartam dico, quod ad hoc quod homo sit albus, non requiritur aliqua res alia a Socrate, et albedine, sed sufficit Socrates, et albedo in gradu sufficienti, ad denotandum præsentem Socratem, hoc est, Socrates, scilicet existens cum albedine; et quod natura albedinis non transmutatur, seu variatur per agens supernaturale, quia de natura albedinis est inhærere subjecto, et ideo præter ipsam non opportet addere istam inhærentiam distinctam.

Ad quintam dictum est, et sic sit dictum ad quæsitum.

QUÆSTIO IX

Utrum ista regula sit vera, quæcumque uni, et eidem sunt eadem, illa inter se sunt eadem

D. Thom. 1. *p. q.* 28. *art.* 3. Cajet. *ibid.* Durand. *in* 1. *d.* 2. *quæst.* 4. Capreol. *ibidem*, *q.* 3. Ferrar. 2. *contra Gent.* c. 9. Cannar. 1. *p. q.* 28. *art.* 3. Lichet. *in* 1. *d.* 2. *q.* 4. Vasq. 1. *p. disp.* 123. *c.* 1. *et* 2. Compl. *lib.* 3. *sum. c.* 4. Communiter recentiores *in regulis bonæ argumentationis.*

Arguitur primo quod non, quia ad veritatem regulæ requiritur, quod aliqua essent eadem inter se : modo hoc est falsum, quia sequitur, sunt eadem inter se, igitur sunt plura entia, et per consequens diversa a se invicem. 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Secundo, vel ista regula intelligitur copulative, vel disjunctive : non copulative, quia duæ medietates, conjunctive sumen-

do, sunt eædem toti, quia sunt totum, et tamen non sunt eædem inter se. Nec divisive, quia Socrates et Plato, divisive loquendo, sunt eadem uni,et eidem numero. Nam Socrates est idem uni, et eidem numero, scilicet sibiipsi. Plato etiam est idem uni, et eidem numero, scilicet sibiipsi; igitur Socrates, et Plato sunt eadem uni, et eidem numero, et tamen Socrates, et Plato non sunt idem inter se.

Tertio arguitur per instantiam in divinis; quia Pater in divinis est idem essentiæ divinæ,similiter Filius est idem illi eidem essentiæ, tamen Pater, et Filius non sunt idem inter se.

Quarto, quia sicut Socrates est albus, et Plato est albus; igitur Socrates, et Plato sunt albi : et ita sequitur in proposito, Socrates est idem uni, et eidem numero, et Plato est idem uni, et eidem numero,igitur Socrates, et Plato sunt idem uni, et eidem numero.

2. Oppositum arguitur per Aristotelem hîc c. 2. quia per istam regulam videtur probare conversionem universalis negativæ, similiter virtute ejus regulæ tenet syllogismus expositorius.

Nota,quod terminus pluralis numeri, vel etiam copulatus, aut disjunctus, potest exponi secundum duplicem sensum; unus sensus est divisus, et alter compositus. Verbi gratia, dicendo *A et B*, valet decem solidos, secundum sensum divisum, sensus est quod *A* valet decem solidos, et *B* decem solidos, secundum sensum compositum sensus est, quod *A* et *B* simul sumpta valent decem solidos. Ex quibus potest inferri primo, quod in creaturis non sunt aliquæ res eædem uni, et eidem, vel etiam eædem inter se loquendo secumdum sensum divisum. Patet, quia in creaturis nullum est idem cuilibet diversarum rerum. Et dico notabiliter, *in creaturis*, quia in divinis eadem res, scilicet essentia divina, est eadem cuilibet diversarum rerum, et hoc secundum sensum divisum, ut arguebatur ante oppositum, sed in creaturis bene invenitur, quod diversæ res sunt eædem uni,et eidem rei, loquendo secundum sensum compositum; sicut duæ medietates continui sunt illud continuum.

Item notandum, quod quandocumque de terminis significative sumptis, verificatur hoc prædicatum, *idem numero*, quemadmodum dicimus, quod *homo*, et *animal* sunt idem numero, illa erunt unum numero.

Et si objiciatur, quod talis locutio esset incongrua, ex quo verbum esset pluralis numeri, et res significata per subjectum esset una res, et idem numero. *Objectio.*

Respondetur, quod non est incongrua propter istam causam, quia incongruitas orationis non attenditur penes res significatas per terminos, sed penes modos significandi terminorum; et ideo licet significata sint eadem, tamen quia termini sunt plures significantes eamdem rem, locutio est congrua : ex quo sequitur, quod ista consequentia non valet, *A et B sunt, igitur A et B sunt entia*; posito casu quod *A* et *B* supponat pro una re indivisibili, ut puta pro intellectu : tunc antecedens est verum, et consequens est falsum. 3. *Solutio.*

Secundo sequitur quod ista consequentia non valet, *A est causa istius, et A est causa illius,igitur A est causa istorum*; posito casu quod iste vocetur interfector, qui potest alicui constituto in extrema necessitate subvenire, et non subvenit, imo per contemptum removet adjutorium suum ab illo. Isto supposito, ponitur quod sint decem constituti in extrema necessitate,quorum cuilibet Socrates potest subvenire, et non duobus, tunc isto casu posito, non subveniat Socrates alicui istorum, tunc antecedens dictæ consequentiæ est verum, et consequens falsum; quia cujuslibet istorum Socrates est interfector, quia unius est interfector, cum potuit uni subvenisse, et non magis unius, quam alterius; igitur cujuslibet illorum decem Socrates est interfector, tamen non sequitur, igitur duorum Socrates est interfector, quia nullis duobus Socrates potuit subvenire.

Istis præmissis dico, quod regula sic est 4. *Conclusi*

exponenda ; quicumque duo termini dicuntur idem alicui tertio termino supposito pro una re demonstrata, et pro illa sola, illi termini dicerentur de se invicem, ut si isti termini, *album, et animal* dicantur idem huic termino, *Socrates*, illi termini dicerentur de se invicem, et hoc est intelligendum, videlicet in quibus una res non est eadem cuilibet diversarum rerum.

! argu- ta. Nunc ad rationes. Ad primam dico, quod regula de virtute sermonis non est vera, sed ad sensum prædictum, scilicet quod si aliqui duo termini dicantur de una re demonstrata, illi termini dicentur de se invicem, sicut sequitur, *Socrates est albus : Socrates est animal ; igitur animal est album.*

Ad secundam intelligitur conjunctim, vel divisim. Dico, quod non intelligitur divisim loquendo. Ad probationem dico, quod ista consequentia non valet : Socrates est idem uni numero, et Plato : igitur ambo sunt eadem uni et eidem numero ; nisi diceretur quod ista dictio, *ambo*, faciat stare terminum confuse tantum.

Ad tertiam ista ratio fuit soluta prius.

Ad quartam sicut ad secundam. Et sic patet ad quæsitum.

QUÆSTIO X

Utrum in omni bona consequentia ex opposito consequentis inferatur oppositum antecedentis

Albert. Magn. *lib.* 1. *Prior. c. ult.* Alb. de Saxonia *tract. Log. c.* 8. Savonarola *lib.* 6. *de potestate faciendi syllogism.* Aversa *lib. Instit. tract.* 4. *c.* 2. Fuente 3. *p. sum. q.* 1. *diff.* 1. *art.* 1.

1. rgumen- pro par- negati-. Arguitur quod non, quia tunc sequeretur, quod universalis affirmativa posset converti simpliciter in universalem affirmativam. Consequens est falsum per Aristotelem in littera, c. 2. Consequentia probatur arguendo sic ; *Omne A est B, igitur omne B est A*, quia ex opposito consequentis, scilicet *nullum B est A*, sequitur oppositum accidentis, scilicet *nullum A est B.*

Secundo, quia si ex opposito consequentis potest inferri oppositum antecedentis, hoc esset pro tanto, quia oppositum consequentis repugnaret antecedenti ; sed propter hoc non, quia ista est bona consequentia, *Tantum pater est, igitur non tantum pater est*, et tamen oppositum consequentis non repugnat antecedenti, imo est idem cum antecedente.

Tertio, quia ista est bona consequentia, *Nullus homo currit, igitur quidam homo non currit*, et tamen ex opposito consequentis non infertur oppositum antecedentis, unde non sequitur, *Omnis homo currit ; igitur quidam homo currit*, unde posito casu, quod nulli essent homines, nisi mulieres currentes, tunc antecedens esset verum, et consequens falsum.

Quarto si illud sufficeret ad bonitatem consequentiæ, sequeretur quod ista consequentia esset bona : *Tu es, vel tu non es asinus ; igitur tu es asinus* ; Consequens est falsum, quia istius consequentiæ antecedens est verum, et consequens falsum. Probatur consequentia, quia detur oppositum consequentis, scilicet, *Non tu es asinus*, ad quam sequitur, *igitur non tu es asinus*, vel *tu non es asinus*, per istam regulam, Quælibet propositio infert seipsam cum qualibet alia in una disjunctiva. Modo istud consequens ultimum contradicit primo antecedenti, quia non potest veriori modo dari contradictio, quam præponendo negationem toti propositioni.

Oppositum arguitur per Aristotelem in littera, cap. 2. ubi per hoc probat conversionem universalis negativæ.

In quæstione primo videbitur quid requiritur ad bonitatem consequentiæ. In secundo videbitur quid consequentia, et qualiter dividitur in suas species. Tertio de quæsito, et quarto adjungentur quædam aliæ regulæ. 2. *Divisio quæstionis*

Quantum ad primum est sciendum, quod triplex est modus dicendi.

Primus modus est, quod ad bonitatem consequentiæ requiritur, et sufficit, quod impossibile est antecedens esse verum, et consequens falsum. *Primus modus dicendi circa primam partem quæstionis*

2. *Modus.* Secundus modus dicendi est, quod ad bonitatem consequentiæ requiritur, et sufficit, quod impossibile est sic esse, sicut significatur per antecedens, quin sic sit, sicut significatur per consequens.

3. *Modus.* Tertius modus est, quod ad bonitatem consequentiæ requiritur, et sufficit, quod impossibile est antecedente, et consequente simul formatis, antecedens esse verum, et consequens falsum.

3. *Objectio contra 1. modum.* Contra primum arguitur, quod ista consequentia est bona : *Omnis propositio est affirmativa* ; *igitur nulla propositio est negativa* ; et tamen antecedens est possibile esse verum, et impossibile est consequens esse verum : igitur illud non sufficit ad bonitatem consequentiæ. Quod ista sit bona probatur, quia ex opposito consequentis infertur oppositum antecedentis ; quia si aliqua propositio est negativa, sequitur quod non omnis propositio est affirmativa, quæ est opposita antecedentis. Et quod antecedens possit esse verum, patet per corruptionem omnium propositionum negativarum. Sed quod consequens non possit esse verum, probatur, quia consequens est una propositio negativa ; igitur quotiescumque ipsa est, ipsa est falsa : et tamen non posset esse vera, nisi ipsa existente ; igitur sequitur, quod nunquam poterit esse vera.

4. *Objectio contra 2. modum.* Contra secundum modum arguitur, supponendo, quod ad veritatem propositionis negativæ non requiratur aliquid sic esse ; sed sufficit, quod non sit ita, qualitercumque affirmativa sibi contradictoria significat esse, si ipsa esset : tunc si illud sufficeret ad bonitatem consequentiæ, sequeretur, quod ista consequentia esset bona : *Nulla chimæra est hircocervus* ; *igitur homo est asinus,* quod est falsum ; quia antecedens est verum, et consequens falsum ; quia impossibile est sic esse, sicut significatur per antecedens, quin ita sit, sicut significatur per consequens ; et hoc per se sufficit ad bonitatem consequentiæ : igitur consequentia dicta fuit bona.

5. *Objectio contra 3. modum.* Contra tertium modum arguitur, probando quod hoc non sufficiat ad bonitatem consequentiæ, quia fit aliqua consequentia, cujus tam antecedens, quam consequens est necessarium, et tamen illa consequentia non valet, igitur hoc non sufficit ad bonitatem consequentiæ. Tenet consequentia, quia ex quo tam antecedens, quam consequens est necessarium, impossibile est quod, antecedente, et consequente simul formatis, antecedens sit verum, et consequens falsum, quia consequens non potest esse falsum, ex quo est necessarium. Probatur antecedens de ista, *Deus est* ; igitur ista consequentia non valet, demonstrata eadem. Certum est, quod ista consequentia non valet, ut est possibile eam valere, quia tunc consequens esset falsum, et antecedens verum in bona consequentia. Et quod antecedens sit necessarium, notum est : sed quod consequens sit necessarium, probo ; quia impossibile est dictam consequentiam valere, igitur necesse est, sic esse, qualitercumque consequens significat, quia consequens non significat aliud, nisi quod ista consequentia non valet, et hoc de significatione materiali terminorum, et de significatione formali significat hanc esse veram : hæc consequentia non valet, et secundum utramque significationem consequens est necessarium.

6 *Opinio Doctoris.* Dico igitur, quod ad bonitatem consequentiæ, requiritur, et sufficit ultimus modus, scilicet impossibile est, antecedente, et consequente simul formatis, quod antecedens sit verum, et consequens falsum, excepto uno casu, scilicet ubi significatum consequentis repugnat significationi notæ consequentiæ, sicut conjunctionis, quæ denotat consequentiam esse, sicut in præcedenti argumento. Unde in prædicta consequentia ista dictio *igitur,* denotat consequentiam esse bonam : cui demonstrationi, vel significationi repugnat significatum consequentis : igitur non oportet quod in isto casu consequentia sit bona, et hæc de primo.

7. Quantum ad secundum, notandum quod *Consequentia est propositio hypothetica,*

. Pars æstionis Conse- uentia quid. *composita ex antecedente, et consequente, mediante conjunctione conditionali, vel rationali, quæ denotat, quod impossibile est ipsis, scilicet antecedente, et consequente simul formatis, quod antecedens sit verum, et consequens falsum,* et tunc si ita sit sicut ista conjunctio denotat, tunc consequentia est bona, et si non, tunc consequentia non valet. Et dico notabiliter quod *antecedens sit verum* : et non debet dici, quod antecedens possit esse verum, quia in prædicta propositione, *Omnis propositio est affirmativa* ; *igitur nulla est negativa*, antecedente, et consequente simul formatis, antecedens potest esse verum, et consequens non potest esse verum, tamen impossibile est, quod antecedente, et consequente simul formatis, antecedens sit verum, et consequens falsum, quare semper consequens repugnat antecedenti, igitur consequente existente, semper antecedens est verum.

8. Divisio nsequen- æ. Secundo notandum, quod consequentia sic dividitur ; quædam est materialis, quædam formalis. *Consequentia formalis est illa, quæ tenet in omnibus terminis, stante consimili dispositione, et forma terminorum.* Et vocantur *termini* in proposito, subjecta, et prædicata propositionum ; vel partes subjecti, et prædicati : sed ad formam consequentiæ pertinent omnia syncategoremata posita in consequentia, ut conjunctiones, signa universalia, particularia, negationes, et hujusmodi.

Secundo ad formam consequentiæ pertinet copula propositionis, et ideo non est eadem forma consequentiæ ex propositionibus, quarum copula est de *inesse*, et quarum copula est de *modo*.

Tertio ad formam pertinet multitudo præmissarum, affirmatio, et negatio propositionum, et hujusmodi, et ideo non est eadem forma arguendi ex affirmativis, et negativis, et ita de aliis.

9. Divisio nsequen- æ forma- . Consequentia formalis subdividitur, quia quædam est, cujus antecedens est una propositio categorica, ut *conversio, æquipollentia*, et hujusmodi. Alia est, cujus antecedens est propositio hypothetica, et quilibet istorum modorum potest subdividi in plures alios modos.

Sed *Consequentia materialis est illa, quæ non tenet in omnibus terminis, retenta consimili dispositione, et forma*, ita quod non fiat variatio nisi terminorum, et talis est duplex, quia quædam est vera simpliciter, et alia est vera, ut nunc. *Consequentia vera simpliciter est illa, quæ potest reduci ad formalem, per assumptionem unius propositionis necessariæ* ; et sic ista est consequentia materialis bona simpliciter, *Homo currit*; *igitur animal currit*, et reducitur ad formalem per istam necessariam, *Omnis homo est animal*. Et ista subdividitur in multa membra secundum diversitatem locorum Dialecticorum. Divisio consequentiæ materialis.

Sed *Consequentia materialis bona ut nunc, est illa, quæ potest reduci ad formalem, per assumptionem alicujus propositionis contingentis veræ* ; et sic posito, quod Socrates est albus, ista consequentia est bona, ut nunc, *Socrates currit* ; *igitur album currit*, quia reducitur ad formalem per istam contingentem, *Socrates est albus*. Patet igitur quid sit consequentia, et qualiter dividatur, et hæc de secundo. 10.

Quantum ad tertium, ponuntur conclusiones. 11. 3 Pars quæstionis.

Prima est, quod quando ad antecedens sequitur consequens, non oportet quod ex opposito contrario consequentis, sequatur oppositum contrarium antecedentis, et si sequatur, tamen hoc non sufficit ad bonitatem consequentiæ. Prima pars probatur, quia sequitur, *Nullum animal est homo* ; *igitur nullus homo est animal* ; et tamen arguendo ex contrario consequentis, ad contrarium antecedentis, non valet consequentia, sicut non sequitur, *Omnis homo est animal* ; *igitur omne animal est homo*. Et per idem probatur secunda pars, quia non sequitur, quod ista consequentia valeat, ex hoc quod ad contrarium consequentis sequatur contrarium antecedentis. Prima conclusio.

Secunda conclusio est, quod in omni bona consequentia, ad oppositum contradicto- 12. Secunda conclusio.

rium consequentis, sequitur oppositum contradictorium antecedentis. Probatur per definitionem bonæ consequentiæ, et sit *A* antecedens, et *B* consequens, tunc per definitionem sequitur quod *A et B* simul formatis, impossibile est *A* esse verum, et consequens falsum, igitur impossibile est, quod contradictorium consequentis sit verum, et contradictorium antecedentis sit falsum ; igitur per definitionem consequentiæ, contradictorium consequentis erit antecedens ad contradictorium antecedentis : et habetur propositum.

13. *Tertia conclusio.* Tertia conclusio est, quod quando ad antecedens sequitur consequens, oppositum consequentis repugnat antecedenti. Probatur, quia oppositum consequentis non potest simul stare in veritate cum antecedenti; igitur repugnat sibi. Tenet consequentia per *quid nominis* repugnantiæ, et antecedens apparet; quia oppositum consequentis infert oppositum antecedentis, per prædictam regulam; igitur cum oppositum antecedentis repugnet sibi, sequitur etiam quod oppositum consequentis repugnabit sibi, licet non eodem modo. Patet igitur qualiter ex opposito consequentis infertur oppositum antecedentis, et hæc de tertio.

14. *1. Pars quæstionis. Prima conclusio.* Quantum ad quartum, est Prima conclusio, quod ad quamlibet propositionem implicantem contradictionem de forma, sequitur quælibet alia propositio in consequentia formali. Verbi gratia, ad istam, *Socrates est, et Socrates non est,* quæ implicat contradictionem de forma, sequitur *Homo est asinus*, vel *Baculus stat in angulo,* et sic de quocumque. Probatur, quia sequitur, *Socrates est, et Socrates non est* ; *igitur Socrates non est.* Quia a copulativa ad alteram ejus partem est consequentia formalis, tunc reservetur illud consequens, postea sequitur, *Socrates est, et Socrates non est* ; *igitur Socrates est,* per eamdem regulam : et ad istam, *Socrates est,* sequitur, *igitur Socrates est,* vel *Homo est asinus.* Quia quælibet propositio infert seipsam formaliter cum quacumque alia in una disjunctiva, tunc arguitur ex consequente, *Socrates est, vel homo est asinus, sed Socrates non est,* ut reservatum fuit prius, *Igitur homo est asinus* ; et sicut arguitur de ista : ita potest argui de quacumque alia, omnes enim istæ consequentiæ sunt formales.

Secunda conclusio est, quod ad quamlibet propositionem impossibilem, sequitur quælibet alia propositio, non consequentia formali, sed bona consequentia materiali simpliciter. Probatur, quia illa consequentia est bona simpliciter, quæ potest reduci ad formalem per assumptionem tantum unius propositionis necessariæ : sed consequentia qua ex impossibili infertur alia propositio, quæcumque fuerit illa, potest reduci ad formalem per assumptionem unius propositionis necessariæ ; igitur talis est bona consequentia simpliciter. Major patet per definitionem consequentiæ simplicis, et bonæ. Minor probatur, quia talis consequentia reducitur ad formalem per assumptionem contradictoriæ illius propositionis impossibilis, cujus contradictoria est necessaria. Verbi gratia, dicendo quod ad istam, *Homo est asinus*, sequitur quælibet alia propositio, in bona consequentia simplici, ut sequitur, *Homo est asinus* ; *igitur tu es Romæ*, quia capiatur contradictorium antecedentis, tunc sequitur, *Nullus homo est asinus, et homo est asinus* ; *igitur nullus homo est asinus.* Similiter sequitur, *Igitur homo est asinus*, a copulativa ad alteram partem. Similiter sequitur, *Homo est asinus* ; *igitur homo est asinus, vel tu es Romæ, sed nullus homo est asinus,* ut jam reservatum est, *igitur tu es Romæ,* et habetur intentum, et sicut arguitur de ista, ita potest argui de qualibet alia. 15. *Secunda conclusio.*

Tertia conclusio, quod ad quamlibet propositionem sequitur propositio necessaria bona consequentia simplici, sed excepto casu prædicto, ubi significatum consequentis repugnat significationi notæ consequentiæ. Probatur conclusio, quia ad antecedens sequitur consequens, ad oppositum consequentis sequitur oppositum antecedentis ; sed ad propositionem impossibilem sequitur quælibet alia propositio ; igitur ad 16. *Tertia conclusi*

cujuslibet propositionis contradictoriam sequitur contradictorium propositionis impossibilis : et cum quælibet propositio sit alteri contradictoria, sequitur quod ad quamlibet sequatur contradictorium propositionis impossibilis : et cum ista sit necessaria, sequitur quod ad quamlibet propositionem sequitur necessarium, et habetur intentum.

17. *Quarta conclusio.* Quarta conclusio est, quod ad quamlibet propositionem falsam, sequitur quælibet alia propositio in consequentia bona materiali *ut nunc*. Probatur, quia illa est bona consequentia materialis *ut nunc*, quæ potest reduci ad formalem per assumptionem propositionis contingentis ; sed consequentia per quam ex una propositione falsa sequitur alia, quæcumque fuerit illa, potest reduci ad formalem, per assumptionem unius propositionis veræ contingentis ; igitur, etc. Major patet per definitionem consequentiæ materialis *ut nunc*, et minor probatur exemplificando, posito, quod Socrates sedeat, dico, quod ad istam, *Socrates movetur*, sequitur quælibet alia propositio in bona consequentia materiali *ut nunc*, quia per contradictoriam istius, *Socrates movetur*, quæ est vera, ista consequentia potest reduci ad formalem, ut capiendo istam copulativam, *Socrates movetur, et Socrates non movetur*, ad quam sequitur formaliter quælibet sua pars, sicut prius procedebatur.

18. *Quinta conclusio.* Quinta conclusio, quod omnis propositio vera sequitur ad quamcumque aliam propositionem, in bona consequentia materiali, *ut nunc*. Probatur, quia quando ad antecedens sequitur consequens, ad oppositum consequentis sequitur oppositum antecedentis : sed ad quamlibet propositionem falsam, sequitur quælibet alia propositio in bona consequentia, *ut nunc* ; igitur ad cujuslibet propositionis contradictoriam, sequitur contradictorium propositionis falsæ. Modo contradictoria propositionis falsæ est vera ; igitur ad quamlibet propositionem sequitur cujuslibet propositionis falsæ contradictorium. Et cum quælibet propositio vera sit cujuslibet falsæ contradictorium, sequitur, quod quælibet vera sequitur ad quamlibet aliam propositionem, et habetur intentum. Patet igitur quomodo ad impossibile, sequitur quodlibet quandoque formaliter, et in aliis materialiter solum, scilicet ubi impossibile non implicat formaliter contradictionem.

Nunc ad rationem, ad primam dico, quod debet intelligi de contradictorie opposito, et non de contrarie opposito. 19. *[Ad argumenta.]*

Ad secundam, hoc esset, quia oppositum consequentis repugnaret antecedenti, concedo, et dico, quod ista, *Tantum Pater est*, repugnat sibi ipsi, quia implicat contradictionem, sequitur enim, *Non tantum Pater est*; *igitur Pater est, et nihil aliud a Patre est*, et ad istam, *Pater est*, sequitur ista, *Filius est*; igitur dicta propositio repugnat sibi ipsi.

Ad tertiam, concedo primam consequentiam, et dico, quod oppositum consequentis infert oppositum antecedentis : unde propter hoc quod iste terminus, *homo*, est generis communis, non debet inferri, *Omnis homo currit*; *igitur quidam homo currit*, sed debet inferri indefinita remoto signo, ut *Omnis homo currit ; igitur homo currit*. Et si apponatur signum, tunc debet sumi disjunctive in masculino genere, vel in fœminino : ut *Omnis homo currit* ; *igitur quidam, vel quædam homo currit*.

Ad quartam, negatur consequentia. Ad primam dico, quod ex opposito consequentis infertur ista disjunctiva, *Non tu es asinus, vel tu non es asinus*, sed tunc ista disjunctiva est distinguenda, penes fallaciam compositionis, et divisionis : quia vel ista negatio *non*, quæ præcedit totam copulam disjunctivam, cadit super primam partem disjunctivæ solum, et sic est sensus divisus, et est una disjunctiva, quia sequitur ex opposito prædicti consequentis. Si vero capiatur in sensu composito, tunc illa negatio non cadit supra disjunctionem, et non supra aliquam partem disjunctivæ, et sic non est disjunctiva, imo potius copulativa, cum æquipolleat hypotheticæ copula- 20.

tivæ, et ut sic non sequitur ex opposito dicti consequentis. Et sic dictum ad quæsitum sit.

QUÆSTIO XI

Utrum syllogismus expositorius teneat gratia formæ

Occam 3. *p. Log. c.* 16. Joan. a Magist. *hîc q.* 7. §. 2. *dubitatur.* Tartar. *hîc dub.* 3. Fonseca *lib. instit. c.* 23. *et* 24. Hurtado *disp.* 10. *Log. sect.* 24. Aversa *lib. instit. tract.* 4. *cap.* 14. *et* 15. Rodrig. *lib.* 3. *dialect. c.* 8. Compl. *lib.* 3. *sum. c.* 7.

1. *Argumenta pro parte negativa.* Arguitur quod non, quia ista consequentia non valet, *Socratis cappa est alba, Socratis cappa est nigra; igitur nigrum est album*, quæ præmissæ sunt veræ, et conclusio falsa, et tamen est iste syllogismus expositorius, quia medium est terminus discretus.

Similiter non sequitur, *Iste homo est bonus, iste homo est malus*, diversis demonstratis; *Igitur bonum est malum.*

Secundo, quia non sequitur, *Iste homo, vel asinus est asinus, iste homo, vel asinus est homo; igitur homo est asinus.*

Tertio, quia non sequitur, *Iste homo est animal, iste homo est non omnis homo; igitur non omnis homo est animal.*

Quarto, quia non sequitur, *Iste homo est animal, iste homo est nullus asinus; igitur nullus asinus est animal.*

Item, non sequitur, *Ista Sequana fuit a centum annis, ista Sequana est hæc aqua; igitur hæc aqua fuit a centum annis*, quod est falsum, quia forte generata fuit per pluviam non est diu, aut per fontes.

Iterum non sequitur, *Hæc Essentia divina est Pater, hæc Essentia divina est Filius; igitur Filius est Pater.*

Item, in syllogismis negativis non sequitur, *Iste homo est animal, iste homo non est asinus; igitur asinus non est animal.*

2. Oppositum arguitur per Aristotelem hîc c. 2. qui videtur probare conversionem universalis negativæ per secundam regulam. Similiter probantur syllogismi tertiæ figuræ per syllogismum expositorium, et tenent virtute illius regulæ, *Quæcumque uni, et eidem sunt eadem, inter se sunt eadem.*

In ista quæstione videbitur ex quibus terminis fit syllogismus expositorius, et quid sit, similiter qualiter tenet gratia formæ, tam in affirmativis, quam in negativis. 3. *Divisio quæstionis*

Notandum est, quod *Syllogismus expositorius est ille, cujus medium est terminus discretus.* Sed est notandum, quod triplex est terminus discretus; unus qui significat unam solam rem, ita quod suæ significationi repugnat significare quamlibet diversarum rerum, sine nova impositione, vel demonstratione. *Terminus discretus triplex.*

Alio modo dicitur terminus discretus, qui supponit, vel significat unam rem singularem, cum hoc tamen significat, quamlibet diversarum rerum, quibus illa res singularis est eadem. V. g. iste terminus, *Hæc Essentia divina*, dicitur terminus discretus, quia significat unam solam rem singularem, quæ tamen cuilibet diversarum rerum est eadem. Et tertio modo dicitur terminus discretus, ut iste terminus *Sequana*, vel consimilis, quæ secundum Grammaticos est terminus discretus, eo quod est terminus singularis, et propriæ qualitatis, et tamen iste terminus significat successive quamlibet diversarum rerum sine nova impositione; quia nunc significat aquam, quæ nunc est, et postea significabit aquam, quæ postea erit omnino diversa ab ista, tamen istæ aquæ habent, vel habuerunt, vel habebunt aliquam unionem ad invicem, propter continuam successionem partium sibi invicem.

Tunc secundum istam descriptionem aliqui solvunt quæstionem, supponendo, quod terminus, primo modo dictus discretus, est proprie discretus, et alii minus proprie, tunc dicunt, quod syllogismi facti ex terminis discretis primo modo sint syllogismi boni gratia formæ, sed si fiant ex aliis terminis non vere, sicut argutum fuit ante oppositum de Essentia divina, et de Sequana. 4. *1. Mo[dus] solve[ndi] quæsti[o]nem.*

Contra istud arguitur, quia tunc sequeretur, quod Syllogismus expositorius non esset consequentia formalis. Consequens est falsum propter duo. Primo, quia per Syllogismum expositorium probatur conversio universalis negativæ, quæ conversio est formalis consequentia. Secundo, quia per ipsum probantur Syllogismi tertiæ figuræ, qui sunt consequentiæ formales : modo si Syllogismus expositorius non esset consequentia formalis, jam consequentiæ evidentiores probarentur per principium minus evidens. Probatur consequentia, quia Syllogismus expositorius non tenet gratia dispositionis, vel formæ propositionum, et terminorum, sed præcise gratia terminorum, qui sic vel sic significarent, et hoc est tenere gratia materiæ, ut patet ex præcedenti quæstione.

5. *Prima conclusio Doctoris.* Ideo dicendum est aliter, quod Syllogismus expositorius tenet gratia formæ in omnibus terminis, dum tamen præmissæ regulentur debite, per *dici de omni*, vel *de nullo*, ita quod terminus discretus distribuatur mediantibus istis dictionibus, *quod est*, ut ista, *Socrates currit*, debet resolvi in istam, *Omne quod est Socrates, currit*, et tunc Syllogismus expositorius est consequentia formalis.

6. Nota tamen, quod iste cui certum esset, quod nulla res esset eadem cuilibet plurium rerum, poneret Syllogismum expositorium consequentiam formalem, sine hujus regulatione per *dici de omni*, vel *de nullo*, ita quod apud ipsum ista consequentia esset formalis, *Hic homo est Socrates, hic homo currit*; *igitur Socrates currit*, sine hoc, quod aliqua præmissarum distribueretur negative, vel affirmative.

Et dico notabiliter, *cui esset certum*, et non, cui esset evidens, quia *certitudo* se habet in plus, quam *evidentia*. Nam *certitudo* est ad quamlibet partem alicujus propositionis, et potest esse respectu erroris, sicut respectu veritatis, sed nihil est *evidens* nisi verum. Et istum modum salvandi Syllogismum expositorium, quod sit consequentia formalis, posuit Averr. Commentator super istum librum.

Tunc in speciali de Syllogismo expositorio affirmativo dico, quod in qualibet trium figurarum potest fieri bonus Syllogismus expositorius affirmativus. Exemplum primæ figuræ, *Socrates est musicus, album est Socrates*; *igitur album est musicum*. Item, in divinis sequitur, *Hæc Essentia divina est Pater*, *Filius est hæc Essentia divina*; *igitur Filius est Pater*, posito quod præmissæ regulentur per *dici de omni*, et tunc major est falsa, sicut conclusio, unde ista est falsa : *Omne quod est hæc Essentia divina est Pater*, quia Filius est aliquod, quod est hæc Essentia divina, et tamen Filius non est Pater. Item, fiat exemplum de istis terminis *Sequana*, et hujusmodi, *Sequana fuit a centum annis*, *hæc aqua est Sequana*; igitur *hæc aqua fuit a centum annis*. Quia si major distribuatur, debet sic distribui : *Omne quod est Sequana, vel fuit Sequana, fuit a centum annis*, et major esset falsa. Similiter potest dici concedendo istam, *Hæc aqua fuit a centum annis*, quemadmodum, et ista, *Sequana fuit a centum annis*, quia utrobique est consimilis identitas, scilicet secundum continuam successionem partium. 7 *Secunda conclusio.*

Exemplum secundæ figuræ, ut *Album est iste homo*, *musicum est iste homo*; igitur *musicum est album*, reducitur ad primam figuram per conversionem majoris.

Exemplum tertiæ figuræ arguendo sic, *Iste homo est albus*, *iste homo est Grammaticus*; igitur *Grammaticus est albus*, et reducitur ad primam figuram per conversionem minoris.

Tunc de Syllogismo expositorio negativo dico, quod Syllogismus expositorius negativus valet in prima figura gratia formæ, majore existente negativa. 8. *Tertia conclusio.*

Contra, quia non sequitur, *Iste Pater non est Filius*, *hæc essentia est Pater*; *ergo hæc essentia non est Filius*.

Respondeo, quod consequentia est formalis, et sicut conclusio est falsa, ita similiter et major, si reguletur per *dici de nullo*, unde major est falsa, *Nihil quod est iste*

Pater, *est Filius*, quia essentia divina est iste Pater quæ est Filius.

9. *Quarta conclusio.* Secundo dico, quod Syllogismus negativus non valet in prima figura, si minor fuerit negativa, et causa est, quia si minor fuerit negativa, et major affirmativa, tunc major extremitas non est distributa in præmissis, imo stat determinate, et tamen stat confuse, et distributive in conclusione, modo ex non distributo nunquam sequitur distributum, gratia formæ. Verbi gratia, non sequitur, *Iste homo est animal, quidam asinus non est iste homo*; *igitur quidam asinus non est animal*, imo stat, quod omnis asinus est animal.

10. *Quinta conclusio.* Tertio dico, quod talis Syllogismus bene valet ad concludendum indirecte. V. g. *Iste homo est animal*, *quidam asinus non est iste homo*; *igitur quoddam animal non est asinus*. Et per idem potest dici de secunda, et tertia figura.

11. *Ad argumenta.* Ad rationes. Ad primam dico, quod iste terminus complexus, *Socratis cappa*, qui est medium dicti Syllogismi, non est terminus discretus, imo est terminus communis, ideo non est Syllogismus expositorius.

Ad secundam dico, quod non est Syllogismus expositorius, quia terminus discretus qui est ibi medium, non significat, ut demonstrat idem in utraque præmissa, ideo medium sumitur æquivoce in majori, et minori propter diversitatem demonstrationis.

Ad tertiam dico, quod debet concludi; *Igitur aliquid quod est non omnis homo est animal*.

Ad quartam dico, quod debet inferri ista; *Igitur aliquid quod est nullus asinus est animal*.

Ad quintam, negatur consequentia, tamen nulla illarum esset concedenda, si sumeretur distributive, et tunc valeret consequentia.

Ad alias dictum est in quæstione. Et sic sit dictum ad quæsitum.

QUÆSTIO XII

Utrum omnis propositio universalis negativa convertatur simpliciter

Aver. *in c.* 2. *hujus*. Boetius *hîc c*. 5. Bagolinus *in suis annot. ad hunc lib*. Burana *in c. 2. hujus*. Occam. 2. *p. Log. c*. 21. Petrus Hisp. *tract.* 1. *sum*. Tartar. *in exposit. cap*. 3. *hujus*. §. *quæritur utrum regulæ, etc*. Conimb. *hîc c*. 2. Fonseca *instit. Dialect. lib*. 3. *c*. 8. Hurtado *disp*. 4. *summ. sect*. 5. Ruvius *hîc cap*. 3. Compl. *lib*. 2. *summ. cap*. 7.

Arguitur quod non, quia universalis affirmativa non convertitur simpliciter, igitur nec universalis negativa. Tenet consequentia, quia affirmativa est potentior in inferendo, cujus signum est, quia ex puris affirmativis bene sequitur conclusio, sed nunquam ex puris negativis. 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Secundo, quia ista est universalis negativa, *Omnis homo animal non est*, et tamen non convertitur simpliciter: igitur non omnis universalis negativa convertitur simpliciter. Major probatur, quod sit universalis, quia ibi subjicitur terminus communis signo universali determinatus, sed quod sit negativa apparet, quia copula negatur; et minor apparet, quia sua convertens est falsa, scilicet ista, *Nullum animal est homo*, et si dicatur quod debet converti in istam, *Omne animal homo non est*, ita quod prædicatum sit non distributum in una, sicut in reliqua, hoc non valet, quia ista, *Omnis phœnix animal est*, est vera, si sic converteretur, sua convertens esset falsa, scilicet, *Omne animal phænix non est*.

Tertio, quia ista est vera, *Nullum generandum est homo*, et tamen sua convertens est falsa, scilicet, *Nullus homo est generandus*.

Quarto, quia ista est vera, scilicet, *Nullo homine currente, tu es asinus*, quia sua contradictoria est falsa, scilicet ista, *Aliquo homine currente, tu es asinus*, et tamen sua convertens esset falsa, scilicet, *Tu es asinus nullo homine currente*.

Quinto, hæc est vera, *Nullus homo est mulier*, et tamen sua convertens est falsa, scilicet *Nulla mulier est homo.*

Item, ista est universalis negativa, *Nullus equus est Socrates*, et tamen non convertitur simpliciter, quia dicendo, *Nullus Socrates est equus*, jam esset incongruitas, quia termino discreto non competit distributio.

Item ista, *Nullus homo est omnis homo*, non convertitur simpliciter, quia male diceretur, *Nullus omnis homo est homo*, quia signo universali non potest addi distributio.

2. *[D]ivisio [quæ]stionis* Oppositum arguitur per Aristotelem in littera, cap. 2.

In quæstione videbitur primo quid est *Conversio*, et quæ universalis negativa convertitur. Secundo videbitur de quibusdam regulis, sive cautelis observandis in conversionibus quarumdam propositionum.

Quantum ad primum notandum, quod *conversio*, seu *convertere* est facere de subjecto prædicatum, et e contra, cum necessitate consequentiæ. Per hoc quod dicitur *de subjecto prædicatum et e contra*, differt conversio a Syllogismo, et ab aliis argumentationibus enthymematicis. Sed per hoc, quod dicitur, *cum necessitate*, differt conversio a conversione particularis negativæ, quia licet illa sit transpositio subjecti ad prædicatum, tamen non est conversio, eo quod non est consequentia formalis. *[Co]nversio [qui]d.* Ex quo sequitur, quod *conversio* est quædam propositio hypothetica conditionalis, vel rationalis, cujus antecedens vocatur *conversa*, consequens vero *convertens*. Et ideo semper propositio quæ datur convertenda, est conversa, et alia per quam convertitur, est convertens.

3. Secundo est notandum, quod hypotheticis non competit converti, sed solum propositionibus Categoricis, quarum aliquæ sunt de *inesse*, et aliquæ de *modo*. Illarum de *inesse*, quædam sunt, in quibus ponitur aliquis terminus ampliativus subjecti, vel prædicati, ad supponendum non solum pro suppositis præsentis temporis, imo etiam pro suppositis possibilibus, præteriti, vel futuri ; aut etiam pro suppositis cujuslibet temporis indifferenter. Aliquæ sunt, in quibus non ponitur hujusmodi terminus ampliativus, et illarum quædam sunt, in quibus ponitur aliquis terminus obliquus, et aliquæ quarum quilibet terminus est rectus. De quibus omnibus dicendum est per ordinem, et primo de Categoricis, in quibus quilibet terminus est rectus sine ampliatione.

Tertio notandum, quod duplex est universalis negativa, quædam cujus prædicatum distribuitur, ut *Nullus homo est asinus.* Alia in qua prædicatum non distribuitur, ut quando prædicatum præcedit negationem, sicut ista, *Omnis homo animal non est.*

Nunc ponuntur conclusiones. Prima est, quod omnis propositio universalis negativa, cujus prædicatum distribuitur, potest converti simpliciter in universalem negativam. Probatur, quia propositio universalis negativa, virtute signi universalis significat prædicatum, pro quolibet suo supposito removeri a subjecto, pro quolibet supposito subjecti : ut patet per *dici de nullo* ; igitur sicut unum potest removeri a reliquo, ita e converso. 4. *Prima conclusio.*

Secunda conclusio est, quod universalis negativa, cujus prædicatum non distribuitur, non potest converti simpliciter in universalem negativam. Probatur, quia ista non significat prædicatum removeri a subjecto pro quolibet suo supposito, et ideo talis est convertenda per accidens in particularem negativam, ut ista *Omnis Phœnix animal non est*, convertenda est in istam : *Quoddam animal non est Phœnix.* *Secunda conclusio.*

Quantum ad secundum, prima regula est. Si in conversa implicetur aliquid in subjecto, in copula, vel in prædicato, oportet aliquando illud explicari in convertente, ad hoc quod fiat debita conversio. 5. *2. Pars quæstionis* *1. Regula.*

Exemplum de subjecto, dicendo, *Nemo est asinus*, debet explicari in convertente, *Nullus asinus est homo*, quia in subjecto implicabatur hoc totum, *Nullus homo*, si-

militer ista, *Immediatæ sunt partes continui*, debent explicari per istam, *Nullum medium est inter partes continui*, et tunc debet converti in illam, *Nihil quod est inter partes continui est medium.*

Item ista, *Nihil, et Chimæra sunt fratres*, debet explicari in istam, *Nullum aliquid, et Chimæra sunt fratres*, et convertitur in istam, *Nulli fratres sunt aliquid, et Chimæra*, et consimiliter exemplificetur suo modo de copula, et prædicato.

2. *Regula.* Secunda regula est, quod quandoque omne signum positum a parte subjecti in conversa, debet manere a parte prædicati in convertente, scilicet quando subjectum est terminus communis restrictus per signum universale ad unum genus tantum, et tamen sit communis generis, ut *Nullus homo est mulier*; *igitur nulla mulier est nullus homo.*

6. 3. *Regula.* Tertia regula, quod quando oportet mutare signum secundum declinationem Grammaticalem propter diversitatem subjecti, vel prædicati in numero, vel in genere; ut ista, *Nullus homo est capra*, convertitur in istam, *Nulla capra est aliquis homo*, et sic ibi mutatur unum genus in aliud.

. *Regula.* Quarta regula, quod signum positum a parte subjecti, debet addi illi toti, quod sequitur copulam, quando de subjecto sit prædicatum, quia illud totum sequens est prædicatum, et quia quandoque hoc non potest fieri convenienter per terminos jam positos : igitur oportet addere istas dictiones, *quod est*, ad hoc quod convenienter possit fieri distributio, et hoc contingit ad propositum in quatuor casibus.

7. Primo, quando prædicatum propositionis universalis est terminus discretus, ut dicendo, *Nullus equus est Socrates*, bene potest converti in istam, *Socrates non est equus*, tamen ista non est conversio simplex. Ideo additis illis dictionibus debet converti in istam *Nihil quod est Socrates est equus.*

Secundo, quando verbum ponitur in propositione, quod non habet participium sui temporis, in quod potest explicari, ut dicendo, *Nullus homo diligitur a suo inimico*; quia istud verbum, *diligitur*, non habet participium præsentis temporis, ideo debet converti in istam, *Nihil quod diligitur a suo inimico est homo.*

Tertio, quando prædicatum distribuitur negative, ut ista, *Nullus homo est nullum animal*, convertitur in istam, *Nihil quod est nullum animal est homo.*

Et quarto, quando prædicatum distribuitur affirmative, ut *Nullus homo est omnis homo*, convertitur in istam, *Nihil quod est omnis homo, est homo*, et si sint aliqui modi inconsueti, tunc illi sunt reducibiles ad istas.

Tunc ad rationes negatur consequentia, quia licet affirmativa sit æque potens quantum est ex parte subjecti, sicut est universalis negativa, non tamen quantum est ex parte prædicati, eo quod ejus prædicatum non distribuitur. 8. *Ad argumenta.*

Ad alias dictum est in quæstione, et sic dictum ad quæsitum.

QUÆSTIO XIII

Utrum omnis propositio particularis affirmativa, possit converti simpliciter in particularem affirmativam

Vide citatos *quæst. anteced.*

Arguitur quod non; quia hæc est vera : *Aliquod monstrum intenditur a natura*, ut potest probari expositorie sic, Hoc intenditur a natura, hoc est monstrum ; ergo monstrum intenditur a natura, et tamen sua convertens esset falsa, quia natura non intendit monstrum, ut patet 2. Physicorum. 1. *Argum*[enta pro] *te neg*[ati]*va*

Secundo, quia ista est vera : *Aliqua species est homo*, et tamen sua convertens esset falsa, scilicet, *Aliquis homo est species.*

Tertio, quia ista est vera, *Tantum aliquod animal est homo*, et tamen sua convertens est falsa, scilicet, *Aliquis homo est tan-*

tum animal, imo omnis homo est animal.

Quarto, de ista, *Populus currit*, posito quod una multitudo hominum currat, et ista est vera, *Populus currit*, et tamen sua convertens est falsa, scilicet, *Aliquod currens est populus*; vel, *igitur currens est populus*, vel etiam ista, *Aliqua currentia sunt populus*; quia si convertatur in istam, *Aliqua currentia sunt populus*, tunc quæro de conversione istius, *Exercitus est rotundus*, quæ non convertitur in istam, *Aliquod rotundum est exercitus*, nec in istam, *Aliqua rotunda sunt exercitus*, quia possibile est exercitum esse rotundum, nulla re existente rotunda, quæ est in exercitu.

Quinto, ista est vera, *Marcus, et Tullius sunt*, posito quod ista nomina, *Marcus et Tullius* sint synonyma, et tamen sua convertens est falsa, scilicet, *Entia sunt Marcus et Tullius*, quia eadem res est, *Marcus et Tullius*, nisi poneretur quod duæ medietates essent *Marcus et Tullius*, sed hoc non valet, supposito, quod ista nomina supponunt pro una re indivisibili.

Sexto dubitatur de conversionibus propositionum, in quibus ponuntur pronomina primæ, vel secundæ personæ, ut dicendo, *Ego curro, tu legis*, et hujusmodi.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo, c. 2.

2. *[...]positio [...]icula- [...]affir- [...]va du-*

Notandum, quod duplex invenitur propositio particularis affirmativa; quædam cujus prædicatum est terminus discretus, ut dicendo, *Quidam homo est Socrates*, et talis particularis sine aliquo addito non potest converti simpliciter, sed per accidens in unam singularem, ut in istam; *Socrates est homo*. Et dico notabiliter, *sine aliquo addito*, quia si addantur istæ dictiones, *quod est*, tunc bene convertitur simpliciter in particularem affirmativam, ut in istam, *Aliquid quod est Socrates est homo*.

[...]ima [...]lusio.

Tunc sit prima conclusio, quod talis particularis infert unam universalem de terminis transpositis, excepto uno casu. v. g. sequitur, *Quidam homo est Socrates*; *ergo omne quod est Socrates est homo*; tamen unus casus est excipiendus, ubi una res est eadem cuilibet plurium rerum, sicut in divinis, quia non sequitur, *Hæc Essentia divina est Pater*, vel e converso, *Pater est hæc essentia divina*, non sequitur, *Igitur omne quod est hæc Essentia divina est Pater*, quia Filius est hæc Essentia divina, et tamen Filius non est Pater, et propter istum casum debet dici, quod consequentia non valet de forma, licet bene valeat e contra, sicut sequitur, *Omne quod est Socrates currit; igitur Socrates currit*.

Alia est propositio particularis, cujus prædicatum distribuitur, ut ista; *Quædam Luna est omnis Luna*, et infert quamdam universalem de terminis transpositis, ut istam, *Igitur omnis Luna est Luna*, cujus signum est, quia dicta particularis significat prædicatum pro quolibet suo supposito, dici de subjecto pro uno supposito subjecti; igitur e contra: ad subjectum pro uno suo supposito potest dici de prædicato, pro quolibet suo supposito. Et dico notabiliter, *infert*, quia non convertitur in istam, eo quod aggregatum ex signo universali, et termino communi, erat prædicatum in prima, et tamen solus terminus communis est subjectum in secunda, et ideo non convertitur in istam, *Igitur aliquid quod est omnis Luna est Luna*, quæ est particularis affirmativa. 3.

Item alia est propositio particularis, cujus prædicatum est terminus communis non distributus; ut *Quidam homo est animal*.

Et tunc est secunda conclusio, quod talis propositio particularis affirmativa convertitur simpliciter in particularem affirmativam. Probatur capiendo istam particularem, *Quidam homo est animal*. Probo, quod ad istam sequatur, *animal est homo*; quia si non sequitur, sit iste homo, qui est animal, Socrates, tunc arguitur sic; *Socrates est homo, Socrates est Animal; igitur animal est homo*, quod est propositum, et tenet consequentia per illam, *Quæcumque uni, et eidem sunt eadem, inter se sunt eadem*. 4. *Secunda conclusio.*

5. Secundo, ista consequentia est bona, ex cujus opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis, sic est ista, ut patet ; igitur.

Dubium. Dubitatur qualiter convertitur ista, *Homo est subjectum,* si dicatur, quod in istam, *Subjectum est homo*, jam antecedens est verum, consequens falsum : quia ly *homo* est prædicatum in consequente.

Secundo, si significat iste terminus *A hominem* quando ponitur a parte subjecti, et *asinum* quando ponitur a parte prædicati, tunc convertatur ista *A est homo*, quæ est vera, quia per casum positum, significat idem positione, quod ista, *Homo est homo*, et tamen sua convertens est impossibilis, scilicet, ista, *Homo est A*, quod significat idem quod homo est asinus.

Tertio peto a te convertere primam propositionem proponendam a me, tunc propono tibi istam, tu non convertes aliquam propositionem, si convertis eam, quia ipsa est particularis negativa, quæ non potest converti : si non, hìc est contra positum, quia positum erat quod debebas convertere primam propositionem proponendam a me, et ista erat primo proposita.

2. Dubium. Tertio, dubitatur de conversione istius ; *Regis interest benefacere*. Item de ista : *Te decet hymnus Deus in Sion*, et hujusmodi, in quibus ponuntur verba defectiva.

6. *Ad 1. Dubium.* Ad ista, ad primum dico, quod ista, *Homo est subjectum*, verificatur prout terminus, *homo*, supponit materialiter pro seipso subjecto in propositione conversa, et ideo in propositione convertente debet consimiliter accipi, et propter hoc oportet convertere circumloquendo per verbum de præterito, scilicet in istam, *Quod fuit subjectum*, scilicet in propositione conversa, est iste terminus *homo*.

Ad secundum dico, quod casus non debet admitti, ubi significatio termini dependet ex veritate, vel falsitate propositionis, vel ex diversa situatione hujus termini, aut aliqua consimili conditione propositionis, vel termini, quia naturale est quod veritas, et falsitas propostionis, et hujus conditiones dependeant ex significatione termini, et non e contra.

Ad tertium dico, quod hujus positio, seu petitio dependens, non debet admitti nisi sub conditione ; quod non ponatur aliquid repugnans positioni, vel posito modo, huic positioni repugnans est, quod sit particularis negativa ; igitur non est admittenda : de aliis duobus dicetur postea, quando agetur de obliquis.

Tunc ad rationes. Ad primam dico, quod loco termini connotati, qui ponitur a parte subjecti, a qua parte non appellat suam formam, debet accipi pronomen demonstrativum, per quod demonstretur illud, pro quo prius supponebat terminus connotatus, et ideo ista, *Monstrum intenditur a natura*, convertitur in istam, *Aliquid quod intenditur a natura est hoc*, demonstrato illo, pro quo prius supponebat iste terminus, *monstrum*. 7. *Ad argumenta.*

Ad secundam dico, quod a parte prædicati hujus propositionis subintelligitur aliud, quod debet exprimi, V. g. per istam *Aliqua species est homo*, subintelligitur, quod aliqua species est iste conceptus *homo* et tunc convertitur in istam, *Iste conceptus homo est aliqua species.*

Ad aliam, *Tantum aliquod animal*, etc. dico, quod æquipollet uni particulari negativæ, scilicet isti, *Aliquod animal non est homo*, modo particularis negativa non convertitur. Vel potest dici, quod convertitur in istam veram, *Igitur quod tantum est homo est animal.*

Ad aliam dico, quod ista, *Populus currit* convertitur in istam; *Currentia sunt populus.* Et ista, *Exercitus est rotundus*, dico quod ibi debet suppleri, exercitus est rotundus exercitus, et facile est convertere.

Ad aliam dico, quod convertitur in istam, *Ens, est Marcus et Tullius*, unde illa copula *et* non denotat diversitatem rerum significatarum, sed terminorum significantium.

Ad aliam dico, quod tales propositiones convertuntur a proferentibus. v. g. dicens istam, *Tu legis*, debet eam convertere in

istam, *Legens es tu* : nec ista est difformitas quantum ad personam tactam in convertente, eo quod persona sequitur verbum. Sed si tales propositiones debeant converti ab aliis, quam a proferentibus, v. g. dicens istam alicui, *Tu legis*, ille audiens, cui loquetur, debet eam convertere in istam, *Legens est illud, quod ego sum*, sed unus tertius audiens, cui non fit locutio, debet eam convertere in unam, cujus prædicatum est pronomen tertiæ particulæ, *Legens est ille*, demonstrando illum pro quo supponebat ly *tu*, ante. Et sic dictum ad quæsitum.

QUÆSTIO XIV

Utrum omnis propositio universalis affirmativa convertatur per accidens in particularem affirmativam, et non simpliciter in universalem affirmativam

Vide citatos *quæst.* 12.

Arguitur quod non. Primo, quia propo- *en- ar- iva* sitio exclusiva est universalis affirmativa, et tamen convertitur simpliciter in universalem affirmativam ; igitur aliqua universalis affirmativa convertitur simpliciter in universalem affirmativam. Arguitur primo, quod sit universalis, quia infert universalem ; et affirmativa, quia infert affirmativam : et minor apparet; quia sequitur, *Tantum homo est animal; igitur omnis homo est animal.*

Secundo, quia propositio exceptiva est universalis affirmativa, ut ista, *Omnis præter Socratem currit*, et tamen non convertitur in particularem affirmativam, quia ista est incongrua , *Aliquod currens præter Socratem est homo*, quia dictio exceptiva significat per modum excipientis a toto universali distributo, aut a toto integrali, et ideo ab uno particulari non potest fieri exceptio.

Tertio, quia propositio reduplicativa est universalis affirmativa, ut omnis homo inquantum animal est sensibile, et tamen non convertitur in particularem affirmativam, ut in istam, *Quoddam sensibile est homo inquantum animal*: quia propositio cujus prædicato additur dictio reduplicativa est falsa, et inintelligibilis, ut patet in isto primo.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo, cap. 2.

Notandum, quod quadrupliciter invenitur proposito universalis . Quædam cujus 2. *Propositio universalis quadruplex.* prædicatum est terminus discretus, et illa convertitur tripliciter. Uno modo in singularem, ut ista, *Omnis homo est Socrates*, convertitur in istam , *Socrates est homo*, vel etiam de prædicato distributo, ut *Socrates est omnis homo*. Alio modo in particularem affirmativam, additis istis dictionibus, *quod est*, ut in istam, *Aliquid quod est Socrates est homo.*

Tertio modo in universalem affirmativam, ut in istam, *Omne quod est Socrates est homo*, et hoc est verum, nisi in uno casu, scilicet quando una res est eadem cuilibet diversarum rerum.

Alia est propositio universalis, cujus 3. prædicatum est terminus communis distributus affirmative, ut *Omnis homo est omnis homo*, et talis convertitur dupliciter . Uno modo in particularem affirmativam, ut in istam, *Aliquid quod est omnis homo est homo*, et ponuntur ibi istæ dictiones, *quod est* : ad denotandum, quod istud totum, *omnis homo*, se tenet ex parte subjecti in convertente, sicut se tenuit a parte prædicati in conversa.

Secundo modo convertitur in universalem de terminis transpositis, scilicet in istam ; *Omnis homo est homo*, quod probatur capiendo exempla in istis terminis, *Omne B est omne A, igitur omne A est B*, quia si non sequitur, detur oppositum consequentis, scilicet *Quoddam A non est B*, tunc ista habet duas causas veritatis. Unam, quod alter istorum terminorum pro nullo supponat, et tunc sic ista est vera, *Quoddam A non est B*, ita e contra, *Quoddam B non est omne A*, quæ est opposita antecedentis. Alia causa veritatis est, quod quoddam *B*

sit, et tamen non est omne *A*, vel e contra, et tunc sequitur oppositum antecedentis, scilicet, quod *Non omne B est omne A*, et per consequens consequentia erat bona.

3. Alia est universalis affirmativa, cujus prædicatum est terminus communis distributus negative, ut *Omnis homo est nullus asinus*, quæ convertitur dupliciter. Uno modo in particularem affirmativam, ut in istam, *Igitur aliquis qui est nullus asinus est homo.*

Alio modo in universalem negativam, ut istam, *Nullus asinus est homo.* Probo consequentiam, ad affirmativam de prædicato infinito, sequitur negativa de prædicato finito, ut patet 2. Periherm. igitur ad istam, *Omnis homo est nullus asinus*, quæ est de prædicato infinito, sequitur ista negativa de prædicato finito, quæ est, *Omnis homo non est asinus*, quæ æquipollet isti, *Nullus homo est asinus*.

Alia est universalis affirmativa, cujus prædicatum est terminus communis non distributus, et de ista intelligit Aristoteles. Tunc ponuntur conclusiones.

4. *Prima conclusio. Quando universalis affirmativa convertitur simpliciter in universalem affirmativam.*

Prima est, quod nulla universalis affirmativa, cujus prædicatum est terminus communis non distributus, convertitur simpliciter in universalem affirmativam.

Probatur intelligendo in consequentia formali, quia non sequitur, *Omnis homo est animal, igitur omne animal est homo*, quia antecedens est verum, et consequens falsum, et dico notabiliter, *in consequentia formali*, quia in tribus casibus, potest converti simpliciter gratia materiæ.

Primus casus est, quando antecedens est impossibile, et ideo sequitur, *Omnis homo est asinus, igitur omnis asinus est homo*, quia ad impossibile sequitur quodlibet.

Secundus casus est, quando subjectum, et prædicatum sunt termini convertibiles, et ideo sequitur, *Omnis homo est risibilis, igitur omne risibile est homo.*

Tertius casus est, quando inferius prædicatur affirmative de suo superiori universaliter sumpto, et ideo sequitur, *Omne animal est homo*; *igitur omnis homo est animal.*

Secunda conclusio. Secunda conclusio est, quod omnis universalis affirmativa, cujus subjectum est terminus communis distributus, convertitur gratia formæ in particularem affirmativam, ut sequitur, *Omnis homo est animal*; *igitur quoddam animal est homo.* Probatur, quia quando ad antecedens, sequitur consequens, quidquid sequitur ad consequens, sequitur ad antecedens, et ideo ad universalem affirmativam sequitur particularis affirmativa sibi subalternata, ad quam particularem sequitur alia particularis affirmativa, quæ est sua convertens; igitur illa sequebatur ad universalem, v. g. sequitur, *Omnis homo est animal, ergo quidam homo est animal*, ad quam per conversionem particularis affirmativæ sequitur, *Quoddam animal est homo*; igitur ista sequebatur ad universalem. Secundo, quia ista consequentia est bona, ex cujus opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis, sed sic est in prædicta consequentia, ut patet.

co[...] Tertia conclusio est, quod omnis propositio universalis affirmativa de terminis rectis, infert exclusivam de terminis transpositis. Probatur, quia quælibet talis universalis infert exponentes exclusive de terminis transpositis; igitur etiam infert exclusivam. Tenet consequentia; quia exclusiva infertur ex suis exponentibus. Modo quidquid sequitur ad consequens, sequitur ad antecedens. Probatur antecedens, quia ad istam, *Omnis homo est animal*, sequitur ista, *Igitur animal est homo*, per præcedentem conclusionem, quæ est una exponens exclusive. Similiter sequitur, *Omnis homo est animal, igitur nihil aliud ab animali est homo*, quia detur oppositum, scilicet, *Aliquid aliud ab animali est homo*, tunc sequitur, quod *Aliquis homo non est animal*, quæ est opposita antecedentis.

Et dico notabiliter in conclusione, *de terminis rectis*, quia in terminis obliquis non valet consequentia, sicut non sequitur, *Cujuslibet hominis animal est asinus*; *igitur tantum asinus est animal hominis*; quia posito quod quilibet homo habeat asi-

num, et bovem, tunc antecedens est verum, et consequens falsum.

Secundo dico, quod consequentia non valet, quando universalis affirmativa includit aliquam negationem, et ideo licet ista sit vera, *Omnis homo est non omnis homo*, propter hoc non sequitur; *Igitur tantum non omnis homo est homo*, quia prima exponens esset falsa.

Tunc ad rationes. Ad primam dico, quod exclusiva non est proprie universalis, nisi ratione suarum exponentium, ut dictum fuit prius. Unde exclusiva convertitur in universalem de terminis transpositis, et e contra.

Ad secundam de exceptiva debet sic converti, *Omnis homo præter Socratem currit, igitur quoddam currens aliud a Socrate est homo*.

Ad tertiam de reduplicativa illa debet converti sic, *Omnis homo inquantum animal, est sensibile*; *igitur aliquid quod inquantum animal est sensibile, est homo*. Et sic ad quæsitum.

QUÆSTIO XV

Utrum propositio particularis negativa possit converti simpliciter in particularem negativam

Vide citatos *quæst.* 12.

Arguitur quod sic; quod nisi ita esset, sequeretur, quod universalis negativa non posset converti simpliciter. Consequens est falsum, ut patuit prius. Probatur consequentia, quia quando ad antecedens sequitur consequens, quidquid repugnat consequenti, repugnat antecedenti, sed particularis negativa sequitur ad universalem negativam: igitur cum non converti repugnet consequenti, sequitur quod repugnet antecedenti, scilicet universali negativæ, et per consequens universalis negativa non convertitur.

Secundo, quia sicut se habet ista, *Nullus homo currit*, ad istam, *Homo non currit*; ita se habet ista, *Nullum currens est homo*, ad istam, *Quoddam currens non est homo*; igitur permutatim, scilicet per locum a permutatata proportione, sicut se habet primum ad tertium, ita se habebit secundum ad quartum, ideo sicut ista, *Nullus homo currit*, convertitur in istam, *Nullum currens est homo*; ita ista, *Quidam homo non est currens*, convertitur in istam, *Quoddam currens non est homo*, et habetur propositum.

Tertio sicut est de particulari affirmativa, ita videtur de particulari negativa: sed particularis affirmativa convertitur; igitur, etc.

Quarto, quia singularis negativa convertitur simpliciter, ut dicendo, *Socrates non est Plato*; *igitur Plato non est Socrates*, igitur particularis negativa similiter convertitur, quia de particularibus negativis et singularibus idem est judicium.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo, cap. 2. ubi ponit istam conclusionem, quod *Particularis negativa non potest converti*. 2.

Notandum, quod ex parte suppositionis terminorum duo sunt impedimenta, propter quæ consequentia non valet. *Duo impedimenta bonæ consequentiæ.*

Primum impedimentum est, quando arguitur a termino non distributo, scilicet supponente determinate, vel confuse tantum, ad ipsummet sumptum distributive, et ideo non sequitur, *Homo currit, igitur omnis homo currit*.

Secundum impedimentum est, quando arguitur a termino stante confuse tantum in antecedente ad eumdem supponentem determinate in consequente, et ideo non sequitur, *Omnis homo animal non est, igitur omnis homo istud animal non est*, quia in antecedente iste terminus, *animal*, supponebat confuse tantum, et in consequente determinate, vel discrete. Et notabiliter dico *in antecedente dictione*, etc. quia si removeretur ista dictio *omnis*, tunc consequentia esset bona, quia sequitur, *Omnis homo animal non est, igitur homo hoc animal non est*.

3. *Divisio quæstionis* Istis præmissis, dicendum est de conversione propositionum singularium, secundo de conversione particularis negativæ. Quantum ad primum notandum, quod quædam est singularis de prædicato discreto, quædam de prædicato communi. Item, quædam est affirmativa, quædam negativa.

Prima conclusio. Tunc prima conclusio est, quod omnis propositio singularis affirmativa de prædicato discreto, convertitur simpliciter in singularem de prædicato discreto. Patet, quia sequitur, *Socrates est iste homo* : igitur *Iste homo est Socrates.*

Secunda conclusio. Secunda conclusio est, quod singularis affirmativa, cujus prædicatum est terminus communis, convertitur non simpliciter, sed per accidens in unam indefinitam, vel particularem ; sicut sequitur, *Socrates est homo, igitur homo est Socrates*, vel *quidam homo est Socrates.*

4. *Tertia conclusio.* Tertia conclusio est, quod singularis negativa de prædicato discreto convertitur in singularem negativam, sicut sequitur, *Socrates non est Plato, igitur Plato non est Socrates*, quia ibi non variatur suppositio alicujus termini, cujus ratione impediatur consequentia, et ideo in terminis singularibus non refert, quod negatio præponatur, vel postponatur ; et ideo istæ æquipollent, *Non Socrates est Plato, et Socrates non est Plato*, quæ tamen non æquipollerent de terminis communibus, imo una esset universalis, et alia particularis.

Quarta conclusio. Quarta conclusio est, quod singularis negativa, cujus prædicatum est terminus communis, convertitur dupliciter, scilicet in particularem negativam, et etiam in universalem negativam, et in utramque convertitur per accidens, et non simpliciter. Probatur, quia sequitur, *Socrates non est asinus, igitur quidam asinus non est Socrates*, quia in antecedente iste terminus, *asinus*, erat distributus negative virtute negationis præcedentis, modo ex distributo bene sequitur non distributum, licet non e contra ; similiter convertitur in universalem negativam, ideo sequitur, *Socrates non est asinus, igitur nullus asinus est Socrates*, quia detur oppositum consequentis, scilicet *Quidam asinus est Socrates*, sequitur per conversionem particularis affirmativæ oppositum antecedentis, scilicet *Socrates est asinus*, et sic patet qualiter convertitur propositio singularis.

5 *Secunda pars quæstionis.* Quantum ad secundum de particulari negativa, notandum, quod quædam est particularis negativa, cujus prædicatum est distributum, scilicet quando prædicatum sequitur negationem, ut dicendo, *Quidam homo non est asinus*. Alia est cujus prædicatum non distribuitur, eo quod præcedit negationem, ut dicendo, *Quidam homo animal non est.*

Secundo notandum, quod in proposito intelligimus de conversione proprie dicta, in qua manent iidem termini, et ideo non intelligitur de conversione per contrapositionem, nec de ea curat Aristoteles propter duo, quia non manent iidem termini in antecedente, et in consequente, imo mutantur termini finiti in infinitos. Secundo, quia ista conversio non est consequentia formalis, quod patet primo de universali affirmativa, quia non sequitur, *Omnis homo est ens, igitur omne non ens est non homo*, quia antecedens est verum, et consequens falsum. Nam subjectum consequentis pro nullo supponit : modo propositio affirmativa est falsa, cujus alter terminorum pro nullo supponit, hoc idem patet de particulari negativa, quia non sequitur, *Quædam Chimæra non est homo, igitur quidam non homo non est non Chimæra*, quia antecedens est verum, et consequens falsum, quia suum contradictorium est verum, scilicet istud, *Omnis non homo est non Chimæra.*

1 con[clusio]. Nunc ponuntur conclusiones. Prima est, quod particularis negativa, cujus prædicatum non distribuitur, convertitur in particularem negativam, cujus etiam prædicatum non distribuitur, sicut sequitur, *Quidam homo animal non est, igitur quoddam animal homo non est*, quia detur oppositum consequentis, scilicet, *Omne animal*

homo est, sequitur oppositum antecedentis, scilicet *Quidam homo animal est,* imo etiam sequitur universalis, scilicet quod *Omnis homo est animal.*

unda usio. Secunda conclusio est, quod omnis particularis negativa, sive sit de prædicato distributo, sive non distributo, convertitur in particularem negativam, cujus prædicatum non est distributum, sicut sequitur, *Quidam homo non est asinus*; *igitur quidam asinus homo non est*; similiter sequitur, *Quoddam animal non est homo, igitur quidam homo animal non est.* Verum est tamen, quod ista conversio non est mutata, quia licet ad istam, *Quoddam animal non est homo,* sequatur ista, *Quidam homo animal non est,* tamen non sequitur e contra.

7. *rtia lusio.* Tertia conclusio est, quod nulla propositio particularis negativa de prædicato distributo convertitur in particularem negativam de prædicato distributo gratia formæ, sicut non sequitur, *Quidam homo non currit, igitur quidam currens non est homo.* Probatur, quia nunquam est bona consequentia formalis, ubi ex termino non distributo infertur idem terminus distributus, ut patuit prius : modo sic est in tali conversione, quia in prædicta consequentia iste terminus, *homo,* supponebat determinate in antecedente, sed in consequente supponit confuse, et distributive. Secundo patet per instantiam, quia non sequitur, *Quoddam animal non est homo, igitur quidam homo non est animal.*

8. Et dico notabiliter, *consequentia formali,* quia in aliquibus terminis sequitur gratia materiæ sine consequentia materiali.

Primus casus est, quando uterque terminus est convertibilis cum reliquo, et ideo sequitur, *Quidam homo non est risibilis*; *ergo quoddam risibile non est homo.*

Secundus casus, quando superius negatur de inferiori, et ideo sequitur, *Quidam homo non est animal, igitur quoddam animal non est homo.*

Tertius casus, quando subjectum, et prædicatum sunt termini disparati, et ideo sequitur, *Quidam homo non est asinus ; igitur quidam asinus non est homo.*

Quartus, quando antecedens est impossibile.

Quintus, quando consequens est necessarium.

Ad rationes. Ad primam, negatur conse- 9
quentia. Ad probationem dico, quod ista *Ad argumenta.* regula, *Quidquid repugnat consequenti, repugnat antecedenti,* intelligitur, *antecedente* et *consequente* sumptis significative, et non tenet *consequente* materialiter sumpto, et ideo licet converti repugnaret particulari negativæ, non oportet propter hoc, quod repugnet universali negativæ.

Ad secundam dico, quod locus a transmutata proportione non tenet nisi in terminis significantibus quantitatem continuam, vel discretam, vel aliud commensurabile, quod est reducibile in quantitatem, ut puta intensionem, vel remissionem, et hujusmodi.

Ad tertiam, non est simile de particulari affirmativa, quia in conversione particularis affirmativæ non mutatur suppositio alicujus termini.

Ad quartam dico, quod non est idem judicium de particulari, et singulari, sed est idem judicium de indefinita, et particulari. Unde singularis negativa bene convertitur, et particularis negativa non. Item, ex singularibus, bene fit syllogismus, sed nunquam ex particularibus. Et sic dictum ad quæsitum.

QUÆSTIO XVI

Utrum subjectum possit ampliari per prædicatum ad supponendum pro aliis quam pro suppositis

Alb. de Saxon. *tract.* 2. *Log. cap.* 10. Tartar. *in expos. tract.* 9. Petri Hisp. §. *circa hoc quæritur.*

Hic quæritur in ista propositione, *Aliquis homo est mortuus,* utrum iste terminus *homo,* amplietur per prædicatum, quod 1.

est præteriti temporis, ad supponendum pro præteritis, vel solum supponat pro præsentibus, quemadmodum designat copula verbalis?

Argumenta pro parte negativa. Arguitur primo, quod supponat pro præsentibus solum, et per consequens illa propositio est falsa, quia subjectum non ampliat prædicatum ad supponendum pro suppositis subjecti, igitur nec contra. Tenet consequentia, quia idem videtur judicium quo ad hoc de subjecto, et prædicato. Antecedens patet, quia dicendo, *Quoddam mortuum est homò*; iste terminus, *homo*, non ampliatur per subjectum ad præterita, sed præcise supponit pro præsentibus, et propter hoc illa propositio est falsa.

Secundo, quia in omni propositione, prædicatum debet appellare suam formam, scilicet restringi ad supposita verbi, secundum significatum, et etiam secundum connotatum, igitur in ista propositione, *Homo est mortuus*, iste terminus *mortuus*, qui est prædicatum, præcise supposita pro suppositis verbi, scilicet pro præsentibus. Antecedens apparet, quia dicendo, *Nigrum cras erit album*, iste terminus *album*, appellat suam formam, et restringitur ad suppositum verbi, tam secundum significatum, quam secundum connotatum; sed non sic est de subjecto, quia ad hoc, quod ista sit vera, non requiritur quod subjectum sit nigrum cras, sed sufficit quod nunc sit nigrum, licet cras non, sed tantum requiritur, quod cras sit album.

Tertio, si subjectum sic ampliaretur, sequeretur quod secundus modus primæ figuræ non valeret, consequens est falsum. Probatur consequentia sic arguendo: *Nullus homo qui est, est mortuus. Omnis homo est homo qui est: igitur nullus homo est mortuus.* Præmissæ sunt veræ, et conclusio contradicit propositioni, de qua quæritur, igitur vel subjectum illius propositionis non ampliatur, vel iste syllogismus non valet.

Quarto sequeretur, quod duo primi modi secundæ figuræ non valerent. Probatur consequentia, arguendo sic, *Nullum mortuum est vivum, omnis homo est vivus: igitur nullus homo est mortuus* quæ contradicit dictæ propositioni, et ita potest exemplificari de *Camestres*.

Quinto sequeretur, quod particularis affirmativa non posset converti simpliciter, consequens est falsum, ut patet prius; et probatur consequentia, et sit iste terminus *A*, convertibilis cum isto termino *homo*, et iste terminus *B* convertibilis cum isto termino *mortuus*: per te ista est vera, *Quoddam A est* B, quia *quidam homo est mortuus*, et tamen sua convertens est falsa, scilicet, *Quoddam B est A*, scilicet *quoddam mortuum est homo.*

Oppositum arguitur per communem modum loquendi, scilicet quod respectu partium præteriti temporis in prædicato, subjectum supponit pro his quæ sunt, vel pro his quæ fuerunt. 2.

Ista quæstio mota est propter conversiones propositionum de præterito et de futuro, et ideo videndum est, quid est terminus ampliatus, et quid ampliativus, qui sint termini ampliativi, qualiter subjectum ampliatur per prædicatum, et non e contra. *Divisi[o] quæstio[nis]*

Notandum igitur quod *terminus ampliatus dicitur ille, qui ampliatur passive*, ita quod pro pluribus supponat quam ante, sed *terminus ampliativus est iste qui ampliat.* Verbi gratia, prædicatum, vel copula, si fuerit præteriti, vel futuri temporis, aut de possibili, ampliat subjectum ad supponendum pro suppositis præteriti, ultra ea, pro quibus supponit, ratione copulæ verbalis de præsenti. *Termi[nus] amplia[tus] et ampl[ia]tivus, qu[i]*

Secundo notandum, quod termini ampliativi sunt in multiplici differentia, quidam sunt ut verba præteriti, vel futuri temporis: alia sunt ut participia præteriti, vel futuri temporis. 3. *Termi[nus] amplia[ti]vus mu[lti]plex.*

Item, alia sunt, ut ista verba, *potest, contingit*, et nomina derivata ab istis.

Item, ista verba, *significo, intelligo, promitto*, et hujusmodi, et universaliter omne verbum, cujus actus potest transire indif-

ferenter in rem præteritam, vel futuram, sicut in rem præsentem, cujusmodi sunt verba prædicta, in activo genere, respectu Accusativorum, quos regunt post se, et in passivo genere, respectu Nominativorum casuum, qui supponunt pro eis, ut dicendo, *Antichristus intelligitur*.

Tertio notandum, quod talis propositio, *Homo est mortuus*, cujus subjectum ampliatur, habet duas causas veritatis, quando est indefinita, scilicet quod homo qui est, est mortuus, vel quod homo qui fuit, est mortuus ; et si sit vera in uno istorum sensuum, ipsa est vera simpliciter.

Alii tamen dicunt, quod ista propositio non habet duas causas veritatis, imo est distinguenda per illos duos sensus, ut patet primo Elenchorum de ista, *Laborans sanabitur*.

4. Quarto notandum, quod prædicatum dicitur appellare suam formam, et restringere ad supposita verbi, tam secundum significatum, quam secundum connotatum : ita quod propositio est vera pro suppositis illius temporis, cujus temporis est verbum, seu copula verbalis, et hoc est verum quando prædicatum est participium præsentis temporis, aut nomen significans sine tempore, ut dicendo, *Homo est albus*, iste terminus, *albus*, supponit pro illo, quod de facto est album. Similiter dicendo, *Homo erit albus*, ly *albus* supponit non pro illo, qui nunc est albus, sed qui erit albus in futuro, et ita respectu verbi de præterito. Et dico notabiliter, *Si prædicatum sit participium præsentis temporis, aut nomen significans sine tempore*, quia si prædicatum sit præteriti temporis; non oportet quod supponat pro suppositis de tempore verbi : sed pro suppositis, quæ de tempore verbi erunt : vel fuerunt præterita. Ut dicendo, *Socrates erit generatus*, non oportet quod istud prædicatum, *generatus*, supponat pro eo, qui erit, sed pro illo, de quo erit verum dicere in futuro, quod ipsum fuit. Similiter dicendo, *Socrates fuit generandus*, istud participium, *generandus*, non supponit pro eo, qui fuit, sed pro eo, quod de tempore verbi erat futurum. Et sic patet qualiter prædicatum restringitur per copulam ad supponendum pro aliis, et aliis suppositis : sed subjectum non, quia copula sequitur subjectum ; igitur copula non agit in ipsum. Sed prædicatum ampliat subjectum, secundum quod ipsum est unius temporis, vel alterius, eo quod subjectum non appellat suam formam, si non restringitur ad sua supposita, secundum exigentiam copulæ.

Tunc ponitur ista conclusio, quod subjectum ampliatur per prædicatum præteriti 5. *Conclusio.*
temporis, scilicet ad supponendum, pro his, quæ sunt ; vel pro his, quæ fuerunt, in propositione indefinita, vel particulari, et hoc disjunctive, sed in universali, copulative. Probatur ex communi modo loquendi, quia aliter multæ propositiones essent falsæ : quæ tamen sunt concedendæ, ut *Aliquid est possibile, quod non erit. Aliquid est generandum, Aliquid est præteritum, quod non est. Nulla rosa existente, rosa intelligitur*, quæ omnes essent falsæ, nisi subjecta ampliarentur ad supponendum pro aliis, quam pro suppositis de tempore verbi.

Nunc ad rationes. Ad primam negatur consequentia, nec est simile de subjecto et 6.
prædicato, quia prædicatum restringitur *Ad argumenta.*
ad supposita de tempore verbi, secundum exigentiam verbi, et subjectum non.

Ad secundam, prædicatum debet, etc. concedo. Et ideo si prædicatum sit præsentis temporis, vel nomen non ampliatum, ut *album*, tunc supponit præcise pro suppositis de tempore verbi. Sed si prædicatum sit participium præteriti temporis, tunc supponit pro suppositis quæ erant præterita de tempore verbi ; si vero prædicatum sit futuri temporis, tunc supponit pro suppositis, quæ in tempore verbi sunt, vel fuerunt futura.

Ad tertiam negatur consequentia. Ad probationem dico, quod iste Syllogismus non valet, quia in præmissis ponitur aliqua restrictio, ratione cujus illæ præmissæ

sunt veræ, quæ restrictio adimitur, non explicata in conclusione. Et si quæratur quid tunc debeat concludi, dico, quod eadem restrictio, quæ ponitur ad medium, debet in conclusione apponi minori extremitati, et ideo debet concludi ista, *Igitur nullus homo qui est, est mortuus.*

Ad quartam dicitur consimiliter. Ad quintam negatur consequentia, quia de conversionibus talium propositionum dicetur in alia quæstione, et sic ad quæsitum.

QUÆSTIO XVII

Utrum propositiones de præterito, et de futuro, similiter convertantur cum illis de præsenti

Occam 2. *part. Log. cap.* 22.

1 *Argumenta pro parte negativa.* Arguitur quod non, quia non sequitur, *Aristoteles est homo mortuus, igitur homo mortuus est Aristoteles*, quia antecedens est verum, et consequens falsum.

Secundo, non sequitur, *Nullus homo est mortuus, igitur nullum mortuum est homo*, vel saltem e converso, non valet consequentia.

Tertio, quia ista est vera, *Socrates fit*, et tamen ista est falsa, *quod fit est Socrates*, quia *Quod fit non est*, primo Perihermenias. Et patet ex alio, quia *Quod fit jam factum est*, et per consequens amplius non fit.

2. *Argumenta pro parte affirmativa.* Oppositum arguitur, quia sicut se habet præsens ad præsens, ita præteritum ad præteritum, et futurum ad futurum; igitur sicut ista de præsenti convertitur in istam de præsenti, ita ista de futuro convertitur in istam de futuro, et ita de præterito.

Secundo, aliter sequeretur, quod syllogismi imperfecti, facti ex propositionibus de præterito, et de futuro, non possent perfici per primam figuram, consequens est falsum, quia ista reductio habet fieri per conversionem.

Tertio per Aristotelem 1. hujus cap. 2. qui dat artem generaliter convertendi propositiones sine exceptione alicujus propositionis de præterito, vel de futuro.

Notandum quod quatuor modis aliqua propositio potest pertinere ad præteritum, vel futurum. Uno modo, si ejus prædicatum, aut subjectum sit participium præteriti, vel futuri temporis. Secundo modo, si copula verbalis sit præteriti, aut futuri temporis. Tertio, si copula verbalis significet, vel connotet motum, vel mutationem, ut ista verba *fieri*, vel *generari*, *corrumpi*, *incipere*, et *desinere*, et hujusmodi, bene talia verba non possunt exponi sine altera exponentium de præterito, vel futuro. Quarto, quando in propositione ponitur nomen, vel verbum ampliatum, cujus scilicet verbi actus transit in rem præteritam, vel futuram, vel possibilem, sicut in rem præsentem, sicut ista verba, *significo*, *intelligo*, *appeto*, *promitto*, et ista nomina, *causatum*, *causa*, *calefactivum*, et hujusmodi. Unde dicimus de sanitate, quod sit causa laborum, quando tamen nondum sanitas est. 3. *Quatuor modis potest aliqua propositio pertinere ad præteritum vel futurum.*

Tunc supposito, quod propositiones de præterito, vel futuro consimiliter convertantur, sicut illæ de præsenti propter rationes, post oppositum, dicendum est de conversionibus propositionum de quolibet dictorum quatuor modorum.

Quantum ad primum notandum, quod participium præteriti, vel futuri temporis, aut ponitur a parte subjecti, aut a parte prædicati. Si ponitur a parte subjecti, affirmative omnino simpliciter convertuntur, sicut illæ de præsenti, in quibus nihil est de futuro, vel de præterito, sicut ista, *Aliquod mortuum est homo*, simpliciter convertitur in istam, *Aliquis homo est mortuus*, et hujusmodi consequentiæ, antecedens est falsum, et consequens verum. Et dico notabiliter, *affirmative*, quia negative non simpliciter convertuntur. Unde ista, *Nullum mortuum est homo*, non convertitur in istam, *Nullus homo est mortuus*, quia antecedens est verum, et consequens falsum. Cujus causa est, quia participium 4.

a parte subjecti, supponit præcise pro illis, quæ sunt de tempore verbi, et similiter prædicatum, scilicet *homo*, sed quando de ipso fit subjectum, tunc supponit pro illis, quæ sunt, et pro illis, quæ fuerunt copulative in universali, et disjunctive in indefinita, vel particulari, et ideo illa propositio, *Nullum mortuum est homo*, debet converti in istam, *Nullus homo, qui est mortuus*, quia in consequente iste terminus, *homo*, debet restringi ad supponendum pro his præcise, pro quibus supponebat in antecedente.

Si autem participium fuerit prædicatum, ita quod sit præteriti temporis, tunc subjectum ampliatur in universali pro his quæ sunt, et pro his quæ fuerunt copulative, et in indefinita, vel particulari disjunctive, et secundum exigentiam illius habet illa propositio converti, v. g. ista, *Quidam homo est mortuus*, significat idem quod ista disjunctiva, *Quidam homo, qui est, est mortuus, vel quidam homo, qui fuit, est mortuus*, et ideo debet converti in istam, *Quoddam mortuum est, vel fuit homo*.

Item, de negativa, ut *Nullus homo est mortuus*, ista significat quod *Nullus homo qui est mortuus, nec aliquis homo qui fuit, est mortuus*, et ideo convertitur in istam, *Nullum mortuum est, nec fuit homo*, et tam antecedens, quam consequens sunt falsa.

5. Quantum ad secundum notandum, quod copula præteriti, vel futuri temporis, ampliat subjectum, ad supponendum pro his disjunctive in indefinita, et copulative in universali : et ideo secundum exigentiam ampliationis subjecti istæ propositiones sunt convertendæ, ita quod universalis est convertenda in unam de prædicato copulato. Exempla possunt formari, quare sicut prius suo modo.

6. *Dubium.* Sed si quæratur de conversionibus illarum de præterito, in quibus alter terminus est participium præteriti, vel futuri temporis ; secundo de illis, in quibus uterque terminus est participium præteriti, vel futuri temporis. Exemplum primi, *Socrates fuit generandus*. *Solutio.* Dico, quod convertitur in istam, *Igitur aliquid quod fuit generandum, fuit Socrates*, nec oportet in illis prædicatum esse distributum. Exemplum secundi, *Quoddam mortuum fuit generandum, igitur quoddam quod fuit generandum, fuit mortuum*. Patet igitur qualiter convertuntur propositiones, in quibus ponuntur verbum, aut participium præteriti, vel futuri temporis. Et hæc de secundo.

Quantum ad tertium notandum, quod 7.
hujusmodi verba *incipit, desinit, fit, generari*, et hujusmodi, habent exponi per duas exponentes, quarum altera est de præterito, et alia de futuro.

Ideo sciendum de hoc verbo, *fit*, quod aliquid dicitur fieri dupliciter. *Aliquid dicitur fieri dupliciter.* Uno modo simpliciter loquendo, ut dicendo, *Homo fit*. Alio modo loquendo cum additione ; et hoc dupliciter, quia vel terminus, qui additur, est concretum de genere accidentis, ut dicendo, *Homo fit albus*, vel est terminus de genere substantiæ, ut dicendo, *Socrates fit homo*.

Item sciendum, quod aliqua fiunt subito, sicut est illuminatio medii, posito quod luminosum esset subito approximatum. Alia fiunt successive, ut *asinus, equus*, et hujusmodi. Modo ista quæ fiunt subito, sunt dum fiunt, et ista quæ fiunt successive, non sunt dum fiunt, et ideo propositiones sunt diversimode convertendæ. Unde ista, *Homo fit*, posito quod generatio hominis sit subitanea, convertitur in istam, *Quod fit est homo*, sed si generatio hominis sit successiva, convertitur in istam, *Quod fit erit homo*.

Item, propter removere ambiguitatem 8.
exponendi, expedit convertere in unam de prædicato disjuncto, verbi gratia ista, *Homo fit*, convertitur in istam, *Quod fit est, vel erit homo*, et ista, *Homo generatur*, in istam, *Quod generatur, est vel erit homo*.

Item, ista *A incipit esse*, convertitur in istam ; *Igitur quod incipit esse, est, vel erit A*.

Si autem istud verbum, *fit*, accipiatur cum aliquo termino sequente : ut dicendo,

Socrates fit homo, tunc ista convertitur simpliciter, si prædicatum sit terminus quidditativus de genere substantiæ, sine aliqua resolutione, ut ista, *Socrates fit homo ; igitur homo fit Socrates.*

Item, si prædicatum sit abstractum de genere accidentis, quod non æquipollet concreto, idem est judicium, ut si prædicatum esset de genere substantiæ, ut ista, *Albedo fit color,* convertitur in istam, *Color fit albedo,* sed si prædicatum sit terminus concretus de genere accidentis, tunc non potest sic converti simpliciter, ut probatum fuit ante oppositum, v. g. ista, *Aer fit lucidus,* convertitur in istam, *Lucidum est, vel erit aer*, et pono disjunctive prædicatum : quia aer potest simul incipere esse, et incipere esse lucidus. Et quemadmodum est de istis verbis *fieri,incipit,* ita opposito modo sunt convertendæ propositiones de istis verbis *desinere, et corrumpi*, v. g. ista, *Socrates desinit esse*, convertitur in istam : *Igitur quod desinit esse nunc est Socrates, vel prius Socrates.* Unde supposito, quod nullius rei permanentis in esse sit dare ultimum instans esse, tunc de omni permanente, ista est bona consequentia, *A desinit esse ; igitur quod desinit esse prius fuit A, et nunc non est A*, quia instans desinendi esse alicujus rei permanentis, est primum instans *non esse* ipsius. Eodem modo ista, *Socrates corrumpitur*,convertitur in istam, *Igitur quod corrumpitur, est, vel fuit Socrates.* Et ista, *Socrates desinit esse albus*, non convertitur in istam, *Album desinit esse Socrates*, sed in istam, *Igitur quod desinit esse album est, vel fuit Socrates.* Et sic patet qualiter propositiones de verbis significantibus motum, vel mutationem sunt convertendæ, et hæc de tertio.

9. Quantum ad quartum notandum, quod ista verba, *significo, intelligo, memoro, cognosco, opinor*,et hujusmodi, quorum actus transit in rem præteritam, præsentem, et futuram,ampliant terminos, quos regunt ad supponendum : non solum pro præsentibus, imo etiam pro præteritis, vel futuris. Et ideo in convertendo propositiones, in quibus ponuntur, oportet exprimere hujusmodi ampliationes. Unde homo intelligit rem quæ est futura : et etiam rem quæ est præterita, et ideo non sequitur, *A cognoscitur a Socrate, igitur aliquid cognitum a Socrate est A.*

Item ista nomina, *causa, causatum,* et quædam alia nomina denotantia aptitudinem, ampliant terminos sequentes ad supponendum pro aliis, quam pro præsentibus : ut verbi gratia, non sequitur, *A est causa effectiva B, igitur B est,* non valet consequentia, quia dum *B* fit, *A* est causa effectiva ipsius, et tamen quando *B* fit, *B* non est, sed erit.

Tunc dico, quod in conversione hujusmodi propositionum ista ampliatio debet explicari, verbi gratia, *Antichristus significatur hoc nomine Antichristus : igitur aliquid quod significatur hoc nomine Antichristus, est Antichristus*:non valet consequentia, sed convertitur in istam:*Igitur aliquid quod significatur hoc nomine Antichristus, est, vel fuit, vel erit, vel potest esse Antichristus*, quia hoc verbum, *significare,* ampliat terminum ad supponendum tam pro præsentibus, præteritis, et futuris, quam pro possibilibus. 10. *Conclusio.*

Item ista, *Sanitas causatur a labore : igitur quod causatur a labore est, vel erit sanitas.*Item ista,*Alicui promittitur equus: igitur aliquis cui promittitur equus, est, fuit, erit, vel esse potest aliquis.*

Objectio. Sed cum objicitur, quia si hujusmodi propositiones sic converterentur, sequitur, quod nullum impossibile posset intelligi, consequens est falsum, quia de impossibilibus enunciamus multa præterita, ut de *vacuo, infinito, Chimæra,* et hujusmodi. Consequentia probatur, quia si dicatur, *Vacuum intelligitur*,per te debet converti in istam, *Igitur quod intelligitur est, vel fuit, vel potest esse vacuum*,modo antecedens est verum, et consequens falsum.

Solutio. Respondetur pro nunc, quod nullum impossibile potest intelligi, et ideo intelligendo *vacuum,* intelligo res quæ sunt : ut puta *locum*, et *corpus*, tamen intelligo illa

illo modo, quo non possunt esse. Similiter intelligendo *infinitum* intelligo res infinitas; sed qualiter non sunt, id est, sine termino.

Item, intelligendo *Chimæram* intelliguntur partes diversorum animalium, eo modo tamen compositæ, qualiter non est possibile ipsas componi. Tunc rationes sunt solutæ. Et sic sit dictum ad quæsitum.

QUÆSTIO XVIII

Utrum propositiones de terminis obliquis similiter convertantur illis de rectis

Alb. de Saxonia *tract.* 4. *Log. cap.* 9. Tartar. *in expositione, cap.* 3. *et* 4. *hujus.* §. *Tertio sciendum.* Complut. *lib.* 2. *sum. cap.* 7.

1. *Argumenta pro parte negativa.* Arguitur quod non, quia non sequitur, *Homo differt ab aliquo homine, igitur aliquis homo differt ab homine.* Nam antecedens est verum, quia mulier quæ est homo, differt ab aliquo homine, quia ipsa non est aliquis homo, et tamen consequens est falsum, quia quilibet homo est homo, igitur nullus homo differt ab homine.

Secundo, ista est vera, *Totus Socrates est pars Socratis*, tamen sua convertens est falsa, scilicet ista, *Pars Socratis est Socrates*, aut etiam ista, *Pars Socratis est totus Socrates.*

Oppositum arguitur per Aristotelem 1. hujus cap. 2. qui dat regulas generales de conversionibus non excipiendo propositiones aliquas, aut de rectis, aut de obliquis.

2. Notandum est, quod in propositione, in qua ponitur obliquus, aut obliquus ponitur post copulam, ut dicendo, *Lapis est in muro*, et tunc semper subintelligitur rectus, scilicet participium verbi, ut dicendo, *Lapis est ens in muro* : aut obliquus præcedit copulam, et hoc dupliciter, quia vel solus obliquus præcedit copulam, ut dicendo, *Hominis est asinus*, aut rectus cum obliquo præcedit copulam : et tunc vel obliquus præcedit rectum, aut e contra rectus obliquum : modo quando rectus præcedit obliquum ante copulam, tunc omnes concordant in hoc, quod aggregatum ex recto, et obliquo sit subjectum; sed si obliquus præcedat rectum, aut solus obliquus præcedat copulam, tunc ponit quædam opinio, quod rectus est subjectum expressus, vel subintellectus, vel ad minus aggregatum ex recto, et obliquo, principalius tamen ratione recti, quam obliqui.

3. *Opinio Doctoris.* Alia opinio ponit, quod si solus obliquus præcedat copulam, aut obliquus cum recto, ita quod obliquus præcedat rectum, tunc obliquus est subjectum, et totum residuum se tenet a parte prædicati, quam teneo ad præsens in conversionibus istarum propositionum de obliquo, et videbitur postea.

Secundo notandum, quod aliquando obliquum præcedit signum universale, quod si fuerit in obliquo, tunc solus obliquus est subjectum, ut dicendo, *Cujuslibet contradictionis altera pars est vera.* Quandoque signum est in recto, et terminus sequens in obliquo, ut dicendo : *Quilibet hominis asinus currit*, et tunc non oportet quod solus obliquus sit subjectum, imo aggregatum ex recto et obliquo.

4. Tertio notandum, quod sicut aliquando in propositionibus de terminis rectis, prædicatum, aut pars prædicati præcedit copulam, ut dicendo, *Omnis homo animal non est*, ita quandoque in propositionibus de terminis obliquis, ut dicendo : *Homo ab homine differt*, iste obliquus, *ab homine*, se tenet a parte prædicati, et non a parte subjecti, eo quod non est determinatio subjecti, nec construitur cum subjecto, nec aliquam unionem habet cum subjecto, ratione cujus cum recto possit facere unum extremum propositionis : et ideo in isto casu deficit ista regula, quod quando rectus cum obliquo ponuntur a parte subjecti, ita quod rectus præcedat obliquum, aggregatum ex recto et obliquo, est ibi subjectum, quia intelligenda est ubi obliquus construitur cum subjecto, et est determinatio subjecti, ita quod habeat unionem cum

recto, ratione cujus ex ipsis possit fieri unum extremorum propositionis.

5. Quarto notandum, quod propositiones, in quibus termini obliqui sunt subjecta, resolvendæ sunt in quasdam alias de subjecto recto, per istud pronomen, *quod*, ponendo ipsum in eodem casu, in quo prius erat terminus obliquus, faciendo de obliquo rectum, v. g. *Hominis asinus currit*, resolvenda est in istam, *Homo est cujus asinus currit*, et ista, *Homo differt ab homine*, resolvenda est in istam, *Homo est aliquid a quo homo differt*, et ista, *Cujuslibet contradictionis altera pars est vera*, resolvitur in istam, *Quælibet contradictio est, cujus altera pars est vera.*

6. *Conclusio.* Tunc ponitur ista conclusio, quod propositiones de terminis obliquis consimiliter convertuntur cum illis de terminis rectis. Probatur conclusio.

Ad hoc, quod universalis negativa convertitur in universalem negativam, universalis affirmativa in particularem affirmativam, et particularis affirmativa in particularem affirmativam. Probatur, quia aliter sequeretur, quod non posset fieri Syllogismus ex propositionibus de terminis obliquis in secunda, vel in tertia figura ; consequens est falsum, ut patet per Aristotelem, versus finem hujus primi. Consequentia probatur, quia Syllogismi secundæ, et tertiæ figuræ non reducuntur, nisi per conversionem, et ideo nisi consimiliter converterentur, sicut illæ de terminis rectis, Aristoteles minus sufficienter determinasset.

7 *Prima regula in conversione propositionum de obliquo observanda.* Tunc sunt aliquæ regulæ in conversionibus propositionum de obliquo observandæ. Prima regula est ista, quod propositiones, in quibus subjicitur terminus obliquus, resolvendæ sunt in quasdam, ubi subjicitur terminus rectus, ita quod signum cum obliquo deberet poni in recto, quod quidem signum prius fuit in obliquo. Et hoc pronomen, *quod*, debet poni in eodem casu, in quo obliquus ponebatur prius. Verbi gratia, ista, *Cujuslibet contradictionis altera pars est vera*, primo resolvenda est in istam : *Quælibet contradictio est aliquid, cujus altera pars est vera*, et tunc convertenda est in istam : *Aliquid cujus altera pars est, vera est contradictio.*

Item ista, *Nullo homine currente, tu es asinus*, convertitur in istam, *Nihil quo currente tu es asinus, est homo.*

Item ista, *Neutrum oculum habendo tu potes videre*, convertitur in istam : *Neuter quem habendo tu potes videre, est oculus.*

Item ista, *Omnium oppositorum eadem est disciplina, igitur aliqua quorum eadem est disciplina, sunt opposita.*

Item ista, *Cujuslibet hominis asinus currit*, convertitur in istam, *Igitur aliquid cujus asinus currit, est homo*

Item ista, *Uterque istorum currit*, convertitur in istam, *Aliqui quorum alter currit, sunt isti.* Et ista, *Utriusque istorum quilibet asinus currit*, convertitur in istam, *Igitur aliqui quorum quilibet asinus currit, sunt isti.*

Secunda regula est ista, quod propositio in qua obliquus implicatur in Adverbio, vel in Conjunctione, debet explicari, et facta explicatione, de subjecto debet fieri prædicatum. Verbi gratia, dicendo : *Omnino Socrates est albus*, in isto adverbio, *omnino*, implicatur obliquus, quia dicendo, omnino Socrates est albus, valet tantum dicere, sicut in omni parte Socrates est albus, et tunc convertitur in istam, *Aliquid in quo Socrates est albus, est pars Socratis.* 8. *Secunda regula.*

Item dicendo, *Ter comedi panem*, in isto adverbio, *ter*, implicatur obliquus, qui debet explicari, ut dicendo, *Terna vice comedi panem*, et tunc debet converti in istam, *Aliquid, in quo comedi panem, sunt, vel fuerunt tres vices.* Eodem modo debent converti aliæ propositiones, in quibus a parte subjecti ponitur adverbium numerandi.

Item ista, *Vicissim contraria se expellunt*, resolvenda est in istam, *Temporibus discontinuis contraria se expellunt*, et tunc convertitur in istam, *Igitur contraria in quibus se expellunt, sunt tempora discontinua.*

Item ista, *Infinities fuit eclipsis*, resolvenda est in istam : *Quotlibet vicibus plus fuit eclipsis*, et convertitur in istam, *Igitur aliqua quibus pluries fuit eclipsis, sunt, vel fuerunt vices.*

9. *Tertia regula.* Tertia regula est, quod quando obliquus ponitur a parte prædicati, semper subintelligitur aliquis rectus, et tunc aggregatum, quod fuerit prædicatum conversæ, debet fieri subjectum convertentis. Verbi gratia, *Asinus est hominis*, convertitur in istam, *Ens hominis est asinus.*

Item, *Iste panis coquitur in furno*, convertitur in istam, *Quod coquitur in furno, est, vel erit panis*, et pono prædicatum disjunctive, pro tanto, quod hoc verbum *coquitur* significat motum alterationis pastæ ad panem.

Quarta regula. Quarta regula est, quod aliquando loco relativi oportet ponere antecedens, et e contra. Verbi gratia, dicendo, *Omnis habens filium, diligit illum*, male converteretur in istam, *Diligens illum est habens filium*, quia ipsa non est intelligibilis, ex quo non est antecedens ad quod refertur istud relativum ; igitur debet converti in istam, *Aliquis diligens filium habet illum* ; ita quod loco relativi ponitur antecedens. Tunc rationes solutæ sunt per prædicta. Et sic finis ad quæsitum.

QUÆSTIO XIX

Utrum obliquus possit esse subjectum propositionis

Arist. 1. *Periher. cap.* 2. Averroes *ibid.* Occam 3. *part. Log. cap.* 9. *et in exposit. lib.* 1. *Periher. cap.* 1. Alb. Parvus *lib.* 1. *Periher. q.* 3. Joannes a Magistris *hîc q.* 4. § *tertia regula.* Fuente 3. *p. sum. q.* 2. *diffic.* 3. *art.* 2.

1. *Argumentum pro parte negativa.* Hîc quæritur, an in ista propositione, *Hominis asinus currit*, iste terminus *hominis*, præcise sit subjectum ? Arguitur quod non, quia semper determinatio, et determinabile, posita ab eadem parte copulæ, debent esse idem extremum propositionis : sed obliquus est determinatio recti, igitur quando obliquus, et rectus præcedunt copulam, aggregatum erit subjectum. Major patet exemplariter in aliis, quia dicendo, *Homo albus currit*, aggregatum ex determinatione, et determinabili est huic subjectum : et Minor patet, quia iste terminus *asinus*, quantum est ex parte sui, supponit indifferenter pro omni asino, sed quando additur sibi obliquus, ut *hominis*, determininatur ad supponendum præcise pro asinis, qui sunt asini hominum.

Secundo, quia idem est subjectum convertentis, quod prius erat prædicatum conversæ : sed in ista, *Currens est hominis asinus*, hoc totum *hominis asinus*, est prædicatum, igitur similiter hoc totum, *hominis asinus*, erit subjectum in ista, *Hominis asinus currit.*

Tertio, quia subjectum est, de quo aliquid dicitur, modo prædicatum dicitur de isto toto, *hominis asinus*, in ista, *Hominis asinus currit*, quemadmodum dicitur de aggregato in ista, *Asinus hominis currit* ; igitur sicut in una, aggregatum est subjectum, ita et in reliqua.

Quarto sequitur, quod copula propositionis non implicaretur in verbo, imo in obliquo posito a parte subjecti. Consequens est falsum, quia copula significat cum tempore, et nomen non, ut patet primo Perihermenias. Probatur consequentia, quia ista, *Hominis asinus currit*, explicatur per istam, *Homo est cujus asinus currit*, modo ista copula *est*, implicabatur in obliquo, et non in verbo, quia verbum manet integrum, sicut ante.

Quinto, quia verisimile est, quod ista propositio, *Hominis asinus est*, sit de verbo secundo adjacente, quia nihil sequitur copulam, quod non esset nisi aggregatum ex recto et obliquo esset subjectum.

Sexto, quia quando rectus præcedit obliquum, aggregatum ex recto et obliquo est subjectum ; igitur eodem modo, quando obliquus præcedit rectum. Tenet consequentia, quia præcedere non arguit quod debeat esse subjectum, plus quam ante, quia quandoque totum prædicatum præ-

cedit copulam, ut dicendo, *Homo animal est.*

Septimo, quia in ista, *Quilibet hominis asinus currit,* hoc totum, *hominis asinus,* est subjectum, igitur similiter in ista, *Hominis asinus currit.* Tenet consequentia, quia propter illud quod non est subjectum, nec pars subjecti, non videtur quod debeat variari subjectum, sive addatur, sive removeatur, modo signum non est subjectum, nec pars subjecti.

Octavo, quia nomen obliquum non est nomen, ut patet primo Perihermenias, et non propter aliud, nisi quia non potest esse subjectum propositionis, vel prædicatum; igitur, etc.

Nono, quia Rectus apud Grammaticos est principalis pars orationis, igitur si Rectus, et obliquus præcedant copulam, sequitur, quod sicut Rectus principalius supponit verbo, ita etiam principalius erit subjectum.

2. Oppositum arguitur, quod in omni bono syllogismo facto in prima figura, illud est subjectum majoris, quod est prædicatum minoris: sed iste est bonus syllogismus in prima figura, *Cujuslibet hominis asinus currit; Socrates est homo; igitur Socratis asinus currit.* Sed in minori iste terminus *homo* est prædicatum, igitur in majori iste terminus *hominis* præcise erat subjectum.

Secundo, quia in ista propositione, *Regis interest bene facere,* iste terminus *Regis,* est subjectum, quia non apparet aliud quod reddat suppositum verbo; similiter sequitur in ista, *Uterque istorum currit,* iste terminus *istorum* est ibi subjectum, quia ly *uterque* non includit aliquod categorema, cum sit signum universale.

Tertio per definitionem subjecti, quia *subjectum est de quo aliud dicitur,* sed de aliquo obliquo dicitur aliud, scilicet prædicatum, in dicendo, *Hominis est asinus*; igitur, etc.

Quarto per Aristotelem in isto primo, versus finem, ubi ponit, quod ex majore de Recto, et minore de obliquo sequitur conclusio, cujus subjectum est de obliquo, ut arguendo sic, *Omnis disciplina est sophia, boni est disciplina*; *igitur boni est sophia.*

Notandum quod Logicus et Grammaticus diversimode considerant de Nomine, et Verbo, sive de partibus orationis, quia Grammaticus considerat de eis in ordine ad congruitatem, modo de aliis partibus orationis a Nomine, et Verbo, possunt fieri orationes congruæ, licet imperfectæ, ut dicendo, *De domo ad tabernam.* Sed Logicus considerat de istis in ordine ad veritatem, et falsitatem, scilicet prout possunt esse partes principales enunciationis veræ, vel falsæ, scilicet subjectum prædicatum, vel copula, et tales partes sunt præcise nomina, et verba. Nam aliæ partes orationis non sunt nisi determinationes, vel dispositiones designantes significationem, vel suppositionem terminorum, scilicet Nominis, et Verbi, aut modum significandi, vel supponendi, aut diversum modum sequendi unius ex altero, vel diversum modum copulandi diversa ab invicem, et ita de aliis. 3.

Secundo notandum, quod quando obliquus præcedit copulam, aliquando ponitur solitarie, ut dicendo, *Hominis est asinus,* aliquando cum Recto sequente, ut *Hominis asinus currit,* aut cum Recto præcedente, et hoc dupliciter, quia vel Rectus præcedens est sine syncategoremate, ut dicendo, *Asinus hominis currit,* vel est cum syncategoremate, ut est signum universale, vel particulare, et tunc semper refertur vel ad rectum præcedentem obliquum dicendo, *Quilibet asinus hominis currit,* vel subintelligitur antecedens rectus, ut dicendo, *Uterque istorum currit,* unde ibi subintelligitur, quod uterque homo istorum currit, non de significatione hujus signi *Uterque,* quia illud signum nullum categorema includit, et ideo iste Rectus subintelligitur ratione obliqui sequentis. 4.

Tunc ponuntur conclusiones. Prima conclusio est ista, quod quando solus obliquus præcedit copulam, aut obliquus cum Recto, ita quod obliquus præcedat rectum, tunc 5. *Prim conclus*

solus obliquus est subjectum propositionis; ut in ista, *Hominis asinus currit.* Probatur; quia illud solum est subjectum, quod adveniente signo universali distribuitur: sed in isto casu, solus obliquus distribuitur per adventum signi universalis positi a parte ante totius propositionis; igitur solus obliquus est hîc subjectum. Major patet, primo ex definitione propositionis universalis; secundo, quia ista est indefinita, *Hominis asinus currit,* igitur potest fieri universalis per appositionem signi, et per consequens illius universalis iste terminus est subjectum, qui signo universali distruibuitur; et minor patet, quia dicendo, *Cujuslibet hominis asinus currit,* iste terminus, *hominis,* præcise distribuitur, quod probatur posito casu, quod quilibet homo habeat asinum qui currat, et sit unus asinus communis omnibus, qui non currat; vel distribuitur iste terminus *homo* præcise, et habetur intentum; vel distribuitur iste terminus *asinus,* et hoc non, quia tunc sequeretur, *Cujuslibet hominis asinus currit, asinus communis est asinus; igitur asinus communis hominis currit,* quod est contra casum, et per idem probabitur quod aggregatum non distribuitur: secundo probatur per rationes post oppositum.

6. Ex ista conclusione sequitur, quod ista consequentia non valet, *Omnem hominem videns est unum solum hominem videns: sed asinus est hominem videns, igitur est unum solum hominem videns,* quia posito casu, quod quilibet homo videat seipsum, et quod asinus videat omnem hominem, tunc præmissæ sunt veræ, et conclusio falsa, et ideo si fiat debita sumptio subjecti, debet tunc sic argui: *Omnem hominem videns est unum solum hominem videns, sed Socrates est homo; igitur Socratem videns est unum solum hominem videns,* quæ est vera, et etiam sua subcontraria, scilicet *Socratem videns non est unum solum hominem videns,* ut patet de asino. Et si quæratur de contradictoria illius universalis, dico, quod est ista, *Aliquem hominem videns non est unum solum hominem videns,* quod est falsum.

Secundo sequitur, quod ista consequentia non valet, *Cujuslibet contradictionis altera pars est vera: sed hic homo est asinus, est contradictionis altera pars; igitur hic homo est asinus, est vera.* Quia hîc non fit sumptio sub subjecto, sed sub parte prædicati, quæ non distribuitur. Et ideo deberet sic argui, *Cujuslibet contradictionis altera pars est vera, hæc est contradictio, igitur hujus contradictionis altera pars est vera.*

Secunda conclusio est, quod si a parte subjecti, scilicet a parte ante copulæ, Rectus præcedat obliquum, aggregatum ex recto et obliquo erit subjectum, ut dicendo, *Asinus hominis currit,* istud totum, *asinus hominis,* est subjectum. Probatur, quia illud est subjectum in indefinita, quod per signum universale appositum distribuitur in universali, et hoc est aggregatum ex recto et obliquo; igitur, etc. Major est nota, ut prius; quia aliter ex indefinita non posset fieri universalis: et minor patet, posito casu, quod sit unus asinus sylvester, qui nullius hominis sit possessio, et ponitur ultra, quod aliqui homines, habeant asinos, et aliqui non, et quod omnis asinus currat excepto sylvestri, tunc ista est vera, *Quilibet asinus hominis currit,* ut patet inductione, et tamen non distribuitur iste terminus *asinus* præcise, quia tunc quilibet asinus curreret, et non tantum hominis asinus, ideo aggregatum illud distribuitur. 7. *Secunda conclusio.*

Ad primam rationem negatur major, quia non oportet quod determinatio, et determinabile faciant unum extremum, quando determinatio potest distribui sine hoc, quod determinabile distribuitur, vel e contra, vel dicitur quod obliquus non est determinatio recti sequentis. 8. *Ad argumenta.*

Ad secundam concedo majorem, nego minorem, quia ista, *Hominus asinus currit,* non convertitur in illam: sed in istam, *Aliquis cujus asinus currit, est homo.*

Ad tertiam concedo definitionem subjecti, et dico, quod non est simile quando obliquus præcedit, et quando sequitur

quia quando obliquus præcedit, tunc per signum appositum solus obliquus distribuitur, sed quando sequitur, aggregatum ex recto et obliquo distribuitur, et ideo in ista, *Hominis asinus currit*, prædicatum dicitur de isto obliquo *Hominis*, ut patuit in alia quæstione resolvendo ipsam.

9. Ad quartam concedo quod copula includitur in obliquo, sed propter hoc non sequitur, quod si copula significet cum tempore, quod tunc propter hoc obliquus significet cum tempore.

Ad quintam dico, quod ista non est de secundo adjacente : imo non plus quam ista, *Homo est animal*, et ideo prædicatum potest præcedere copulam.

Ad sextam concedo antecedens, sed negatur consequentia, et causa est dicta in solutione tertiæ rationis.

Ad septimam dico, quod in ista, *Quilibet hominis asinus currit*, istud totum, *hominis asinus*, est subjectum, et hoc propter signum in recto, quod præcedit, quod signum, licet non sit subjectum, aut pars subjecti, attamen est syncategorema, designans modum supponendi ipsius subjecti : et ideo propter ipsum variatur subjectum in indefinita et universali.

Ad octavam respondetur quod duplex est subjectum. Quoddam est subjectum locutionis, et aliud propositionis, modo obliquus est subjectum propositionis, licet non subjectum locutionis, propter hoc quod non construitur a parte de *est* secundo adjacente.

Ad nonam sicut ad præcedentem consimiliter. Et sic ad quæsitum.

QUÆSTIO XX

Utrum ex puris particularibus, vel indefinitis possit fieri syllogismus

Alb. de Saxionia *tract.* 4. *Log. cap.* 8. Tartar. *in expositione, tract.* 4. *Petri Hisp. et hic tract.* 2. *in princ.* Fonseca *lib.* 6. *Instit. cap.* 18. *et* 19. Complut. *lib.* 3. *sum. cap.* 4. Fuente 3. *p. sum. q.* 2. *diffic.* 2. *art.* 6. Aversa *lib. Instit. tract.* 4. *cap.* 7.

Arguitur quod sic, quia ex præmissis universalibus potest fieri syllogismus ad conclusionem universalem; igitur ex particularibus ad particularem. Tenet consequentia; quia sicut se habent præmissæ universales ad conclusionem universalem, ita particulares ad particularem. 1. *Argumen- ta pro pa- te negati- va.*

Secundo, quia ex una particulari sequitur conclusio gratia formæ : igitur ex pluribus particularibus. Tenet consequentia, quia plures particulares videntur esse potentiores in inferendo, quam una ; et antecedens apparet, quia per conversionem ex una particulari infertur alia, similiter per æquipollentiam.

Tertio, quia ad impossibile sequitur quodlibet : sed aliqua est particularis impossibilis ; igitur ad illam sequitur quælibet alia propositio necessaria particularis, et illa sequitur ad quamlibet aliam.

Quarto patet arguendo hypothetice isto modo, *Si quidam homo currit, quoddam animal movetur, sed quidam homo currit* ; *ergo quoddam animal movetur* ; hìc arguitur ex puris particularibus.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo, cap. 5. Notandum est, quod quædam est consequentia enthymematica, et quædam syllogistica. Consequentiarum enthymematicarum quædam sunt formales, quædam materiales. Materialium quædam sunt simplices, quædam ut nunc, quarum definitiones ponendæ sunt ex prædictis. 2. *Consequ- tiæ divi-*

Secundo notandum, quod ex una particulari sæpe sequitur alia in bona consequentia ; et primo gratia formæ per conversionem, ut, *Quidam homo est animal, igitur quoddam animal est homo.*

Secundo per æquipollentiam, ut, *Quidam homo non currit, igitur non omnis homo currit.*

Tertio, quando prædicatum variatur secundum finitum, et infinitum, verbi gratia, Ad affirmativam de prædicato infinito sequitur negativa de prædicato finito, simi-

liter ad affirmativam de prædicato finito sequitur negativa de prædicato infinito : ut patet secundo Perihermenias.

Quarto, quando antecedens, quæ est particularis, est impossibilis, ut *Quidam homo est asinus* ; *igitur tu curris.*

Quinto, quando consequens est necessarium.

Sexto, quando arguitur ex hypotheticis, licet non syllogistice, ut arguitur a disjunctiva cum opposito unius partis ad alteram partem.

Septimo, quando arguitur ex conditionali facta ex partibus cum antecedente posito inesse ad suum consequens, ut arguebatur ante oppositum.

Octavo, quando arguitur a copulativa ad alteram partem, et ita ex diversis modis arguendi ex hypotheticis non syllogistice.

Tunc quantum ad modum syllogisticum ponuntur conclusiones. Prima conclusio est ista. Quod ex puris particularibus ubi medium est terminus discretus, bene potest fieri syllogismus, verbi gratia, bene sequitur, *Quidam homo est Socrates, quoddam album est Socrates, igitur quoddam album est homo*, et licet iste processus prima facie non sit simpliciter evidens, attamen per conversionem præmissarum fit bona forma.

na sio.

Secunda conclusio est, quod in omni dispositione, in qua valet syllogismus expositorius valet etiam syllogismus ex puris particularibus, ubi medium in illa præmissa sumitur cum relativo identitatis : verbi gratia, sequitur evidenter, *Quoddam album est Socrates, et illud album currit, igitur currens est Socrates.* Patet, quia per relativum identitatis fit unio extremorum cum medio in præmissis, ratione unius, et ejusdem suppositi, et ideo unio extremorum in præmissis cum medio est sufficiens ad concludendum extrema de se invicem in conclusione.

nda sio.

Tertia conclusio, quod ex puris particularibus affirmativis fit bonus syllogismus in secunda figura, ubi utriusque præmissæ prædicatum est terminus communis, distributus affirmative, v. g. bene sequitur, *Quoddam motum circulariter est omnis luna, quoddam lucens est omnis luna ; igitur quoddam lucens est motum circulariter.* Et istud tenet in omnibus, nisi ubi per præmissas significatur una res aliqua numero, quæ est eadem cuilibet diversarum rerum, quia in isto casu consequentia non valeret ; quia non sequitur, *Quidam Pater in divinis est omnis essentia divina, quidam Filius in divinis est omnis essentia divina; igitur quidam Filius est Pater*, propter hoc, quod per istum terminum *essentia divina*, significatur una res numero, quæ est eadem cuilibet diversarum rerum. Et ideo si medium sumeretur sub ista forma, *Quoddam B est omne quod est A, quoddam C est omne quod est A, igitur quoddam C est B*, tunc valeret syllogismus in omnibus sine aliqua exceptione.

ia sio.

Quarta conclusio est, quod ex puris particularibus ambabus negativis, fit syllogismus ad concludendum particularem negativam, cujus extremum in conclusione, scilicet major extremitas, præcedit copulam, et negationem : sicut sequitur, *Quoddam animal non est homo, quoddam animal non est album, igitur quoddam album homo non est*, ita quod major extremitas præcedat negationem in conclusione. 5. *Quarta conclusio.*

Quinta conclusio est, quod exceptis prædictis casibus, nunquam ex puris particularibus potest fieri syllogismus. Probatur conclusio per instantiam in terminis ; quia non sequitur, *Quoddam animal est homo, quoddam animal est equus ; igitur quidam equus est homo* : nec sequitur negative, *Quoddam animal non est homo : quoddam animal non est risibile ; igitur quoddam risibile non est homo.* *Quinta conclusio.*

Tunc rationes sunt solutæ ex præcedentibus. Et sic patet quid sit dicendum ad quæsitum.

QUÆSTIO XXI

Utrum ex puris negativis possit fieri syllogismus

Averroes *hic cap.* 5. Occam 3. *Log. cap.* 3. Alb. de Saxonia *tract.* 4. *Log. cap.* 8. Joan. a Magistris q. 5. *hujus.* Tartar. *in exposit. tract.* 4. *Petri Hisp. et hîc tract.* 2. *in princ.* Fonseca *lib.* 6. *Institut. cap.* 18. *et* 19. Complut. *lib.* 3. *um. cap.* 4.

1. *Argumenta pro parte affirmativa.* Arguitur quod sic, quia ex una negativa bene fit syllogismus, igitur ex pluribus. Tenet consequentia, quia plures sunt potentiores ad inferendum, quam una, et antecedens patet, quia ex una negativa sequitur alia per subalternationem et conversionem.

Secundo, quia ex puris affirmativis sequitur conclusio : igitur ex puris negativis; quia sicut se habent affirmativæ ad affirmativam : ita negativæ ad negativam.

Tertio per Aristotelem in isto primo, cap. 14. qui ponit quod ex duabus negativis de contingenti bene fit syllogismus.

Quarto, quia iste est bonus syllogismus, scilicet, *Nullum animatum currit, nullum animal currit* ; *si nullum animal currit, nullus homò currit* ; *igitur si nullum animatum currit, nullus homò currit.*

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo, cap. 5.

2. *Divisio quæstionis* In quæstione primo videbitur, utrum ex aliqua negativa possit sequi aliqua affirmativa. Secundo qualiter ex una negativa possit sequi aliqua negativa. Et tertio qualiter ex pluribus negativis possit sequi aliqua conclusio, et qualiter non.

Prima conclusio. Quantum ad primum sit prima conclusio ista, quod ex una hypothetica negativa sequitur formaliter aliqua affirmativa, imo plures categoricæ affirmativæ. Probatur sic, capiendo unam disjunctivam compositam ex duabus categoricis negativis, ut *Socrates non currit, vel homo non est albus*; tunc capiatur contradictoria istius disjunctivæ præponendo negationem, deinde capitur ejus contradictoria per copulativam factam ex partibus contradictoriis, quæ erit ista : *Socrates currit, et ómnis hómò est albus,* tunc arguitur sic, Quidquid sequitur ad istam copulativam affirmativam, sequitur ad istam disjunctivam negativam; sed ad istam copulativam, sequitur formaliter quælibet suarum partium, quæ est affirmativa; igitur ad istam disjunctivam negativam sequitur quælibet pars illius copulativæ. Major patet, quia illud quod sequitur ad unam æquipollentiam, sequitur ad aliam, modo illæ æquipollent; et minor patet; quia quælibet pars copulativæ sequitur formaliter ad totam copulativam.

3. *Secunda conclusio.* Secunda conclusio est, quod ad unam categoricam de inesse negativam, sequitur formaliter una hypothetica. Probatur, quia quælibet propositio infert ipsam formaliter cum quacumque alia subdisjunctione; sicut sequitur formaliter, *Nullus homo currit, igitur nullus homo currit,* vel *Deus non est,* et tamen antecedens est una categorica negativa, et consequens una hypothetica affirmativa.

Tertia conclusio Tertia conclusio est, quod nunquam ex una categorica negativa sequitur formaliter una categorica affirmativa. Probatur, quia nunquam est bona consequentia, arguendo a propositione habente plures causas veritatis, ad propositionem habentem unam solam causam veritatis : sed semper negativa habet plures causas veritatis, quia potest esse vera, ex eo quod subjectum pro nullo supponit, vel ex eo, quod prædicatum pro nullo supponit ; vel dato, quod utrumque supponat pro aliquo, tamen non est idem pro quo supponit unum, et reliquum; sed affirmativa nunquam verificatur, nisi utroque termino supponente pro aliquo.

Secundo patet inductione, quia ex ista, *Nihil est,* nunquam sequitur ista, *Aliquid est.* Nec ex ista, *Deus non est,* sequitur aliqua affirmativa ; et sic de singulis.

Contra istam conclusionem dicitur, quia quælibet propositio modalis est categorica,

et tamen ex una modali negativa sequitur una modalis affirmativa gratia formæ. Major est vera, quia categorica dividitur in modalem, et in istam de inesse, et minor probatur, quia æquipollentia est consequentia formalis, et tamen una negativa æquipollet affirmativæ, ut dicendo, *Deum esse non est impossibile, igitur Deum esse est possibile.*

4. Respondetur, concedo majorem, et nego minorem.

Ad probationem dico, quod istæ non æquipollent, *Deum esse non est impossibile, et Deum esse est possibile*, sed istæ duæ æquipollent, *Deum esse non impossibile est*, et *Deum esse possibile est esse* ; et tunc prima est vera, sicut et secunda.

Et causa diversitatis est, quia quando iste modus, *impossibile*, cum negatione cadente super copulam præcedit copulam ; tunc propositio redditur affirmativa, virtute negationis inclusæ in hoc modo *impossibile* ; sed quando negatio sola præcedit, et iste modus *impossibile* non, tunc propositio est negativa.

Secunda pars quæst. Prima conclusio. Quantum ad secundum. Prima conclusio est, quod ex una negativa bene potest sequi alia negativa gratia formæ. Probatur in propositionibus negativis, in quibus antecedens, et consequens participant utroque termino.

Primo per conversionem, ut *Nullum B est A, igitur nullum A est B.*

Secundo per æquipollentiam, ut *Nullus homo currit, igitur omnis homo non currit.*

5. Tertio per subalternationem, ut *Omnis homo non currit, igitur quidam homo non currit.*

Secunda conclusio. Secunda conclusio est, quod ex una negativa potest sequi alia negativa, gratia materiæ, et hoc patet in multis locis Dialecticis, quia sequitur, *Nullum animal est, igitur nullus homo est.*

Tertia pars quæst. Quantum ad tertium, sit prima conclusio, quod per Syllogismum, sive per modum arguendi ex pluribus terminis, quam tribus, ex puris negativis bene sequitur conclusio absque hoc, quod propositiones participent utroque termino. Probatur in multis casibus, qui tacti fuerunt ante oppositum.

Primo, si medium quod simpliciter sumitur in majori, sumatur cum relativo diversitatis in minori, tunc ex puris negativis bene sequitur conclusio. V. g. sequitur, *Nullus homo currit, nullum album est aliud ab homine, igitur nullum album currit.*

Secundo potest argui in terminis singularibus : ut *Socrates non currit, nullus homo est alius a Socrate, igitur nullus homo currit.*

Secundus casus est, quando in una præmissa, unus terminus finite sumptus, negatur de aliquo termino, et ille idem terminus in secunda præmissa infinite sumptus, negatur de eodem termino, tunc ex illis duabus præmissis sequitur negativa de hoc verbo *est* secundo adjacenti, v. g. sequitur, *Nullus homo est lapis, nullus homo est non lapis, igitur nullus homo est*, et tenet per illud medium, *Omne quod est, est lapis, vel non lapis, sed nullus homo est lapis, vel non lapis*, sequitur in *Camestres, igitur nullus homo est.* 6.

Tertius casus est, quando ad similitudinem primæ figuræ medium variatur secundum finitum, et infinitum, ut arguendo sic : *Nullum non B est A, nullum C est B, igitur nullum C est A.*

Quartus casus est, quia copulativa negativa æquipollet disjunctivæ affirmativæ, modo ex ista disjunctiva cum una suarum partium negata, sequitur alia pars, igitur etiam ex copulativa negativa, cum secunda parte disjunctivæ negativa, sequitur alia pars disjunctivæ, et per consequens ex puris negativis sequitur conclusio.

Secunda conclusio est, quod per syllogismum ex terminis præcise, absque hoc, quod aliqua propositionum participet cum alia in utroque termino, nunquam ex puris negativis sequitur conclusio : et istam conclusionem declarat Philosophus in textu : et sunt termini *in quibus omni*, in qualibet trium figurarum, *animal, lapis, homo,* 7. *Secunda conclusio.*

et termini *in quibus nulli, lapis, equus, homo.*

Tunc ad rationes.

Ad argumenta. Ad primam conceditur, ubi antecedens, et consequens participant utroque termino, sed negatur consequentia.

Ad secundam dico, quod non est simile, quia ista est vera : *Quæcumque uni, et eidem sunt eadem, inter se sunt eadem,* et ideo ex affirmativis bene sequitur affirmativa. Sed ista regula est falsa, *Quæcumque differunt ab eodem, illa a se invicem differunt,* et ideo ex negativis nulla sequitur negativa, v. g. licet homo, et risibile differant ab equo, non propter hoc sequitur, quod differant a se invicem. Item, ista regula est falsa, *Quæcumque ab aliquo differunt, inter se sunt eadem,* et ideo licet homo, et equus differant ab asino, non propter hoc sequitur, quod sint idem inter se.

Ad tertiam et quartam dico, quod istæ non sunt negativæ. Et sic ad quæsitum.

QUÆSTIO XXII

Utrum quatuor primi modi primæ figuræ teneant gratia formæ

Boetius *hîc cap.* 24. Averroes, Burana et Aphrod. *hîc cap.* 5. Joan. a Magist. *q.* 3. *hujus.* Petrus Hisp. *tract.* 4. *sum.* Tartar. *hîc tract.* 2. *quæst.* 1. Fonseca *lib.* 6. *instit. cap.* 14. Fuente 3. *part. sum. quæst.* 2. *diffic.* 2. *art.* 7. Hurtado *disput.* 10. *Log. sect.* 15. Complut. *lib.* 3. *sum. cap.* 5. Aversa *lib.* 1. *Inst. tract.* 4. *cap.* 8.

Argumenta pro parte negativa. Primo contra primum modum, quia non sequitur, *Omne animal si est risibile est homo ; omne brutum est animal si est risibile : igitur omne brutum est homo,* quia præmissæ sunt veræ, et conclusio falsa.

Secundo, quia non sequitur, *Omnis homo, vel asinus est asinus : sed omne rationale est homo, vel asinus ; igitur omne rationale est asinus.* Major probatur inductive, quia iste homo, vel asinus est asinus : et iste homo, vel asinus est asinus, et sic de singulis ; igitur, etc.

Tertio, quia non sequitur, *Cujuslibet contradictionis altera pars est vera ; sed quælibet propositio est contradictionis altera pars ; igitur quælibet propositio est vera.* Conclusio est falsa, et præmissæ sunt veræ ; igitur modus arguendi est falsus.

Item non sequitur, *Omnia animalia sunt rationalia, vel irrationalia ; sed homo et asinus sunt animalia, igitur,* etc.

Item non sequitur, *Cujuslibet hominis asinus currit ; omnis asinus est hominis : igitur omnis asinus currit,* quia præmissæ sunt veræ, et conclusio falsa, posito casu, quod quilibet homo habeat duos asinos, quorum unus currat, et alter non currat.

Deinde arguitur contra secundum modum, quia non sequitur, *Nullum vivum est mortuum : omnis homo est vivens, igitur nullus homo est mortuus,* quia præmissæ sunt veræ, et conclusio falsa, quia significat, quod nullus homo qui est, nec aliquis homo qui fuit, est mortuus.

Item non sequitur, *Nullus homo dum dormit, vigilat : omnis homo est homo dum dormit ; igitur nullus homo vigilat,* præmissæ sunt veræ, et conclusio falsa.

Item non sequitur arguendo theologice, *Nullus Pater est Filius : omnis essentia divina est Pater ; igitur nulla essentia divina est Filius.* Eodem modo potest argui contra primum modum sic : *Omnis essentia divina est Pater ; omnis Filius est essentia divina: igitur omnis Filius est pater.* Præmissæ sunt veræ, et conclusio falsa.

Deinde contra tertium modum, quia non sequitur : *Omnis homo est totum in quantitate ; aliquis homo est homo : igitur aliquis homo est totum in quantitate.*

Deinde contra quartum modum ; quia non sequitur, *Nullum vivum est mortuum. Aliquis homo est vivus, igitur aliquis homo non est mortuus,* vel sic, *Nullum mortuum est vivum, aliquis homo est mortuus, igitur aliquis homo non est vivus,* quæ conclusio est falsa, quia sua contradictoria est vera, scilicet *Omnis homo est vivus.*

Item solet argui per tertium modum, *Quidquid heri emisti, hodie comedisti, sed crudum emisti ; igitur crudum comedisti.*

Item non sequitur, *Omne album est coloratum, aliquis homo incipit esse albus; igitur aliquis homo incipit esse coloratus.*

In oppositum est Aristoteles hic, cap. 5.

2. *Prima opinio.* De ista quæstione dicunt aliqui, quod isti modi tenent gratia formæ, exceptis duobus casibus. Primus est, quando arguitur in terminis divinis. Secundus, quando arguitur ex terminis, qui ampliantur ad præteritum, vel ad futurum, et ideo non sequitur, *Nullum vivum est mortuum, omnis homo est vivus; igitur*, etc.

Objectio. Sed contra objicitur, supponendo, quod signum universale additum termino communi, distribuit ipsum pro omni suo supposito, pro quo est dicibilis ille terminus communis, non demonstrando pluralitatem, aut paucitatem suppositorum, aut aliquod hujusmodi. Hoc supposito probatur, quod dicta consequentia sit bona, quia iste terminus communis, *vivum*, distribuitur ad supponendum pro omni eo, de quo dicitur; sed per te non solum dicitur de his quæ sunt, sed etiam de his quæ fuerunt, propter participium præteriti temporis; igitur iste terminus, *vivum*, distribuitur ad supponendum non solum pro his quæ sunt, sed etiam pro his quæ fuerunt, sed certum est, quod talis consequentia est bona, *Nullum quod est vivum, vel fuit vivum, est mortuum, sed omnis homo est vivus, igitur nullus homo est mortuus*, quia regulatur per *dici de nullo*, igitur prima consequentia erat bona; quia major primi Syllogismi æquipollet majori illius secundi, ex quo utrobique subjectum distribuitur tam pro his quæ sunt, quam etiam pro his quæ fuerunt.

3. *Opinio Doctoris.* Item aliter respondeo, quod isti quatuor modi tenent gratia formæ in omnibus terminis, quorum nullus significat aliquam rem, quæ est eadem plurium diversarum rerum, et hoc probant instantiæ de terminis divinis, factæ ante oppositum, et exceptis illis terminis, tenent in omnibus terminis, sive sint termini ampliativi ad præteritum, vel futurum, vel quomodocumque aliter, et ideo ista consequentia est bona, *Nullum vivum est mortuum, omnis homo est vivus, igitur nullus homo est mortuus*, quia major significat, quod nullus homo qui est, nec aliquis homo qui fuit, est mortuus.

Secundo dico, quod isti quatuor modi tenent gratia formæ, sine aliqua exceptione, accipiendo subjectum majoris, cum istis dictionibus *quod est*, et ideo bene sequitur, *Omne quod est essentia divina est Pater, omnis Filius est essentia divina; igitur omnis Filius est pater*, quia ibi tenent Syllogismi per *dici de omni*, et *de nullo*, sed in dicto Syllogismo dico, quod est falsa ista major, quia aliquid est essentia divina, quod non est pater.

Tertio notandum, quod distinctio istorum modorum directe concludentium non debet 4.
sumi penes diversitatem conclusionis, quia sic essent plures modi. Nam *Barbara* sicut concludit universalem affirmativam directe, ita etiam concludit particularem affirmativam sibi subalternatam. Ideo distinctio et sufficientia istorum modorum sumitur penes præmissas; et tunc dico, quod non sunt plures modi directe concludentes in prima figura, quam isti quatuor, ubi fit Syllogismus ex terminis simplicibus et rectis, ita quod termini sint communes et non discreti, quod nihil addatur medio in una præmissa plus quam in alia.

Et dico notabiliter hoc propter aliquos 5.
casus, in quibus sequitur evidenter conclusio, et non in aliquo dictorum modorum.

Primus casus est quando medium est terminus discretus. Secundus casus, quando medium in minori fuerit cum relativo identitatis, ut arguendo sic; *Quoddam album currit, Socrates est illud album: igitur*, etc. Tertius casus, quando medium variatur secundum finitum, et infinitum, secundum similitudinem primæ figuræ, ut *Nullum non B est A, nullum C est B, igitur nullum C est A.*

Quartus casus est, quando ad similitudinem primæ figuræ fit sumptio sub parte subjecti obliqua, ut arguendo sic, *Homo omnem asinum videt, brunellus est asinus,*

igitur homo videt brunellum : vel sic : *Asinus cujuslibet hominis currit, sed musicus est homo : igitur alicujus musici asinus currit.* Et potest etiam excipi argumentum ex puris negativis de contingenti. Verum est tamen, quod iste modus non est evidens in hac figura, donec fiat conversio minoris in oppositam qualitatem.

Ex prædictis sequuntur tres conclusiones ad quæsitum.

6. *Prima conclusio.* Prima est, quod isti quatuor modi non tenent in illa forma, *Omne B est A*, in terminis quorum aliquis supponit pro una re eadem cuilibet plurium rerum.

Secunda conclusio. Secunda conclusio est, quod sub ista forma, *Omne quod est B est A*, tenet in omnibus gratia formæ, nulla exceptione facta.

Tertia conclusio. Tertia conclusio est, quod exceptis terminis, quorum aliquis supponat pro aliqua re eadem cuilibet plurium rerum, tenet formaliter in prima figura.

7. *Ad argumenta.* Tunc ad rationes. Ad primam, *omne animal*, etc. dico, quod consequentia est bona, sed major est falsa, quia significat, quod de quocumque dicitur hoc subjectum, *animal*, si est risibile, quod de eadem dicatur hoc prædicatum *homo*, et hoc est falsum. Vel ad majorem expressionem potest distingui major ; quia vel est de conditionato extremo, tunc major est falsa, et modus arguendi est bonus ; vel conditionalis, tunc major est vera, et consequentia non valet.

Ad secundam negatur major,sicut prius, ad inductionem potest dici probabiliter, quod quælibet singularis est falsa, inquantum est de disjuncto extremo, licet esset vera, si esset disjunctiva, et sic modus arguendi non valet.

Ad tertiam dico, quod non fit debite sumptio sub subjecto, sed debet sic sumi, *Ista est contradictio* ; *igitur*, etc.

Ad quartam sive sumatur de disjuncto extremo, sive disjunctiva, ipsa major negatur : tamen ista esset vera de disjuncto extremo sumpto subjecto in numero singulari.

Ad quintam dico, quod indebite sumitur minor extremitas sub medio, quia debet sumi præcise sub isto termino *homo*, quia iste solus distribuitur, et est subjectum, sed ibi sumitur sub isto *hominis asinus*, et ibi non valet consequentia.

Ad sextam, *nullum vivum*, etc. dico, 8
quod consequentia est bona : sed major est falsa, quia significat, quod nullum quod est mortuum, nec aliquid quod fuit vivum, est mortuum, et pro ista secunda parte est falsa.

Ad aliam negatur major. Ad consequentiam conceditur in quæstione.

Ad aliam *omnis homo*, etc. dico, quod major non est vera, nisi terminis sumptis materialiter, et sic sumptis terminis, consequentia non valet.

Ad aliam dictum est.

Ad aliam *quidquid*, etc. dico, quod consequentia non est bona.

Ad ultimam dico, quod in minori sumitur verbum includens negationem modo minore includente negationem, non valet syllogismus in prima figura. Et sic patet ad quæsitum.

QUÆSTIO XXIII

Utrum in secunda figura sint quatuor modi directe concludentes, et non plures nec pauciores

Auctores citati *quæst. anteced. in cap.* 5. *hujus.* Joan. a Magist. *quæst.* 9. *hujus.* Tartar. *hic tract.* 2. *quæst.* 2. Fonseca *lib.* 6. *instit. cap.* 16. Fuente 3. *part. sum. q.* 2. *diff.* 2. *art.* 8. Complut. *lib.* 3. *sum. cap.* 5. Hurtado *disp* 10. *Log. sect.* 18. Aversa *lib. Instit. tract.* 4. *cap.* 9.

Arguitur primo, quod sint plures, quia 1.
sicut in *Baroco*, et *Festino*, et majoribus *Argumenta pro parte negativa.*
universalibus, et minoribus particularibus, sequuntur conclusiones ; ita e converso, si major sit particularis, et minor universalis, et sic erunt duo modi alii ab istis quatuor.Sed quod consequentia sit bona,probo; quia transpositio præmissarum, non impedit bonitatem consequentiæ. Aliter enim *Camestres* non reduceretur ad primam figuram.

Secundo arguitur contra *Baroco*, quia ille syllogismus imperfectus non est bonus, quia non potest reduci ad primam figuram, sed iste non potest, quia si reduceretur, hoc esset per impossibile; tunc igitur, vel dicitur impossibile, quia impossibile est ipsum reduci, et habetur intentum, quia vel propositio, per quam reducitur, est impossibilis, et probo quod non, quia posito casu, quod in *Baroco* concludatur conclusio impossibilis: tunc sua contradictoria, per quam fiet reductio, erit necessaria, igitur potius debet dici reductio per necessarium, quam reductio per impossibile.

Tertio, quia ex puris negativis fit bonus syllogismus in prædicta figura, et tamen non aliquo dictorum quatuor modorum, ut notum est; igitur, etc. Major est nota, quia sequitur, *Nullum B est A, nullum C est A, igitur nullum C est B*. Item, sequitur adhuc medio non variato secundum finitum, et infinitum, quia sequitur, *Nullum B est A, nullum non B est A, igitur nullum A est*.

Oppositum arguitur per Aristotelem in littera.

2. *Divisio quæstionis* In quæstione primo videtur de modis directis istius figuræ, secundo videtur de modis, qui possunt concludere indirecte.

Quantum ad primum notandum, quod distinctio modorum istius figuræ, non attenditur penes diversitatem conclusionis, quæ infertur, sed penes diversitatem præmissarum. Nam si sic attenderetur, jam essent plures modi. Nam *Cæsare*, et *Camestres*, sicut concludunt duas universales negativas: ita possunt directe concludere particulares negativas sibi subalternas.

3. Secundo notandum, quod quando medium in ista figura, est terminus discretus, vel aliquid additur medio in una præmissa, quod non additur in alia; ut relativum, vel negatio infinitans, vel negans; aut etiam quando extremum non concluditur de extremo: aut quando concluduntur particulares negativæ; majori extremitate præcedente negationem in conclusione, possibile est quod sit bonus syllogismus, in ista figura, et non in aliquo dictorum quatuor modorum. Probatur per aliquos casus.

Primus casus est, quando ex particularibus affirmativis respectu medii, quod est terminus discretus, ut *Album est Socrates, currens est Socrates, igitur currens est album.*

Secundus, quando medium sumitur in minori cum relativo identitatis. Et ideo sequitur, *Omnis homo est albus, omne currens est idem album, igitur omne currens est homo.*

Tertius casus, quando arguitur ex duabus affirmativis universalibus, cum relativo diversitatis, posito ad medium in minore, ad concludendum universalem negativam, et ideo sequitur, *Omnis homo est animal; omnis lapis est aliud ab animali, igitur nullus lapis est homo.*

Quartus casus, quando non concluditur extremum de extremo, tunc consequentia est bona, ad inferendum quodcumque prædicatum de medio termino: verbi gratia, sequitur, *Nullum B est A, nullum non B est A, igitur nullum A est animal, igitur nullum A currit*, et sic de quocumque alio prædicato. 4.

Quintus, quando arguitur ex puris particularibus, majori negativa, et minori affirmativa, ad concludendum majorem extremitatem, de minori extremitate, ante negationem in conclusione, et ideo sequitur: *Quoddam A non est B, quoddam C est B, igitur quoddam C non est A.*

Sextus, quando ad similitudinem secundæ figuræ, variatur medium secundum finitum, et infinitum, et ideo sequitur, *Nullum A est A, nullum C est non A, igitur nullum C est B.* Item alius casus, ut *Nullum B est A, nullum B est non A, igitur nullum B est.*

Septimus casus, quando ad similitudinem secundæ figuræ, fit sumptio medii a parte prædicati distributi, et tunc fit bonus syllogismus ex puris particularibus, et non in aliquo dictorum modorum. Verbi gratia, *Quidam homo videt omnem asinum. Brunellus est asinus; igitur quidam homo videt Brunellum.*

5\. Tertio notandum, quod quando arguitur ex terminis rectis, ubi nihil additur in una præmissa plusquam in alia, nec medium necessarium conclusionis variatur, sed unum extremum concluditur de reliquo, ita quod ambo extrema sunt termini communes, et major extremitas concluditur negative de minori extremitate in conclusione, tunc semper fit bonus syllogismus gratia formæ in ista figura ad concludendum directe, in aliquo istorum quatuor modorum, et non aliter : excepto uno casu, quando arguitur, scilicet ex terminis, quorum unus supponit pro aliqua re, quæ est eadem cuilibet plurium rerum : et per hoc solvitur instantia prius facta de terminis divinis, nec oportet excipere (sicut quidam excipiunt) terminos, in quibus fit ampliatio alicujus termini ad præteritum, vel ad futurum. Quia, ut patuit prius, talis terminus distributus copulative, tam pro his quæ sunt, quam pro his quæ erunt, si sit respectu Verbi, aut Participii de futuro, et suò modo de præterito ; et ideo in prædicta instantia, ubi termini connotabant aliud de præterito, debet concludi additis istis dictionibus, *qui est,* ad subjectum conclusionis, arguendo sic : *Nullum mortuum est vivum. Omnis homo est vivus; igitur nullus homo est qui est mortuus.* Cujus causa est ; quia subjectum minoris supponit præcise pro his quæ sunt, et pro eis verificatur minor : et ideo ut servetur suppositio per eumdem in minori, et in conclusione, oportet addere istas dictiones, *quæ est,* in subjecto conclusionis, ad recipiendum suppositionem pro eisdem, pro quibus supponebat in minore.

Ex quo sequitur, quod convenienter potest addi in conclusione, quod non addebatur explicite in præmissis, et teneri uniformitas suppositionis, et dico notabiliter *explicite,* nam ista restrictio, *qui est,* qui explicabitur in conclusione, importabatur implicite in præmissis.

6\. *Conclusio. Quatuor modi directe concludendi in secunda figura.* Tunc ponitur ista conclusio, quod sunt in secunda figura quatuor modi directe concludentes, prædictis casibus reservatis, et non plures, nec pauciores. Probatur ex tribus regulis requisitis ad istam.

Prima est, quod *Ex puris affirmativis, nihil sequitur in ista figura.*

Secunda est, quod *Majore particulari existente, nihil sequitur,* etc.

Tertia est, quod *Ex puris negativis nihil sequitur,* modo tamen in qualibet figura sint 16 conbinationes, ut patuit supra textum, inter quas in ista figura inveniuntur 12, quarum quælibet peccat contra dictarum trium regularum aliquam ; igitur sequitur, quod præcise manent quatuor modi recti, et evidentes, quod est propositum.

Causa primæ regulæ est, quod si præmissæ sint affirmativæ, et medium non distribuitur in aliqua præmissarum, potest verificari pro uno supposito medii, et alia pro alio, et sic nulla est conceptio in præmissis extremorum cum medio, ratione cujus debeat sequi connexio extremorum in conclusione.

Causa secundæ regulæ est,quia in secunda figura, semper debet concludi negative, ex quo oportet alteram præmissam esse negativam : modo si major sit particularis, tunc major extremitas in majori manet non distributa, quæ tamen in conclusione distribuitur per negationem præcedentem, modo ex non distributo nunquam sequitur distributum.

Causa tertiæ regulæ est quod ex puris negativis non potest sequi conclusio negativa, quia ista regula est falsa : *Quæcumque ab uno eodem sunt diversa, inter se sunt diversa,*quia licet *homo*, et *risibile*, sint diversa ab equo, non tamen oportet quod sint diversa inter se, nec sequitur conclusio affirmativa, quia ista regula est falsa : *Quæcumque ab aliquo tertio sunt diversa, inter se sunt eadem* ; quia licet *homo*, et *equus* sint diversa ab asino,non tamen sunt eadem inter se, igitur cum non sequatur conclusio affirmativa, nec negativa ; sequitur, quod nulla conclusio sequatur. Patet igitur qui, et quot sunt modi, in secunda figura, directe concludentes. Et hoc de primo.

8. *2. Pars q.* De secundo ; de modis indirecte concludentibus, nota, quod in secunda figura, sunt quatuor modi, indirecte concludentes, quia conclusiones in *Cæsare*, et *Camestres* convertuntur simpliciter, et ideo sicut conversæ sequuntur directe ad præmissas in illis modis, ita convertentes sequuntur ad easdem præmissas indirecte, per illam regulam, *Ad quæcumque sequitur antecedens, ad eadem sequitur consequens*. Igitur cum ad præmissas in *Cæsare*, sequatur universalis negativa directe, sequitur, quod illa eadem cum antecedit ad suam convertentem, quod sua convertens sequatur ad easdem præmissas.

Tertius modus, et quartus indirecte concludentes, sunt *Festino*, et *Baroco*, habentes præmissas transpositas, quia transpositio præmissarum non impedit bonitatem consequentiæ. Ideo conclusio quæ prius sequebatur directe in *Festino*, majore universali negativa, et minore particulari affirmativa, ita eadem sequetur indirecte quando de minori fit major, et e contra. Cujus causa est, quia quando de minori fit major, illa quæ prius erat major extremitas, jam facta est minor extremitas, et ideo conclusio, quæ prius erat directa, jam facta est indirecta.

9. *Conclusio.* Tunc ponitur ista conclusio, quod in secunda figura non sunt plures modi indirecte concludentes, quam isti quatuor prædicti. Probatur, quia in qualibet figura sunt 16 combinationes, de quibus inveniuntur 10, quarum quælibet peccat contra aliquam prædictarum trium regularum, et postea sunt aliæ duæ, scilicet *Festino* et *Baroco*, quæ non valent ad concludendum indirecte ; igitur cum prædicti quatuor modi sint boni, et duodecim inveniantur inutiles, sequitur propositum. Quod autem *Festino* et *Baroco* non valeant ad concludendum indirecte, probatur per terminos. Primo in *Festino*, quia non sequitur, *Nullus homo est asinus, quoddam animal est asinus, igitur quidam homo non est animal*, quia præmissæ sunt veræ, et conclusio falsa, sed termini *in quibus nulli*, sunt *homo*, *asinus*, *brunellus*, arguendo sic ; Nullus homo est asinus, quidam brunellus est asinus, cum hoc tamen stat, quod nullus homo est brunellus. Item in *Baroco* sunt termini consimiles sicut prius.

Tunc ad rationes. Ad primam conceditur, quod *Festino* et *Baroco*, transpositis præmissis sunt boni modi, non tamen ad concludendum directe, sed ad concludendum indirecte.

Ad secundam, concedo majorem, nego autem minorem. Ad probationem dico, quod neutro modo, sed vocatur reductio per impossibile, pro tanto, quia ista regula est vera, quod si prima consequentia est bona, impossibile est præmissas esse falsas, quando conclusio est vera, et necesse est, quod si impossibile sit, conclusionem esse falsam : quando aliqua fit falsa, quod prima consequentia sit bona. 10. *Ad argumenta.*

Ad sequentes, solvuntur per casus prius exceptos, et possent fieri argumenta de omnibus casibus exceptis. Et hæc ad quæsitum.

QUÆSTIO XXIV

Utrum in tertia figura sint solum sex modi directe concludentes

Auctores citati *quæst.* 22. *in cap* 6. *hujus.* Fonseca *lib.* 6. *instit. cap* 17. Complut. *lib.* 3. *sum. cap.* 5. Fuente 3. *p. sum. quæst.* 2. *diff.* 2. *art.* 9. Hurtado *disp.* 10. *Log. sect.* 10. Aversa *lib. Instit. tract.* 4. *cap.* 10.

Arguitur quod non, quia prima figura videtur esse potior, quam tertia, et tamen prima figura solum infert quatuor modos. Secundo per instantiam in terminis divinis. Tertio de syllogismo expositorio qui optime valet in ista figura. 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto 1. cap. 7.

In quæstione primo videbitur de modis directis tertiæ figuræ, secundo de modis indirectis ejusdem, et tertio de modis indirectis primæ figuræ, de quibus omissum fuit prius. *Divisio quæstioni*

Quantum ad primum notandum, quod in

ista figura sunt supponendæ duæ regulæ quantum ad modos directos.

2 1. *Regula.* Prima est, quod *ex puris particularibus nihil sequitur.* Causa est, quia major potest verificari pro uno supposito medii, et minor pro alio : et sic in præmissis nulla est connexio extremorum cum medio, ratione cujus extrema deberent connecti in conclusione.

2. *Regula.* Secunda regula est, quod *minore negativa nihil sequitur* in ista figura. Causa est, quia si cum hoc major sit negativa, tunc fieret syllogismus ex puris negativis, qui non valet. Item, si major esset affirmativa, oporteret conclusionem esse negativam, ex quo minor est negativa, et per consequens major extremitas distribueretur in conclusione, quæ tamen non erat distributa in majore, modo ex non distributo nunquam gratia formæ sequitur distributum,

3. *Nota.* Secundo notandum, quod ad similitudinem hujus figuræ, vel etiam in ista figura in aliquibus casibus possunt fieri syllogismi, et non in aliquo dictorum modorum.

Primus casus est, arguendo ex puris particularibus cum relativo identitatis in minori propositione, ut dictum fuit in aliis figuris.

Secundus casus, quando arguitur ex terminis discretis. Nam in ista figura evidentissime tenet syllogismus expositorius, eo modo, quo dictum fuit in principio hujus libri.

Tertius casus, quando concluditur medium negative de seipso, non tamen distribuendo prædicatum in conclusione, et hoc si in præmissis major extremitas, et minor solum differant secundum finitum, et infinitum, arguendo sic : *Quoddam animal est homo, quoddam animal est non homo, igitur quoddam animal non est*; vel sic, *igitur quoddam animal a quodam animali est aliud,* et tenet ista consequentia virtute istius, quod impossibile est esse animal quod est homo, et non homo.

Quartus casus, quando ex universalibus negativis fit syllogismus ad concludendum quodcumque prædicatum negative de medio, ubi extremitates differunt solum secundum finitum, et infinitum, ut arguendo sic : *Nullum B est A, nullum B est non A, igitur nullum B est,* et ita potest inferri quodcumque aliud prædicatum.

Tertio notandum, quod in ista figura 4.
sunt solum sex modi directe concludentes, aliquibus conditionibus primo suppositis, quas etiam Aristoteles intelligit præsupponi in littera.

Prima conditio est, quod fiat syllogismus ex communibus terminis, et non discretis, et per hoc excluditur syllogismus expositorius.

Secunda conditio, quod nihil sumatur sub medio in una præmissa, quod non sumatur cum eodem in alia : et per hoc excluditur syllogismus, cujus medium sumitur cum relativo identitatis in minori præmissa.

Tertia conditio, quod fiat syllogismus ex terminis finitis.

Et quarta, quod inferatur in conclusione extremum de extremo, et non debet inferri aliud de medio,

Istis præmissis ponitur ista conclusio, *Conclusio ad 1. partem quæstionis.*
quod in tertia figura sunt sex modi directe concludentes, et non plures nec pauciores. Probatur, quia in ista figura inveniuntur decem combinationes, quarum quælibet peccabit contra aliquam de prædictis regulis ; igitur isto modo decem sunt inutiles, et per consequens remanent sex utiles, et non plures, nec pauciores. Et hæc de primo.

Quantum ad secundum, de modis indi- 5. *Prima conclusio ad secundam partem.*
rectis tenet hæc figura. Dico primo, quod tres sunt modi indirecte concludentes, servatis eisdem præmissis, et in eodem ordine, quo concludunt directe : verbi gratia, isti tres, *Darapti*, *Disamis*, et *Datisi*. Probatur, quia in quolibet istorum modorum, conclusio convertitur simpliciter ; modo ad quæcumque sequitur antecedens, ad eadem sequitur consequens ; sed convertens conclusionis sequitur ad conclusionem, quæ sequitur ad illas præmissas, igitur ad eas-

dem præmissas sequitur convertens conclusionis, quæ et indirecta.

Secunda conclusio. Secundo dico, quod sunt alii tres modi, indirecte concludentes in tertia figura, in quibus non manent præmissæ eodem ordine, quo concludunt directe. Verbi gratia, si præmissæ istorum trium modorum, *Felapton*, *Bocardo*, *Ferison*, transponantur, adhuc fit syllogismus ad concludendum eamdem conclusionem, quæ prius sequebatur, quæ tamen postea erit indirecta, facta transpositione præmissarum.

Tertia conclusio. Tertio dico, quod in ista figura non sunt alii modi concludentes indirecte ab istis sex modis. Probatur, quia, ut dictum est, in qualibet figura inveniuntur 16 combinationes, modo in ista figura inveniuntur decem conjugationes, quarum quælibet est ex particularibus, vel negativis ; et ideo nulla earum valet in ista figura. Item, præter istas inveniuntur alii tres modi inutiles ad concludendum indirecte, scilicet *Felapton*, *Bocardo*, *Ferison* ; quod autem non valeant, patet per terminos, et sint termini *in quibus omnis* lapis, substantia, homo ; ita quod iste terminus *lapis* sit major extremitas, et iste terminus *homo* medium : termini *in quibus nulli* sunt *lapis*, *animal*, *homo*, ex quibus sequitur, quod cum decem inveniantur inutiles, et dicti sex sint boni, quod in ista figura sunt sex modi indirecte concludentes, et non plures, nec pauciores. Et hoc de secundo.

6. Quantum ad tertium notandum, quod in prima figura sunt tres modi concludentes indirecte, qui tenent virtute istius regulæ : *Ad quæcumque sequitur antecedens, ad eadem sequitur et consequens*, modo ad conclusionem, quæ directe sequitur in prima figura, in aliquo istorum trium modorum, *Barbara*, *Celarent*, *Darii*, sequitur sua convertens, igitur illa eadem convertens sequetur ad præmissas de modis directe.

Secundo sciendum, quod præter istos tres modos, adhuc sunt duo alii modi, scilicet *Fapesmo*, et *Frisesomorum*, qui tenent virtute istius regulæ ; *Quidquid sequitur ad consequens, sequitur ad antecedens*, quod declaratur isto modo ; quia ad majorem de *Fapesmo* sequitur per conversionem minor de *Ferio*, et ad minorem de *Fapesmo*, sequitur per conversionem major de *Ferio*. Ideo duæ præmissæ in *Ferio* sequuntur ad duas præmissas in *Fapesmo*. Eodem modo potest declarari de *Frisesomorum*, quia præmissæ de *Ferio* sequuntur ad præmissas de *Frisesomorum*, scilicet minor ad majorem, et major ad minorem. Ex quibus sequitur, quod si modus concludens indirecte debet reduci ad modum perfectum, hoc potest esse dupliciter, scilicet, aut per conversionem conclusionis syllogismi ; aut per conversionem alicujus præmissarum. Si primo modo, tunc semper conclusio modi perfecti est convertenda in conclusionem modi imperfecti, et non e contra : sed si debeat fieri reductio per conversionem alicujus præmissæ, aut præmissarum, tunc semper præmissa modi imperfecti convertenda est in præmissas modi perfecti, et hoc de tertio.

Ad rationes. Ad primam dico, quod prima figura est potentior in inferendo, quam tertia, quia potentius est inferre quatuor modis evidenter, quam pluribus modis minus evidenter. Aliæ sunt solutæ per prædicta. Et hoc ad quæsitum. 7. *Ad argumenta.*

QUÆSTIO XXV

Utrum propositiones modales in sensu composito, consimiliter convertantur illis de inesse

Okam 2. *part. Log. cap.* 24. Burana *hic cap.* 3. *et* 4. Joan. a Magistr. *quæst.* 4. *hujus.* Tartar. *in exposi . cap.* 3. *hujus.* Conimbr. *ibidem quæst* 1. 2 *et* 3. Fonseca *lib.* 3. *Instit. cap.* 13. Complut. *lib.* 2. *sum. cap.* 9. Ruvius, *hic cap.* 3. Aversa *tract.* 3. *instit. cap.* 8.

Arguitur primo quod non ; quia non sequitur, *Contingit ad utrumlibet quod omne intelligens sit Deus* ; *igitur contingit ad utrumlibet, quod Deus sit intelligens*. Antecedens est verum, et consequens fal- 1. *Argumenta pro parte negativa.*

sum, unde necesse est Deum esse intelligentem.

Secundo quia hæc est vera : *Impossibile est omnem hominem animal esse*, et tamen ista in quam converteretur si esset de inesse, esset falsa, scilicet ista, *Impossibile est, quemdam hominem esse animal.*

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo, qui ponit quod *propositiones modales consimiliter convertantur in illis de inesse in sensu composito.*

Divisio quæstionis In quæstione primo videbitur, quomodo modales in sensu composito convertuntur, quantum ad totam propositionem, secundo qualiter convertuntur ad dictum propositionis non transposito modo de subjecto ad prædicatum, aut e contra.

2\. *Modus dupliciter ponitur in propositione.* Quantum ad primum notandum, quod propositio non dicitur *modalis*, nec de necessario, aut possibili, eo quod sit necessaria, vel possibilis ; sed eo, quod in ea ponitur iste modus, *necessarium*, vel *possibile*. Et quia *modum* contingit dupliciter poni in propositione, scilicet vel ad copulam, vel ad subjectum, aut prædicatum : ideo propositio *modalis* denominatur dupliciter, scilicet in sensu diviso ; ut quando modus ponitur, ut sit determinatio copulæ; vel in sensu composito, ut quando modus ponitur a parte subjecti, vel a parte prædicati ; et istæ propositiones multum differunt, et quantum ad syllogizandum, et quantum ad convertendum.

Item differunt, quia illa de sensu composito est propositio de *inesse*, et illa de sensu diviso est modalis, cujus causa est, quia semper propositio est denominanda a copula, per quam fit unio extremorum illius propositionis.

Verbi gratia, in hypotheticis hypothetica denominatur a conjunctione, per quam uniuntur duæ Categoricæ.

Item, propositio Categorica denominatur de *inesse* a verbo *est*, ex quibus patet, cum in propositione *de modo*, de sensu composito copula sit hoc verbum *est*, vel sibi æquivalens, sequitur, quod ipsa erit de *inesse*, et non modalis.

Secundo notandum, quod tales propositiones in sensu composito, quandoque habent modum a parte subjecti, ut *Possibile est hominem currere* ; quandoque a parte prædicati, ut *Hominem esse animal est necesse*, et utroque modo semper sumendum est *dictum* materialiter in propositione, scilicet, prout supponit propositione sibi correspondente alias significative sumpta ; quia si *dictum* sumeretur significative, tunc quæ res esset hujusmodi dictum, dicebatur prius in una quæstione de *dici de omni*. 3

Tertio notandum, quod ut in pluribus, propositiones de *modo* in sensu composito sunt indefinitæ, ut verbi gratia : Ista est indefinita, *Possibile est Socratem currere*, quia sua universalis est ista : *Omne possibile est Socratem currere* ; sua contradictoria ista : *Nullum possibile est Socratem currere*, et ejus subcontraria ista, *Possibile est Socratem currere*. Et sicut dicitur de illis, in quibus modus subjicitur, ita conformiter dicitur de illis, in quibus modus prædicatur. Verbi gratia, ista est indefinita : *Omnem hominem esse animal est necessarium* ; quia significat, quod aliqua talis propositio, *Omnis homo est animal*, est necessaria.

Item, sumenda est oppositio in istis, sicut ubi modus subjicitur, quia sua contradictoria est ista, scilicet quædam talis propositio, *Omnis homo est animal*, non est necessaria, et sua contraria nulla talis propositio, etc.

Verum est tamen, quod iste modus sumendi oppositionem, non est usitatus, ex eo, quod de ista propositione, *Omnis homo est animal*, et de omni sibi consimili, est idem judicium, quantum ad veritatem, falsitatem, necessitatem, et possibilitatem.

Ex quibus sequitur ista conclusio, quod propositiones de *modo* in sensu composito, convertuntur omnino similiter, sicut illæ de *inesse*, ita quod particularis, vel indefinita affirmativa, in particularem, vel indefinitam affirmativam; universalis negativa in universalem negativam ; universalis 4. *Conclusio ad primam partem quæstionis*

affirmativa, in particularem affirmativam. Probatur, quia istæ de *modo* in sensu composito sunt propositiones de *inesse*, igitur similiter convertuntur illis de *inesse*, et patet manifeste considerata quantitate propositionum de *modo*, in sensu composito, eo modo quo dictum est. Et hoc de primo.

5. *Prima conclusio ... secundam partem.* Quantum ad secundum ponuntur conclusiones. Prima, quod omnes propositiones de *modo* in sensu composito scilicet, de istis modis *necessarium, per se, verum, possibile, contingens*, (loquendo de *contingenti* pro possibili communi) consimiliter convertuntur in illis de inesse, quantum ad *dictum*, ut ista : *Omnem hominem esse animal est necessarium, igitur quoddam animal esse hominem est necessarium.* Similiter sequitur, *Socratem currere est possibile, igitur quoddam currens esse Socratem est possibile.* Et tenent omnes istæ consequentiæ per istas regulas, *Si antecedens est necessarium, consequens est necessarium. Si antecedens est per se, consequens est per se*, et ita de aliis modis.

6. *Secunda conclusio.* Secunda conclusio, quod propositiones *de modo* in sensu composito, de istis modis, *impossibile, falsum, dubium*, non convertuntur, sicut illæ de *inesse*. Probatur ; quia si sic, tunc istæ regulæ essent veræ, *Si antecedens est impossibile, consequens est impossibile. Si antecedens est dubium, consequens est dubium*, modo hoc est falsum, quia ex impossibili bene sequitur necessarium, ex dubio evidens, ex falsis verum, ut patet in secundo hujus. Et ideo istæ regulæ potius essent veræ e converso, *Si consequens est impossibile, antecedens est impossibile.*

7. *Tertia conclusio.* Tertia conclusio, quod propositiones de *modo* de istis modis, *scitum, opinatum, apparens, notum, volitum*, et *dilectum*, non convertuntur similiter sicut illæ de *inesse*. Probatur, quia si sic, tunc istæ regulæ essent veræ, *Si antecedens est scitum, consequens est scitum*, modo hoc est falsum, quia possibile est, quod consequens nesciatur.

Ex quibus patet qualiter propositiones de *modo* in sensu composito debeant converti. Tunc ad rationes, solutæ sunt per conclusiones. Et sic sit dictum ad quæsitum.

QUÆSTIO XXVI

Utrum propositiones modales in sensu diviso consimiliter convertantur illis de inesse

Auctores citati *quæst. anteced.*

Arguitur quod non : primo in illis de necessario, quia posito quod Deus nunc de facto sit creans, tunc ista est vera, *Nullus Deus de necessitate est creans* ; et tamen sua convertens est falsa, scilicet, *Nullum creans de necessitate est Deus*, quod probatur expositorie sic ; *Hoc de necessitate est Deus, hoc est creans, ergo aliquod creans, de necessitate est Deus*, quæ est contradictoria consequentis ; et quod antecedens sit verum patet, quia quemlibet Deum possibile est creare. Deinde arguitur in illis de possibili, quia non sequitur : *Quidam puer potest esse senex, igitur quidam senex potest esse puer.* Et sic de cæco, et vidente, quia præmissæ sunt veræ, et conclusio falsa. Eodem modo de universali negativa, quia non sequitur : *Nullus senex potest esse puer, igitur nullus puer potest esse senex.* 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo, qui dicit, quod *propositiones modales similiter convertuntur illis de inesse*, et intelligit de illis in sensu diviso, ut patebit postea.

Notandum, quod de propositionibus de possibili, duplex ex opinio. Una ponit, quod subjectum respectu verbi de possibili, in propositione indefinita, vel particulari, supponit disjunctive pro his quæ sunt, vel pro his quæ possunt esse ; et in universali, sive affirmativa, sive negativa supponit copulative pro his quæ sunt, et pro his quæ possunt esse. Verbi gratia, sicut ista, *A potest esse B*, significat, quod illud quod est *A* potest esse *B*, vel illud, quod potest 2. *Prima opinio.*

esse *A*, potest esse *B*, per quamcumque illarum partium illa indefinita est vera, ipsa est vera simpliciter, sed ista, *Omne B potest esse A*, significat copulative, quod omne quod est *B*, potest esse *A*, et quod omne quod potest esse *B*, potest esse *A*, et eodem modo in universali negativa.

3. *Secunda opinio.* Sed alia est opinio, quæ ponit, quod illa de possibili est distinguenda, quia vel ejus subjectum supponit pro his quæ sunt, vel pro his quæ possunt esse. Et sicut dicitur de possibili, ita etiam potest dici de necessario, et impossibili; quia cuilibet de possibili æquipollet una de necessario, et ita de impossibili.

Divisio quæstionis Ideo in ista quæstione primo videndum est de conversionibus modalium in sensu diviso, secundum primam opinionem, secundo secundum secundam, quia secundum utramque opinionem erit prosecutio de similibus modalibus et mixtis.

4. *In modalibus, modus est determinatio copulæ.* Quantum ad primum notandum, quod in modalibus, *modus est determinatio copulæ*, ut dicendo, *B possibile est esse A* : *B* est subjectum *A* prædicatum, et totum residuum se tenet a parte copulæ, et ideo in convertente potest fieri transpositio prædicati ad subjectum, sine hoc quod modus transferatur de copula ad subjectum, aut ad prædicatum, sed semper debet remanere ad copulam, ut determinatio copulæ.

Propositio de necessario triplex. Secundo notandum, quod triplex est propositio de necessario : quædam de necessario conditionali, ut *Vacuum, si est, de necessitate est locus*, alia de necessario *quando*, ut *Grammaticus quando est, de necessario est homo*, sed tertia est de necessario simpliciter, et talis est duplex, quia quædam est de necessario, ut *Nunc solum*, supposito, quod Luna nunc non sit eclipsata, ista est de necessario, ut *Nunc lucens de necessitate est Luna*, et dicitur *pro nunc*, eo quod est contingens, quia quandoque est vera, et quandoque falsa; sed alia est de necessario simpliciter pro semper, ut ista, *Deus de necessitate est justus*, et dicitur *pro semper*, eo quod ista propositio est necessaria.

Tunc ponuntur conclusiones de propositionibus de necessario. Prima conclusio est ista, quod propositiones de necessario conditionali, aut etiam de necessario *quando*, non convertuntur. Probatur per instantias, quia non sequitur, *Vacuum si est, de necessitate est locus, igitur locus de necessitate est vacuus, si est*; quia posito per imaginationem quod locus esset vacuus, adhuc non de necessitate esset vacuus, quia potest repleri corpore. Secundo patet de necessario *quando*, quia non sequitur, *Grammaticus quando est, de necessitate est homo, igitur homo de necessitate est Grammaticus, quando est*, quia quilibet Grammaticus potest fieri non Grammaticus, adhuc ipso existente. 5. *Prima conclusio de propositionibus de necessario.*

Secunda conclusio, quod propositiones modales de necessario in sensu diviso, scilicet *pro nunc*, non convertuntur proprie. Probatur, quia non sequitur, *Lucens de necessitate est Luna, igitur Luna de necessitate lucet.* Nec sequitur, *Creans, de necessitate est Deus, igitur Deus de necessitate creat* : quia antecedens est verum, ut patet expositorie, et tamen consequens est falsum, quia Luna potest non lucere, et similiter de alio. 6. *Secunda conclusio.*

Tertia conclusio, quod tales propositiones possunt converti improprie per resolutionem ad quasdam de inesse, probatur, quia sequitur, *Lucens de necessitate est Luna, igitur quod de necessitate est Luna, est lucens*, et sic de aliis. *Tertia conclusio.*

Quarta conclusio, quod talis conversio propositionum de necessario, secundum resolutionem ad quasdam de *inesse*, non est propria conversio. Probatur primo : quia in conversione propria propositionum modalium, propositio modalis debet converti in modalem; sed sic faciendo modalis convertitur in unam de *inesse*; igitur. *Quarta conclusio.*

Secundo, quia in convertente plus est subjectum quam in conversa, unde in conversa ista, terminus *lucens* est subjectum, et iste terminus *Luna* est prædicatum; sed in convertente hoc totum, *Quod de necessitate est Luna*, est subjectum.

Tertio, quia modus qui in illis de sensu diviso deberet esse determinatio copulæ, in convertendo efficitur pars subjecti.

Quarto, quia conversio fit finaliter propter reductionem syllogismorum in secunda, et in tertia figura, ad primam figuram; sed talis conversio non valet ad syllogismos modales imperfectos reducendum : igitur, etc.

Quinto, quia de ipsa non intellexit Aristoteles, ut postea patebit in mixtionibus.

7. *Quinta conclusio.* Quinta conclusio, quod propositiones modales in sensu diviso de necessario simpliciter pro semper, similiter convertuntur illis de *inesse*; ita quod universalis affirmativa de necessario, convertitur in particularem affirmativam de necessario; et universalis negativa, in universalem negativam : et particularis affirmativa, in particularem affirmativam : sed particularis negativa non convertitur. Probatur, quia sequitur : *Deus de necessitate est justus, igitur justum de necessitate est Deus*, et probatur expositorie demonstrato Deo, qui de necessitate est justus, *Hoc de necessitate est Deus, hoc de necessitate est justum : igitur quoddam justum, de necessitate est Deus*, quod fuit probatum. Et consimiliter potest probari de aliis propositionibus, et sic patet qualiter modales de necessario in sensu diviso convertuntur, et non convertuntur.

8. *...ma conversio de modalibus possibi-* Deinde dicendum, de modalibus de possibili, quod ipsæ in sensu diviso similiter convertuntur illis de *inesse*, scilicet quantum ad hoc, quod universalis affirmativa convertitur in particularem affirmativam; et similiter particularis affirmativa, et universalis negativa in seipsam convertitur in universam negativam, etc. sicut sequitur, *Quoddam B potest esse A*, *igitur quoddam A est, vel potest esse B*, et debet prædicatum esse disjunctum, ex eo, quod subjectum in antecedente supponit disjunctive, pro his quæ sunt, vel pro his quæ possunt esse. Similiter ista, *Omne B potest esse A*, convertitur in istam : *Igitur quoddam A potest esse B*, vel etiam in istam copulativam : *Igitur quoddam A potest esse illud quod est B, et illud quod potest esse B*, et similiter de negativa, et tenent omnes virtute istius, quod in universali subjectum respectu verbi de possibili supponit copulative, pro his quæ sunt, et pro his quæ possunt esse.

Secunda conclusio, quod propositiones in sensu diviso in istis modis, *impossibile, falsum, contingens, ad utrumlibet*, non convertuntur. Similiter in illis de *inesse*. Probatur, Primo de impossibili, quia non sequitur, *Quoddam animal impossibile est esse hominem*, quia asinum impossibile est esse hominem : *Igitur quemdam hominem impossibile est esse animal*, quia antecedens est verum, et consequens falsum. Similiter patet in isto modo *falsum*, in eodem exemplo. Tertio patet de hoc modo, *Contingens ad utrumlibet*, quia non sequitur, *Omnem planetam lucentem contingit esse Solem, igitur Solem contingit ad utrumlibet esse lucentem*; vel sic, non sequitur, *Omne intelligens contingit ad utrumlibet esse Deum, igitur Deum contingit ad utrumlibet esse intelligentem*; quia antecedens est verum, et consequens falsum, unde necesse est Deum esse intelligentem. 9. *Secunda conclusio.*

Tertia conclusio, quod modales in sensu diviso de istis modis, *cognosco, apparet*, et hujusmodi, non convertuntur proprie. Probatur, quia non sequitur, *Venientem cognosco esse Coriscum* : *igitur Coriscum cognosco esse venientem*, quia antecedens est verum, et consequens falsum, et similiter, patet qualiter propositiones modales secundum primam opinionem, sunt convertendæ, et qualiter non. Et hæc de primo. 10. *Tertia conclusio.*

Quantum ad secundum restat dicendum solum de illis de necessario et possibili. Ubi nota, quod quadrupliciter potest fieri propositio de possibili. Uno modo sine aliqua negatione, ut dicendo, *B potest esse A*. Alio modo cum duplici negatione, scilicet una posita ad *modum*, et alia ad *dictum*, ut *Nullum B possibile est non esse A*. Tertio modo cum una negatione posita ad *modum*, ut *Nullum B possibile est esse A*. Quarto modo cum negatione præcedente *dictum*, modo affirmato : ut *Quoddam B possibile est* 11. *Quadrupliciter potest fieri propositio de possibili.*

non esse A, et sic patet, quod sunt octo propositiones de possibili, scilicet quatuor universales, et quatuor particulares.

Cuilibet propositioni de possibili æquipollet una de necessario.

Secundo notandum, quod cuilibet propositioni de possibili æquipollet una de necessario, ut patet secundo Perihermenias, et hoc per istum modum, quod in illis quarum una est de possibili, et alia de necessario, in eisdem terminis servetur eadem quantitas propositionum, sed mutetur qualitas, tam ex parte *modi*, quam *dicti*. Verbi gratia, si in illis de possibili, tam *modus*, quam *dictum* affirmentur, ut *B potest esse A*, tunc in ista de necessario sibi æquipollente negabitur tam *dictum*, quam *modus*; ut *B non necesse est non esse A*. Item si in illa de possibili *modus* sit negatus, et *dictum* non : e contra debet esse in illa de necessario, quæ sibi æquipollet, ut isti, *B non possibile est esse A*, æquipollet ista de necessario, *B necesse est non esse A*, et sic patet, quod sicut sunt octo de possibili, sic octo de necessario sibi æquipollentes, et per consequens erunt sexdecim in toto.

12. Tertio notandum, quod sicut illa de possibili est distinguenda, ex eo quod subjectum potest supponere pro his quæ sunt, vel pro his quæ possunt esse, ita similiter est distinguenda ista de necessario, quæ sibi æquipollet : aliter enim non æquipollent ad invicem, et ideo illius de necessario subjectum supponit, vel pro his quæ sunt, vel pro his quæ possunt esse. Ex quo sequitur, quod secundum quemlibet prædictorum sensuum, sunt octo propositiones de necessario, et octo de possibili, et per consequens in universo sunt 32.

Propositio de necessario de modo negato, non dicitur proprie de necessario, sed de possibili.

Quarto notandum, quod illa de necessario de *modo* negato, non dicitur proprie de necessario, sed de possibili, ex eo, quod æquipollet uni de possibili habenti *modum* affirmatum : et e contra, illa de possibili de *modo* negato, non dicitur proprie de possibili, sed de necessario, quia æquipollet uni de necessario habenti *modum* affirmatum. Ideo dimissis illis tam de necessario, quam de possibili de negato *modo*, dicendum est solum de habentibus *modum* affirmatum, et sic remanent octo de possibili de *modo* affirmato, et octo de necessario de *modo* affirmato, quarum conversiones sunt assignandæ. Et primo dicendum est de illis de possibili, secundo de illis de necessario.

Prima conclusio de propositionibus de possibili de modo affirmato.

Quantum ad illas de possibili, sit prima conclusio ista, quod affirmativæ de possibili pro his quæ sunt, in sensu diviso, non convertuntur proprie. Probatur, posito quod omne currens sit asinus de facto, tunc ista est vera, *Omnis homo potest currere*, secundum istum sensum, omne quod est homo, potest currere, et tamen sua convertens est falsa, *Quoddam currens potest esse homo*, secundum illum sensum eumdem; quia significatur, quod quoddam quod est currens, potest esse homo. Et dico notabiliter *proprie*, quia possunt improprie converti in illas de *inesse*. Verbi gratia, *Omnis homo potest currere, igitur quoddam quod potest currere, est homo*, et quod ista conversio sit impropria, patet per causas dictas in primo articulo. 13.

Secunda conclusio.

Secunda conclusio est de illis, de possibili de *dicto* negato, sed *modo* affirmato, quod tales negativæ de possibili, non convertuntur proprie loquendo de illis de possibili, in quibus subjectum supponit pro his quæ sunt; quia non sequitur, Posito quod Deus nunc sit creans, *Omnis Deus potest non creare, igitur quoddam creans potest non esse Deus* : nam antecedens est verum, et consequens falsum. Nam omne, quod est creans, necesse est esse Deum. Tamen tales possunt converti in quasdam de *inesse* : sed illa non est conversio proprie dicta 14.

Tertia conclusio.

Tertia conclusio est de affirmativis de possibili, in quibus subjectum supponit pro his quæ possunt esse, quia tales affirmativæ similiter convertuntur illis de *inesse*, ita quod universalis affirmativa convertitur in particularem affirmativam, etc. Verbi gratia, quia sequitur, *Quoddam A potest esse B, igitur quoddam B potest esse A*, quia antecedens significat, quod quoddam quod potest esse *A*, potest esse *B*, et tunc signe- 15.

tur illud : et sic probatur conversio expositorie sic, *Hoc C potest esse A, C potest esse B, igitur quod potest esse B, potest esse A.*

16. *Quarta conclusio.* Quarta conclusio est, quod negativa de possibili de *modo* affirmato pro his, quæ possunt esse, non convertitur, quia non sequitur, *Omnis Deus potest non creare*, sub isto sensu, *Omne quod potest esse Deus, potest non creare, igitur quoddam creans potest non esse Deus*, sub isto sensu, *Quoddam quod potest esse creans, potest non esse Deus*, imo quodlibet quod potest esse creans, necesse est esse Deum, et sic patet qualiter propositiones affirmativæ de possibili de *modo* affirmato convertuntur, et non convertuntur, et per consequens patet qualiter negativæ de necessario de *modo* negato, quæ istis æquipollent, sunt convertendæ, et hoc in illis de possibili.

17. *Prima conclusio de propositionibus de necessario de modo affirmato.* Tunc quantum ad istas de necessario, et primo de illis in hujusmodi sensu intelligitur supponere pro his quæ sunt. Et sit prima conclusio ista, quod Affirmativæ de necessario, in quibus subjectum intelligitur supponere pro his quæ sunt, non convertuntur, quia non sequitur, posito, quod Deus sit creans, *Omne creans de necessitate est Deus, igitur quidam Deus, de necessitate est creans.* Verum est tamen, quod tales propositiones possunt converti in propositiones secundum resolutionem ad quasdam de *inesse*, ut *Omne creans, de necessitate est Deus, igitur quod de necessitate est creans, est Deus*, tamen ista non est conversio proprie dicta, propter causas prius assignatas.

18. *Secunda conclusio.* Secunda conclusio est, quod negativæ de necessario pro his quæ sunt, non convertuntur, quia posito quod Deus non creet, hæc est vera, *Omne creans necesse est non esse Deum*, intelligendo subjectum supponere pro his quæ sunt, et tamen sua convertens est falsa, scilicet ista, *Quemdam Deum necesse est non creare.* Et quia aliqui negant antecedens, scilicet istam, *Omne creans necesse est non esse Deum*, ideo probatur, quod hæc est vera, *Nullum creans potest esse Deus*, igitur hæc est vera, *Omne creans necesse est non esse Deum.* Tenet consequentia per æquipollentias prius assignatas, et antecedens patet resolvendo subjectum, ut intelligitur supponere pro his quæ sunt, scilicet in istam, *Nullum quod est creans potest esse Deus.*

Tertia conclusio, quod affirmativæ de necessario pro his, quæ possunt esse, non convertuntur proprie, quia non sequitur, *Omne creans de necessitate est Deus*, secundum istum sensum, *Omne quod potest esse creans, de necessitate est Deus, igitur quidam Deus, de necessitate est creans.* Nam consequens est falsum secundum utrumque sensum. Verum est tamen quod tales propositiones sunt convertendæ secundum resolutionem ad quasdam de *inesse*, sed talis conversio est inutilis ad reductionem syllogismorum imperfectorum ad perfectos. 19. *Tertia conclusio.*

Quarta conclusio de illis de necessario, pro his quæ possunt esse, quod universalis negativa convertitur simpliciter, sed particularis negativa non. Probatur, quia, ut dictum fuit prius, particularis affirmativa de possibili, pro his, quæ possunt esse, convertitur simpliciter, et illa contradicit universali negativæ de necessario, pro illis, quæ possunt esse : modo si unum contradictoriorum convertitur simpliciter, et reliquum, ex eo, quod si ad antecedens sequitur consequens, ad oppositum consequentis sequitur oppositum antecedentis. 20.

Secunda pars conclusionis apparet ; quia non sequitur, *Quoddam ens*, ut affinitatem, *Necesse est non esse Deum*, et sua convertens esset falsa, *Quemdam Deum necesse est non esse ens* : et sic patet qualiter propositiones modales de necessario de *modo* affirmato convertuntur, et qualiter non. Rationes sunt solutæ per prædicta. Et hoc ad quæsitum.

QUÆSTIO XXVII

Utrum valeant Syllogismi de necessario in qualibet figura, sicut valent Syllogismi de inesse

Averroes et Aphrod. *cap.* 9. *hujus.* Burana *cap.* 6. *hujus.* Joan. a Magist. *quæst.* 8. *hujus.* Conimbr. *in expos. cap.* 8. *hujus.*

1. *Argumenta pro parte negativa.* Arguitur primo quod non ; quia in prima figura non valent Syllogismi de possibili, igitur nec valent Syllogismi de necessario. Tenet consequentia, quia quælibet de possibili æquipollet uni de necessario, et e contra. Probatur antecedens, posito quod de facto nihil currat, nisi equus, tunc arguitur sic, sumendo subjectum in illis de possibili pro his quæ sunt : *Omne currens potest esse equus* : quia de facto ita est quod omne currens est equus, *Sed omnis homo potest currere, igitur omnis homo potest esse equus.* Præmissæ sunt veræ, et conclusio falsa, igitur, etc.

Secundo arguitur contra *Baralipton,* quia non sequitur, *Omnis Deus de necessitate est justus, omne creans de necessitate est creans, igitur quoddam justum necesse est esse creans.* Præmissæ sunt veræ, et conclusio falsa, igitur consequentia non valet.

Tertio arguitur contra *Camestres* ; quia non sequitur, *Omne intelligens de necessitate est Deus, omnem creaturam necesse est non esse Deum : igitur omnem creaturam necesse est non esse intelligentem.* Major est vera, posito, quod omne intelligens de facto sit Deus, et minor similiter, et tamen conclusio est falsa ; igitur, etc.

Quarto arguitur contra *Darapti,* quia non sequitur, *Necesse est omnem Grammaticum esse scientem : necesse est omnem Grammaticum esse hominem, igitur quemdam hominem necesse est esse scientem.*

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo.

In quæstione primo videbitur de Syllogismis factis in prima figura, ex propositionibus de necessario ; secundo de eisdem factis in prima figura, concludentibus indirecte ; tertio de eisdem in secunda figura ; quarto de eisdem in tertia figura. 2. *Divisio quæstionis.*

Quantum ad primum, prima conclusio est, quod Syllogismi directe concludentes in prima figura, valent ex propositionibus de necessario, in sensu composito, sumendo modum et figuram quantum ad *dictum* solum. Probatur, quia sequitur, *Necessarium est omne animal esse substantiam: necessarium est omnem hominem esse animal, igitur necessarium est omnem hominem esse substantiam.* Et tenet consequentia per illam regulam, *Si præmissæ sunt necessariæ, conclusio erit necessaria.* *Prima conclusio.*

Secunda conclusio est, quod ex duabus de possibili in sensu composito, non valet Syllogismus in prima figura, sumendo modum, et figuram secundum *dictum* solum. Probatur, quia non sequitur, *Possibile est omne currens esse asinum : possibile est omnem hominem esse currentem, igitur possibile est omnem hominem esse asinum.* 3. *Secunda conclusio.*

Sed contra objicitur, quia sicut ista regula est vera, *Si antecedens est necessarium, consequens erit necessarium,* ita similiter ista regula, *Si antecedens est possibile, consequens erit possibile,* igitur sicut ex illis de necessario fit Syllogismus, ita etiam ex illis de possibili.

Respondetur negando consequentiam : et causa est, quia non omnis propositio de possibili cuilibet alteri de possibili est compossibilis, et ideo si antecedens in Syllogismo sit copulativa composita ex duabus præmissis incompossibilibus, etiam non potest sequi conclusio possibilis : sed quælibet propositio necessaria, cuilibet alteri necessariæ est connecessaria. Ideo non est simile de præmissis necessariis, et de præmissis possibilibus.

Tertia conclusio, quod modi directi de necessario in sensu diviso, valent in prima figura. Et isti modi non indigent probatione, sed de se sunt evidentes. Nam si *modus* 4. *Tertia conclusio.*

de necessario sit affirmatus, sive *dictum* sit affirmatum, sive negatum, semper tenet Syllogismus per *dici de omni*, ut arguendo sic : *Omne B necesse est esse A : omne C necesse est esse B, igitur omne C necesse est esse A*.

Item si dictum sit negatum, arguitur sic, *Omne B necesse est non esse A : omne C necesse est non esse B, igitur omne C necesse est non esse A*, et uterque modus tenet per *dici de omni*. Si modus de necessario sit negatus, sive dictum sit affirmatum, sive non, tunc tenent Syllogismi per *dici de nullo*. Exemplum de dicto affirmato : *Nullum B necesse est esse A : omne C necesse est esse B, igitur nullum C necesse est esse A*. Exemplum de dicto negato : *Nullum B necesse est non esse A, omne C necesse est esse B, igitur nullum C necesse est non esse A*, et tenet directe per *dici de nullo*.

arta usio. Quarta conclusio, quod dicti modi non valent de possibili in sensu diviso, si subjectum sumatur pro his quæ sunt. Probatur : Sit ita, quod de facto, omne currens sit equus, tunc arguitur sic ; *Omne Currens potest esse equus, omnis homo potest esse currens, igitur omnis homo potest esse equus*, consequentia non valet, quia præmissæ sunt veræ, et conclusio falsa.

Secundo probatur de modis negativis, posito, quod de facto Deus non creet, tunc hæc est vera, *Nullum creans potest esse Deus*, qua significatur quod nullum quod est creans, potest esse Deus, et hoc est verum, quia nihil est creans, *Sed omnis prima causa potest esse creans*, ut notum est, et tamen non sequitur, *Igitur nulla prima causa potest esse Deus*.

nta usio. Quinta conclusio est, quod prædicti modi de possibili valent in sensu diviso, si subjecta sumantur pro his, quæ possunt esse. Et ista conclusio non indiget probatione, quia illi modi tenent directe per *dici de omni*, et per *dici de nullo*, ut patet resolvendo subjecta, ut supponat pro his, quæ possunt esse, et sic patet de modis directe concludentibus in prima figura, de necessario, et de possibili, qualiter valent, et qualiter non. Et hoc de primo.

Quantum ad secundum notandum, quod ex propositionibus de necessario, in sensu composito, valent modi indirecti primæ figuræ, ad concludendum de necessario, sumendo *modum*, et figuram penes *dictum*, et non penes modum, et tenet per istam regulam, *Si antecedens est necessarium, et consequens erit necessarium*. Et non solum tenent isti modi in illis de sensu composito, sed etiam in quibusdam de necessario in sensu diviso, videlicet quando ambæ præmissæ de necessario sunt necessariæ : vel sub alio modo loquendi, quando sunt de necessario, secundum connexionem terminorum *pro semper*, quia hujusmodi propositiones necessariæ de necessario similiter convertuntur illis de *inesse*, ut dictum fuit prius. Et ideo modi indirecti reducuntur ad modos directos eodem modo, sicut in illis de *inesse* per conversionem : et ideo de istis non est difficultas, sed de illis de necessario, quæ sunt contingentes, ut *Creans de necessitate est Deus*, vel secundum alium modum loquendi de illis, quæ sunt de necessario secundum connexionem terminorum simpliciter pro nunc solum. 7. *Secunda pars quæstionis.*

Et de istis ponuntur conclusiones. Prima est, quod ex duabus de necessario, non fit syllogismus ad concludendum de necessario indirecte : ut in *Baralipton*. Probatur : posito, quod nunc Deus sit creans, tunc arguitur, *Omnis Deus de necessitate est justus, omnis creans de necessitate est Deus, igitur* indirecte *quoddam justum de necessitate est creans*. Præmissæ sunt veræ, et conclusio falsa, igitur consequentia non valet. *Prima conclusio.*

Secunda conclusio, quod *modi* negati de *modo* negato, scilicet de hoc modo, *necessarium* non valent ad concludendum indirecte in ista figura. Probatur per instantiam in *Celantes* ; posito, quod Deus sit creans, tunc arguitur sic ; *Nullus justus de necessitate est creans, omnis Deus de necessitate est justus, igitur nullus creans* 8. *Secunda conclusio.*

de necessitate est Deus. Præmissæ sunt veræ, et conclusio falsa, prædicto casu posito, quod quoddam creans, de necessitate est Deus, ut potest probari expositorie.

Secundo patet instantia in *Fapesmo*, arguendo sic, *Omne creans de necessitate est Deus ; nullus justus de necessitate est creans : igitur quidam Deus de necessitate non est justus*. Præmissæ sunt veræ, et conclusio falsa, igitur consequentia non valet, et per eosdem terminos potest dari instantia in *Frisesomorum*.

9. *Tertia conclusio.* Tertia conclusio, quod modi negati de *modo* affirmato, scilicet de hoc modo *necessarium*, affirmato, non valent, si subjectum sumatur pro his quæ sunt. Probatur per instantias.

Primo in *Celantes*, posito, quod Sol luceat super nostrum hemisphærium : tunc arguitur sic ; *Omnem solem necesse est non esse Lunam, omnem lucens super nostrum hemisphærium de necessitate est Sol : igitur omnem Lunam necesse est non lucere super nostrum hemisphærium*. Præmissæ sunt veræ per casum positum, et tamen conclusio est falsa, quia omnem Lunam possibile est lucere super nostrum hemisphærium.

Secundo patet per instantiam in *Fapesmo*, posito, quod Deus nunc non sit creans, tunc arguitur sic ; *Omnis prima causa de necessitate est Deus, omne quod est creans necesse est non esse primam causam, igitur quemdam Deum necesse est esse non creantem*. Consequentia non valet, quia præmissæ sunt veræ, et conclusio falsa, et causa est, quia in præmissis minor extremitas sumitur solum pro his quæ sunt, sed in conclusione ampliatur ad ea, quæ possunt esse, quia sequitur hunc modum *necesse*, cujus est de necessitate ampliare terminum sequentem, scilicet a parte prædicati ; licet non sit necesse ampliare terminum præcedentem, et hoc est ex eo, quod prædicatum debet appellare suam formam modo ex non ampliato, nunquam sequitur ampliatum negative, quia est argumentari negative ab inferiori ad superius.

Quarta conclusio est, quod dicti modi valent de modo affirmato, si subjectum capiatur pro his, quæ possunt esse, quia tunc minor extremitas non magis ampliatur in conclusione quam in præmissis. 10. *Quarta conclusio.*

Secundo probatur conclusio specialiter de *Celantes*, quælibet negativa de necessario de *modo* affirmato, cujus subjectum supponit pro his, quæ possunt esse, convertitur simpliciter, ut dictum fuit prius, igitur iste modus *Celantes* reducitur ad *Celarent* per conversionem conclusionis.

Tertio probatur de aliis duobus modis, scilicet *Fapesmo*, et *Frisesomorum*, quia reducuntur ad *Barbara*, et *Dàrii* per impossibile, et in ista reductione resultabit mixtio de possibili, et necessario, quæ valet pro his, quæ possunt esse, cum major fuerit de possibili : unde primo fiat Syllogismus talis de *Fapesmo*, *Omne B necesse est esse A, omne C necesse est non esse B, igitur quoddam A necesse est non esse C*, modo sumatur oppositum conclusionis cum majore, et sequetur oppositum minoris : nam oppositum contradictorium conclusionis est, *Omne A potest esse C* ; tunc igitur fiat Syllogismus talis, *Omne A potest esse C, omne B de necessitate est A, igitur omne B potest esse C*, et tunc convertatur conclusio, quia affirmativa de possibili, pro his quæ possunt esse convertitur, sicut illa de *inesse*, ut declaratum fuit prius, tunc erit conversio conclusionis, *Quoddam C potest esse B*, et ista repugnat primo minori, quæ dicit, *Omne C necesse est non esse B* ; sic patet quomodo isti modi indirecte valent, et quomodo non valent ; et hoc de secundo.

Quantum ad tertium, et quartum simul notandum, quod ex propositionibus de necessario, in sensu composito, fit Syllogismus, sicut in illis de *inesse* in secunda, et tertia figura, sumendo *modum* et figuram præcise secundum *dictum*. Et omnes modi probantur, sicut in aliis modis, per illam regulam, *Si antecedens est necessarium, consequens erit necessarium*. 11 *Tertia et quarta pars quæstionis.*

Secundo notandum, quod ex propositio-

nibus de necessario secundum connexionem terminorum *pro semper*, scilicet quæ sunt necessariæ, fit Syllogismus ad concludendum de necessario, sicut in illis de *inesse*, in secunda, et tertia figura. Causa hujus est, quia tales propositiones de necessario convertuntur, similiter illis de *inesse*, ideo modi imperfecti, qui fiunt in secunda, et tertia figura, reducuntur ad Syllogismos primæ figuræ, sicut istæ de *inesse*, exceptis *Baroco*, et *Bocardo*, qui non probantur per conversionem, sed per impossibile, ut verbi gratia, in *Baroco* fiat Syllogismus sic, *Omne B necesse est esse A*, *quoddam C necesse est non esse A*, *igitur quoddam C necesse est non esse B*, quia si non sequitur, detur oppositum conclusionis sic, *Omne C potest esse B*, tunc ex ista cum majore infertur oppositum minoris, arguendo sic, *Omne B necesse est esse A*, *omne C potest esse B*, *igitur omne C potest esse A*, et tenet Syllogismus, sumendo substantiam propositionum pro his, quæ possunt esse : et tunc tenet syllogismus evidenter, ut patet explicando majorem, arguendo sic, *Omne quod potest esse B necesse est esse A*, *omne C potest esse B*, *igitur omne C potest esse A*, et istam sequitur, *Omne C potest esse A*, quæ contradicit minori primi Syllogismi, quæ dicebat, *Quoddam C necesse est non esse A*. Et consimiliter potest probari *Bocardo*.

12. *Prima conclusio.* Tunc ponuntur conclusiones. Prima conclusio est, quod modi secundæ figuræ non valent sumendo subjecta pro his, quæ sunt. Probatur per instantiam, posito quod nullum sit lucens modo super nostrum hemisphærium, tunc datur instantia de *Cæsare* isto modo, *Omne lucens super nostrum hemisphærium necesse est non esse solem*, *omnis planeta lucidissimus de necessitate est sol*, *igitur omnem planetam lucidissimum necesse est non lucere super nostrum hemisphærium* Præmissæ sunt veræ, ut patet ex casu, et tamen conclusio est falsa ; et in eisdem terminis instatur contra *Festino*, faciendo minorem particularem, quæ prius fuit universalis.

Sed objicitur contra secundum notabile ; quia in exemplo ibi supponitur, quod subjecta supponant pro his, quæ possunt esse, et tamen non debet esse ita.

Respondetur, quod illud debet supponi, imo sequitur virtute illius, quod supponebatur prius, videlicet, quod propositiones essent de necessario simpliciter secundum connexionem terminorum, pro semper.

Secunda conclusio est, quod modi secundæ figuræ valent, si subjecta sumantur pro his, quæ possunt esse, et omnes probantur per impossibile, sicut exemplificabatur prius de *Baroco*. 13. *Secunda conclusio.*

Tertia conclusio est, quod omnes modi tertiæ figuræ valent de necessario, sicut valent illi de *inesse*, sive subjecta sumantur pro his, quæ sunt, sive pro his quæ possunt esse, et omnes probantur per impossibile eodem modo, sicut probatur de *Baroco* in secunda figura, excepto quod in tertia figura oppositum conclusionis debet fieri major, quod quidem oppositum fiebat minor in secunda figura. 14. *Tertia conclusio.*

Tunc ad rationes, duæ primæ sunt solutæ. 15. *Ad argumenta.*

Ad tertiam, quæ fuit contra *Camestres*, respondetur, quod in illa figura non fit Syllogismus, quando major non est de necessario secundum connexionem terminorum *pro semper*, modo sic est in isto argumento.

Ad quartam dicitur quod ubi ex propositionibus de sensu composito, infertur propositio in sensu diviso, consequentia non valet. Et sic sit dictum ad quæsitum.

QUÆSTIO XXVIII

Utrum ex una de necessario, et alia de inesse fiat Syllogismus ad concludendum necessario in prima figura

Averroes et Aphrod. *cap.* 10. *hujus*. Burana *cap.* 6. *hujus*. Okam 3. *par*. *Log*. *cap*. 31. Joan. a Mag. *quæst.* 8. *hujus*. Albert. de Saxonia *tract*. 4. *Log*. *cap*. 16. Conimbr. *cap*. 9. 10. *et* 11. *hujus*, *et in fine cap*. 13.

Arguitur primo quod non, quia non est connexio minoris extremitatis cum majori in conclusione, nisi propter connexio- 1. *Argumenta pro parte negativa.*

nem ipsius cum medio in præmissis; sed minor extremitas connectitur cum medio in præmissis solum pro uno tempore, quia hoc significat propositio de *inesse*, igitur debent inferri connexio minoris extremitatis cum majore solum pro uno tempore, sed illa de necessario significat connexionem pro omni tempore, igitur non debet inferri illa de necessario, sed de *inesse*.

Secundo arguitur per instantiam; quia non sequitur, *De necessitate, omnis homo est animal, album est homo, igitur de necessitate album est animal*, quia præmissæ sunt veræ, et conclusio falsa.

Tertio, quia non sequitur, *Omnis prima causa, de necessitate est Deus, quoddam creans est prima causa, igitur quoddam creans, de necessitate est Deus*, quia præmissæ sunt veræ et conclusio falsa. Quod autem conclusio sit falsa, patet, quia sequitur, *Quoddam creans de necessitate est Deus, igitur quidam Deus de necessitate est creans*; quia ista de necessario convertitur simpliciter, sicut illa de *inesse*, ut dicit Aristoteles in isto primo. Modo consequens est falsum, igitur et antecedens.

Quarto, si ex una de necessario, et alia de *inesse* sequeretur conclusio de necessario, vel hoc esset ex majore de necessario, et minore de *inesse*; vel e contra; non primo modo, ut probatum est; nec secundo modo, ut probat Aristoteles in isto primo.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo.

2. *Propositio de inesse duplex.* Notandum est quod duplex est propositio de *inesse* quantum ad propositionem pertinet. Quædam de *inesse simpliciter*, scilicet quæ est necessaria, ut ista, *Homo est animal*, est de *inesse simpliciter*, secundum Aristotelem, qui ponit mundum æternum, et sic necessario perpetuari: alia est de *inesse*, ut *nunc*, scilicet propositio contingens de *inesse*. Et proportionabiliter popotest distingui de propositione de necessario, quia quædam est necessaria, et illa vocatur de *necessario simpliciter*: et alia est contingens, et illa vocatur de *necessario ut nunc*.

Secundo notandum, quod ex una de necessario, et alia de *inesse*, non potest fieri Syllogismus, nisi altero duorum modorum, scilicet, vel ex majori de necessario, et minori de *inesse*, vel e contra.

Divisio quæstionis Ideo primo notandum est qualiter fit Syllogismus ex majori de necessario, et minore de *inesse*.

Secundo qualiter fit Syllogismus e converso.

Tertio inferenda sunt quædam corollaria.

3. *Prima conclusio ad 1. quæstionis.* Quantum ad primum, ponuntur tres conclusiones. Prima est, quod ex majori de necessario, in sensu composito, et minori de *inesse*, non fit Syllogismus ad concludendum de necessario. Probatur per instantiam in *Barbara*, posito quod tantum homo currat, tunc igitur sic; *De necessitate omnis homo est risibilis, omne currens est homo*; *igitur de necessitate omne currens est risibile*. Præmissæ sunt veræ, et conclusio falsa.

Secundo contra *Celarent*, arguendo sic, *De necessitate nullum album est nigrum, omnis homo est albus*, posito quod ita sit, *igitur de necessitate nullus homo est niger*. Præmissæ sunt veræ, et conclusio falsa.

Tertio contra *Darii*, patet per instantiam primam ante oppositum.

4. *Secunda conclusio.* Secunda conclusio, quod ex majori de necessario, in sensu diviso, et minori de *inesse*, valent modi primæ figuræ, directe concludentes, ad concludendum de necessario, et ista conclusio probatur per hoc, quod illi modi sunt evidentes per *dici de omni*, et *dici de nullo*. Exemplum de *Barbara, Omne B necesse est esse A, omne C est B, igitur omne C necesse est esse A*. Præmissæ si sint veræ, necesse est, quod conclusio sit vera; quia resolvendo majorem, iste modus tenet evidenter per *dici de omni*, arguendo sic, *Omne quod est B necesse est esse A*, etc. Similiter potest exemplificari de *modo* negato, ut de *Celarent*; *Nullum quod est B, necesse est esse A, omne C est B, igitur nullum C necesse est esse A*, et tenet directe per *dici de nullo*, et consimiliter

potest exemplificari de modis particularibus.

5. *ertia clusio.* Tertia conclusio, quod modi indirecte, concludentes primæ figuræ, non valent ex majori de necessario, et minori de *inesse*, ad concludendum de necessario indirecte. Probatur per instantiam in terminis, et instatur contra *Baralipton*, per istos terminos, *Deus, prima causa, creans*; posito, quod de facto Deus sit creans, tunc arguitur sic; *Omnis prima causa de necessitate est Deus, omne creans est prima causa,* non sequitur concludendo indirecte, *igitur quidam Deus de necessitate est creans*, imo Deum possibile est non creare, et in eisdem terminis potest instari contra *Celarent*; quia, non sequitur, *Nullus Deus de necessitate est creans, omnis prima causa est Deus : igitur nullum creans de necessitate est prima causa.* Præmissæ sunt veræ,et conclusio falsa, casu posito : igitur consequentia non valet.

6. *ima conusio ad uæstio-* Quantum ad secundum ponuntur conclusiones.Prima est, quod ex majore de *inesse*, et minori de necesario in sensu composito non valet Syllogismus ad concludendum de necessario ; quia non sequitur, *Omnis homo currit, de necessitate omne risibile est homo* : *igitur de necessitate omne risibile currit.*

7. *ecunda clusio.* Secunda conclusio est, quod ex majori de *inesse*, et minori de necessario, in prima figura, fit Syllogismus ad concludendum de *inesse*. Probatur,quia ex majori de *inesse*, et minori de *inesse*, fit Syllogismus ad concludendeum de *inesse* : igitur ex majori de *inesse*, et minori de necessario, fit Syllogismus ad concludendum de *inesse*. Antecedens apparet in simplici conversione Syllogismorum de *inesse*. Consequentia probatur ; quia ad unam de necessario sequitur illa de *inesse* : modo quidquid sequitur ad consequens, sequitur ad antecedens.

8. *ertia clusio.* Tertia conclusio est, quod in modis negativis de *modo* negato,ex majore de *inesse*, et minori de necessario, fit Syllogismus ad concludendum de necessario. Probatur, quia ex majori de *inesse*, et minori de necessario in *modo* negato, fit syllogismus ad concludendum negativam de *inesse* : igitur etiam ad concludendum negativam de necessario de *modo* negato. Antecedens apparet per præcedentem conclusionem, et consequentia probatur ; quia ad negativam de *inesse* sequitur negativa de necessario de *modo* negato, ut ad istam, *Nullum B est A*, sequitur quod nullum *B* de necessitate est *A*.

Quarta conclusio est ista, quod modi affirmativi primæ figuræ, et etiam modi negativi de modo affirmato, non valent ad concludendum de necessario, ex minori de necessario, et majori de *inesse*. Probatur per instantiam in terminis : quia non sequitur, posito, quod Deus sit creans, *Omnis prima causa est creans, omnis Deus de necessitate est prima causa ; igitur omnis Deus de necessitate est creans*, quæ præmissæ sunt veræ, et conclusio falsa. 9. *Quarta conclusio,*

Secundo contra *Celarent*, posito, quod Deus non sit creans : quia non sequitur, *Nullus Deus est creans, omnem primam causam necesse est esse Deum* : *igitur omnem primam causam necesse est non esse creantem ;* quia præmissæ sunt veræ, et conclusio falsa.

Quinta conclusio est, quod ex majori de *inesse simpliciter*, et minori de necessario, fit Syllogismus ad concludendum de necessario, tam in sensu composito, quam etiam diviso, sicut sequitur, *Omnis Deus est prima causa* : *quoddam justum de necessitate est Deus ; igitur quoddam justum de necessitate est prima causa* ; nec est possibile invenire instantiam. Et hoc de secundo. *Quinta conclusio.*

Quantum ad tertium, ex prædictis sequitur primo, quod Aristoteles in proposito non intelligit de modalibus propositionibus, in sensu composito ; quia sic pauca ejus dicta essent vera, ut patet ex prædictis. 10.

Secundo sequitur, quod propositio de *inesse* sumpta cum illa de necessario, sit de *inesse simpliciter*, quemadmodum ali-

qui exponunt. Probatur, quia tunc æquivalerent Syllogismi ex majori de *inesse*, et minori de necessario, et e contra, cujus tamen oppositum determinat Aristoteles, et patet consequentia ex prædictis.

Tertio potest inferri, quod ista consequentia non valet, ex majori de *inesse simpliciter*, et minori de necessario, fit Syllogismus ad concludendum de necessario: igitur ex majori de *inesse*, et minori de necessario, fit Syllogismus ad concludendum de necessario. Probatur, quia sequitur propositio de *inesse simpliciter*, igitur propositio de *inesse*, modo non quidquid sequitur ad antecedens, sequitur ad consequens: sed e contra est verum, quia quidquid sequitur ad consequens, sequitur ad antecedens.

Quarto sequitur, quod non est idem judicium, ubi *modus* affirmatur, et ubi *modus* negatur: et hoc sequitur ex tertia, et quarta conclusionibus.

11. Tunc ad rationes. Ad primam dico, quod licet in præmissis minor extremitas connectatur cum medio, solum pro præsenti, tamen quia medium connectitur cum majori extremitate pro omni tempore: ideo quidquid connectitur cum medio pro omni tempore, oportet quod pro omni tempore connectatur cum majori extremitate.

Ad secundam dico, quod ille Syllogismus fit ex majori in sensu composito, et talis dispositio non valet, ut dictum est prius.

Ad tertiam dico, quod consequentia est bona. Ad probationem dico, quod conclusio non potest converti in illam de necessario, quia, ut patuit prius, illa de necessario ut nunc non convertitur similiter illis de *inesse*.

Ad quartam dico, quod utroque modo, sicut prædictum est. Et hæc sunt ad quæsitum.

QUÆSTIO XXIX

Utrum mixtio de necessario, et inesse valeant in secunda et tertia figura

Averroes et Aphrod. *hic cap.* 11. *et* 12. Burana *cap.* 6. *hujus.* Okam 3. *par. Log. cap.* 32. *et* 34. Joan. a Mag. *quæst.* 8. *hujus.* Vide citatos *quæst. antec.*

Arguitur quod non, quia in secunda figura ex affirmativa de necessario, et negativa de *inesse*, non valet Syllogismus ad concludendum de necessario; igitur nec e contra, ex negativa de necessario, et affirmativa de *inesse*, ad concludendum de necessario. Antecedens apparet per Aristotelem in littera, et probatur consequentia; quia affirmativa æquipollens est ad assimilandum sibi conclusionem sicut negativa. 1. *Argumenta pro parte negativa*

Secundo arguitur contra in *Cæsare*; quia non sequitur, *De necessitate nullum album est nigrum, omnis homo est niger*, posito quod ita sit, *igitur omnis homo de necessitate non est albus*. Præmissæ sunt veræ, et conclusio falsa, quia quemlibet hominem contingit esse album.

Tertio arguitur contra *Camestres*, quia non sequitur, *Omnis planeta lucet, nulla Luna de necessitate lucet; igitur nulla Luna de necessitate est planeta.* Major est vera, posito quod nullus planeta de facto eclipsatur: et minor est vera, quia possibile est Lunam non lucere, ut patet in eclipsi: et tamen conclusio est falsa: quia omnem Lunam necesse est esse planetam.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo.

In quæstione primo videbitur, qualiter valeat mixtio de necessario, et de *inesse* in secunda figura, si negativa sit de necessario, et affirmativa de *inesse*; secundo qualiter valet in illa secunda figura, si e contra, et tertio qualiter valet in tertia figura. 2. *Divisio quæstionis*

Quantum ad primum notandum, quod si illa de necessario sit in sensu composito, aut etiam de *modo* negato, non valet Syllogis-

mus in secunda figura, patet de illis de sensu composito per secundam rationem ante oppositum, et de illis de *modo* negato patet per tertiam rationem; et ideo ista mixtio si valeat, solum valet, si illa de necessario sit in sensu diviso de *modo* affirmato.

3. Secundo notandum, quod in ista mixtione debet supponi, quod negativa de necessario quæ cum hoc, quod est de necessario, est necessaria, convertitur simpliciter in aliam de necessario. Similiter, quod universalis negativa de necessario, dato quod contingens, dum tamen subjectum supponat pro his quæ possunt esse, convertitur simpliciter in aliam de necessario, et istius causa prius fuit dicta.

Istis præmissis ponuntur conclusiones.

4. *Prima conclusio ad 1. quæstionis.* Prima est quod *Cæsare* et *Festino* valent, dum tamen major, quæ est de necessario, sit necessaria, vel etiam contingens, dum tamen ejus subjectum supponat pro his, quæ possunt esse. Probatur, quia tunc universalis negativa per suppositum convertitur simpliciter, ac si esset de *inesse*: ideo reducitur ad primam figuram, tam *Cæsare* quam *Festino* omnino consimiliter, ac si fieret ex præmissis de *inesse*.

5. *Secunda conclusio.* Secunda conclusio est, quod si major sit de necessario, et cum hoc sit contingens, ita quod subjectum supponat pro his quæ sunt, tunc non in *Cæsare*, nec *Festino*. Probatur per instantiam; quia non sequitur, *Omne lucens super nostrum hemisphærium necesse est non esse planetam, omnis Luna est planeta, igitur omnem Lunam necesse est non lucere super nostrum hemisphærium.* Præmissæ sunt veræ, et conclusio falsa. Unde posito, quod omnis planeta sit sub nostro Horizonte, tunc major est vera, supposito, quod ejus subjectum supponat pro his, quæ sunt.

6. *Tertia conclusio.* Tertia conclusio est, quod in *Camestres* nullo modo valet, sive negativa de necessario sit necessaria, sive contingens. Patet per instantiam; quia non sequitur, *Omnis planeta lucens super nostrum hemisphærium, est Sol, omnem Lunam necesse est non esse Solem; igitur omnem Lunam necesse est non lucere super nostrum hemisphærium.* Præmissæ sunt veræ, et conclusio falsa.

Quarta conclusio, quod si major in *Camestres*, scilicet de *inesse* sit necessaria, hoc est, de *inesse simpliciter*, tunc valet *Camestres*, aliter non. Quod sic valeat, probatur; quia ex opposito conclusionis, et minori, sequitur majorem non esse necessariam, quod est contra positum antecedens, et fiat Syllogismus in *Camestres* sic, *Omne B est A*, et sit ista necessaria, *Omne C necesse est non esse A*: *igitur omne C necesse est non esse B*, quia non sequitur, detur oppositum conclusionis, scilicet *Quoddam C potest esse B*, et ponatur in esse, scilicet *Quoddam C est B*, tunc ex minori, quæ dicebat, quod *Omne C necesse est non esse A*, sequitur quod nullum *C* potest esse *A*, et tamen aliquod *C* est *B*, ut jam reservatum est ex opposito conclusionis posito in esse, igitur aliquod *C* est *B*, quod tamen non est *A*, et per consequens aliquod *B* non est *A*, igitur major, quæ dicebat *Omne B est A*, non erat necessaria, quæ tamen ponebatur esse necessaria. 7. *Quarta conclusio.*

Quinta conclusio est, quod *Baroco* valet eodem modo, sicut *Camestres*, et aliter non: ita quod in *Baroco* sequitur conclusio de necessario, si major sit de *inesse simpliciter*, sed si major sit de *inesse ut nunc*, qualitercumque fuerit minor, de necessario, sive necessaria, sive contingens, non valet Syllogismus. Et hoc de primo. 8. *Quinta conclusio.*

Quantum ad secundum, notandum quod in proposito non est dubium, an sequatur conclusio de *inesse*; quia ex duabus de *inesse* in omnibus quatuor modis secundæ figuræ valet Syllogismus ad concludendum de *inesse*, igitur si una fuerit de *inesse*, et alia de necessario, adhuc valebit Syllogismus ad concludendum de *inesse*, quæcumque præmissarum fuerit de necessario per illam regulam: *Quidquid sequitur ad consequens, sequitur ad antecedens*, modo ad istam de necessario sequitur illa de *inesse*. 9.

Secundo notandum, quod etiam in proposito non est dubium, an ex una de ne-

cessario, et alia de *inesse*, sequatur conclusio negativa de necessario de *modo* negato, quæcumque præmissarum fuerit de necessario, sive affirmativa, sive negativa, quia ad præmissas sic dispositas, sequitur conclusio negativa de *inesse*, modo ad negativam de *inesse*, sequitur negativa de necessario, sicut sequitur, *Nullum B est A : igitur nullum B de necessitate est A*, igitur ista eadem conclusio sequitur ad præmissas, ad quas sequebatur negativa de *inesse*. Nam ad quæcumque sequitur antecedens, et consequens, ideo solum restat difficultas de affirmativis de necessario de *modo* affirmato. De quibus ponuntur conclusiones.

Prima conclusio ad 2. quæstionis. Prima est, quod *Cæsare*, et *Camestres* non valent, si affirmativa sit de necessario ad concludendum de necessario. Probatur per instantiam contra *Cæsare*, posito quod Deus non sit creans. *Nullum creans est Deus, omnem primam causam necesse est esse Deum ; igitur omnem primam causam necesse est non esse creantem.* Præmissæ sunt veræ, et conclusio falsa.

Secundo instatur contra *Camestres*, posito, quod nullus planeta luceat super nostrum hemisphærium, nisi Sol : tunc arguitur sic ; *Omne quod est lucens super nostrum hemisphærium de necessitate est Sol : nulla Luna est Sol; igitur omnem Lunam necesse est non lucere super nostrum hemisphærium.* Præmissæ sunt veræ, et conclusio falsa.

10. *Secunda conclusio.* Secunda conclusio est, quod *Cæsare* et *Festino* valent ad concludendum de necessario, si major quæ est universalis sit de *inesse simpliciter*, et major de necessario. Probatur, quia per conversionem minoris de *inesse simpliciter* fieret prima figura, modo dictum fuit, quod in prima figura valet mixtio ex majori de *inesse simpliciter*, et minori de necessario ad concludendum de necessario.

11. *Tertia conclusio.* Tertia conclusio est, quod *Camestres*, et *Baroco* valent ad concludendum de necessario, si major sit de necessario pro his, quæ possunt esse ; et minor de *inesse* sit necessaria, licet non de necessario. Probatur, quia ex opposito conclusionis, et majori, infertur opposita necessitas minoris. Verbi gratia, in *Camestres* Syllogismus talis, *Omne B necesse est esse A, nullum C est A*, posito quod hæc sit necessaria, *igitur omne C necesse est non esse B*, quia si non sequitur detur oppositum conclusionis, scilicet, *Quoddam C posset esse B*. Tunc accipiatur major primi Syllogismi, scilicet, *Omne B necesse est esse A*, secundum istum sensum, omne quod potest esse *B* necesse est esse *A*. Et tunc fiat Syllogismus, *Omne quod potest esse B necesse est esse A, quoddam C potest esse B, igitur quoddam C necesse est esse A*. Quæ contradicit minori primi Syllogismi, quæ dicebat, quod nullum *C* est *A*.

Quarta conclusio, quod si major sit de necessario pro his, quæ sunt, non valent illi Syllogismi ad concludendum de necessario, supposito adhuc, quod minor de *inesse* sit necessaria. Probatur, supposito, quod planeta solus Sol luceat super nostrum hemisphærium ; tunc arguitur sic ; *Omnem planetam lucentem super nostrum hemisphærium necesse est esse Solem, nullum carens luce est Sol, igitur omne carens luce necesse est non lucere.* Conclusio est falsa, supposito, quod Luna nunc de facto sit eclipsata per interpositionem terræ inter Solem, et Lunam, et tamen major vera, quia omnem Solem necesse est lucere : et similiter minor. Sic patet qualiter in secunda figura affirmativa præmissa existente de necessario, et negativa de *inesse* fit syllogismus ad concludendum de necessario, et qualiter non. Et hoc de secundo. 12. *Quarta conclusio.*

Quantum ad tertium ponuntur duæ conclusiones.

Prima est, quod omnes modi tertiæ figuræ valent ad concludendum de necessario, si major sit de necessario, et minor de *inesse*, et quatuor modi, in quibus major est universalis, probantur per conversionem minoris, quæ est de *inesse*, quia illa minore conversa fit prima figura, et illi quatuor modi sunt *Darapti, Felapton, Datisi*, et *Fe-* 13 *Prima conclusio ad 3. quæstionis.*

rison; sed alii duo modi, scilicet *Disamis*, *Bocardo* probantur dupliciter.

Uno modo expositorie, ut fiat Syllogismus in *Disamis* sic, *Quoddam B necesse est esse A, omne B est C, igitur quoddam C necesse est esse A*. Probatur consequentia, signando illud *B*, de quo dicitur in majore, quod necesse est ipsum esse A, et arguitur sic; *Hoc B necesse est esse A, hoc idem B est C*, quia in minori dicitur, quod omne *B* est *C*,*igitur quoddam C de necessitate est A*, et habetur propositum.

Consimiliter probaretur *Bocardo*,signando subjectum majoris, ut prius.

Secundo isti modi probantur per impossibile, quia ex opposito conclusionis,et minore, infertur oppositum majoris, et fit primus Syllogismus, ut prius in *Disamis*, ut *Quoddam B necesse est esse A, omne C est B; igitur quoddam C necesse est esse A*; quia detur oppositum, quod omne *C* potest non esse *A*, *omne C est B*, ut dicebatur in minori: *igitur omne C possibile est non esse A*. Et consimiliter potest fieri in *Bocardo*.

14. *Secunda conclusio.* Secunda conclusio est ista,quod si major sit de *inesse*, et minor de necessario, non valent modi tertiæ figuræ ad concludendum de necessario, et quia magis apparet de *Darapti*, et *Disamis*, quod hujusmodi dispositio valet; igitur contra istos modos datur instantia.

Primo in *Darapti*, ubi major est de *inesse, ut nunc*, ut, *Omnis Deus est creans*, posito quod ita sit, *Omnem Deum necesse est esse primam causam,igitur quamdam primam causam necesse est esse creantem*. Præmissæ sunt veræ, et conclusio falsa.

Secundo instatur, ubi major est de *inesse simpliciter*, arguendo sic; *Omnis pars Zodiaci existens in Oriente nostro oritur nobis*, hæc semper est vera, sed *Omnis pars Zodiaci existens in Oriente nostro de necessitate est pars Zodiaci,igitur aliqua pars Zodiaci de necessitate oritur nobis*.Præmissæ sunt veræ, et conclusio falsa, igitur talis dispositio non valet. Et sic patet, qualiter in tertia figura valeat mixtio una de *inesse*,et alia de necessario,et hoc de tertio.

Rationes ante oppositum sunt solutæ,per conclusiones primi articuli. Et sic sit dictum ad quæsitum.

QUÆSTIO XXX

Utrum propositiones de contingenti possunt converti in oppositam qualitatem

Averroes et Aphrod. *cap*. 13. *hujus*. Okam 2. *par*. *Log*. *cap*. 28. Joan. a Mag. *hic q*. 4 § *tertio sciendum*. Tartar. *hic tract*. 4. *dub*. 1. Joan. de Saxcnia *tract*. 4. *Log*. *c*. 18. *Conimbr*. *c*. 3. *hujus*. *q*. 2. *et* 3. *et c*. 12. Ruvius *hic c*. 3. *notab*. 1. 2. *et* 3.

Arguitur primo quod non, quia non sequitur, *Contingens est esse, igitur contingens est non esse*. Nam ad istam, *Contingens est esse*, sequitur per æquipollentiam ista, *Non necesse est non esse*; sed ad istam, *Contingens est non esse*, sequitur ista, *Non necesse est esse*, sed ad illam, *Non necesse est non esse*, non sequitur illa, *Non necesse est esse*, ut ad istam, *Contingens est esse*, sequitur ista, *Contingens est non esse*. 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Secundo, nulla opposita possunt stare simul, sed convertens, et conversa stant simul,igitur convertens,et conversa non sunt opposita, et per consequens non sunt oppositæ qualitates.

Tertio, quia non sequitur,*Contingit quoddam ens esse Socratem, igitur contingit quoddam ens non esse Socratem*. Quia antecedens est verum, et consequens falsum, unde hæc est necessaria, *Quoddam ens non est Socrates*.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo in tractatu de contingenti.

Nota,quod hoc nomen *contingens*, capitur dupliciter. Uno modo, ut convertitur cum possibili, et isto modo sumendo,omne illud est contingens, quod non est impossibile; et sic propositiones de contingenti non convertuntur in oppositam qualitatem, quia non sequitur, *Deum contingit esse justum*; *igitur Deum contingit non esse justum*. Alio modo accipitur *contingens* prout restringitur ad possibile, non necessarium: et est 2. *Contingens capitur dupliciter.*

sumit Aristoteles *contingens* in isto primo, ubi dicit, quod *Contingens est, quo non existente necessario posito inesse, nullum sequitur impossibile.*

Propositio de Contingenti potest converti dupliciter.

Secundo nota quod propositio de contingenti potest converti dupliciter. Uno modo in oppositam qualitatem, ita quod de affirmativa fiat negativa, manente eodem subjecto et prædicato. Alio modo possunt converti illæ de contingenti ad utrumlibet, transponendo terminos, sicut illæ de *inesse*.

Istis præmissis in quæstione.

3. *Divisio quæstionis*

Primo videbitur, qualiter propositiones de contingenti ad utrumlibet in sensu composito convertuntur in oppositam qualitatem.

Secundo, qualiter illæ in sensu diviso convertuntur in oppositam qualitatem.

Tertio, qualiter illæ in sensu composito convertuntur transponendo terminos.

Et quarto, qualiter illæ in sensu diviso convertuntur transponendo terminos.

4. *Prima conclusio ad 1. quæstionis*

Quantum ad primum. Prima conclusio est ista, quod nulla propositio de contingenti in sensu composito convertitur in oppositam qualitatem, servata eadem quantitate antecedentis, et consequentis. Probatur per instantias, quia non sequitur, *Contingit omne ens esse Deum, igitur contingit nullum ens esse Deum.* Quia antecedens est verum secundum fidem, imo aliquando ita erat, scilicet ante creationem mundi, quod omne ens fuit Deus, et tamen conclusio est falsa, et impossibilis.

Secundo patet in universali negativa, quia hæc est vera, *Contingit nullum ens esse Socratem,* nunc mortuo Socrate, *nullum ens est Socrates,* et tamen hæc est falsa, *Contingit omne ens esse Socratem.*

Tertio patet de particulari affirmativa, per tertiam rationem ante oppositum.

Quarto de particulari negativa, quia non sequitur ; *Contingit quoddam ens non esse Deum, igitur contingit quoddam ens esse Deum* ; quia antecedens est verum, et consequens falsum : nam hæc est necessaria, et non contingens, *Quoddam ens est Deus.*

5. *Secund[a] conclusio*

Secunda conclusio est, quod omnis propositio de contingenti potest converti in oppositam qualitatem, mutata quantitate antecedentis, et consequentis, ita quod de universali fiat particularis, et e contra ; et loquor de illis in sensu composito. Probatur, quia sequitur, *Contingit omne B esse A ; igitur contingit quoddam B non esse A,* quia istæ duæ contradicunt, *Omne B est A,* et *Quoddam B non est A.* Modo si unum contradictorium est contingens, et reliquum. Ex quo patet quod particularis negativa convertitur in universalem affirmativam, et e contra ; et universalis negativa in particularem affirmativam, et e contra.

Secundo sequitur, quod quælibet duo contradictoria mutuo se invicem consequuntur hucusque, addito hoc modo *contingens.* Et hoc de primo.

6. *Prima con[-]clusio ad 2. quæstionis.*

Quantum ad secundum, notandum, quod illarum de contingenti in sensu diviso, quædam est de *modo* affirmato, et quædam de *modo* negato.

Tunc ponuntur conclusiones. Prima est, quod nulla propositio de contingenti de *modo* negato convertitur in oppositam quantitatem, nec affirmativa potest converti in negativam, de *modo* negato. Probatur, quia non sequitur *Nullum hominem contingit esse asinum : igitur omnem hominem contingit esse asinum.*

Item, non sequitur, *Omnem hominem contingit currere : igitur nullum hominem contingit currere ;* quia antecedens est verum, et consequens falsum.

Secun[da] conclusio

Secunda conclusio, quod omnis propositio de contingenti affirmativa, et omnis negativa de *modo* affirmato in sensu diviso, convertitur in oppositam qualitatem ; sicut sequitur, *Omne B contingit esse A, igitur omne B contingit non esse A.* Probatur, quia ad istam, *Omne B contingit esse A,* sequitur ista; *Igitur nullum B necesse est esse A,* per definitionem contingentis. Similiter ad eamdem sequitur : *Igitur nullum B impossibile est esse A,* per eamdem definitionem. Modo ad istam, *Nullum B necesse est esse A,* sequi-

tur quod omne *B* contingit non esse *A*, sequitur igitur, quod omne *B* contingit esse *A*, igitur prima implicabat utramque, scilicet tam affirmativam, quam negativam, et sic istam conclusionem Aristoteles intendit in isto primo, quando ponit quod illæ de contingenti convertuntur in oppositam qualitatem. Et hoc de secundo.

7. *Prima conclusio ad quæstionis.* Quantum ad tertium. Prima conclusio est ista, quod universalis negativa, et particularis affirmativa de contingenti in sensu composito, convertuntur simpliciter in terminis, sumendo conversionem penes *dictum*, ita quod universalis negativa convertitur in universalem negativam, et particularis affirmativa in particularem affirmativam. Probatur, quia sequitur, *Contingit nullum B esse A : igitur contingit nullum A esse B*, quia istæ duæ, *Nullum B est A*, et *Nullum A est B*, mutuo se invicem consequuntur ; igitur si una est contingens, et alia ; aliter ex necessario sequeretur contingens, et eodem modo probabitur de particulari affirmativa.

Ex ista conclusione sequitur, quod particularis affirmativa convertitur in universalem negativam, et universalis negativa in particularem affirmativam. Probatur, quia universalis negativa, et particularis affirmativa de contingenti, in sensu composito, mutuo se invicem consequuntur, ut patet ex primo articulo : igitur quidquid sequitur ad universalem negativam, sequitur etiam ad particularem affirmativam, et e contra ; sed ad universalem negativam sequitur universalis negativa convertens, ut probatum est ; igitur illa eadem sequitur ad particularem affirmativam.

8. *Secunda conclusio.* Secunda conclusio, quod universalis affirmativa de contingenti ad utrumlibet, in sensu composito, convertitur in particularem affirmativam de possibili, et in nullam aliam. Prima pars conclusionis probatur, quia ad affirmativam de contingenti sequitur affirmativa de possibili, et ista affirmativa de possibili convertitur in particularem affirmativam de possibili, ut prius patuit.

Secunda pars conclusionis probatur ; primo, non convertitur in universalem, quia hæc est vera, *Contingit omnem Lunam lucere* ; et tamen nulla convertens sequitur ex ipsa, quia nec est necessarium, nec contingens, nec possibile, omne lucens esse Lunam ; nec in aliquam particularem, quia hæc est vera, *Omnem Deum contingit creare*, posito, quod Deus nunc creet de facto, et tamen sua convertens est falsa, sive affirmative, sive negative, quia *Omne creans necesse est esse Deum*, quæ interimit quamlibet de contingenti.

Ex ista conclusione sequitur, quod particularis negativa de contingenti in sensu composito, convertitur in aliquam affirmativam de possibili. Probatur, universalis enim affirmativa, et particularis negativa mutuo se consequuntur, ut patet ex primo articulo : igitur in quamcumque una convertitur, et reliqua. Et hoc de tertio.

Quantum ad quartum sit prima conclusio ista, quod nulla de contingenti in sensu diviso convertitur in aliam de contingenti. 9. *Prima conclusio ad 5. quæstionis.* Probatur, posito, quod Deus nunc sit creans : tunc hæc est vera, *Omnem Deum contingit creare*, et tamen quælibet convertens istam, esset falsa de contingenti : quilibet creans de necessitate est Deus, ut patet ex aliis quæstionibus, quæ interimunt illum de contingenti.

Secundo patet conclusio de *modo* negato ; quia non sequitur, *Nullum creans contingit esse Deum, igitur nullum Deum contingit esse creantem* ; quia antecedens est verum, et consequens falsum.

Secunda conclusio est ista, quod omnes de contingenti convertuntur in particularem affirmativam, de possibili ; exceptis illis de *modo* negato. *Secunda conclusio.* Probatur, quia ad affirmativas de contingenti, sive *dictum* sit affirmatum, sive negatum, sequuntur affirmative de possibili : modo quælibet affirmativa de possibili, convertitur in particularem affirmativam de possibili.

Tertia conclusio est, quod nulla de contingenti in sensu diviso convertitur in universalem. Probatur, quia hæc est vera, 10. *Tertia conclusio.*

Omnem Lunam contingit lucere; et tamen quælibet sua convertens esset falsa, quia nec omne lucens contingit esse Lunam, nec omne lucens possibile, aut necessarium est esse Lunam.

Quarta conclusio. Quarta conclusio, quod nulla de contingenti, in sensu diviso, convertitur in aliquam negativam, quia posito, quod Deus nunc sit creans, hæc est vera, *Omnem Deum contingit creare*, sequitur ista, *Omnem Deum contingit non creare*, et tamen hæc est vera, *Omne creans de necessitate est Deus*, quæ interimit quamlibet negativam, quæ potest esse convertens illius, *Omnem Deum contingit creare*, et hoc de quarto.

11. *Ad argumenta.* Tunc ad rationes. Ad primam dico, quod istæ æquipollentiæ dantur de contingenti, pro possibili; et non de contingenti ad utrumlibet.

Ad secundam concedo, quod nulla opposita possunt simul stare in veritate, loquendo de oppositis contrarie, vel contradictorie: modo convertens, et conversa non sunt oppositæ secundum veritatem, sed solum secundum qualitatem, eo quod una est affirmativa, et alia negativa.

Tertia fuit soluta prius. Et hoc ad quæsitum.

QUÆSTIO XXXI

Utrum ex ambabus de contingenti fiat bonus Syllogismus

Averroes et Aphrod. *hic cap.* 14. 17. *et* 20. Burana *cap.* 8. *et* 11. *hujus.* Okam 3. *part. Log. cap.* 26. 27. *et* 28. Joan. a Mag. *quæst.* 10. *hujus.* Tartar. *tract.* 4. *hujus dub.* 2. *et* 3. Conimbr. *in expositione cap.* 13. *hujus et in rec. facta in fine cap.*

1. *Argumenta pro parte negativa.* Arguitur quod non, quia non sequitur, *Contingit omne currens esse hominem: contingit omnem equum esse currentem, igitur contingit omnem equum esse hominem.* Præmissæ sunt veræ, et conclusio falsa.

Secundo arguitur in illis de sensu diviso, posito quod nihil currat nisi homo,. tunc arguitur sic; *Omne currens contingit esse hominem, omnem equum contingit esse currentem, igitur omnem equum contingit esse hominem.*

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo capitulo de Contingenti.

Notandum, quod ex duabus de contingenti ad utrumlibet, in sensu composito, vel etiam ex duabus de possibili communi, non valet Syllogismus; quia non sequitur, quod si utraque præmissa sit possibilis, vel contingens, quod propter hoc conclusio sit possibilis, imo oportet ultra addere in antecedente, quod utraque præmissa sit possibilis, et una alteri compossibilis. Modo possibile est, quod duæ præmissæ sunt ad se invicem incompossibiles, et tamen utraque est possibilis, ut patet in primo argumento. 2. *Nota.*

Ex quo patet, quando Aristoteles dat istam regulam, *Quando ad A esse, sequitur B esse, ad A esse possibile, sequitur B esse possibile*; ipse intelligit per *A*, copulativam factam ex duabus præmissis, quæ non potest esse possibilis, nisi utraque pars sit possibilis, et omnes simul sint compossibiles, quia aliter illa regula esset falsa.

Secundo nota, quod ex duabus præmissis de possibili, non fit Syllogismus ad concludendum de possibili, si subjectum majoris sumatur pro his quæ sunt, et non pro his, quæ possunt esse. Verbi gratia, non sequitur, *Omne currens potest esse homo, omnis equus potest esse currens; igitur omnis equus potest esse homo.*

Istis præmissis, primo ponuntur duæ conclusiones, deinde movebuntur dubia. Prima conclusio est ista, quod quatuor modi primæ figuræ valent ex duabus de possibili, sumendo subjectum majoris pro his, quæ possunt esse. Probatur, quia omnes illi modi tenent directe, per *dici de omni*, vel *de nullo*, ut patet explicando majorem. Exemplum in *Barbara*; *Omne B potest esse A, omne C potest esse B, igitur omne C potest esse A*; iste Syllogismus tenet directe per *dici de omni*, dum tamen explicetur major dicendo: *Omne quod potest esse B*, 3. *Prima conclusio.*

potest esse A, quia directe fit sumptio sub subjecto, dicendo, *Omne C potest esse B*, et conformiter potest exemplificari de aliis modis.

4 *ecunda lusio.* Secunda conclusio, quod in ista figura non valet aliquis modus ex ambabus de contingenti, si illa de contingenti sumatur de *modo* affirmato in utraque. Probatur, quia illa dispositio non valet ad concludendum de possibili, in qua est reperire terminos, in quibus stat universalis affirmativa de necessario, et alios in quibus stat universalis negativa de necessario. Exemplum, sumendo terminos *in quibus nulli*, *Omnis homo potest esse currens, vel etiam non currens : omnis equus potest esse currens, vel etiam non currens ; igitur omnis equus potest esse homo*, non sequitur, imo stat universalis negativa de necessario, quia omnem hominem necesse est non esse equum, sed termini *in quibus omni*, sunt isti, *creans*, *Deus*, *prima causa*, ita quod iste terminus *creans*, sit medium, ut patet exemplum intuenti.

5. *rtia lusio.* Tertia conclusio est, quod quatuor modi secundæ figuræ valent ex ambabus de possibili, in sensu diviso, ad concludendum de possibili, sumendo subjecta propositionum pro his, quæ possunt esse. Probatur, quia in omnibus modis secundæ figuræ ex opposito conclusionis, et majori, potest inferri oppositum minoris. Verbi gratia, arguendo sic : *Nullum, quod potest esse B, potest esse A, omne C potest esse B, igitur nullum C potest esse A*. Quia detur oppositum conclusionis, quod *aliquod C potest esse A*, et jungatur cum majore arguendo sic : *Nullum B potest esse A, quoddam C potest esse B ; igitur quoddam C non potest esse A*, quæ contradicit præmissæ majori.

6. *arta lusio.* Quarta conclusio, quod ex duabus de possibili pro his, quæ sunt in secunda figura, fit Syllogismus ad concludendum negativam de *inesse*, et non de possibili. Probatur, quia sequitur, *Omne quod est B, potest esse A, nullum quod est C, potest esse A*; *igitur nullum B est C*; et potest probari per impossibile, sicut in præcedenti conclusione,

Quinta conclusio est ista, quod omnes modi tertiæ figuræ valent ex duabus de possibili, in sensu diviso, ad concludendum de possibili. Probatur, quia omnes illi modi probantur per Syllogismum expositorium, verbi gratia, in *Darapti*, *Omne B potest esse A, omne B potest esse C, igitur quoddam C potest esse A*. Quia signatur aliquod *B*, de quo dicitur in majore, quod ipsum potest esse *A*, tunc illud idem *B* est *C*, quia in minori dicitur, quod omne *B* est *C*, igitur sequitur expositorie, quod aliquod *C* est *A*, et ita probatur de aliis modis. Et dico notabiliter in conclusione, *sumendo subjecta pro his quæ possunt esse*, quia si sumantur pro his quæ sunt : tunc non valet Syllogismus, quia non sequitur, posito quod nihil sit currens nisi asinus, *Omnis homo potest ridere, omnis homo potest currere : igitur quoddam currens potest ridere*. Quia sumendo subjecta pro his, quæ sunt utrobique, certum est, quod præmissæ sunt veræ, et conclusio falsa. Et omnes dictæ conclusiones, quæ positæ sunt de possibili, possunt etiam poni de contingenti ad utrumlibet, quia ad istas de contingenti ad utrumlibet, sequuntur istæ de possibili, modo quidquid sequitur ad consequens, sequitur ad antecedens. Patet igitur qualiter in tribus figuris fit Syllogismus de contingenti, et qualiter non, et hoc de primo. 7. *Quinta conclusio.*

De secundo dubitatur de illa regula, quam ponit Aristoteles in isto Capitulo, scilicet *Cujuslibet bonæ consequentiæ si antecedens est possibile, consequens est possibile*. 8. *Dubium primum.*

Respondetur primo, quod non oportet, quod si alicujus Syllogismi præmissæ sint possibiles, quod propter hoc illa conclusio sit possibilis, quia forte illæ præmissæ sunt sibi invicem incompossibiles, ut argutum fuit ante oppositum. *Solutio.*

Secundo dico, quod non valet, quod si antecedens alicujus bonæ consequentiæ possit esse verum, quod propter hoc consequens possit esse verum, quia ista consequentia est bona, *Omnis propositio est af-*

firmativa, igitur nulla est negativa, et tamen antecedens potest esse verum, et consequens impossibile est esse verum.

Tertio dico, quod illa regula sic intelligitur, quod si alicujus consequentiæ totale antecedens sit possibile, sic, quod omnes suæ partes sint possibiles,et cuilibet altera compossibilis,necesse est, quod consequens sit possibile, ut ponit Aristoteles in isto primo.

9. *Dubium secundum.* Secundo dubitatur, qualiter ista regula, quam ponit ibidem, sit intelligenda, scilicet, quod *Possibili posito in esse, nullum sequitur impossibile*, et apparet instantia in multis, ut in istis, *In infinitum potest continuum dividi. Socrates curret in tempore futuro*, et sic de similibus.

Solutio. Respondetur ad illud dubium secundum diversitatem propositionum, quod si propositio sit de præsenti, et ponatur in esse, quod sic sit,sicut propositio significat esse, tunc nullum sequitur impossibile. Item, si sit de præterito, et ponatur sic fuisse, quomodo illa significat fuisse : tunc nullum sequitur impossibile, et proportionabiliter de illa de futuro, quæ si ponatur sic fore, qualiter illa significat fore, tunc si illa sit possibilis,nullum sequitur impossibile; verum est tamen,sicut patet ex solutione præcedentis dubii, quod non omnia possibilia possunt simul poni in esse ex eo, quod aliqua possibilia sunt sibi invicem incompossibilia.

10. *Nota.* Et notandum, quod ponendo propositiones possibiles in esse, non semper debet retineri eadem forma terminorum : imo aliquando universalis debet poni in esse per suas particulares ; et hoc diversis temporibus, et aliquando loco subjecti debet sumi pronomen demonstrativum, et ita diversimode secundum exigentiam propositionis possibilis, quæ debet poni in esse.

Tunc rationes sunt solutæ per prædicta. Et sic patet quid sit dicendum ad quæsitum.

QUÆSTIO XXXII

Utrum ex una de contingenti, et alia de inesse, valeat Syllogismus

Averroes et Aphrod. *cap.* 15. 18. *et* 21. *hujus.* Burana *cap.* 9. *hujus.* Okam 3. *par. Log. cap.* 37. 38. *et* 39. Tartar. *tract.* 4. *hujus, dub.* 2. *et* 3. Joan. a Mag. *quæst.* 11. *hujus.* Conimbr. *in summam cap. in fine cap.* 13.

Arguitur primo quod non, in *Barbara*, quia non sequitur, *Contingit omne currens esse hominem, omnis equus est currens : igitur contingit omnem equum esse hominem.* Præmissæ sunt veræ, et conclusio falsa. 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Secundo arguitur contra *Cæsare*, quia non sequitur, *Omnem hominem contingit non currere, omne risibile currit* ; *igitur omne risibile contingit non esse hominem.*

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo.

In quæstione primo videbitur de mixtione ex una contingenti, et alia de *inesse* in prima figura ; secundo in secunda figura ; tertio in tertia. *Divisio quæstionis.*

Quantum ad primum ponuntur conclusiones.

Prima est, quod ex una de *inesse*, et alia de contingenti, in sensu composito, non valet Syllogismus. Probatur per terminos, *in quibus omni*, et *nulli*, et sunt termini *in quibus omni : Deus, creans, prima causa*, posito de facto,quod Deus sit creans. Tunc arguitur sic ; *Omne creans est Deus : omnem primam causam contingit esse creantem*, tamen cum istis stat, quod *omnis prima causa est de necessitate Deus*, sed termini *in quibus nulli*, sunt, *currens, homo, equus*, arguendo sic *; Contingit omne currens esse hominem, omnis equus est currens*, posito, quod ita sit, cum istis stat, quod *Omnem equum necesse est non esse hominem*, et quantum ad istam conclusionem idem est judicium de illa de possibili, et de illa de contingenti. 2. *Prima conclusio a 1. quæstionis in sensu composito.*

[...]. [...]unda [...]usio. Secunda conclusio est, quod si illa de *inesse* sit de *inesse simpliciter*, ex una de *inesse*, et alia de possibili in sensu composito, fit Syllogismus ad concludendum de possibili in sensu composito : et causa hujus est, quia illa de *inesse simpliciter*, quia est necessaria, est possibilis, et cuilibet alteri possibili compossibilis. Modo si ambæ præmissæ sint et possibiles, et compossibiles, necesse est conclusionem esse possibilem.

Et notandum, quod quantum ad istam conclusionem, differentia est inter istam de contingenti ad utrumlibet, et illam de possibili, quia ex una de contingenti ad utrumlibet, et alia de *inesse simpliciter*, non sequitur conclusio de contingenti ad utrumlibet, sed de possibili communi, quia ad illam de contingenti ad utrumlibet sequitur illa de possibili ; modo quidquid sequitur ad consequens, sequitur ad antecedens.

[...]. [...]a con-[...]o de [...]ı di- Deinde ponuntur conclusiones de sensu diviso. Prima est, quod quatuor primi modi primæ figuræ valent ad concludendum, si major sit de possibili, et minor de inesse. Probatur, quia vel major est de possibili pro his, quæ sunt, vel pro his, quæ possunt esse : si pro his quæ sunt, tunc Syllogismus tenet immediate per *dici de omni*, arguendo sic ; *Omne quod est B, potest esse A, omne C est B, igitur omne C potest esse A*. Si vero major sit de possibili pro his, quæ possunt esse, tunc si ad illam de *inesse* sequatur illa de possibili, sequitur, quod adhuc fiet Syllogismus perfectus ex majore de possibili, pro his, quæ possunt esse ; et minore de possibili, quæ sequitur ad illam de *inesse*. Modo quidquid sequitur ad consequens, sequitur ad antecedens.

5. [...]cunda [...]lusio. Secunda conclusio est ista, quod si major sit de *inesse*, et minor de possibili, non valet Syllogismus, quia non sequitur in *Barbara*, *Omne currens est homo, omnis equus potest currere, igitur omnis equus potest esse homo*. Quia præmissæ sunt veræ, et conclusio impossibilis.

Secundo modo instatur contra *Celarent*, quia non sequitur, *Nullum creans est Deus, omnis prima causa potest esse creans, igitur nulla prima causa potest esse Deus*.

Tertia conclusio est ista, quod si major sit de *inesse simpliciter*, valet Syllogismus, quia ad illam de *inesse simpliciter* sequitur una de possibili, pro his, quæ possunt esse. Verbi gratia, sequitur hæc, *Necessario omnis homo est animal, igitur omne quod potest esse homo, potest esse animal*; modo ex majori de possibili, pro his quæ possunt esse, et minori de possibili valet Syllogismus, ut prius patuit, igitur ex majori de *inesse simpliciter*, et minori de possibili valet Syllogismus ; quia quidquid sequitur ad consequens, sequitur ad antecedens. Et ista eadem conclusio potest poni de contingenti ad utrumlibet, sed tunc inferetur conclusio de possibili, et non de contingenti ad utrumlibet. Et hoc de primo. 6. *Tertia conclusio.*

Quantum ad secundum ponuntur conclusiones. Prima est, quod mixtio ex una de contingenti, et alia de *inesse* non valet in secunda figura, qualitercumque combinando illam de *inesse* cum illa de contingenti : sive illa de *inesse* sit affirmativa, sive negativa. Probatur ; quia est reperire terminos, in quibus stat universalis affirmativa de necessario, et est reperire alios, in quibus stat universalis negativa de necessario ; igitur talis dispositio non valet. Consequentia tenet in isto primo per totum, et antecedens probatur ; et sunt termini *in quibus omni, Creans, Deus, Prima causa* ; quia posito quod Deus sit creans, arguitur sic ; *Omnis Deus est creans, omnem primam causam contingit non creare*, cum istis stat, quod *omnem primam causam necesse est esse Deum*. 7. *Prima conclusio ad 2. quæstionis.*

Item in *Cæsare* supposito, quod Deus non creat, *Nullus Deus est creans, omnem primam causam contingit esse creantem*, cum istis stat, quod *omnis prima causa de necessitate est Deus* ; et eodem modo si major sit de contingenti ; sed termini *in quibus nulli*, sunt, *currens, homo, equus*, quia si volumus, quod illa de *inesse* sit affirma-

tiva, tunc debet poni quod omnis homo sit currens; arguendo sic; *Omnis homo est currens, omnem equum contingit non esse currentem*, cum istis stat, quod *Omnem equum necesse est non esse hominem*: sed si illa de *inesse* debet poni negativa, tunc debet poni quod nec homo, nec equus currat, ut fiat Syllogismus in eisdem terminis, et stabit universalis negativa de necessario.

8. *Secunda conclusio.* Secunda conclusio est ista, quod ex majore de *inesse simpliciter*, et minori de possibili, sequitur conclusio de possibili, in quatuor modis secundæ figuræ, ita quod sic valet illa mixtio. Probatur per impossibile, quia in quolibet illorum modorum ex opposito conclusionis, cum majore infertur oppositum minoris, ut verbi gratia, in *Camestres* sit iste primus Syllogismus, *Omne B est A*, hæc est necessaria, *Omne C contingit non esse A*, *igitur omne C contingit non esse B*, quia si non sequitur, detur oppositum quod quoddam *C* necesse est esse *B*, tunc arguatur sic; *Omne B est A*, *quoddam C necesse est esse B*, *igitur quoddam C necesse est esse A*, quæ contradicit minori primi Syllogismi. Et quod iste Syllogismus valeat, patet, quia prius dicebatur, quod ex majore de *inesse simpliciter*, et minori de necessario in prima figura, fit bonus Syllogismus, et per idem potest probari in aliis modis.

9. Ex conclusione sequitur, quod ex majore per *inesse simpliciter*, et minori de contingenti ad utrumlibet in secunda figura fit Syllogismus ad concludendum de possibili, quia ex illa de contingenti ad utrumlibet, sequitur illa de possibili.

Secundo potest inferri non ex conclusione, sed ex primo articulo, quod non sequitur conclusio de contingenti ad utrumlibet: patet, quia talis conclusio non sequebatur in consimili dispositione primæ figuræ, ad quam ista reducitur.

Tertio sequitur, quod ultra modos de possibili in ista mixtione, possunt multiplicari modi de contingenti ad utrumlibet, quia semper loco affirmativæ, potest poni negativa de contingenti ad utrumlibet, et e contra propter ejus conversionem in oppositam qualitatem.

Tertia conclusio, quod mixtio de *inesse* et de possibili non valet in ista figura si major sit de possibili, quamvis minor sit de *inesse simpliciter*. Probatur primo in *Cæsare*, per terminos *in quibus omni, et nulli*, et sunt termini, *in quibus omni*, *Oriri*, *pars Zodiaci*, *et pars Zodiaci existens in Oriente*, arguendo sic, *Omnem partem Zodiaci contingit non oriri, omnis pars Zodiaci existens in Oriente oritur*. Hæc est necessaria, et tamen cum istis stat conclusio universalis affirmativa, quod *Omnem partem Zodiaci existentem in Oriente necesse est esse partem Zodiaci*, sed termini *in quibus nulli* sunt, *lucere*, *Luna*, *Sol*; quia *Omnem Lunam contingit non lucere, omnis Sol lucet*. Hæc est de inesse simpliciter, cum istis stat universalis negativa de necessario quod *Omnem Solem necesse est non esse Lunam*. 10. *Tertia conclusio.*

Quarta conclusio est, quod mixtio de contingenti, et de inesse de modo negato non valet: et loquor de contingenti ad utrumlibet, et sunt termini in *quibus omni*, *Deus, omnipotens, prima causa*, quia *Nullum omnipotentem contingit esse primam causam, omnis Deus est prima causa*, cum istis stat quod *Omnis Deus de necessitate est omnipotens*, sed termini, *quibus nulli*, *sunt, prima causa, lapis, Deus*, arguendo sic; *Nullum lapidem contingit esse primam causam omnis Deus est prima causa*, cum istis stat, quod *Omnem Deum necesse est non esse lapidem*. 11. *Quarta conclusio.*

Quinta conclusio, quod mixtio de *inesse*, et de possibili de modo negato valet, verbi gratia, *Nullum B potest esse A, omne C est A: igitur nullum C potest esse B*. Quia si subjectum majoris sumatur pro his quæ sunt, tunc valet ad concludendum negativam de *inesse*, sicut dicebatur in prima figura. Si vero subjectum sumatur pro his, quæ possunt esse, tunc major convertitur simpliciter, et ad minorem sequitur una de possibili, et sic fit directe prima figura, ut dicebatur in primo articulo: et sic pa- 12. *Quinta conclusio.*

tet qualiter in secunda figura valeat mixtio ex una de contingenti, et alia de *inesse*, et hoc de secundo.

De tertio videatur in textu, quia ibi totum determinatur.

Ad rationes, solutæ sunt.

Et sic patet ad quæsitum.

QUÆSTIO XXXIII

Utrum valeat mixtio de contingenti, et de necessario

Averroes et Aphrod. *hic cap.* 16. 19. *et* 22. Burana *cap.* 10. *hujus*. Joan. a Magistr. *q.* 11. *hujus*. Tartar. *tractat.* 4. *hujus, dub.* 1. 2. *et* 3. Conimbr. *in fine cap.* 13. *hujus*.

1. *...umen-to par-...gati-* Arguitur primo quod non, posito, quod planetarum solus Sol luceat super nostrum hemisphærium, tunc arguiur sic : *Omnem planetam lucentem super nostrum hemisphærium necesse est esse Solem, omnem Lunam contingit esse planetam lucentem super nostrum hæmisphærium*: et tamen conclusio quæ infertur esset falsa, sive inferretur de inesse, sive de necessario, sive de contingenti ; quia nec Lunam contingit, nec necesse, nec possibile est esse Solem, igitur talis dispositio non valet.

Secundo, quia in *Darapti* ex veris sequitur falsum, igitur illa consequentia non valet : consequentia nota est, antecedens probatur, sic arguendo, *Omnem Deum contingit creare, omnem Deum necesse est esse primam causam, igitur quamdam primam causam necesse est creare*. Præmissæ sunt veræ, et conclusio falsa.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo.

2. Notandum, quod in proposito non est dubium de sensu composito, quia ex una de necessario in sensu composito, et alia de possibili, vel etiam de contingenti fit syllogismus ad concludendum conclusionem de possibili : cujus causa est, quia tam illa de contingenti, quam illa de necessario est possibilis, quia ad quamlibet illarum sequitur illa de possibili ; cum igitur illa de necessario cuilibet de possibili sit compossibilis, necesse est, quod ex præmissis, quarum una est de necessario, et alia de contingenti in sensu composito, sequatur conclusio de possibili ; quia si præmissæ sint possibiles, et ad invicem compossibiles, necesse est conclusionem esse possibilem.

Ideo solum dicendum est de sensu diviso, et ideo in quæstione primo videbitur, ubi in *modo* negato præmissa negata habet *modum* affirmatum. Secundo, quando habet *modum* negatum. 3. *Divisio quæstionis*

Quantum ad primum, ponuntur conclusiones, de prima figura.

Prima est, quod ex majori de possibili, vel de contingenti, et minori de necessario valent omnes quatuor modi primæ figuræ ad concludendum de possibili, vel de contingenti, secundum exigentiam majoris, ita quod si major sit de contingenti ad utrumlibet, debet fieri conclusio de contingenti ad utrumlibet, et si major sit de possibili, conclusio debet fieri de possibili. Probatur, formando syllogismum in *Barbara : Omne B potest esse A, omne C necesse est esse B, igitur omne C potest esse A*, quia vel subjectum majoris sumitur pro his, quæ sunt, vel pro his quæ possunt esse : si pro his quæ sunt, et cum ad minorem de necessario sequitur illa de *inesse*, tunc fiet syllogismus, qui directe tenet per *dici de omni*, ut patet explicando majorem. Verbi gratia, *Omne quod est B, possibile est esse A, omne C est B, igitur omne C possibile est esse A*. Si vero dicatur, quod subjectum majoris sumatur pro his, quæ possunt esse, tunc cum ad minorem, de necessario sequitur una de possibili, patet quod syllogismus tenet directe per *dici de omni*, explicando majorem, arguendo sic ; *Omne quod potest esse B, potest esse A ; sed omne C potest esse B, igitur omne C potest esse A*. *Prima conclusio ad primum quæstionis de 1. figura.*

Secunda conclusio est ista, quod si major sit de necessario pro his, quæ possunt esse, et minor de possibili, vel de contingenti, tunc omnes quatuor modi primæ figuræ valent ad concludendum de necessario. 4. *Secunda conclusio.*

Probatur, quia omnes illi modi tenent per *dici de omni*, vel *de nullo*, directe, quod patet, si major explicetur. Verbi gratia, *Omne B necesse est esse A* ; *omne C contingit esse B*, *igitur omne C necesse est esse A*. quod patet explicando majorem isto modo, *Omne quod potest esse B necesse est esse A: omne C potest esse B* ; et tunc patet, quod syllogismus est evidens.

5. *Tertia conclusio.* Tertia conclusio est ista, quod si major sit de necessario solum pro his quæ sunt, et minor de contingenti, vel de possibili, non valet syllogismus. Probatur per instantiam in terminis, et sunt termini *planeta, lucens, super nostrum hæmisphærium Sol et Luna*, et fiat syllogismus sicut arguebatur in prima ratione ante oppositum, et hæc de prima figura.

6. *Prima conclusio de secunda figura.* Deinde de secunda figura, prima conclusio est, quod si una præmissarum sit de necessario, et alia de contingenti, vel de possibili, et quod subjecta sumantur pro his, quæ possunt esse; tunc omnes quatuor modi secundæ figuræ valent ad concludendum de necessario, quæcumque præmissarum posita sit de necessario, sive major, sive minor, et quilibet istorum modorum probatur per impossibile. Verbi gratia in *Cæsare* prima sit major de necessario, arguendo sic ; *Omne B necesse est non esse A*, *omne C possibile est esse A*, *igitur omne C necesse est non esse B*, quia si non sequitur, detur oppositum conclusionis,scilicet *Quoddam C potest essse B*, tunc arguatur in *Ferio* ex majore, et opposito conclusionis sic, *Omne B necesse est non esse A*, *quoddam C possibile est esse A*, *igitur quoddam C necesse est non esse A*, quæ contradicit minori primi syllogismi, quæ dicebat quod *omne C potest esse A*,et quod iste syllogismus ultimus valeat, probatur, explicando subjectum majoris pro his, quæ possunt esse, quia in conclusione ponebatur, quod subjecta deberent sumi pro his, quæ possunt esse.

Secundo probatur conclusio, si minor sit de necessario, et major de possibili, quia ex opposito conclusionis cum majore infertur oppositum minoris, et patet exemplum sicut prius.

7. *Secunda conclusio.* Secunda conclusio est, quod prædicta mixtio in secunda figura non valet ad concludendum de necessario, si subjecta sumantur pro his quæ sunt.Probatur per instantias in terminis, posito quod solus Sol de facto luceat super nostrum hæmisphærium, et tunc fiat syllogismus,quia *Omnem planetam lucentem super nostrum hemisphærium necesse est non carere luce,omnem Lunam contingit carere luce, igitur omnem Lunam necesse est non lucere super nostrum hemisphærium*. Unde major est vera per casum, si subjectum sumatur pro his quæ sunt ; similiter minor est vera, quia Luna potest eclipsari, et tamen conclusio falsa ; igitur hujusmodi dispositio non valet, et hæc de secunda figura.

8. *Prima conclusio de tertia figura.* De tertia figura conclusio prima est,quod si major sit de necessario, et minor de contingenti, vel de possibili, valent omnes sex modi tertiæ figuræ, ad concludendum de necessario, dum tamen subjectum majoris sumatur pro his, quæ possunt esse, et omnes isti modi probantur per syllogismos expositorios. Verbi gratia, in *Darapti*, *Omne C necesse est esse A*, *omne B potest esse A*; *igitur quoddam B necesse est esse C*.Quod sit bonus patet, signando aliquod *C* quod virtute majoris necesse est esse *A*, tunc *hoc C de necessitate est A*,*hoc C possibile est esse B*; *igitur quoddam quod potest esse B necesse est esse A*, quæ est eadem cum conclusione primi syllogismi. Nam ponebatur in conclusione, quod subjectum conclusionis sumeretur pro his, quæ possunt esse ; et hoc explicabitur in syllogismo expositorio. Eodem modo potest probari de aliis modis.

9. *Secunda conclusio.* Secunda conclusio, quod si major sit de possibili, vel de contingenti, et minor de necessario, tunc omnes modi valent ad concludendum de possibili, et probantur omnes per syllogismos expositorios. Verbi gratia, fiat syllogismus in *Darapti*, *Omne C potest esse A*, *omne C necesse est esse B*; *igitur quoddam B potest esse A*;quia virtute majoris, et minoris signetur idem

C quod pòtest esse *A*, et quod de necessitate est *B*, et arguatur sic; *Hoc C potest esse A, hoc idem C de necessitate est B, igitur quoddam B potest esse A*; et consimiliter potest probari in aliis modis hujus figuræ.

10. *Tertia conclusio.* Tertia conclusio sit ista, quod si major sit de possibili, et minor de necessario, non valet syllogismus ad concludendum de necessario. Probatur per instantias in terminis, et sunt termini, *Deus, creans, prima causa*, arguendo sic; *Omnem Deum possibile, vel contingens est creare*: *omnem Deum necesse est esse primam causam, igitur quamdam primam causam necesse est creare*. Certum est, quod præmissæ sunt veræ, et conclusio falsa. Ideo talis dispositio non valet. Et hæc de primo.

11. *Regulæ ad 2. quæstionis.* Quantum ad secundum, scilicet quod valet ista mixtio in modis negativis, quando præmissa negativa, est de *modo* negato, et d hoc debent supponi regulæ generales. Prima est, quod ex duabus de *modo* negato, non fit syllogismus, quia ex puris negativis nihil sequitur. Secunda, quod in prima et tertia figura nihil sequitur minore existente de *modo* negato. Tertia, quod in prima et secunda figuris nihil sequitur majore particulari.

Istis præsuppositis ponuntur conclusiones de prima figura.

12. *Prima conclusio de 1. figura, ad 2. quæstionis.* Prima est, quod si major sit de possibili, vel de contingenti negato, et minori de necessario fit syllogismus in prima figura ad concludendum de contingenti, vel de possibili de *modo* negato, secundum exigentiam majoris. Probatur, quia omnes quatuor modi primæ figuræ sunt perfecti, explicatis majoribus. Nam si major explicetur pro his, quæ sunt; vel pro his, quæ possunt esse; semper fit syllogismus, sumpta minori de *inesse*, vel de possibili conformi majori, quia utraque sequitur ad minorem de necessario.

13. *Secunda conclusio.* Secunda conclusio est ista, quod si major sit de necessario negato, pro his quæ sunt, et minor de possibili, vel de contingenti, non valet syllogismus.

Probatur per instantias in terminis, posito quod tota Luna sit eclipsata, tunc hæc est vera, *Nullum quod est lucens, necesse est esse infimum planetam*: *omnem Lunam contingit lucere*, et tamen conclusio est falsa, quod *Omnem Lunam possibile est esse planetam infimum*; imo valet Lunam necesse est esse planetam infimum: et sic patet, quod non sequitur conclusio de possibili.

Secundo probatur, quod non sequitur conclusio de contingenti, posito quod nullus homo currat, arguitur sic, *Nullum quod est currens, necesse est ridere*: *omnem hominem contingit currere*; tamen hæc est falsa, *nullum hominem contingit ridere*.

Tertia conclusio est, quod si major sit de necessario negato, pro his, quæ possunt esse, minor de possibili, vel de contingenti, tunc erit syllogismus ad concludendum de necessario, et ista conclusio probatur per explicationem majoris in quolibet quatuor modorum primæ figuræ, quia explicata majore directe tenent illi modi per *dici de nullo*. Verbi gratia, *Nullum B necesse est esse A*, *omne C potest esse B*, *igitur nullum C necesse est esse A*; unde majore sic explicata, *Nullum quod potest esse B, necesse est esse A*, est syllogismus evidens, et minor directe sumitur sub majori. 14. *Tertia conclusio.*

Quantum ad secundam figuram sit prima conclusio, quod si propositio negativa sit de necessario negativo, et affirmativa de possibili, vel de contingenti, non valet syllogismus, quia potest dari instantia arguendo sic; *Nulla prima causa de necessitate est creans, omnem Deum contingit creare*; et tum conclusio negata esset falsa, quia *Deum necesse est esse primam causam*. 15. *Prima conclusio de secunda figura.*

Secunda conclusio est, quod si negativa sit de possibili negato, pro his quæ possunt esse, et affirmativa de necessario, tunc valet secunda figura ad concludendum de possibili negato, et probatur per impossibile. Verbi gratia, in *Cæsare*, *Nullum quod potest esse B, possibile est esse A*; *omnem C necesse est esse A, igitur nullum C pos-* 16. *Secunda conclusio.*

sibile est esse B, quia si non sequitur, detur oppositum, scilicet *Quoddam C potest esse B*; tunc arguitur ex ista majore præmissa sic : *Nullum quod potest esse B, potest esse A : quoddam C potest esse B; igitur quoddam C non potest esse A* ; quæ contradicit minori, quæ dicebat quod omne *C* necesse est esse *A*.

17. *Tertia conclusio.* Tertia conclusio est ista, quod si negativa sit de possibili negato, pro his quæ sunt, tunc valet in secunda figura ad concludendum negativam de *inesse* : et probatur per impossibile.

Quarta conclusio. Quarta conclusio, quod talis dispositio non valet ad concludendum de possibili negato. Probatur per instantias in terminis, posito quod de facto tota Luna sit eclipsata, tunc arguitur sic, *Nullum quod est lucens potest esse Luna : omnis infimus planeta de necessitate est Luna; igitur nullus infimus planeta potest lucere*, certum est quod præmissæ sunt veræ et conclusio falsa ; igitur etc.

18. *Quinta conclusio.* Quinta conclusio, quod si negativa sit de contingenti ad utrumlibet negato, et affirmativa de necessario, illa dispositio non valet : et sunt termini *In quibus omni, omnipotens, Deus, prima causa* ; quia *Nullum omnipotentem contingit esse primam causam ; omnem Deum necesse est esse primam causam, igitur nullum Deum necesse est esse omnipotentem.* Præmissæ sunt veræ, et conclusio falsa, et stat universalis affirmativa de necessario, sed termini *in quibus nulli* sunt, *Deus, Chimæra, prima causa*, arguendo sic ; *Nullam Chimæram contingit esse primam causam, omnis Deus de necessitate est prima causa* ; cum istis stat, quod *nulla Chimæra est prima causa*, quæ interimit negativam de necessario.

19. Tunc quantum ad tertiam figuram.

Prima conclusio de 3. figura. Prima conclusio est, quod si major sit de possibili, vel de contingenti negato, et minor de necessario, sequitur conclusio de possibili, vel de contingenti negato secundum exigentiam majoris.

Secunda Conclusio. Secunda conclusio est quod si major sit de necessario negato, et minor sit de possibili, vel de contingenti, sequitur conclusio de necessario negato : et ambæ istæ conclusiones possunt probari per syllogismos expositorios, et etiam per impossibile. Ex quo patet, quod in ista figura modi negativi, in quibus præmissa ponitur de contingenti, possunt multiplicari ultra modos, in quibus ponitur præmissa de possibili, ex eo quod loco negativæ potest poni affirmativa, et e contra : et hoc de secundo. Rationes sunt solutæ per prædicta. Et sic patet quid sit dicendum ad ista. Et hæc sufficiant de mixtionibus.

QUÆSTIO XXXIV

Utrum omnis syllogismus fiat in aliqua trium figurarum

Averroes et Aphrod. *hic cap.* 23. Joan. a Magist. *q.* 12. *hujus.* Conimbr. *cap.* 7. *hujus, q.* 1. Masius *hic q.* 6. Complut. *lib.* 3. *sum. cap.* 3. Fuente 3. *part. sum. q.* 2. *diff.* 2. *art.* 11. Hurtado *disp.* 10. *Log. sect.* 20. Ruvius *cap.* 4. *hujus, dub. unico.*

Arguitur primo quod non, *Figura est debita ordinatio trium terminorum secundum debitam subjectionem, et prædicationem in duabus præmissis*, igitur quot modis potest fieri hujusmodi ordinatio, tot erunt figuræ. Sed quatuor modis diversis potest fieri hujusmodi ordinatio, igitur quatuor erunt figuræ. Major patet per definitionem figuræ : et minor probatur ; quia vel medius terminus subjicitur in utraque, vel prædicatur in utraque, vel subjicitur in majori et prædicatur in minori; vel e contra prædicatur in majori, et subjicitur in minori. 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Secundo, qui dicit, quod syllogismi ex hypothesi non reducuntur in prædictas figuras, confirmant propositum.

Tertio, iste est bonus syllogismus, *Omnis homo est rationalis, vel irrationalis, sed nullus homo est irrationalis, igitur omnis homo est rationalis*, et tamen non fit in aliqua trium figurarum, quia hìc non est medium, unde iste terminus, *homo*, non est hìc medium, cum ingrediatur con-

clusionem, nec aliquis alter, cum quilibet alter terminus sumatur præcise semel.

Quarto arguitur, quia iste est bonus syllogismus, *Nullum non B est A, nullum C est B, igitur nullum C est A*, et tamen non fit in aliqua trium figurarum, quia nullus idem terminus ponitur in utraque præmissa. Unde in majori præmissa ponitur iste terminus, *non B*, et in minori ponitur iste terminus *B*.

2. Quinto arguitur per unum syllogismum, quem ponit Aristoteles in secundo hujus, scilicet *Cui nulli inest B, huic omni inest A*, sed *nullum C est B, igitur omne C est A*, et tamen non est in aliqua trium figurarum, quia in qualibet earum si aliqua præmissarum sit negativa, conclusio erit negativa, et tamen non sic est in proposito?

Sexto de syllogismis ex obliquis, verbi gratia, *Videns omnem asinum currit, Brunellus est asinus, igitur videns Brunellum currit*; iste syllogismus non fit in aliqua figurarum, quia medius terminus non subjicitur, nec prædicatur in majori, quia solum est pars subjecti,

Septimo, quia syllogismus ex oppositis est bonus syllogismus, ut patet in secundo hujus; verbi gratia, *Nulla disciplina est studiosa, omnis disciplina est studiosa, igitur nulla disciplina est disciplina*, et tamen non est in aliqua trium figurarum, quia quælibet trium figurarum fit ad minus ex tribus terminis, et iste syllogismus fit ex duobus tantum. Et per omnes prædictas rationes potest probari, quod non omnis syllogismus fiat ex tribus terminis præcise, quia in quolibet dictorum syllogismorum sunt quatuor termini ad minus, excepto syllogismo ex oppositis, in quo sunt tantum duo. Et confirmatur de syllogismo, qui virtualiter est plures, ut, verbi gratia, *Omne B est A, omne C est B, omne D est C, igitur omne D est A*. Patet manifeste, quia isti sunt quatuor termini.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto 1.

3. *Prima conclusio.* Ponuntur conclusiones. Prima est, quod non oportet syllogismum hypotheticum fieri in aliqua trium figurarum. Et vocatur *Syllogismus hypotheticus*, qui habet alteram, vel ambas præmissas hypotheticas. Probatur, quia in syllogismo hypothetico non est debita subjectio, et prædicatio medii termini respectu extremorum in præmissis, igitur syllogismus hypotheticus non fit in aliqua trium figurarum. Consequens tenet, quia penes hoc attenduntur istæ figuræ, et antecedens apparet in syllogismo facto ex conditionalibus, vel ex altera conditionali. Item, patet de Syllogismo divisivo, sicut argutum fuit ante oppositum.

Secunda conclusio est ista, quod Syllogismus ex hypothesi, non sit in aliqua trium figurarum, et hoc dico quantum ad totalem processum. Ubi nota, quod differentia est inter syllogismum ostensivum, et syllogismum ex hypothesi: quia vocatur *Syllogismus ostensivus*, qui immediate infert conclusionem intentam; sed vocatur *Syllogismus ex hypothesi*, qui immediate non infert conclusionem intentam, sed unam aliam primo, et postea virtute alicujus conditionis suppositæ ex conclusione, quæ prius infertur, infertur conclusio principaliter intenta; et ponit Aristoteles exemplum, ut supponamus primo, quod idem sit judicium de istis duabus, *Contrariorum est eadem potestas*; et *Contrariorum est eadem disciplina*. Tunc si velimus probare, quod contrariorum est eadem disciplina, debemus nos transferre ad syllogizandum istam: *Contrariorum eadem est potestas*, et tunc ex ista, virtute suppositionis factæ, possimus inferre conclusionem intentam, scilicet, quod contrariorum est eadem disciplina. Istis determinatis, probatur conclusio, quia syllogismus hypotheticus non fit in aliqua trium figurarum dictarum: sed quilibet syllogismus hypotheticus est syllogismus ex hypothesi, saltem virtualiter: ut patet prædicto exemplo, quia est idem, sicut argueretur, *Si Contrariorum eadem est potestas, est eadem disciplina, sed contrariorum est eadem potestas*, ut syllogizatum est ostensive, *igitur contra-* 4. *Secunda conclusio.*

riorum est eadem disciplina, quæ fuit conclusio principaliter intenta.

5. *Tertia conclusio.* Tertia conclusio, quod ex terminis infinitis potest fieri syllogismus, qui non est in aliqua dictarum figurarum trium. Probatur; quia ut patuit prius, super isto primo, iste est bonus syllogismus; *Nullum non B est A, nullum C est B, igitur nullum C est A*, et tamen non est in aliqua dictarum figurarum, nec in secunda, nec in tertia, ut notum est, nec in prima, quia in majori subjicitur iste terminus, *non B*, et in minori prædicatur iste terminus *B*, ideo non est idem, quod subjicitur in una, et prædicatur in alia. Verum est tamen, quod iste syllogismus fit ad similitudinem primæ figuræ, quia idem subjicitur in majori, et prædicatur in minori, licet diversimode acceptum, quia in majori infinite, et in minori finite. Et eodem modo dicitur, quod ex terminis obliquis, vel modalibus in sensu composito bene fit syllogismus ad similitudinem primæ figuræ, vel alicujus aliarum, qui tamen non est in aliqua ipsarum, ut quando obliquus est distributus, et non subjectum, vel prædicatum, sed pars subjecti, vel prædicati. Similiter quando in modalibus de sensu composito fit sumptio sub *dicto*, et *non* sub *modo*, et istorum exempla patuerunt in arguendo.

6. *Quarta conclusio.* Quarta conclusio, quod omnis syllogismus, qui non est ex hypothesi, nec hypotheticus, sed fit ex propositionibus categoricis, cum terminis finitis, et rectis, ita quod præmissæ non sint modales; tunc omnis talis syllogismus fit in aliqua dictarum trium figurarum. Probatur; quia solum tribus modis potest fieri debita ordinatio respectu extremorum secundum subjectionem, et prædicationem, igitur tres erunt figuræ, et non plures. Consequentia tenet, quia hoc intelligimus per figuram; et antecedens apparet, quia vel medium subjicitur in utraque, vel prædicatur in utraque, vel subjicitur in minori, et prædicatur in majori, nec oportet istud tertium membrum subdistinguere, sicut arguebatur in prima ratione, quia propter solam transpositionem, non provenit diversitas alicujus præmissæ, nec conclusionis: per consequens nec diversitas figuræ. Et ideo concedendum est istum syllogismum fieri in prima figura:

Omne C est B, omne B est A, igitur omne C est A, quia præmissis transpositis est manifeste prima figura.

Quinta conclusio est, quod exceptis prædictis conditionibus, omnis syllogismus, qui non est virtualiter plures syllogismi, fit ex tribus terminis tantum, videlicet quod non sit hypotheticus, nec ex hypothesi: et quod non fiat ex propositionibus modalibus in sensu composito: nec ex terminis infinitis, aut obliquis. Probatur, quia in omni syllogismo uno, sunt præcise duæ præmissæ; quod patet, quia si plures sumantur, vel aliqua earum erit frustra, vel erit syllogismus virtualiter plures. 7. *Quinta conclusio.*

Secundo supponitur, quod quælibet præmissarum debet convenire cum conclusione in aliquo termino. Probatur, quia aliter esset impertinens ad inferendum conclusionem gratia formæ.

Tertio supponitur, quod nulla præmissa debet convenire cum conclusione in utroque termino; quia jam esset petitio principii, ex quo idem probaretur per idem. Ex quibus sequitur intentum, quia si duæ præmissæ debent convenire cum conclusione, quælibet in aliquo termino, et neutra duobus, oportet quod alter istorum terminorum bis sumatur, et in nulla præmissa, nisi respectu unius extremi: igitur præcise erunt duo extrema, et unum medium.

Tunc ad rationes, solutæ sunt præter istam de syllogismo ex oppositis, de quo dicitur, quod licet ibi solum sint duo termini differentes secundum speciem, attamen unus illorum sumitur loco duorum, ut patebit in secundo. Et sic sit dictum ad quæsitum. 8. *Ad argumenta.*

QUÆSTIO XXXV

Utrum propositio in qua reduplicatio additur ad prædicatum, sit falsa, et inintelligibilis

Okam 3. *parte cap.* 65. Joan. a Magistr. *q.* 14 *hujus.* Tartar. *tract. ultim. hujus,* §. *quæritur utrum regulæ,* etc.

1. *Argumenta pro parte negativa* Arguitur quod sit intelligibilis, quia illud est intelligibile, de quo intelligitur aliud affirmari : sed de tali propositione intelligitur aliud affirmari; igitur, etc. Major nota est; quia nullus affirmat, aut negat, nisi id quod intelligit; et minor patet, quia de tali propositione asseritur, quod ipsa sit intelligibilis.

Deinde arguitur quod talis propositio non sit falsa ; primo, quia hæc est vera, *Socrates est risibilis, inquantum homo*; et tamen hæc reduplicatio additur ad prædicatum.

Item hæc est vera, *Socrates inquantum homo est risibilis,* igitur et sua convertens est vera, *Risibile est Socrates inquantum homo*; et tamen hæc reduplicatio additur ad prædicatum.

Tertio tot modis dicitur *secundum se,* quot modis dicitur *causa,* vel etiam *secundum quod,* ut patet 5. Metaph. ita quod hæc dictio *secundum quod,* potest designare quamcumque causam : sed prædicatum propositionis potest significare causam, quando tali prædicato potest convenienter addi dictio reduplicativa ; ut dicendo : Domus fit a domificatore *secundum quod* domificator, modo ista dictio *secundum quod,* est reduplicatio.

Quarto, quia reduplicatio significat immediationem prædicati ad subjectum, igitur sicut subjecto potest addi reduplicatio, ita prædicato. Consequentia tenet, quia sicut subjectum potest esse immediatum prædicato ; ita e contra, imo quæcumque sunt immediata, quodlibet illorum est immediatum alteri.

Quinto, quia per Aristotelem in isto primo, reduplicatio addenda est majori extremitati ; sed major extremitas est prædicatum in prima figura ; igitur, etc. Oppositum arguitur per Aristotelem, in isto primo capitulo, frequenter in tertia parte principali hujus primi libri.

In quæstione, primo videbitur quæ sunt dictiones reduplicativæ, et quid significant, secundo videbitur de quæsito. *quæstionis.*

Dictiones reduplicativæ quæ. Quantum ad primum notandum, quod istæ dictiones sunt reduplicativæ, *inquantum, secundum quod, in eo quod,* et aliquando hæc dictio, *ut,* et consimiles.

Secundo notandum, quod tales dictiones reduplicativæ aliquando accipiuntur specificative, et quandoque reduplicative. Quando vero talis reduplicatio sumitur specificative, tunc designat aliquam conditionem, vel aliquem modum, vel aliquem sensum, secundum quem propositio in qua ponitur est vera, quæ aliter non esset vera. Verbi gratia, dicendo sic ; *Omne ens, inquantum est in ipso Deo, est Deus,* unde ista propositio, *Omne ens est Deus,* sine specificatione, simpliciter esset falsa ; sed quia hæc dictio *inquantum,* specificat ad talem sensum, ideo illa propositio non est falsa.

Iterum ista propositio est simpliciter falsa, *Forma est materia,* sed potest specificari ad aliquem sensum per reduplicationem, quod ipsa est vera, ut dicendo, *Forma, secundum quod præexistit generationi in potentia, est ipsa materia.*

Item, hæc est falsa, *Ens mobile est subjectum in libro Physicorum,* imo est subjectum totius scientiæ naturalis, sed quando specificatur per reduplicationem, ad conditiones generales motus, et mobilis, tunc ista propositio est vera, ut dicendo, *Ens mobile, secundum quod mobile, est subjectum in libro Physicorum.*

Item, potest exemplificari de ista, *Homo est species secundum quod iste terminus, homo, supponit simpliciter, vel materialiter.* Et sic patet quid designant hujusmodi dictiones, quando sumuntur specificative.

Tertio sciendum, quod ad propositionem 3.

reduplicativam multa concurrunt, verbi gratia, dicendo ; *Homo inquantum animal est sensibile,* primo enim subjectum principale, ut iste terminus *homo*, secundo est prædicatum principale, ut iste terminus, *sensibile*, tertio est illud super quod cadit reduplicatio, et quarto est reduplicatio una cum copula.

4. *Prima conclusio circa 1. quæstionis.* Tunc dico, quod dictio reduplicativa, reduplicative sumpta, et non specificative, designat primo immediationem prædicati principalis ad illud super quod cadit reduplicatio, et quandoque denotat convertibilitatem. Exemplum primi, *Homo inquantum animal est corpus*, ubi designatur, quod ista prædicatio est immediata, *Omne animal est corpus*, per privationem alicujus intermedii inter subjectum, et prædicatum, in linea prædicamentali. Exemplum secundi, *Homo inquantum animal est sensibile*, iste terminus, *inquantum*, designat præcisionem, et convertibilitatem istorum terminorum *animal sensibile*.

Secunda conclusio. Secundo, dictio reduplicativa designat prædicatum principale dici de subjecto principali, non immediate, sed mediante prædicato, super quod cadit reduplicatio, ut prædicto exemplo designatur, quod causa, quare homo est sensibilis, est quod homo est animal, ita quod hoc prædicatum, *sensibile*, non dicitur de homine nisi ea ratione, qua de ipso dicitur hoc prædicatum *animal*.

Tertia conclusio. Tertio, reduplicatio designat illud super quod cadit esse distributum, vel saltem posse distribui respectu prædicati principalis. Ex quibus patet, quod reduplicatio designat alietatem, sive diversitatem principalis prædicati ab illo, super quod cadit reduplicatio. Et sic patet quid designat reduplicatio, sive sumatur specificative, sive reduplicative. Et hoc de primo.

5. De secundo notandum, quod quidam sunt termini communes, qui pro una sola re supponunt, et unam solam rem designant, ut iste terminus, *Sol, Phœnix, Deus*, et consimiles. Alii sunt qui unam rem significant, et pro pluribus supponunt, ut isti termini, *homo, animal*, et consimiles. Et quantum spectat ad propositum, isti termini differunt in hoc, quod ex primis terminis, qui scilicet pro una sola re supponunt, potest formari affirmativa propositio, vera de prædicato distributo affirmative, ut dicendo, *Quilibet planeta est omnis Sol* ; vel dicendo, *Essentia divina est omnis persona divina*. Sed ex terminis, qui pro pluribus supponunt, non potest formari propositio affirmativa vera de prædicato distributo. Verbi gratia : ista est falsa, *Omnis homo est omnis homo*, vel etiam sumendo particulariter, vel indefinite subjectum.

Tunc ponuntur conclusiones.

Prima est, quod propositio, in qua reduplicatio additur prædicato principali, est falsa, supposito quod fiat ex terminis, qui pro pluribus rebus supponunt. Probatur ; quia dictio reduplicativa designat illud, super quod cadit reduplicatio, esse distributum, ut patet ex primo articulo. Modo talis propositio de prædicato distributo affirmativa, est falsa, scilicet quando fit ex terminis supponibilibus pro pluribus rebus ; igitur, etc. Secundo, quia reduplicatio designat alietatem prædicati principalis ab illo, super quod cadit reduplicatio; igitur si sit idem, jam designat falsitatem. 6. *Prima conclusio circa 2. quæstionis.*

Secunda conclusio est ista, quod talis propositio cujus prædicato principali additur reduplicatio, est intelligibilis. Probatur per primam rationem ante oppositum, et quando Aristoteles dicit, quod ipsa est *inintelligibilis*, intelligitur, quod ipsa est inintelligibilis vere, et assertive. Verbi gratia, oratio imperfecta, ut dicendo, *Apud villam*, est bene intelligibilis, licet per ipsam non comprehendatur sensus verus, vel falsus, ita potest dici in proposito. 7 *Secunda conclusio.*

Tertio potest dici, quod illud, super quod cadit reduplicatio, se debet tenere a parte prædicati, et non subjecti. Probatur, quia illud, quod positum ante copulam propositionis, non distribuitur ad distributionem subjecti, non est subjectum, nec pars subjecti ; sed dictio, super quam cadit reduplicatio præcedens copulam proposi- 8. *Tertia conclusio.*

tionis, non distribuitur ad distributionem subjecti, igitur talis dictio non est subjectum, nec pars subjecti : quia propter hoc, quando obliquus præcedit rectum, dicimus solum obliquum esse subjectum, eo quod solus obliquus distribuitur : et minor patet, quia dicendo, *Omnis homo inquantum animal est sensibile*, ibi solum distribuitur iste terminus *homo*, cujus signum est, quod sub ipso solo debet fieri sumptio, ut dicendo, *Socrates est homo, igitur Socrates inquantum animal est sensibilis*. Et sic patet, quod nunquam addenda est reduplicatio ad prædicatum principale, imo semper debet esse diversitas prædicati principalis ab illo, super quod cadit reduplicatio, et hoc de secundo.

Tunc ad rationes. Prima soluta est.

9. *Ad argumenta.* Ad aliam concedo, quod ista est vera, *Socrates est risibilis inquantum homo*, sed reduplicatio non additur ad prædicatum principale, quia iste terminus *risibile* vocatur prædicatum principale.

Ad aliam dico, quod ista convertitur in istam, *Igitur quod inquantum homo est risibile est Socrates*.

Ad aliam dico, quod Aristoteles accipit hîc istam dictionem *secundum quod* specificative, ut specificat aliquem modum, vel conditionem, vel circumstantiam termini.

Ad aliam, reduplicatio designat, etc. concedo, quod designat immediationem prædicati principalis ad illud, super quod cadit reduplicatio, et non ejusdem ad seipsum ; quia non potest debite comprehendi aliquis sensus per istam propositionem, *Socrates est inquantum homo*, supposito quod hoc verbum *est*, non resolvatur ulterius in suum participium.

Ad aliam concedo, quod reduplicatio se debet tenere a parte majoris extremitatis, et etiam a parte prædicati, sed cum hoc, debet esse diversitas illius, super quod cadit reduplicatio ad prædicatum principale. Et sic de ista quæstione.

QUÆSTIO XXXVI

Utrum ex propositionibus modalibus aliis ab istis, necessarium, possibile, contingens, *fiat syllogismus*

Okam 3. *part. Log. cap.* 41. 42. *et* 43. *et* 28. *cap.* 9. *et* 10.

Arguitur primo quod non, per Aristotelem qui non fecit mentionem de propositionibus modalibus factis aliquo alio modo. 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Secundo, quia si ex modalibus de aliis modis fieret syllogismus, maxime esset ex modalibus factis isto modo, *scire*, sed hoc non ; quia non sequitur, *Scio omnem mulam esse sterilem, hæc est mula, igitur scio hanc mulam esse sterilem*. Quia stante veritate præmissarum, possibile est, quod credam de ista mula, quod ipsa sit sterilis.

Tertio hoc maxime esset de isto modo, *opinor*, aut de isto modo, *apparet*, sed hoc non ; quia non sequitur demonstrato Socrate, qui apparet esse asinus a remotis, *Hoc apparet mihi esse asinus, hoc est Socrates, igitur Socrates apparet mihi esse asinus*. Præmissæ sunt veræ, et conclusio falsa, quod probo, quia *Omnem hominem opinor non esse asinum, Socrates est homo : igitur Socratem non opinor esse asinum*.

Oppositum arguitur, ubi est reperire *dici de omni*, et *de nullo*, potest fieri bonus syllogismus, sed in modalibus factis ex aliis modis a prædictis, est hoc reperire : igitur. Major patet ; quia per *dici de omni*, et *de nullo* regulantur syllogismi. Et minor patet, quia sicut dicimus, *Omnem hominem contingit currere*, ita possumus dicere, *Omnem hominem opinor currere*, et ita de aliis modis. 2. *In oppositum.*

Secundo arguitur per Aristotelem in 1. Posteriorum, ubi dicit, quod inducens minorem post majorem, simul novit et conclusionem, ita quod intendit, quod si præmissæ sunt scitæ, vel notæ, et conclusio erit nota. 3.

Divisio quæstionis Primo videbitur in quæstione, qui modi a prædictis faciant propositiones modales. Secundo qualiter ex eis syllogizatur in sensu diviso. Et tertio qualiter in sensu composito.

Modus quid. Quantum ad primum nota, quod omnis determinatio nata determinare totam propositionem, potest dici modus; ita quod si illa determinatio potest esse unum extremum propositionis, respectu unius propositionis materialiter sumptæ, quæ est aliud extremum, tunc illa determinatio dicitur modus, ut patet de istis modis, *scio, opinor, dubito, apparet*, et de participiis ipsorum, et de istis modis, *verum, falsum*, et sic de singulis.

4. Secundo notandum, quod sicut de modis consuetis, quædam sunt modales in sensu composito, et quædam in sensu diviso; sic etiam de istis modis. Nam modus ponitur unum extremum propositionis, et propositio materialis sumpta ad tunc, est propositio in sensu composito, ut *opinor B esse A*; sed quando modus est determinatio copulæ, tunc est in sensu diviso, ut *B scio esse A*.

Tertio notandum, quod in istis modis multum differt sensus compositus, a diviso, quantum ad veritatem, et falsitatem. Verbi gratia, hæc est concedenda : *Scio omnem mulam esse sterilem*, et tamen in sensu diviso ista esset falsa, sed tamen de isto modo, *verum*, non est differentia, sive ponatur in sensu composito, sive diviso, sed de isto modo *falsum*, est differentia, quia si dicatur, hæc est falsa, *Omnis homo currit*, ad hoc quod ista sit vera, sufficit instantia in singulari istius propositionis, *Omnis homo currit*, sed si poneretur in sensu diviso, hoc non sufficeret, quia dicendo sic, *Omnis homo false currit*, denotatur, quod quælibet singularis istius, *Omnis homo currit*, sit falsa. Et hoc de primo.

5. *2. Pars quæst. Prima conclusio.* Quantum ad secundum. Prima conclusio est ista, quod in prima figura ex majori de aliquo dictorum modorum in sensu diviso, et minori de *inesse*, sequitur conclusio de eodem modo, qui ponebatur in majore. Verbi gratia, sequitur, *Omne B opinor esse A* : *omne C est B, igitur omne C opinor esse A*. Vel etiam de *dicto* negato, *Omne C opinor non esse A* et *C*, et tenent isti syllogismi in virtute *dici de omni*.

6. *Secunda conclusio.* Secunda conclusio est, quod ex ambabus præmissis de *modo*, scilicet de aliquo dictorum modorum, non sequitur conclusio de *modo*. Quia non sequitur, quod si præmissæ sint dubiæ, quod propter hoc conclusio sit dubia, imo possibile est, quod ipsa sit scita, puta per alium syllogismum.

7. Item non sequitur, quod si præmissæ sint opinatæ, quod propter hoc conclusio sit opinata.

Et si quæratur, utrum ad illas præmissas sequatur aliqua de *inesse*? Respondetur quod sic, si illæ præmissæ sint de hoc modo *scire*, quia nihil scitur, nisi verum, sed de aliis modis non, quia ad præmissas de hoc modo *opinatum*, vel *creditum*, vel *apparens*, non sequitur conclusio de *inesse*, eo quod æque potest apparere, vel opinari falsum, sicut verum.

8. *Tertia conclusio.* Tertia conclusio, quod in secunda figura ex majore de *modo* negato, et minore de *inesse*, in sensu diviso, sequitur conclusio vere de *inesse*, sicut sequitur, *Nullum B opinor esse A, omne C est A*; *igitur nullum C est B*, et potest probari reducendo per impossibile ad primam.

Quarta conclusio. Quarta conclusio, quod in tertia figura ex majore modali in sensu diviso aliquo dictorum modorum, et minore de *inesse*, sequitur conclusio modalis de eodem modo, qui ponebatur in majore, et omnes isti modi probantur expositorie.

Ex isto sequitur, quod si loco illius de *inesse* in minori, ponatur vera de hoc modo *scire*, sequitur idem sicut prius, quia ad illam de *scire*, sequitur de *inesse*, modo quidquid sequitur ad consequens, sequitur ad antecedens. Sed si loco minoris ponatur aliquis de aliis modis, non valet Syllogismus, eo quod ad modales de illis modis non sequuntur illæ de *inesse*, sicut non sequitur *B opinor esse A*; *igitur B est A*. Et hoc de secundo.

9. *3. Pars quæstionis Prima conclusio.* Tunc de tertio. Prima conclusio est ista, quod ad quascumque præmissas sequitur aliqua conclusio, ad easdem modificatas, isto modo, *scire*, sequitur eadem conclusio. Quia quælibet propositio sequitur ad seipsam modificatam isto modo *scire*, sicut sequitur, *Scio B esse A* ; *igitur B est A*. Modo quidquid sequitur ad consequens, sequitur ad antecedens ; et in hoc est differentia istius modi, *scire*, ab istis modis, *opinor*, *apparet*, et hujusmodi. Quia ad hujusmodi præmissas de prædictis modis non sequitur aliqua de *inesse*, ex eo quod æque potest opinari falsum, sicut verum, ut dictum fuit prius.

10. *Secunda conclusio.* Secunda conclusio est ista, et sequitur ex præcedenti, quod ad quascumque præmissas sequitur aliqua conclusio, ad easdem modificatas isto modo *verum*, sequitur eadem, quia quælibet propositio sequitur ad seipsam modificatam isto modo *verum* : sed non est ita de isto modo, *falsum*, quia nulla propositio sequitur ad seipsam modificatam hoc modo *falsum* ; imo sequitur sua contradictoria, et ideo ad quascumque præmissas sequitur aliqua conclusio ad contradictorias ipsarum modificatas hoc modo *falsum*, sequitur eadem.

11. *Tertia conclusio.* Tertia conclusio, quod ex præmissis in sensu composito de hoc modo *scire*, non sequitur conclusio in sensu composito, de eodem modo. Probatur, quia ista regula est falsa, *Si præmissæ sunt scitæ ; igitur conclusio est scita.* Primo, quia possibile est, quod una præmissa sciatur ab uno, et alia ab alio.

Secundo, quia dato, quod sciantur ab eodem ambæ, possibile est, quod consequentia non sciatur esse bona ; modo conclusio non est evidentior, quam consequentia per quam probatur.

Item, dato, quod consequentia sciatur esse bona, possibile est, quod sciens præmissas non advertat necessitatem consequentiæ, etsi sic possibile est, quod dubitet conclusionem.

Et per illud probatur, quod ex præmissis de sensu composito de aliis non fit Syllogismus ad concludendum de eodem modo, sicut de istis modis *opinor*, *apparet*, et de similibus.

Tunc ad rationes. Ad primam respondetur, quod Aristoteles omisit propter brevitatem. 12. *Ad argumenta.*

Ad aliam dico, quod ex majore de hoc modo, *scire*, in sensu composito, et minore de *inesse*, non fit Syllogismus ad concludendum de hoc modo *scire*, licet bene ad concludendum de *inesse*.

Ad tertiam dico, quod de hoc modo *opinor*, fit bonus Syllogismus, sumendo majorem in sensu diviso, et minorem de *inesse*, et ideo potest concedi in isto casu, quod Socratem opinor esse asinum, et Socratem opinor non esse asinum, sed non sequitur conclusio, quæ infertur, scilicet, quod non opinor Socratem esse asinum.

Ad ista post oppositum dico, concedendo quod ex eis bene fit Syllogismus, si ordinentur eodem modo, quo dictum est. *Ad rationes in oppositum.*

Tunc ad auctoritates Aristotelis 1.Poster. dico quod intelligitur sic, quod inducens minorem post majorem, simul novit conclusionem, dum tamen sciat consequentiam esse bonam, et advertat ad necessitatem consequentiæ, aliter non oportet. Et sic sit dictum ad quæsitum.

QUÆSTIO XXXVII et ULT.

Utrum ex terminis obliquis, et infinitis possit fieri Syllogismus, sicut ex terminis rectis, et obliquis

Occam 3. *p. Log. c.* 9. 12. *et* 15. Joan. a Mag. *q.* 14. *hujus. dub.* 1. Alb. de Sax. *tract.* 4. *Log. c.* 9. Tartar. *tract. ult. hujus.* §. *quæritur utrum regula, etc.* Fonseca *lib.* 6. *instit. c.* 30. Fuente 3. *p. sum. q.* 2. *diffic.* 3. *art.* 2. Aversa *lib. instit. tract.* 4. *c.* 17.

Arguitur primo, quod non de terminis infinitis, quia ex illis non fit consimiliter Syllogismus, quarum una includat negativam, et alia non, sed duarum propositionum, quarum una est de prædicato finito, 1. *Argumenta pro parte negativa.*

et alia de prædicato infinito : illa quæ est de prædicato finito, includit negativam,sed illa, quæ est de prædicato infinito includit negativam, igitur.

Secundo, ex terminis infinitis fit Syllogismus arguendo per ambas negativas, sed ex terminis finitis non potest fieri Syllogismus arguendo ex ambabus negativis, igitur. Major probatur ; quia ut patuit prius, iste Syllogismus est bonus, *Nullum non B est A ; nullum C est B ; igitur nullum C est A*, et non valet, quia ex puris negativis nihil sequitur.

Tertio arguitur de obliquis,non sequitur, *Cujuslibet hominis asinus currit, Brunellus est asinus hominis; igitur Brunellus currit*, quia est possibile, quod præmissæ sint veræ, et conclusio falsa.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo ; quia approbat illos Syllogismos ex obliquis, ut *Cujuscumque est disciplina, hoc est genus : bona est disciplina ; igitur bonum est genus*. Et postea dicit,quod eodem modo est syllogizandum ex terminis infinitis, sicut ex terminis finitis.

2. *Divisio quæstionis.* In quæstione primo videndum est qualiter syllogizandum est ex terminis infinitis, vel ex altero infinito. Secundo, qualiter ex terminis obliquis.

1. *Conclusio circa 1. quæstionis.* Quantum ad primum. Prima conclusio est ista, quod omnis modus alicujus figuræ trium figurarum, valens ex terminis finitis, valet etiam ex terminis infinitis. V. g. in prima figura, *Omne non B est non A, omne C est non B ; igitur omne C est non A*, et tenet directe per *dici de omni*. Item sequitur, *Nullum non B est A, omne C est non B ; igitur nullum C est A*, et tenet directe per *dici de nullo*. Item, patet de secunda, et tertia figuris, quia illæ de terminis infinitis, similiter convertuntur illis de terminis finitis,igitur Syllogismi imperfecti facti ex terminis, eodem modo reducuntur, sicut Syllogismi ex terminis finitis. V. g. ista, *Nullum non B est A*, convertitur in istam, *Nullum A est non B*, ita proportionabiliter, de aliis propositionibus factis ex terminis infinitis.

3. *Secunda conclusio.* Secunda conclusio est ista, quod aliquis modus contingit syllogizare ex terminis infinitis, vel ex altero termino infinito, qualiter non contingit syllogizare ex terminis finitis. Probatur :

Primo, per Aristotelem in primo hujus, ubi ponit istum Syllogismum esse bonum, *Cui nulli inest B*, et *C*. Modo iste Syllogismus æquipollet isti, *Omne non B est A, nullum C est B ; igitur omne C est A*. Modo sicut non contingit syllogizare ex terminis finitis, quia nunquam in terminis finitis potest inferri conclusio affirmativa per aliquam præmissam negativam.

Secundo, quia ex terminis infinitis, vel saltem ex termino infinito contingit syllogizare ex puris negativis : sed hoc non potest fieri in terminis finitis, ut notum est. Major probatur, quia sequitur, *Nullum non B est A, nullum C est A*.

Item, in secunda figura,*Nullum B est non A, nullum C est A, igitur nullum C est B*.

Item,in tertia figura,*Nullum non B est A, nullum B est C;igitur nullum C est A*,et patet, quod ex altero termino finito concluditur universaliter in tertia figura,et tamen hujusmodi non potest fieri ex terminis finitis.

Item, sequitur, *Nullum B est A, omne C est B ; igitur omne C est non A*, et tamen non potest sic argui ex terminis finitis ; quod autem illa consequentia sit bona patet, quia ad prædictas præmissas sequitur illa conclusio, *Nullum C est A*, sed ad istam supposita constantia subjecti sequitur, *Omne C est non A*, et constantia subjecti ponebatur in minori, quando dicebatur, *Omne C est B ; igitur ista conclusio omne C non est A*, sequitur ad prædictas præmissas per illam regulam : *Quidquid sequitur ad consequens, sequitur ad antecedens*, et sic patet, quod consimiliter est syllogizandum ex terminis infinitis, sicut ex terminis finitis, licet non e contra.

4. *1. Conclusio circa 2. quæstionis.* Quantum ad secundum, est prima conclusio ista, quod omnis modus alicujus figuræ valens ex terminis rectis,potest etiam valere ex altero obliquo posito a parte sub-

jecti majoris ; v. g. in *Barbara* sequitur, *Cujuslibet hominis asinus currit, omne grammaticum est homo ; igitur cujuslibet grammatici asinus currit*, et tenet directe per *dici de omni*, quia subjectum, quod distribuitur in majori, prædicatur in minori : et consimiliter potest exemplificari de aliis modis primæ figuræ. Sed de secunda, et tertia figuris patet, quia propositiones de obliquo similiter convertuntur, sicut illæ de recto, scilicet universalis affirmativa, et particularis affirmativa, in particularem affirmativam, et universalis negativa in universalem negativam, ut patuit prius ; igitur Syllogismi imperfecti fiunt eodem modo ex terminis obliquis, sicut ex rectis, quia consimiliter reducuntur ad primam figuram.

5. *Secunda conclusio.* Secunda conclusio est ista, quod ex obliquis, vel altero obliquo, potest fieri bonus Syllogismus, dato quod ille obliquus non sit subjectum, nec prædicatum, dum tamen sit pars subjecti, vel prædicati, quia iste est bonus Syllogismus, *Videns omnem asinum currit, Brunellus est asinus ; igitur videns Brunellum currit.* Quod iste Syllogismus sit bonus, patet, quia est oratio, in qua quibusdam positis aliud ab his, quæ posita sunt, de necessitate accidit, eo quod hæc sunt ; igitur iste processus est bonus Syllogismus, per locum a definitione. Et antecedens apparet, quia iste processus est necessaria consequentia a pluribus præmissis ad conclusionem aliam a qualibet præmissarum.

Secundo prædictus discursus est consequentia necessaria, et non Enthymema, nec Inductio, nec Exemplum, nec Conversio, aut Consequentia per conversionem, aut Consequentia per æquipollentiam, aut per subalternationem, et etiam per nominis expositionem : igitur Syllogismus.

6 *Objectiones.* Contra istam conclusionem arguitur ; quia omnis bonus Syllogismus debet fieri in aliqua trium figurarum : sed prædictus non, ut notum est, quia nec idem terminus subjicitur in utraque, nec prædicatur in utraque, nec illud, quod subjicitur in una, prædicatur in alia.

Secundo, quia hîc non est major extremitas, nec minor, nec medium.

Tertio, quia iste Syllogismus fit ex puris indefinitis : modo ex puris indefinitis, vel particularibus nihil sequitur.

Quarto, quia omnis bonus Syllogismus tenet in virtute *dici de omni*, vel *de nullo*; sed ille non est hujusmodi, quia in isto non distribuitur subjectum majoris, nec etiam minoris.

Respondetur ad ista.

Ad primam concedendo, quod non omnis Syllogismus fit in aliqua trium figurarum, quia ut patuit in quæstione, super hoc multæ erant exceptiones. *Solutiones.*

Ad secundam dico, quod iste terminus, *asinus*, est hîc medium, et iste terminus, *Brunellus*, minor extremitas, et totum residuum se tenet a parte majoris extremitatis.

Ex isto sequitur, quod non oportet in omni Syllogismo, quod medium subjiciatur in utraque ; vel quod prædicetur in utraque : imo sufficit quod sit pars subjecti, vel prædicati ; et quod sit subjectum vel prædicatum alterius.

Ad tertiam, dictum fuit prius, quod in pluribus casibus ex indefinitis potest fieri Syllogismus, quorum iste est unus in proposito, scilicet quando fit sumptio sub parte subjecti, vel prædicati distributa.

Ad rationes. Prima probatur, secundum conclusionem primi articuli. Verum est tamen, quod prima ratio assumebat falsum, quia dicebat, quod affirmativa de prædicato infinito includit negativam, sed affirmativa tunc de prædicato finito non : modo hoc est falsum, quia sicut ad affirmativam de prædicato infinito, sequitur negativa de prædicato finito, ita etiam ad affirmativam de prædicato finito, sequitur negativa de prædicato infinito, sicut sequitur, *B est A ; igitur non B est non A*. 7. *Ad argumenta.*

Ad tertiam dico, quod iste Syllogismus non valet, quia non fit debita sumptio sub subjecto, sive sub termino distributo, quia debet fieri sub isto termino, *homo* solum, et tu sumis sub aggregato *hominis asinus*, igitur Syllogismus non valet. Et sic sit dictum ad quæsitum. Et hæc sufficiant de primo.

QUÆSTIONUM LIBRI PRIMI PRIORUM DOCTORIS SUBTILIS FINIS

F. JOANNIS

DUNS SCOTI

DOCTORIS SUBTILIS

IN LIBRUM SECUNDUM PRIORUM ANALYTICORUM

ARISTOTELIS QUÆSTIONES

QUÆSTIO I

Utrum Syllogismus ex hypothesi differat a Syllogismo ostensivo

Occam 3. *p. Log. c.* 68. Alb. de Saxon. *tract.* 4. *Log. c.* 10. Fonseca *lib.* 6. *Instit. c.*32. Fuente 3. *p. sum. q.* 2. *diffic.* 3. *art.* 3. Aversa *lib. instit. tract.* 4. *c.* 18.

1. *gumen- pro par- negati-* Arguitur primo quod non ; quia omnis Syllogismus est ostensivus ; igitur Syllogismus ex hypothesi, non differt a Syllogismo ostensivo. Consequentia nota est, et antecedens apparet inducendo in omnibus Syllogismis : unde Syllogismus ad impossibile, de quo minus apparet, est ostensivus, quia ostendit conclusionem.

Secundo, omnis Syllogismus est ex hypothesi ; igitur non differt ab ostensivo. Consequentia tenet, et antecedens declaratur, quia hypothesis idem est, quod suppositio, modo omnis Syllogismus est ex suppositione, quia omnis Syllogismus supponit terminos, et propositiones, ex quibus integratur.

Tertio, omnis Syllogismus pertinens ad aliquam potestatem, de qua determinatum est in secundo, est ex hypothesi ; sed omnis Syllogismus ostensivus pertinet ad aliquam illarum potestatum, quia quilibet Syllogismus potest concludere plures propositiones, quia potest concludere suam, et sibi æquivalentem.

Oppositum arguitur per Aristotelem tam in primo, quam in secundo hujus ; qui ponit sæpe differentiam inter Syllogismos ostensivos, et Syllogismos ex hypothesi.

Difficultas quæstionis non stat, nisi *in quid nominis,* unde dicatur Syllogismus ostensivus, et unde Syllogismus ex hypothesi, et ideo dicendum est primo de ostensivo, secundo, de hypothesi. *Divisio quæstionis.*

Quantum ad primum notandum est,quod aliquis Syllogismus potest dici ostensivus dupliciter. Uno modo ratione illationis, et alio modo ratione probationis. 2. *Syllogismus dicitur ostensivus dupliciter.*

Si ratione illationis, hoc dupliciter. Uno modo, quia infert conclusionem, et sic quilibet Syllogismus dicitur ostensivus, ut patet per definitionem Syllogismi. Alio modo, quia infert conclusionem de necessitate per illa, quæ posita sunt in præmissis sine suppositione extrinseca ; et sic Syllogismus ad impossibile non diceretur ostensivus, quia supponit contradictoriam conclusionis probandæ.

Alio modo dicitur Syllogismus ostensivus, ratione probationis. Hoc dupliciter, sicut prius. Uno modo, quia probat conclusionem, et sic petitio principii non esset Syllogismus ostensivus, sed bene quilibet alter Syllogismus. Secundo modo, quia per ea, quæ expressa sunt in præmissis, probat conclusionem, sine alia suppositione, quæ non ponitur in præmissis, et isto modo proprie dicitur Syllogismus ostensi-

vus ; et sic nec Syllogismus ad impossibile, nec Syllogismus ad transsumptum dicetur ostensivus. Et hoc de primo.

De secundo notandum, quod hypothesis dicitur, quasi suppositio, et ideo dicere *Syllogismus ex hypothesi*, non est aliud, quam dicere *Syllogismus ex suppositione.*

3. *Syllogismus ex hypothesi dicitur quadrupliciter.* Secundo notandum, quod quadrupliciter potest dici aliquis Syllogismus ex hypothesi, vel ex suppositione. Primo modo, quia præsupponit aliud ad sui formationem, et iste modus est improprius, quia sic quilibet Syllogismus diceretur ex hypothesi, quia quilibet Syllogismus ad sui compositionem, et integrationem, præsupponit terminos, et propositiones. Secundo modo dicitur Syllogismus ex hypothesi, quando præter terminos, et propositiones, ex quibus componitur Syllogismus, et præter ea quæ exprimuntur in præmissis, scilicet præter figuram syllogisticam, sequitur aliud, scilicet aliqua suppositio, virtute cujus consequentia conclusionis ex præmissis appareat necessaria ; et sic omnis consequentia formalis diceretur ex hypothesi. Et loquor ad præsens de prima conclusione, quæ debet inferri per præmissas, quia de secundaria conclusione, et ultimata dicetur in aliis duobus modis.

4. *Prima conclusio.* Tunc dico, quod ad istum modum reducuntur multi Syllogismi. Primo, Syllogismus expositorius, et ex hypothesi, ut *Hoc B est A : hoc B est C ; igitur C est A.* Quia præter ea, quæ expressa sunt in præmissis, et præter formam consequentiæ, sequitur alia suppositio, ad evidentem illationem conclusionis ex præmissis, videlicet quod subjectum majoris possit distribui isto modo, videlicet, *Omne quod est hoc B, est A.*

Secunda conclusio. Secundo, ad istum modum reducuncuntur omnes modi trium figurarum, quia ultra formam syllogisticam expressam in præmissis, in aliquo dictorum modorum, requiritur alia suppositio, ad evidentiam consequentiæ, ut, v. g. quod nullus terminus, ex quo constituitur Syllogismus, supponat appropriate pro aliqua re, quæ est eadem cuilibet diversarum rerum.

Tertia conclusio. Tertio, ad istum modum reducuntur plures mixtiones, positæ in primo hujus, v. g. Aristoteles ponit, quod ex majori de inesse, et minori de contingenti, fit bonus Syllogismus. Modo ista suppositio non valet, nisi ex illa suppositione, quod illa de *inesse* est de *inesse simpliciter* , quia non sequitur, *Omne currens est homo, omnem equum contingit currere* ; *igitur omnem equum contingit esse hominem.*

5. *Quarta conclusio.* Quarto, ad istum modum reducitur Syllogismus ; quem ponit Aristoteles in secundo hujus, scilicet, *Cui nulli inest B*, et *C*. Qui non tenet nisi ex suppositione, quod termini supponant pro alio, et cum hoc, quod termini sint negative convertibiles, ut patebit postea.

Quinta conclusio. Quinto, ad istum modum reducitur Syllogismus negativus, ex terminis infinitis factus, in alia quæstione, scilicet, *Nullum non B est A*, *omne C est B* ; *igitur nullum C est A*. Quia arguitur ex quatuor terminis; igitur de forma non valet, nisi ex suppositione, quod medium in præmissis differat solum secundum finitum, et infinitum, ita quod in una præmissa accipiatur medium infinite, et in alia finite.

6. *Sexta conclusio.* Sexto, ad istum modum possunt reduci omnes casus, per quos ponebatur, quod ex puris particularibus, vel ex puris negativis, potest fieri Syllogismus.

Tertius modus istorum ex hypothesi, est, quando per aliquem Syllogismum inferuntur duæ conclusiones, quarum prima est falsa, et secunda vera : tunc valet ad primam conclusionem, sic consequentia formalis. Attamen ad inferendum secundam conclusionem, et ultimatam, est indigentia suppositionis extraneæ : sicut patet in Syllogismo ad impossibile, per quem licet prima conclusio falsa inferatur formaliter, attamen ad inferendum secundam oportet supponere contradictoriam illius secundæ conclusionis : et iste modus est proprius.

Ex quo patet, quod idem Syllogismus, qui est ostensivus ad unam conclusionem, est ex hypothesi ad aliam, ut patet de Syl-

logismo ad impossibile, qui est ostensivus ad primam conclusionem ; sed est ex hypothesi ad secundam.

7. Quartus modus est, quando per aliquem Syllogismum infertur primo aliqua conclusio vera, quæ non est principaliter intenta, et postea virtute alicujus suppositionis infertur alia conclusio vera principaliter intenta. V. g. volens probare quod *Omnis homo est risibilis*, si transferat se ad probandum istam syllogistice, quod *Omne animal rationale est risibile*, et postea ex illa probata, probat per illam suppositionem : *Quidquid prædicatur de definitione prædicatur de definito*, tunc infertur conclusio principaliter intenta, scilicet, quod *Omnis homo est risibilis*, et istum Syllogismum vocat Aristoteles Syllogismum *ad transsumptum*, quia quando debemus probare unum, transferemus nos ad probandum aliud, ex quo virtute alicujus suppositionis inferimus intentum : et isto modo potest argui per omnes modos dialecticos : et sic patet unde Syllogismus dicatur ostensivus, et unde ex hypothesi, et per consequens patet, quomodo ab invicem differunt.

Tunc ad rationes. Sunt solutæ per distinctiones. Et sic patet de ista quæstione.

QUÆSTIO II

Utrum possibile sit, quod ex falsis sequatur verum

Averroes et Aphrod. *in c.* 2. 3. *et* 4. *hujus*. Burana *ibid.* Joan. a Magist. *hic. q.* 1. *dub.* 2. Fonseca *lib.* 6. *instit. c.* 31. Complut. *lib.* 3. *sum. c.* 2. Fuente 3. *p. sum. q.* 1. *diff.* 1. *art.* 1. Aversa *lib. instit. tract.* 4. *c.* 2.

1. Arguitur quod ex veris potest sequi falsum, primo ; quia ex possibilibus potest sequi impossibile; igitur ex veris potest sequi falsum. Consequentia tenet; quia sic se habet possibile respectu impossibilis, sicut verum respectu falsi. Antecedens probatur ; quia sicut, *Omne currens est homo, omnis equus est currens ; igitur omnis equus est homo* ; præmissæ sunt veræ : et tamen conclusio est impossibilis.

Secundo, ex necessario potest sequi contingens, igitur ex veris potest sequi falsum. Tenet consequentia ; quia idem videtur esse judicium : et antecedens apparet ; quia quælibet conditionalis est necessaria, et tamen ad aliquam conditionalem sequitur contingens, v. g. ad istam : *Si tu curris, tu moveris, et tu curris*, sequitur *tu moveris*, quæ est contingens.

Tertio, ex veris sequitur falsum ; igitur ex veris potest sequi falsum. Consequentia tenet, quia *Quidquid fiet, hoc possibile est fieri* : et antecedens ; quia sequitur, *Socrates currit ; igitur Socrates movetur*, et sic modo utraque vera, et cras utraque falsa ; tunc semper ad istam, *Socrates currit*, est vera, igitur semper ad verum sequitur ista, *Socrates movetur*, sed cras hæc erit falsa, *Socrates movetur*, igitur ad verum sequitur falsum.

Quarto, quia ex falsis sequitur verum, patet in littera, igitur et e converso, quia quantum verum opponitur falso, tantum falsum e contra vero.

Quinto arguitur, quia ex falsis non potest sequi verum ; quia secunda consequentia non valet, in qua stante consimili dispositione, et forma præmissarum, est reperire terminos *in quibus omni*, et *nulli* ; sed præmissis existentibus falsis, est reperire terminos, in quibus universalis affirmativa est vera, et stante eadem dispositione, est invenire alios terminos, in quibus stat universalis negativa, etc. igitur talis dispositio non valet ; quia sæpe Aristoteles utitur ista regula in primo hujus ; et minor probatur, et sunt termini *in quibus omni* ; *Omnis lapis est animal, omnis homo est lapis ; igitur omnis homo est animal*; sed termini *in quibus nulli*, sunt arguendo sic ; *Omnis lapis est arbor, omnis homo est lapis ; igitur nullus homo est arbor.*

Sexto, quia unum oppositorum non sequitur ad reliquum ; quia sicut patet in isto secundo, ad idem *esse*, et *non esse*, non sequitur idem, sed verum, et falsum sunt

opposita ; igitur ad falsum non sequitur verum.

Septimo, quia effectus positivus debet dependere a causa positiva : sed conclusio vera est effectus positivus præmissarum, et falsum est privativum ; igitur conclusio vera non sequitur ex falsis.

Confirmatur, quia falsum est non ens, ut patet 5. Metaph. modo non ens nullius est causa.

2. *Divisio quæstionis* Oppositum arguitur per Aristotelem in isto secundo.

Primo videndum est, si ex veris sequitur falsum. Secundo, si e converso ex falsis sequatur verum.

Quantum ad primum dico, quod difficultas hujus dependet ex definitionibus antecedentis, et consequentis e converso, et ideo recolendæ sunt illæ definitiones ; unde Antecedens est propositio, quam impossibile est esse veram, consequente non existente vera, ipsis simul formatis ; sed Consequens est una propositio, quam impossibile est non esse veram, antecedente existente vero, ipsis simul formatis : et notabiliter additur ista conditio, *ipsis simul formatis*, quia aliqua est consequentia bona, in qua possibile est antecedens esse verum, et tamen impossibile est consequens esse verum. Verbi gratia, sequitur, *Omnis propositio est affirmativa ; igitur nulla propositio est negativa.* Antecedens possibile est esse verum : et licet consequens sit impossibile, tamen potest esse verum, antecedente et consequente simul formatis, impossibile est, quod antecedens sit verum, quando consequens sit falsum : quia pro quacumque mensura, antecedens est falsum ; sed consequentia est eo modo composita ex antecedente, et consequente, mediante ista conjunctione, *igitur*, vel *si*, aut alia æquivalente.

3. *1. Conclusio circa 1. quæstionis* Tunc ponuntur conclusiones. Prima est, quod ex vero potest sequi falsum, vel etiam in plurali, quod ex veris potest sequi falsum, probatur per unam rationem factam ante oppositum ; quia ex veris sequitur falsum : igitur ex veris potest sequi falsum, et deducatur sicut prius.

Secunda conclusio. Secunda conclusio, quod impossibile est ex veris sequi falsum. Probatur, quia ista consequentia est bona, antecedens est verum : igitur consequens est verum ; igitur impossibile est, quod antecedente vero sequatur consequens falsum. Consequentia valet. Probatur antecedens per definitionem antecedentis, et consequentis. Et istæ conclusiones non repugnant, quia prima est in sensu diviso, et secunda in sensu composito ; sicut istæ non repugnant, *Album potest esse nigrum*, et *Impossibile est album esse nigrum*, quia ambæ sunt simul veræ.

Tertia conclusio. Tertia conclusio, quæ sequitur ex prædictis definitionibus, est ista, et probatur supra, quod ad impossibile sequitur quodlibet. Probatur, quia quælibet propositio impossibilis, est propositio, quam impossibile est esse veram; igitur quælibet impossibilis est propositio, quam impossibile est esse veram, quolibet alio non existente vero, et per consequens ad impossibile sequitur quodlibet aliud, per prædictas descriptiones.

Ex his patet, quod impossibile est ex veris sequi falsum. Verum est tamen, quod contra prædictam conclusionem, possunt reduci quasi omnia subjecta insolubilia, et obligationes, quas dimitto propter brevitatem. Et hoc de primo.

4. *1. Conclusio circa quæstionis* Quantum ad secundum, prima conclusio est ista, quod ex falsis potest sequi verum. Probatur, quia ex impossibili sequitur verum, quia ex ipso sequitur quodlibet, sed quodlibet impossibile est falsum : igitur ex falso sequitur verum.

Secunda conclusio. Secunda conclusio, quod in *Barbara*, et *Celarent*, ex majore in toto falsa, et minori vera, non potest sequi conclusio vera, quia si major sit in toto falsa, sua contraria erit vera ; igitur ex contraria majori vera, et minori, quæ etiam est vera, sequitur contraria conclusionis.

Tunc quæro, utrum illa contraria conclusionis sit vera, vel falsa : si vera, et hæc conclusio ponebatur vera ; igitur duæ contrariæ erunt simul veræ, quod est impos-

sibile. Si falsa; igitur ex præmissis veris sequitur conclusio falsa, quod est impossibile, ut probatum est.

Tertia conclusio. Tertia conclusio est ista, quod ex duabus præmissis falsis, sive in toto, sive in parte, sive ex una falsa, et alia vera, potest sequi conclusio vera in quolibet modorum trium figurarum : exceptis *Barbara*, et *Celarent*, in quibus ex majori tota falsa, et minori vera, non potest sequi conclusio vera, et istam conclusionem probat Aristoteles exemplariter in qualibet figura, videatur.

5. *Ad argumenta.* Tunc ad rationes. Ad primam, negatur antecedens, nam in syllogismo illo, copulativa facta ex præmissis est impossibilis, eo quod partes suæ sint incompossibiles, licet quælibet earum per se sit possibilis.

Ad secundam, negatur antecedens. Ad probationem dico, quod si illa copulativa, *Socrates currit, et Socrates movetur*, sumatur pro consequente conditionali : tunc illa conditionalis est falsa; sed ista propositio, *Socrates movetur*, sola sit consequens : tunc ex illa conditionali non sequitur quod Socrates movetur. Sed sequitur ex copulativa, facta ex illa conditionali, et antecedente posito in esse, modo illa copulativa est contingens, quia secunda pars ejus est contingens.

Ad tertiam dictum est, quod stant simul, ex veris potest sequi falsum, et impossibile est ex veris sequi falsum.

Ad quartam, negatur consequentia, quia licet similiter se habeat conversio ad oppositionem : non tamen conversio ad consequentiam.

Ad quintam, *Illa consequentia*, etc. Dico quod illa regula debet sic intelligi, quod illa consequentia non valet, in qua ex præmissis existentibus veris, est reperire terminos, *in quibus omni*, et *in quibus nulli*, et sic illa regula est impertinens proposito de præmissis falsis, vel ex altera falsa.

Ad sextam dicitur, quod non omnis propositio falsa omni veræ opponitur.

6. Idem etiam in illis, quæ implicant contradictionem ex uno oppositorum infertur reliquum, ut sequitur, *Tantum pater est; igitur non tantum pater est.*

Ad aliam, *effectus est*, etc. Dicitur quod conclusio vera non est effectus præmissarum, sed est effectus animæ formantis præmissas et conclusionem, licet præmissæ sint quodammodo instrumenta, quibus mediantibus anima devenit in assensum conclusionis. Idem dicitur tunc, quod præmissæ falsæ sunt entia ita positiva, sicut præmissæ veræ.

Ad confirmationem, falsum est *non ens*, negatur, nisi accipiatur valde improprie iste terminus, *ens*, pro vero, et iste terminus *non ens*, pro falso, quemadmodum ibidem accipiuntur. Et sic sit dictum de ista quæstione.

QUÆSTIO III

Utrum ad utrumque contradictoriorum possit sequi idem

Joan. a Magistris *quæst.* 1. *hujus dub.* 3. Tartar. 1. *tract.* 1. *hujus dub.* 3. Fonseca *lib.* 6. *instit. cap.* 31. Conimbr. *in summa hujus libri.*

Arguitur quod sic, quia ad alterum contradictoriorum sequitur aliquod necessarium, ut verbi gratia, sequitur : *Deus est substantia; igitur Deus est* : igitur illud sequitur ad reliquum, per illam regulam, *Necessarium sequitur ad quodlibet.* 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Secundo, quia in Syllogismo ex oppositis ad præmissas sequitur una conclusio; igitur ad utrumque contradictoriorum sequitur idem. Antecedens patet in isto secundo; et consequentia probatur, quia præmissæ Syllogismi ex oppositis sunt ad invicem contradictoriæ.

Tertio, quia ista disjunctiva, *Socrates currit, vel Socrates non currit*, sequitur ad istam, *Socrates currit*, et cum hoc sequitur ad istam, *Socrates non currit*; *igitur ad ambo contradictoria sequitur idem.* Consequentia tenet, quia istæ contradicunt. Antecedens probatur, quia quælibet pro-

positio infert seipsam cum quacumque alia in una disjunctiva, et hoc gratia formæ.

Oppositum arguitur per Aristotelem in secundo hujus, ubi ponit, quod ad *Idem esse, et non esse, non sequitur idem*; modo duarum contradictoriarum una significat *esse*, et alia non esse; igitur ad ambo contradictoria non sequitur idem.

2. *Divisio quæstionis* In quæstione primo videbitur generaliter, qualiter unum sequitur ad reliquum, et secundo specialiter exponetur regula Aristotelis, scilicet quod *Ad idem esse, et non esse, non sequitur idem*.

Quantum ad primum notandum, quod consequens potest sequi ad antecedens, vel formaliter, vel simpliciter, vel ut nunc solum. Tunc dicitur sequi *formaliter*, quando in omnibus terminis est bona consequentia, retenta consimili forma arguendi, quantumcumque termini mutarentur; et vocant *termini* subjecta, et prædicata propositionum, quia præter subjecta, et prædicata omnia alia dicuntur pertinere ad formam arguendi, ut copula conjunctionis, syncategoremata, ordo, et numerus propositionum et terminorum, ut dictum fuit super primum.

Sed tunc dicitur aliquid sequi *simpliciter*, quando est necessaria consequentia antecedentis ad consequens in aliquibus terminis: licet non valeat in omnibus terminis, retenta consimili forma arguendi, et quando per medium necessarium hujusmodi consequentia potest fieri evidens, et formalis, et sic ista consequentia est bona, *Homo currit*; *igitur animal currit*, quia fit formalis per istud medium, *Omnis homo est animal*, arguendo in *Disamis*.

Sed tunc dicitur consequentia sequi *ut nunc solum*, quando medium per quod consequentia fit evidens non est necessarium, sed contingens.

3. *1. Conclusio circa 1. quæstionis.* Tunc ponuntur conclusiones quæ sequuntur ex prædicta distinctione. Prima est, quod ad quamlibet propositionem, quæ manifeste implicat contradictionem, sequitur formaliter quælibet alia, sicut sequitur, *Socrates currit*, et *Socrates non currit*; *igitur tu es Romæ*. Probatur, quia ad dictam copulativam sequitur quælibet ejus pars gratia formæ, tunc reservata ista parte, *Socrates non currit*, arguatur ex alia sic: *Socrates currit*; *igitur Socrates currit*, vel *tu es Romæ*, quia quælibet propositio infert seipsam formaliter cum qualibet alia, in una disjunctiva; et ultra sequitur, *Socrates currit*, vel *tu es Romæ*, *sed Socrates non currit*, ut reservatum fuit; *igitur tu es Romæ*, quod fuit probatum per illam regulam, *Ex disjunctiva cum contradictoria unius partis ad reliquam partem est bona consequentia*.

4. *Secun[da] conclusi[o]* Secunda conclusio, ad quodlibet impossibile, sequitur quælibet alia propositio, non formaliter, sed simpliciter tantum. Probatur, quia per sumptionem unius propositionis necessariæ efficitur consequentia formalis, scilicet sumendo contradictoriam illius impossibilis, quæ est necessaria. Tunc enim ex illis constituitur copulativa implicans contradictionem formaliter, ad quam formaliter sequitur quodlibet aliud per primam conclusionem. Et per eumdem modum probatur, quod ad quamlibet propositionem falsam sequitur quælibet alia bona consequentia *ut nunc*, quia sumpta propositione falsa, ut *tu curris*, ad ipsam sequitur quodlibet aliud *ut nunc*, quia per assumptionem medii contingentis, scilicet sui contradictorii, ut *tu non curris*, efficitur consequentia formalis ad quodlibet aliud per primam conclusionem.

5. Ex istis sequitur illa regula, quod *Necessarium sequitur ad quodlibet*, quia quælibet propositio sequitur ad impossibile; igitur ad cujuslibet propositionis oppositam, sequitur opposita impossibilis, quæ est necessaria. Et cum quælibet propositio sit alicui opposita, sequitur, quod ad quamlibet propositionem sequitur oppositum impossibilis, scilicet necessarium.

Secundo sequitur, quod quodlibet verum sequitur ad quamlibet propositionem, vel *simpliciter*, vel *ut nunc*, quia si illud verum sit necessarium, tunc est consequentia simplex, sed si sit contingens, tunc est

consequentia *ut nunc*, solum. Probatur; quia ad falsum sequitur quodlibet, saltem *ut nunc*, ut probatum est; igitur ad cujuslibet oppositam sequitur opposita falsi, scilicet verum, et cum quælibet propositio sit alteri opposita, sequitur quod ad quamlibet propositionem sequitur verum, per illam regulam; *Quando ad antecedens sequitur consequens, ad oppositum consequentis sequitur oppositum antecedentis*; ista sunt præmissa propter ea quæ sequentur. Et hoc de primo.

6. *Conclusio circa 2. quæstionis* Quantum ad secundum; Prima conclusio est, quod ad utrumque contradictoriorum bene sequitur idem consequentia *simplici*, vel consequentia *ut nunc*. Probatur, primo de consequentia *simplici*, quod ad aliquam propositionem necessariam sequitur aliqua alia, ut sua æquipollens, vel aliqua hujusmodi : et illa eadem sequitur ad suam contradictoriam, quia sua contradictoria est impossibilis, modo ad impossibile sequitur quodlibet, ut probatum est.

Secundo, patet de consequentia *ut nunc*; quia ad quodlibet verum sequitur aliqua propositio, scilicet, vel idem verum, vel sibi æquipollens, et illud idem sequitur ad suum contradictorium; quia ad falsum sequitur quodlibet, saltem *ut nunc*; igitur.

Secunda conclusio. Secunda conclusio, quod ad utrumque contradictoriorum sequitur idem formaliter, ubi consequens est disjunctiva, facta ex duabus contradictoriis, ut ista, *Socrates currit*, vel *Socrates non currit*. Probatur, quia ad contradictoriam talis disjunctivæ sequitur quodlibet, gratia formæ, igitur ad contradictoriam talis disjunctivæ sequuntur ambo contradictoria. Consequentia tenet ex primo articulo, igitur ad ambo contradictoria sequitur formaliter illa disjunctiva, verbi gratia, contradictoria illius disjuntivæ, est ista, *Socrates non currit, et Socrates currit*, ad quam formaliter sequitur, quod *Tu es Romæ*, et etiam quod *Tu non es Romæ*, ut probatum fuit; igitur ad oppositum consequentis, scilicet istius, *Tu es Romæ*, sequitur oppositum antecedentis, scilicet prædicta disjunctiva, et cum hoc ad oppositum alterius consequentis sequetur eadem disjunctiva; igitur cum illæ sint oppositæ, sequitur quod ad ambo opposita sequitur idem, scilicet ubi consequens est disjunctiva facta ex duabus contradictoriis.

Tertia conclusio est ista, quod ad ambo contradictoria sequitur idem formaliter, si altera pars contradictoriarum implicet manifeste contradictionem. Probatur, quia ad illam contradictoriarum, quæ non implicat contradictionem, aliquid sequitur formaliter, scilicet ipsamet, vel sibi æquipollens, vel convertens, et illa eadem sequitur ad aliam partem; quia alia pars implicat manifeste contradictionem, et ad talem sequitur quodlibet gratia formæ, ut probatum fuit prius : igitur. 7. *Tertia conclusio.*

Quarta conclusio est, quod istis duabus conditionibus circumscriptis, numquam ad utrumque contradictoriorum sequitur idem formaliter; igitur una contradictio est, quod consequens non sit una disjunctiva composita ex contradictoriis. *Quarta conclusio.*

Secunda, quod neutra pars contradictoriarum implicet contradictionem, et ideo in simplicibus Categoricis regula est universaliter vera. Probatur, si ad ambo contradictoria sequitur idem, tunc ad unum contradictoriorum sequeretur reliquum, consequens est falsum in simplicibus Categoricis non implicantibus contradictionem, ut dictum est, quia non sequitur, *Deus est*; *igitur Deus non est*, nec ad negativam sequitur affirmativa, quia non sequitur, *Antichristus non est*; *igitur Antichristus est*, quia utrobique antecedens est verum, et consequens falsum. Sed consequentia probatur, quia si ad *A esse album*, sequitur *B esse magnum*, tunc ad oppositum consequentis, scilicet, *B non est magnum*, sequitur oppositum antecedentis, scilicet, *A non est album*, ad quam propositionem adversarii sequitur quod *B est magnum*; *igitur* de primo ad ultimum, sequitur *B non est magnum*; *igitur B est magnum*, quod erat probandum.

Sic patet, quod illa regula, scilicet, *Ad*

idem esse, et non esse, non sequitur idem, intelligitur solum in simplicibus Categoricis, et de consequentia formali, quia consequentia materiali, vel *ut nunc,* idem sequitur ad utrumque contradictoriorum. Similiter si altera pars contradictoriarum implicet contradictionem, vel etiam consequens sit disjunctiva composita ex contradictoriis, regula non est vera : et hoc de secundo.

Ad argumenta. Rationes sunt solutæ per conclusiones. Et sic sit dictum ad quæstionem.

QUÆSTIO IV

Utrum Syllogismus circularis sit bonus Syllogismus

Averroes et Aphrod. *in cap.* 5. 6. *et* 7. *hujus.* Burana *ibidem.* Joan. a Mag. *quæst.* 2. *hujus.* Tartar. *tract.* 1. *hujus. dub* 1.

1. *Argumenta pro parte negativa.* Arguitur primo quod non, sic, omnis bonus Syllogismus est gratia alicujus finis; sed iste non est gratia alicujus finis : igitur iste Syllogismus circularis non est bonus Syllogismus. Major patet inducendo tam in Syllogismis demonstrativis, quam Dialecticis; et minor patet, primo non est gratia scientiæ, quia circulo non contingit demonstrare, patet primo Posteriorum : nec gratia opinionis, quia opinio non generatur, nisi ex notioribus : modo Syllogismus circularis non fit ex notioribus, quia in ipso sunt duo Syllogismi, quorum scilicet unus sit ex magis notis, reliquus erit ex minus notis.

Secundo, ille non est Syllogismus, qui non est unus Syllogismus, sed Syllogismus circularis non est unus Syllogismus : igitur. Major patet; quia primo Elenchorum dicitur, quod *Eadem est definitio propositionis et unius propositionis,* et per consequens *Syllogismi, et unius Syllogismi* ; et minor patet : quia Syllogismus circularis est ad minus duo Syllogismi.

Tertio, omnis bonus Syllogismus tenet gratia formæ, ut patet primo hujus : sed Syllogismus circularis non tenet gratia formæ, quia solum tenet in terminis convertibilibus, ut dicit Aristoteles in isto secundo.

Quarto, iste Syllogismus non est bonus, in quo semper committitur fallacia : sed hoc fit in Syllogismo circulari, scilicet petitionis principii; igitur.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto secundo.

Notandum, quod Syllogismus vocatur 2. circularis non absolute, sed in habitudine *Nota.* ad aliquem priorem Syllogismum, eo quod revertitur ad aliquam præmissam, unde prior Syllogismus processit. Et dicitur circularis ad similitudinem motus circularis, qui fit revertendo ad illud, unde venit mobile.

Secundo notandum, quod Syllogismus circularis potest fieri ex omnibus terminis, dum tamen non attendatur an præmissæ sint veræ, vel falsæ, quia hoc attento, quod præmissæ debeant esse veræ, non fit Syllogismus circularis, nisi ex terminis convertibilibus, ut dicit Aristoteles.

Tertio notandum, quod Syllogismus circularis sic definitur, *Syllogizare circulariter est ex conclusione, et conversa unius præmissarum inferre aliam præmissam.*

Sed dubitatur, an Syllogismus circularis probat præmissam, quam infert? Respondetur, quod possibile est quod sic, multipliciter. 3.

Primo, supposito, quod prior Syllogismus fuisset ex minus notis, ad conclusionem notiorem : tunc Syllogismus circularis ad præmissam minus notam, erit ex notioribus, et per consequens probat conclusionem.

Secundo, quia possibile est, quod primus Syllogismus sit ex notioribus simpliciter, et quod secundus Syllogismus, qui vocatur circularis, sit ex notioribus alicui, ut forte propter aliquam rationem, vel propter consuetudinem, vel auctoritatem, vel aliud hujusmodi.

Tertio, quia possibile est, quod primus Syllogismus demonstret esse causatum per effectus posteriores, et quod secundus de-

monstret causas effectus a priori : et sic uterque Syllogismus erit probativus, licet diversimode, quia secundus Syllogismus demonstrabit propter *quid*, et primus, *quia*, et istum modum demonstrandi declarat Commentator in octavo Physicorum.

4. *Prima conclusio.* Tunc ponuntur conclusiones. Prima est, quod Syllogismus circularis est bonus Syllogismus. Probatur, quia est *oratio in qua quibusdam positis, etc.* per definitionem Syllogismi.

Secunda conclusio. Secunda conclusio, quod Syllogismus circularis tenet gratia formæ. Probatur, quia omnis modus alicujus figuræ tenet gratia formæ, ut declaratur in primo hujus : sed Syllogismus circularis fit in aliquo modo alicujus trium figurarum : igitur Syllogismus circularis tenet gratia formæ.

Et nota, quod in nulla figurarum potest syllogizari circulariter, nisi altera præmissarum prioris Syllogismi convertatur.

5. *An quælibet præmissa possit syllogizari circulariter.* Dubitatur, utrum in qualibet trium figurarum, quælibet præmissa possit syllogizari circulariter ?

Respondetur quod non. Primo, quia in modis particularibus præmissa universalis non potest syllogizari circulariter.

Secundo, quod in modis negativis præmissa affirmativa non potest syllogizari circulariter gratia formæ, quod probatur, quia nunquam sequitur affirmativa syllogistice, et gratia formæ, nisi ex ambabus affirmativis : sed ad syllogizandum præmissam affirmativam in *modo* negato, ambæ præmissæ erunt negativæ, vel saltem altera earum : igitur ex ipsis non potest inferri conclusio affirmativa.

Sed tunc est difficultas, quia Aristoteles docet syllogizare præmissam affirmativam in *modo* negato. V. g. sit prius Syllogismus iste, *Nullum B est A : omne C est B; igitur nullum C est A*, quia convertitur major, id est, ista, *Nullum B est A*, in istam, *Cui nulli inest A, huic omni inest B*; sed *nullum C est A*, ut dicit conclusio : *igitur omne C est B*, quæ fuerat minor inferenda.

6. Ad istud respondetur ponendo duas conclusiones. Prima est, quod dicta conversio, quam facit Aristoteles, non est consequentia formalis, scilicet ista : *Nullum B est A ; igitur cui nulli inest A, huic omni inest B*; quia non sequitur : *Nullum animal est planta ; igitur cui nulli inest planta, huic omni inest animal* ; quia nulli lapidi inest planta, et propter hoc tamen non sequitur quod omnis homo sit animal.

Secunda conclusio est ista, quod hæc consequentia est formalis, *Cui nulli inest B, huic omne inest A* : sed *nullum C est A : igitur omne C est B*. Quia patet instantia arguendo sic, *Cui nulli inest substantia, huic omni inest accidens, sed nulla Chimæra est substantia; igitur omnis Chimæra est accidens*, præmissæ sunt veræ, et conclusio falsa ; igitur consequentia non valet.

Et ideo dico, quod Aristoteles non intendit, quod in *modo* negato præmissa affirmativa possit syllogizari circulariter gratia formæ ; sed vult quod bene possit syllogizari, suppositis quibusdam conditionibus.

Prima conditio est, quod termini præmissæ negativæ sint negative convertibiles, ita quod de quolibet dicatur alter illorum terminorum, et de nullo ambo simul : aliter illa conversio, quam facit Aristoteles, non valeret, unde isti termini, *substantia, accidens*, sic sunt negative convertibiles : similiter omnes termini contradictorii, sicut *homo, non homo* ; ideo bene sequitur, *Nullus homo est non homo ; igitur cui nulli inest non homo, huic omni inest homo.* Sed sic non est de istis terminis, *animal, planta, homo*, de quibus data fuit instantia.

Secunda conditio est, quod omnes termini, ex quibus arguitur ad inferendum præmissam affirmativam, supponant pro aliquo, quia si aliquis terminorum pro nullo supponeret, tunc consequentia, quam facit Aristoteles, non valeret, ut patet per secundam conclusionem : et causa hujus est, quia negativa de prædicato finito non potest mutari in affirmativam, de prædicato infinito, nisi supposita constantia terminorum: modo iste Syllogismus, quem facit Aristoteles, æquipollet isti, *Omne non B est A :*

nullum C est A; igitur omne C est B. Quia si minor mutetur in affirmativam, de prædicato infinito, tunc est evidens Syllogismus, arguendo sic; *Omne non A est B, omne C est non A, igitur omne C est B.* Et sic patet qualiter, et ex quibus terminis, et ad quem finem fiat Syllogismus circularis.

7. *Ad argumenta.* Tunc ad rationes. Ad primam dictum est in dubitatione ante conclusiones.

Ad secundam dicitur, quod Syllogismus circularis est unus Syllogismus, licet præsupponat alium in habitudine, ad quem circulariter vocatur.

Ad tertiam dicitur, quod Syllogismus circularis tenet gratia formæ, quia iste modus in quo fit, tenet in omnibus terminis.

Ad quartam dicitur, quod ibi non fit petitio principii, quia possibile est, quod uterque Syllogismus fiat ex notioribus, licet diversimode, unus scilicet *propter quid*, et alter *quia*, ut dictum fuit prius. Et sic sit dictum ad quæsitum.

QUÆSTIO V

Utrum Syllogismus conversivus differat a Syllogismo ad impossibile

Averroes *in c.* 8. 9. 10. 11. 12. *et* 13. *hujus.* Aphrod. et Burana *ibid.* Joan. a Mag. *q.* 2. *hujus, dub.* 1. 2. *et* 3. Tartar. *tract.* 1. *hujus, in expos. c.* 4. 5. *et* 6. §. *quæritur utrum Syllogismus, etc.*

1. *Argumenta pro parte negativa.* Arguitur primo quod non; quia utrobique arguitur ex opposito conclusionis.

Secundo, quia *Baroco*, et *Bocardo* dicuntur reduci ad primam figuram per impossibile, et tamen reducuntur per Syllogismum conversivum, quia arguitur ex opposito conclusionis cum una præmissarum, ad oppositum alterius præmissæ, et hoc est syllogizare conversive; igitur, etc.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto secundo, quia de istis Syllogismis determinat tanquam de diversis potestatibus Syllogismi.

Divisio quæstionis In quæstione, primo videbitur unde Syllogismus dicatur conversivus, et qualiter fiat. Secundo, quid sit syllogismus ad impossibile. Tertio, qualiter conveniunt ad invicem. Et quarto, qualiter differunt.

Quantum ad primum, notandum quod conversio quandoque attribuitur terminis, et hoc dupliciter. Uno modo sicut dicimus, quod isti termini *homo*, et *risibile*, convertuntur, eo quod de quocumque dicitur unus, et alter. Alio modo dicuntur termini convertibiles, eo quod quilibet illorum dicitur de subjecto cum additione alterius obliqui: et sic dicitur in Prædicamentis, quod relativa dicuntur ad convertentiam. 2. *Conversi[o] quibus at[tribuitur].*

Tertio modo attribuitur conversio propositionibus, ut secundum transpositionem terminorum, vel secundum oppositionem qualitatis.

Quarto modo, attribuitur conversio Syllogismis, prout facto aliquo Syllogismo arguitur ex opposito suæ conclusionis, cum una suarum præmissarum ad reliquam præmissam: et sic dicitur secundus Syllogismus conversivus prioris, et definitur sic: *Syllogismus conversivus est ex opposito conclusionis prioris Syllogismi, et una præmissarum inferre oppositum alterius præmissæ.* Ex quo sequitur, quod Syllogismus non dicatur conversivus absolute, sed in habitudine ad Syllogismum præcedentem, quem convertit. *Syllog[is]mus co[n]versivus*

Secundo notandum, quod quilibet Syllogismus in quacumque figura fiat, potest converti, quia semper ex contradictoria conclusionis, et una præmissarum infertur oppositum alterius præmissæ. Item si conclusio sit universalis, adhuc ex contrario conclusionis, et una præmissarum potest inferri contraria alterius præmissæ: sed si conclusio sit particularis, tunc non habet contrariam, sed subcontrariam; et ideo non oportet, quod ex subcontraria conclusionis, et una præmissarum, inferatur oppositum alterius præmissæ. Et sic patet quid sit Syllogismus conversivus, et unde dicatur conversivus, et quibus modis fiat. Et hoc de primo.

Quantum ad secundum, notandum quod *Syllogismus* ad impossibile dicitur, *Quando* 3. *Syll[ogis]mus a[d im]possib[ile]*

ex opposito conclusionis probandæ cum manifeste vero coassumpto aliquo infertur manifeste falsum. Ex quo falso concluso fit regressus ad interimendam falsitatem unius præmissarum, propter hoc quod ex veris non potest sequi falsum, et quia propositio sumpta cum opposito conclusionis probandæ, erat manifeste vera, ideo ipsa non potest interimi tanquam falsa : sed interimetur opposita conclusionis probandæ, et per consequens conclusio probanda concludetur esse vera. V. g. si opponens intendat probare istam conclusionem, *Omnis homo est risibilis*, et respondens neget istam ; tunc detur sua opposita, scilicet, *Quidam homo non est risibilis*, tunc addatur istud manifeste verum, et necessarium, *Omne animal rationale est risibile*, et arguitur sic, in *Baroco* : *Omne animal rationale est risibile* : *quidam homo non est risibilis* ; *igitur quidam homo non est rationalis*. Conclusio est impossibilis, igitur aliqua præmissarum, et non major, quia major est manifeste necessaria : igitur minor, quæ fuit opposita conclusionis probandæ : et per consequens conclusio probanda, scilicet *Omnis homo est risibilis*, erat necessaria.

Secundo notandum, quod iste Syllogismus quandoque vocatur *Ad impossibile*, quandoque *Per impossibile*, sed hoc est secundum diversas rationes, quia ea ratione, qua infert conclusionem impossibilem, vocatur *Ad impossibile* ; sed ea ratione, qua una præmissarum, quam assumit, est impossibilis, vocatur *Per impossibile.*

Item, iste Syllogismus quandoque potest vocari *per falsum*, quando neutra præmissarum est impossibilis, sed altera sit falsa, et quandoque *Ad falsum*, ex eo, quod concludit conclusionem falsam, quæ non est impossibilis. Et sic patet quid est Syllogismus *ad impossibile*, et quare sic vocatur. Et hoc de secundo.

4. *Syllogismi conversivus, et ad impossibile conveniunt* De tertio dico, quod Syllogismus conversivus, et Syllogismus ad impossibile conveniunt, quod in omni figura, et omni modo, in quibus potest fieri Syllogismus conversivus potest etiam fieri Syllogismus ad impossibile, et e converso, et ex eisdem terminis.

Secundo, conveniunt in hoc, quod uterque syllogizat ex opposito alicujus conclusionis ; nam Syllogismus conversivus syllogizat ex opposito conclusionis prioris Syllogismi, sed Syllogismus ad impossibile syllogizat ex opposito conclusionis, quam opponens intendit principaliter probare. Et ideo dicit Aristoteles, quod Syllogismus conversivus est similis Syllogismo ad impossibile, licet ab invicem differant. Et hoc de tertio.

Quarto dico, quod isti Syllogismi differunt. Primo, quia Syllogismus conversivus præsupponit alium Syllogismum, quem dicitur convertere, scilicet ex cujus conclusionis opposito, cum una præmissarum, infert oppositum alterius præmissæ ; sed Syllogismus ad impossibile non præsupponit aliquem Syllogismum priorem ; sed solum præsupponit unam propositionem, cujus probatio intenditur, et ex cujus opposito aliquo manifeste vero, infertur manifeste falsum. 5. *Et differunt.*

Secundo differunt, quia Syllogismus conversivus potest esse ex ambabus præmissis veris ad conclusionem veram, ut si prior Syllogismus fuisset ab una præmissa falsa ad conclusionem falsam.

Item, Syllogismus conversivus potest esse ex ambabus præmissis falsis ; sed Syllogismus ad impossibile non potest esse, nisi ex altera præmissa vera, et altera falsa : quia falsitas præmissarum debet interimi per falsitatem conclusionis.

Tertio differunt, quia Syllogismus ad impossibile se habet in minus, quam Syllogismus conversivus, quia omnis Syllogismus de facto potest dici Syllogismus conversivus, supposito, quod sit unus alter Syllogismus, factus ex opposita suæ conclusionis, et una præmissarum, ad aliam præmissam ; sed non omnis Syllogismus potest dici Syllogismus ad impossibile, quia Syllogismus demonstrativus ostensivus non dicitur ad impossibile.

Quarto differunt, ex parte finis ad quem isti Syllogismi ordinantur, quia Syllogismus ad impossibile ordinatur finaliter ad probandum conclusionem, quæ principaliter intenditur ; sed Syllogismus conversivus non ordinatur ad probandum conclusionem, sed alium Syllogismum ; quia si duo Syllogismi conversive se habeant, quorum unus formæ evidentioris sit, quam alter ; ut puta, quia fit in prima figura, et alter in secunda, vel in tertia ; tunc per illum Syllogismum, qui est formæ evidentioris, concludimus alium Syllogismum esse bonum, per illam regulam, *Illa consequentia est bona, ex cujus opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis.*

Et ideo dato, quod idem Syllogismus sit conversivus, et ad impossibile, hoc tamen est secundum diversas rationes ; quia dicitur *ad impossibile,* inquantum ad præmissam impossibilem infert conclusionem impossibilem, a qua fit regressus ad interimendum præmissam possibilem ; sed dicitur *conversivus* in habitudine ad Syllogismum præcedentem, quem dicitur convertere, et sic patet quid sint isti Syllogismi, quomodo conveniunt, et qualiter ab invicem differunt.

6. *Ad argumenta.* Ad rationes. Ad primam dico, quod licet uterque sumat oppositum conclusionis, hoc tamen est diversimode, quia Syllogismus conversivus arguit ex opposito conclusionis Syllogismi præcedentis, sed Syllogismus ad impossibile arguit ex opposito conclusionis probandæ, non præsupponendo Syllogismum præcedentem.

Ad secundam dico, quod *Baroco, et Bocardo* reducuntur per Syllogismum conversivum, et non per Syllogismum ad impossibile, tamen sic vocatur propter convenientiam istorum Syllogismorum ad invicem. Et sic patet quid sit de ista quæstione.

QUÆSTIO VI

Utrum Syllogismus ex oppositis sit bonus Syllogismus

Averroes et Aphrod. *in c.* 18. 19. *et* 20. *hujus.* Burana *ibidem.* Joan. a Mag. *q.* 3. *hujus. dub.* 1. 2. *et* 3. Tartar. *loco cit. quæst. antecedenti.*

1. *Argumenta pro parte negativa.* Arguitur primo quod non ; omnis bonus Syllogismus fit gratia alicujus finis ; iste non est hujusmodi ; igitur, etc. Major patet, quia sicut natura nihil facit frustra, ut patet 1. Cæli, et 3. de Anima : ita nec etiam ars facit aliquid frustra, quia ars imitatur naturam quantum potest 2. Phys. Et minor patet ; quia non apparet ad quod deserviat, ex quo semper est ad conclusionem falsam sine regressu ad aliam præmissarum : ut patet secundo hujus.

Secundo, quia omnis bonus Syllogismus fit ex tribus terminis, ad minus, ut probatum est, primo hujus ; sed Syllogismus ex oppositis, non potest fieri ex tribus terminis ; quia nunquam præmissæ essent oppositæ, nisi participarent utroque termino, et tamen si fierent ex tribus terminis, non participarent utroque termino ; igitur, etc.

Tertio, quia vel fieret in prima figura, vel in secunda, aut in tertia, quia istæ figuræ habent reduci ad primam ; igitur si non posset fieri Syllogismus ex oppositis in prima, igitur sequitur quod nec etiam in aliis.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto secundo, qui determinat de Syllogismis ex oppositis tanquam de una potestate Syllogismorum.

2. *Divisio quæstionis.* Primo, videbitur quid sit Syllogismus ex oppositis. Secundo, quæ sit ejus utilitas. Tertio, quomodo, et in quibus figuris fiat.

Syllogismus ex oppositis quis. De primo nota, quod *Syllogismus ex oppositis* vocatur ille, *cujus præmissæ sunt ad invicem contrariæ, vel contradictoriæ,*

secundum affirmationem, et negationem, arguendo sic : *Nullum studiosum est disciplina ; omnis disciplina est studiosa, igitur nulla disciplina est disciplina.* In isto Syllogismo præmissæ opponuntur contrarie secundum affirmationem, et negationem ; et si minor quæ sumitur universalis, sumeretur particularis, jam opponerentur contradictorie.

3. Ex ista definitione sequitur primo, quod nunquam potest esse affirmativus Syllogismus ex oppositis, scilicet ad conclusionem affirmativam. Quia conclusio affirmativa non potest inferri, nisi ex duabus affirmativis, et duæ affirmativæ non opponuntur contrarie, nec contradictorie.

Secundo sequitur, quod si præmissæ opponantur subcontrarie tantum, quod tunc non est Syllogismus ex oppositis. Probatur, quia jam ambæ præmissæ essent particulares, sed ex puris particularibus nihil sequitur.

Item, subcontrariæ non opponuntur secundum veritatem, quia ambæ possunt simul esse veræ.

Tertio sequitur, quod nunquam in prima figura potest fieri Syllogismus ex oppositis. Probatur ; quia nunquam sunt præmissæ oppositæ, nisi idem subjiciatur in utraque, et idem prædicetur in utraque : modo in prima figura illud, quod subjicitur in una, prædicatur in alia. Verum est tamen, quod in prima figura præmissæ possunt esse oppositæ virtualiter, licet non formaliter, et expresse, v. g. *Nullum studiosum est disciplina, omnis disciplina est studiosa, igitur nulla disciplina est disciplina*

Quarto sequitur, quod ex oppositis prædicatis proprie non fit Syllogismus ex oppositis, cujusmodi sunt ista prædicata, *bonum*, et *malum* ; quia talia prædicata non opponuntur secundum affirmationem, et negationem. Et hoc de primo.

4. 2. Pars quæstionis. Prima conclusio. Quantum ad secundum, quod ista potestas est modicæ utilitatis. Unde primo non valet ad probandum conclusionem, quæ infertur, quia illa semper est falsa, ut dicit Aristoteles in isto secundo. Attamen istud dictum debet moderari in ista conditione, quod termini conclusionis pro aliquo supponant, v. g. *Omnis Chimæra est homo, nulla Chimæra est homo ; igitur nulla Chimæra est Chimæra.* Ista est conclusio Syllogismi ex opposito, quæ tamen est vera, quia ejus contradictoria est propositio affirmativa, cujus neuter terminus pro aliquo supponit, et quælibet talis est falsa.

Secundo, iste Syllogismus non valet ad interimendam aliquam præmissarum, per modum Syllogismi ad impossibile ; quia ex quo præmissæ sunt oppositæ, notius est alteram præmissarum esse falsam, quam notum conclusionem esse falsam. Et ideo si ex falsitate conclusionis interimeretur aliqua præmissa, esset petitio principii. *Secunda conclusio.*

Tertio dico, quod iste Syllogismus valet ad concludendum aliquam conclusionem esse falsam; verbi gratia, per istum modum, hæc propositio potest esse conclusio Syllogismi ex oppositis ; igitur hæc propositio est falsa, quia si probetur antecedens, consequentia est bona, supposito quod termini illius propositionis pro aliquo supponant. *Tertia conclusio.*

Quarto, valet iste Syllogismus principaliter, quod si respondens Sophista concesserit unam præmissam, et inde opponens per aliquas rationes probet præmissam oppositam, virtute quarum rationum respondens concedat illam præmissam oppositam, ita quod respondens non reputet inconveniens illas præmissas oppositas separatim concedere, tunc valet Syllogismus ex oppositis ad arguendum ex illis præmissis oppositis concessis (ad concludendum ex illis præmissis oppositis concessis) ad conclusionem, in qua idem negatur de seipso, ut per hoc forte respondens appareat magis manifeste redargutus, quam concedendo præmissas oppositas separatim. Et hoc de secundo. *Quarta conclusio.*

Quantum ad tertium patuit prius, quod non potest fieri in prima figura.

Ideo prima conclusio est ista, quod Syllogismus ex oppositis potest fieri in secunda figura. Probatur, quia in secunda figu- 5. *Prima conclusio. 2. Pars quæstionis*

ra præmissæ participant utroque termino, secundum eumdem ordinem, ita quod una sit affirmativa, et alia negativa, et quod altera sit universalis, igitur in secunda figura potest fieri Syllogismus ex oppositis. Consequentia tenet per definitionem Syllogismi ex oppositis ; et antecedens apparet, arguendo sic, in exemplo, *Nulla disciplina est studiosa, omnis disciplina est studiosa; igitur nulla disciplina est disciplina.*

Secunda conclusio. Secunda conclusio, quod Syllogismus ex oppositis potest fieri in secunda figura, majore existente particulari, qui modus non valeret, si essent tres termini ab invicem distincti. v. g. *Quædam disciplina non est studiosa, omnis disciplina est studiosa ; igitur quædam disciplina non est disciplina*, et probatur, quia transponendo præmissas fit *Baroco.*

Tertia conclusio. Tertia conclusio, quod in tertia figura, potest fieri Syllogismus ex oppositis. Probatur sicut prius, quia in tertia figura præmissæ possunt esse oppositæ secundum affirmationem, et negationem ; verbi gratia, *Nulla disciplina est studiosa : quædam disciplina est studiosa; igitur quoddam studiosum non est studiosum,* et sic quod in Syllogismo ex oppositis non cognoscitur figura, nisi per conclusionem, quia in præmissis idem subjicitur in utraque, et prædicatur in utraque.

Quarta conclusio. Quarta conclusio, quod minore negativa potest fieri Syllogismus ex oppositis in tertia figura, qui tamen non valeret, si essent tres termini specie distincti. Probatur exemplificando, *Omnis disciplina est studiosa; quædam disciplina non est studiosa ; igitur quoddam studiosum non est studiosum.* Quia transpositis præmissis fit *Bocardo.*

Item arguendo : *Quædam disciplina est studiosa, nulla disciplina est studiosa ; igitur quoddam studiosum non est studiosum.* Quia transpositis præmissis fit *Ferison.* Et sic patet quid sit Syllogismus ex oppositis, ad quem finem ordinetur, qualiter fiat, et in quibus figuris.

6. *Ad argumenta.* Ad rationes. Ad primam dico, quod ordinatur gratia alicujus finis, scilicet ad manifestius redarguendum Sophistam respondentem, et cum hoc ad inferendum aliquam conclusionem, quæ ex hoc quod infertur per Syllogismum ex oppositis, potest inferri esse falsa.

Ad secundam dico, quod licet in Syllogismo ex oppositis ponantur duo termini, et non plures : attamen uno istorum utimur, scilicet in majori, pro majori extremitate, et in minori pro minori extremitate.

Ad tertiam dico, quod fit in secunda, et tertia figura, et non in prima, et ista consequentia valet ; secunda, et tertia figura, reducuntur ad primam : igitur si in secunda, et tertia figuris fiet Syllogismus ex oppositis, etiam fiet in prima : quia secunda, et tertia figura non reducuntur ad primam, nisi per conversionem : aut per impossibile : et quocumque modo fiant præmissæ, quæ prius erant oppositæ formaliter, jam non erunt oppositæ formaliter, et quia non participabant utroque termino secundum eumdem ordinem, imo ordine converso. Et sic patet quid sit dicendum ad quæsitum.

QUÆSTIO VII

Utrum petitio principii peccet contra Syllogismum simpliciter

Averroes, et Aphrod. *in c.* 21. *hujus.* Burana *ibid.* Occam 3. *p. tertiæ partis Log. c.* 15. Alb. de Saxon. *tract.* 5. *Log. c.* 11 Joan. a Mag. *q.* 4. *hujus.*

Arguitur quod sic, quia omnes loci Sophistici peccant contra Syllogismum, ex eo quod immodificati; patet primo Elenchorum : sed Syllogismus simpliciter exigit modum, igitur quilibet Sophisticus peccat contra Syllogismum ; sed petitio principii est locus Sophisticus, ut patet eodem primo Elenchorum, igitur petitio principii peccat contra Syllogismum simpliciter. 1. *Argumenta pro parte affirmativa.*

Secundo, nisi petitio principii peccaret contra Syllogismum simpliciter : tunc determinare de petitione principii non spe-

ctaret ad istum librum; consequens est falsum, ut patet per Aristotelem; quia de illo quod solum potest contra Syllogismum Dialecticum, vel Demonstrativum, pertinet determinare ad librum Topicorum, vel ad librum Posteriorum.

Tertio, in Syllogismo simpliciter debet inferri conclusio alia a præmissis; igitur contra Syllogismum simpliciter peccat petitio principii. Consequentia tenet, quia in petitione principii infertur idem per idem: et antecedens probatur per definitionem Syllogismi, in qua dicitur, *Aliud ab his quæ posita sunt de necessitate accidit.*

Quarto, nulla petitio principii est argumentatio: sed omnis Syllogismus est argumentatio; igitur nullus Syllogismus est petitio principii. Major patet, quia *Argumentum est ratio rei dubiæ faciens fidem*, et tamen ubi est petitio principii, non fit fides de re dubia: et minor patet, quia argumentatio dividitur in Syllogismum, Inductionem, Enthymema, et Exemplum.

Quinto, contra Syllogismum Dialecticum peccat petitio principii, sed omnis Syllogismus Dialecticus est Syllogismus: igitur contra Syllogismum simpliciter peccat petitio principii, quia *Quod simpliciter dico, sine addito dico*, secundo Topic.

2. *Opposi-m.* Oppositum arguitur, quia petitio principii potest fieri in bono modo, et bona figura, igitur petitio principii non peccat contra Syllogismum simpliciter. Consequentia tenet, quia non fit argumentatio in debito modo, et figura, nisi sit Syllogismus: et antecedens apparet; quia in *Barbara* fit bene petitio principii.

Secundo, quia petitio principii non peccat contra Syllogismum, nisi ea ratione, qua non probat suam conclusionem; sed non est de ratione Syllogismi probare suam conclusionem, igitur non repugnat rationi Syllogismi, quin in ipso possit esse petitio principii, videlicet, quia iste est bonus Syllogismus, *Omne B est A, omne C est B: igitur omne C est A*; et tamen iste syllogismus non probat conclusionem.

Tertio, quia in Syllogismo circulari est petitio principii in primo Syllogismo, vel in secundo, et tamen uterque est bonus Syllogismus, igitur, etc.

Quarto, quia evidens falsitas præmissarum non impedit bonitatem Syllogismi, igitur nec incongruitas præmissarum. Consequentia tenet, et antecedens apparet in secundo hujus.

In quæstione primo videbitur, quid est petitio principii, secundo quot modis fiat, et tertio an peccet contra Syllogismum. 3. *Divisio quæstionis*

Quantum ad primum notandum, quod *principium* in proposito non est aliud, quam conclusio probanda, quæ vocatur principium, pro tanto, quia est finis intentus: modo finis vocatur principium, ex eo, quod est principium in intentione, licet sit ultimum in executione.

Secundo notandum, quod petere principium accipitur dupliciter. Uno modo communiter, quando aliquod minus, vel æque notum, sumitur ad probandum magis, vel æque notum. Alio modo sumitur proprie petitio principii, quando aliquid sumitur ad probationem suiipsius. Et tunc definitur sic, *Petere principium est sumere conclusionem non probatam ad suiipsius probationem*, et sic accipitur in proposito. Et hoc de primo. *Petere principium quid*

Quantum ad secundum notandum, quod uno modo distinguuntur modi petitionis principii, quia ut plurimum fit petitio principii in Syllogismo circulari, tunc igitur conclusio quæ sumitur ad probationem suiipsius, vel erat major in primo Syllogismo, et sic est bonus modus; vel minor, et sic est alter. 2. *Pars quæstionis*

Et sic patet, quod si in syllogismo alicujus figuræ sit aliqua præmissa, quæ non possit Syllogizari circulariter: tunc in illa figura non potest esse petitio principii, quantum ad illam præmissam.

Ex isto sequitur, quod non potest esse petitio principii in modo particulari alicujus figuræ, quantum ad præmissam universalem, quia illa potest syllogizari universaliter. 4.

Secundo sequitur, quod in nullo modo

negato alicujus figuræ potest esse petitio principii, quantum ad præmissam affirmativam, quia illa non potest syllogizari circulariter, scilicet gratia formæ, ut dictum fuit.

Verum est tamen, quod eo modo potest peti principium in modo negato, quantum ad præmissam affirmativam, quomodo præmissa affirmativa potest circulariter syllogizari.

5. Secundo notandum, quod aliter possunt distingui isti modi, sicut innuit Aristoteles in littera, quia etiam dicitur petere principium, quando conclusio probanda sumitur ad suiipsius probationem; tunc igitur conclusio sumitur formaliter statim, et sub eisdem terminis ad probandum seipsam, et sic est primus modus, ut dicendo, *Homo est risibilis : igitur homo est risibilis.*

Alio modo non statim, quando conclusio probanda sumitur ad probationem alicujus, per quam ipsa nata est probari, ut si *A* natum est probari per *B*, tunc si arguatur *A est*; *igitur B est,* tunc est petitio principii non statim. Et hoc de secundo.

6. 3. *Pars.* Quantum ad tertium notandum, quod proprie loquendo, *peccare contra aliquem,* est illi esse obligatum in aliquo, et ab illo in quo est obligatus deficere, et sic peccare solum invenitur in habentibus liberum arbitrium, et sic sumendo *peccare* non est ad propositum.

Alio modo sumitur *peccare,* ex eo quod apparet esse aliquid, et non est illud. Et sic petitio principii diceretur peccare contra Syllogismum, si appareret esse Syllogismus, et non esset; quemadmodum dicimus unum denarium peccare, eo quod apparet esse bonus denarius, et tamen non est bonus, et isto modo sumitur *peccare* in proposito. Tunc ponuntur conclusiones.

7. *Prima conclusio.* Prima est, quod petitio principii, quæ fit statim si appareat esse Syllogismus, peccat contra Syllogismum. Probatur,quia in Syllogismo infertur conclusio alia a præmissis, ut patet per definitionem Syllogismi : et tamen in hujusmodi petitione infertur conclusio eadem cum una præmissarum.

Secunda conclusio. Secunda conclusio est, quod petitio principii non statim observans modum, et figuram, non peccat contra Syllogismum ; quia talis non peccat, nisi inquantum non probat conclusionem, modo ad esse Syllogismum non requiritur probare conclusionem : igitur, etc. et istam conclusionem probant quatuor rationes post oppositum.

Tertia conclusio. Tertia conclusio, quod hujusmodi petitio principii peccat contra Syllogismum Dialecticum, vel Demonstrativum. Patet, quia de utroque istorum Syllogismorum est probare conclusionem.

Et sic patet quid petitio principii, quot modis fiat, et qualiter peccat contra Syllogismum.

Ad rationes. Ad primam dico, quod sic intelligitur, quod omnes loci Sophistici peccant contra Syllogismum Dialecticum, eo quod immodificati; quia non observant modum, et conditionem Syllogismi Dialectici, cujus conditio est, probare conclusionem. 8. *Ad argumenta.*

Ad aliam, quando arguitur, non pertineret, etc. dico, quod imo, quia petitio principii peccat communiter contra Syllogismum Dialecticum, et Syllogismum Demonstrativum, et peccat contra Syllogismum probativum ; modo ad istum librum spectat determinare de illo, quod peccat communiter contra utrumque.

Ad tertiam in Syllogismo, etc. Ista ratio arguit de petitione statim, de qua concessum est, quod peccat contra Syllogismum.

Ad quartam conceditur antecedens, et negatur consequentia, quia argumentum, seu argumentatio non est superius ad Syllogismum, sed bene est superius ad Syllogismum probativum.

Ad quintam negatur consequentia, quia ista, *Contra Syllogismum Dialecticum peccat petitio principii,* includit negationem virtute hujus propositionis. Contra, quia ut expositum fuit prius, sequitur, *Contra Syllogismum Dialecticum peccat petitio principii*; *igitur petitio principii non est Dialecticus.* Modo ista consequentia non valet, *Petitio principii non est Syllogismus*

Dialecticus ; *igitur non est Syllogismus.* Et sic dictum ad quæsitum.

QUÆSTIO VIII

Utrum ad bonam Inductionem oporteat inducere in omnibus singularibus

Averroes, et Aphrod. *in c.* 32. *hujus.* Burana *ibid.* Rudolphus *lib.* 2. *suæ introductionis, c.* 78. Tartar. *tract.* 3. *hujus, dub.* 2. Fonseca *lib.* 6. *instit. c.* 34. Conimbr. *in hunc lib.* Complut. *hic lib.* 3. *sum. c.* 1. *et* 2. Rodrig. *lib.* 3. *Dialect. c.* 9.

1. *[Ar]gumen[tum] [p]ro par[te] negati[va].* Arguitur quod non : Singularia sunt infinita, ut dicit Porphyrius, sed infinita non possunt pertransiri ; igitur non potest fieri Inductio in omnibus singularibus.

Secundo, vel induceretur in omnibus sub propria forma, quodlibet enumerando singulatim, aut in omnibus sub clausula communi, ut dicendo, *et sic de singulis*, aut in aliquibus sub propria forma, et in aliquibus sub clausula communi. Non primo modo, propter infinitatem singularium, ut dictum est; nec secundo modo, quia tunc *inducere* non esset aliud, quam ponere propositionem universalem ; nec tertio modo, quia omnes singulares sunt ejusdem rationis, igitur qua ratione debet induci in aliquibus sub propria forma, eadem ratione in omnibus.

Tertio, in nulla argumentatione Dialectica debet committi petitio principii ; sed inducendo in aliquibus singularibus sub propria forma, et in aliis sub clausula communi, fit petitio principii ; igitur, etc. Major patet ; quia argumentatio Dialectica semper probat conclusionem, et ubi est petitio principii, nulla est probatio. Minor tenet, quia æque nota est universalis, quæ debet induci, sicut clausula communis, per quam inducitur.

Quarto, quia illud sufficit ad bonam inductionem, quo posito salvatur definitio Inductionis, sed posito quod fiat Inductio in aliquibus singularibus, et non in aliis, non salvatur definitio Inductionis ; igitur, etc. Major nota est, et minor probatur, quia *Inductio est progressio*, etc. modo ista definitio salvatur, posito quod non fiat Inductio, nisi in duobus singularibus.

Oppositum arguitur, quia illud sequitur ad bonitatem Inductionis, quod sequitur ad veritatem universalis inductæ, sed ad veritatem universalis inductæ sequitur veritas cujuslibet ejus singularis ; igitur, etc. 2. *Ad oppositum.*

Secundo, quia Inductio idem est quod locus a partibus totius in quantitate ad suum totum, sed iste locus non tenet, nisi in omnibus partibus sufficienter enumeratis.

Tertio, nisi ad bonam Inductionem requireretur Inductio in omnibus singularibus, sequeretur quod in bona consequentia antecedens esset verum, et consequens falsum, quod est contra definitionem consequentiæ datæ. Consequentia patet, quia si inducatur solum in aliquibus singularibus respectu alterius prædicati, possibile est quod illud prædicatum conveniat singularibus, in quibus inducitur, et quod non conveniat aliis : igitur universalis inducta, quæ est consequens, est falsa, et tamen antecedens est verum.

Quarto sequeretur, quod Inductio non posset reduci ad figuram, quia nunquam potest esse universalis, per quam reducitur, nisi enumeratis omnibus singularibus.

Quinto per Aristotelem primo Topicorum ubi dicit, quod si positio fuerit universalis, et fit instantia in uno distributo, est problema.

Ad quæstionem ponuntur conclusiones. Prima est, quod Inductio non valet ad concludendum de necessitate, nisi inducatur in omnibus singularibus. Probatur, quia illa consequentia non est necessaria, et quia possibile est antecedens esse verum, et consequens falsum, sed sic est in Inductione, si non inducatur in omnibus singularibus, ut probat tertia ratio post oppositum : igitur, etc. 3. *Prima conclusio.*

Secunda conclusio. Secunda conclusio, quod Inductio non valet ad concludendum evidenter, supposito quod inducatur in omnibus singularibus, nisi coassumatur propositio universalis, mediante qua ex singularibus fit Syllogismus. V. g. posito quod non essent, nisi tres homines, scilicet Socrates, et Plato, et Cicero : tunc sequitur necessario, *Socrates currit, et Plato currit*, et *Cicero currit* ; *igitur omnis homo currit*, tamen non sequitur evidenter, nisi addatur ista universalis, *Omnis homo est Socrates*, et *Plato* et *Cicero* ; qua apposita, est consequentia evidens.

4. *Tertia conclusio.* Tertia conclusio est, quod ad habendum opinionem probabilem, fidem, vel persuasionem, de conclusione universali, sufficit inducere in aliquibus singularibus, licet non inducatur in omnibus, et ideo multæ inductiones sunt bonæ, arguendo absolute absque hoc, quod in omnibus singularibus inducatur. Probatur, quia fortius potest movere Inductio in aliquibus singularibus ad faciendum probabilitatem, fidem, vel opinionem de propositione universali, quam potest solum exemplum per unum singulare movere, ad faciendum fidem de alio singulari : sed certum est, quod solum exemplum per unum singulare facit opinionem de alio singulari ; igitur multo fortius Inductio in aliquibus singularibus facit opinionem de universali.

5. Secundo, illud sufficit ad bonam Inductionem, quod sufficit ad hoc, quod universalis inducta sit probabilis, sed ad probabilitatem universalis inductæ sufficit Inductio in aliquibus singularibus, licet non in omnibus ; igitur, etc. Major patet, quia finis Argumentationis dialecticæ non est demonstrare conclusionem evidenter, sed est facere probabilitatem, et opinionem de conclusione.

Et minor patet, quia si fiat Inductio in aliquibus singularibus, et non habetur evidentia, ut ratio, quoniam ita fit in aliis, oportet quod respondens concedat universalem inductam, vel quod det instantiam in aliquo singulari, vel quod assignet differentiam quare non est ita de aliis singularibus, sicut de istis, vel erit reductus ad metam inopinabilem.

Tertio, quia multa principia naturalia fiunt nobis evidentia propter sensum, memoriam, et experientiam, ut ista, *Omnis ignis est calidus : omne grave existens sursum non impeditum naturaliter descendit deorsum*, et consimilia quæ facta sunt evidentia per Inductionem, et non in omnibus singularibus, ut notum est; igitur sumitur Inductio in aliquibus singularibus, et non in omnibus. 6.

Et si quæratur, in quot singularibus oportet inducere, respondetur quod de illis non potest assignari certus numerus, sed quandoque oportet inducere in pluribus, quandoque in paucioribus, secundum diversitatem materiæ, et secundum diversitatem intellectionis intellectus, qui debet assentire universali.

Quarta conclusio, quod in aliquibus, ut respectu prædicatorum per accidens, non sufficit inducere in aliquibus singularibus, sed oportet inducere in omnibus. Patet, quia in aliquibus est materia talis, quod ad habendum opinionem, vel probabilitatem de universali, non sufficit, quod inducatur in aliquibus singularibus, sed oportet quod inducatur in omnibus. 7. *Qua[rta] conclu[sio].*

Ex prædictis sequitur, quod intellectus quodammodo magis libere assentit quibusdam, quam sensus faciat, sicut in naturalibus, propter evidentiam quam habet de aliquibus singularibus, statim assentit, ita est de omnibus, et hoc est, quia in illa materia non potest melius, quam in aliquibus, ut in Mathematicis non sufficeret intellectus.

Ad rationes. Ad primam dico, quod non oportet inducere in omnibus, et si sit tale prædicatum, quod oportet inducere in omnibus, tunc in aliquibus inducere in propria forma, scilicet aliquas singulares sumendo, et in aliis sub clausula communi, dicendo, *et sic de singulis*. 8. *Ad [argu]ment[a].*

Ad secundam dico, quod non omnes sunt ejusdem rationis, quia aliquæ sunt notæ

per sensum, et in talibus debet induci sub propria forma, et in aliis sub clausula communi.

Ad tertiam, et ad quartam simul dicitur, quod in Inductione non committitur petitio principii, quia ex quo aliquæ singulares sunt notæ, et non apparet instantia in aliis, ut dicitur, quare non debet ita esse de aliis, concludenda est universalis.

Ad ultimum dicitur, quod ad habendum opinionem de conclusione sufficit inducere in aliquibus singularibus, sed ad inferendum de necessitate, oportet inducere in omnibus. Ideo in aliquibus debet suppleri, quod *Inductio est progressio ab aliquibus singularibus, vel ab omnibus sufficienter enumeratis ad conclusionem universalem.*

Rationes, post oppositum probant, quod non valet Inductio ad concludendum de necessitate, vel evidenter, nisi inducatur in omnibus singularibus. Et sic sit dictum ad quæsitum felici exitu.

QUÆSTIONUM SCOTI SUPER LIBROS PRIORUM FINIS

F. JOANNIS
DUNS SCOTI
DOCTORIS SUBTILIS
IN LIBRUM PRIMUM POSTERIORUM ANALYTICORUM
ARISTOTELIS QUÆSTIONES

1. SCIRE *autem opinamur unumquodque, cum causam rei cognoscimus, et quoniam illius est causa, et quoniam impossibile est aliter se habere.* Hanc propositionem descripsit Aristoteles primo hujus, cap. 2. text. 5. Fuerunt tamen aliqui, qui dixerunt omnia sciri, ut Platonici, moti hac ratione: si aliquid esset ignotum, si illud occurreret ignoranti non apprehenderetur; sicut patet de servo fugitivo ignoto, qui a quærente non apprehenditur, etiam si ei occurrat. Si igitur ad hoc, quod aliquid possit apprehendi, requiritur illud aliquo modo prius sciri, vel alioquin non potest apprehendi, per locum a simili omnia sciuntur.

[P]lato in [M]enon.

Quidam alii fuerunt, qui dixerunt omnia ignorari. Nihil enim addisci potest; et hujus rationem assignant, quia omnia quæ cognoscuntur per doctrinam, cognoscuntur ab aliquo habente aliquam præeminentiam respectu alterius, secundum animam ratiocinativam: anima vero, cum sit forma substantialis, non suscipit magis, nec minus; ergo nihil potest sciri, nec addisci, omnia ergo sunt ignota. Et istius opinionis fuerunt Academici.

[H]eraclitus [e]t Cratylus.

2. Sed ratio Platonicorum solvitur per rationem, quam ponit Aristoteles in primo hujus, quia aliquid contingit ignorari in particulari, et idem necesse est sciri in universali, aliter enim nullo modo posset apprehendi (sicut ratio Platonis concludit) non tamen necesse est omnia sciri sub ratione propria particulari, sed inventione, et doctrina, sicut ponit Plato.

[S]olutio rationis Platonicorum

Ratio Academicorum solvitur, eo quod licet anima intellectiva secundum se, non suscipiat magis, nec minus, tamen secundum dispositionem corporis, cujus est forma, sive perfectio, potest suscipere magis, et minus: isto modo unus homo potest esse præeminentior alio, et ingeniosior.

Ratio Academicorum solvitur.

Similiter ad hoc valet una propositio, quam ponit Linconiensis, dicit enim quod neque littera scripta docet, nec ille qui exterius sonat: sed ista duo tantum excitant, et movent discipulum. Sed interius est unus doctor, qui mentem illuminat, et veritatem ostendit. Sic igitur patet, quod non addiscitur propter eminentiam doctorum, sed propter lumen interius intelligit anima, quæ causatur a primo.

Postquam Aristoteles Platonicorum errorem solvit, ponit definitionem ejus, quod est *scire*, secundum Linconiensem, dicens, quod *Scire opinamur unumquodque*, etc. In hac propositione duo notantur. Primo actus sciendi. Secundo notificatio actus: primum ibi, *Scire*; secundum ibi, *Cum causam arbitramur cognoscere*, etc.

Circa primum, sciendum primo, quod *scire* dicitur quatuor modis, secundum Linconiensem. Uno modo communiter, et sic sciuntur contingentia ad utrumlibet; sicut ergo scio te sedere.

Scire dicitur quatuor modis

Secundo modo dicitur *scire* proprie, et sic sciuntur contingentia nata.

Tertio modo dicitur *scire* magis proprie, et sic sciuntur tam principia, quam conclusiones, et omnia necessaria.

Quarto modo dicitur *scire* maxime proprie, et sic sciuntur necessaria, quorum esse dependet ab aliis, et sic sciuntur conclusiones in demonstratione, et isto modo definitur hîc *scire*, et ideo dicit Aristoteles 1. Post. cap. 2. text. 5. *Scire simpliciter, quod non est secundum accidens, nec sophistico modo.*

3. *Tria requiruntur ex parte scientiæ.* Circa secundum, videlicet circa actus sciendi notificationem, tria notantur ex parte scientiæ, et tria necessaria ex parte scibilis. Ex parte scientiæ requiritur, quod scientia sit perfecta, et quod sit actualis, et tertio quod sit certa.

Primum notatur, cum dicitur, *Quoniam arbitramur causam rei cognoscere.* Perfectio enim scientiæ est esse per causam. Actualitas scientiæ notatur cum dicitur, *Quoniam illius est causa.* Applicatio enim causæ ad effectum facit scientiam actualem ; sicut patet ex secundo Priorum c. 26. dicit enim, quod *Scire est dupliciter in universali, et in particulari.* In universali, quando scimus majorem, non sciendo minorem, nec conclusionem sub propria ratione, sed in universali. Scire in particulari est dupliciter, in actu scilicet, et in habitu. Scimus in particulari, et in habitu, ut quando scitur major, et etiam minor, sed non applicando ad conclusionem, tunc non scitur conclusio in particulari, et in actu, sed tantum in habitu. Scire autem in particulari, et in actu, est quando aliquis cognoscit majorem et minorem, et simul cum hoc applicat præmissas ad conclusionem. Sic igitur patet quod actualitas scientiæ est ex applicatione causæ ad effectum.

Tertio requiritur, quod scientia sit certa, et hoc notatur cum dicitur, *Quoniam impossibile est aliter se habere.* Sic igitur tria notantur ex parte scientiæ.

4. *Tria necessaria ex parte scibilis.* Notantur etiam tria ex parte scibilis necessaria ; ad scitum enim requiritur, quod habeat causam, requiritur etiam applicatio causæ ad effectum, et tertio quod sit necessarium respectu causæ. Primum notatur, cum dicitur ; *Causam rei arbitramur cognoscere.* Illud enim quod non habet causam, non scitur scientia quarto modo dicta, et ideo isto modo principia non sciuntur. Sed secundum notatur, cum dicitur, *Quoniam illius est causa.* Tertium notatur, cum dicitur, *Quoniam impossibile est aliter se habere.* Illud enim est necessarium, quod impossibile est aliter se habere, et quod conclusio scita sit necessaria, patet ; quia sequitur ex necessariis, sicut patet per primam conclusionem ejus, similiter in conclusione prima hujus dicit Aristoteles, *Demonstrationem esse perpetuam et necessariam.*

Sed necessarium dicitur dupliciter. Uno modo necessarium dicitur non dependens ab aliqua causa priori, et isto modo conclusio demonstrationis non est necessaria, quia ejus necessitas dependet ex principiis. Et ex hoc patet incidentaliter præeminentia, et distinctio hujus libri ab aliis libris Logicæ. Syllogismus enim Demonstrativus facit scientiam, sed Syllogismus Dialecticus solum facit fidem, vel opinionem. Syllogismus Sophisticus solum facit apparentiam. Sicut ergo scientia pretiosior est opinione, et nuda apparentia, ita scientia demonstrativa, quæ est de Demonstratione, tanquam de subjecto, pretiosior est libro Topicorum, et similiter Elenchorum. Sic ergo patet præeminentia, et distinctio hujus libri ab aliis libris Logicæ. 5. *Necessarium dicitur dupliciter.*

Sciendum tamen est, quod scientia demonstrativa dupliciter potest considerari. Uno modo inquantum utitur Demonstratione, per illam, scilicet demonstrans effectus in aliis scientiis, et isto modo dicitur quælibet scientia demonstrativa. Alio modo dicitur scientia demonstrativa, quæ docet ex quibus, et ex qualibus debet esse demonstratio, et isto modo utitur liber Posteriorum scientia demonstrativa, quem præ manibus habemus. 6. *Scientia demonstrativa dupliciter potest considerari.*

QUÆSTIO I

An omnis doctrina, et omnis disciplina sit ex præcedenti cognitione

Arist. *hîc cap.* 3. *et* 6. *Ethic. cap.* 3. *et lib.* 1. *Metaph. cap.* 7. Alphabar. *apud Averr. com.* 1. *hujus.* Themist. *in paraphrasi hujus loci, et* 2. *libro de Reminisc.* S. Thom. 1. *p. q.* 84. *art.* 3. *et* 12. *q.* 51. *art.* 5. *et* 1. *Post. lect.* 1. Joan. a Magist. *in* 1. *Poster. dub.* 1. Tartar. *hîc. q.* 1. Ruvius *hic q.* 1. Conimb. *quæst.* 3. *art.* 1. Sanchez *lib.* 7. *q.* 1. Masius *hic. q.* 1. Aversa *q.* 76. *Log. sect.* 2. Complut. *disp.* 17. *q.* 1.

1 *...gumen-...ro par-...negati-* Quod non, quia aut ex præexistenti cognitione sensitiva, aut intellectiva. Si secundo modo, esset processus in infinitum, quia ista cognitio intellectiva esset adhuc ex alia præexistenti cognitione intellectiva, et ista ex alia, et sic in infinitum. Si autem ex sensitiva, contra; doctrina et disciplina conclusionis est ex principiorum cognitione, sed illa non est sensitiva; ergo non omnis doctrina, etc. est ex præexistenti cognitione sensitiva.

Dicitur, quod omnis doctrina, et omnis disciplina est ex præexistenti cognitione sensitiva per se, vel per accidens. Cognitio enim conclusionis est ex cognitione principiorum, et ista sensitiva est per accidens, ex hoc quod termini principiorum cadunt sub sensum.

Contra hoc, terminus principii est objectum intellectus, illud autem cum sit universale, non cadit sub sensum; ergo principia non cognoscuntur via sensitiva per accidens, quia per terminos. Item, in termino sunt duo, *vox*, et *significatum*, vox repræsentatur sensui, significatum intellectui. Vox enim est signum, et signum se offert sensui, aliud derelinquens intellectui: sed ad intelligibilitatem principii nihil facit vox; principium enim est in anima, vox autem extra; vox ergo accidit principio, et termino, secundum quod principium integrat: licet ergo vox sit sensibilis respectu auditus, non sequitur terminos principiorum esse cognoscibiles a sensu, vel sensibiles.

Aliter dicitur, quod omnis doctrina, et omnis disciplina intellectiva fit ex præexistenti cognitione intellectiva, ut ex cognitione principiorum, quæ intellectiva est, sed ex hoc non sequitur, quod sit processus in infinitum, quia in principiis est status. Et si arguitur contra, quia principiorum est doctrina, et disciplina, igitur istud adhuc erit ex præexistenti intellectiva, per responsionem. Ad illud dicit Linconiensis per interemptionem, quia principiorum non est doctrina, quia doctrina est illorum quæ dubitantur, vel putantur esse falsa, et post discursum, vel opinionem apparent vera, et talia non sunt principia, sed conclusiones; principia enim sunt nota de se.

Contra, probo quod non sit status in cognitione intellectiva principiorum, principia enim cognoscimus ex hoc, quod terminos cognoscimus, per Aristotelem. Cognitionem ergo principiorum præcedit terminorum cognitio: sed cognitio terminorum est intellectiva, cum sit de objecto intellectus, ergo cognitionem principiorum præcedit alia cognitio intellectiva; non ergo in cognitione principiorum est status. 2.

Item, *Unumquodque propter quod, et illud magis*; secundum Aristotelem primo hujus, text. 5. sed conclusiones sciuntur propter principia; ergo principia magis sciuntur quam conclusiones. Sed omnium eorum quæ sciuntur potest esse doctrina, et omnia quorum est doctrina cognoscuntur ex præexistenti cognitione intellectiva; ergo ante cognitionem intellectivam, fuit alia præcedens, ergo non prius fuit status.

Item, sicut sensus ad sensibilia, ita intellectus ad intelligibilia; sed sensus potest aliquid sentire de novo sine præexistenti cognitione; ergo intellectus potest aliquid intelligere de novo, et cognoscere sine aliqua cognitione præcedente.

Item per Aristotelem 3. de Anima, text. 14. *Intellectus primo est tanquam tabula rasa nihil sciens*. Cum ergo intellectus aliquid sciat ex inventione, vel doctrina, et

non plura simul intelligat, oportet quod intellectus primo cognoscat aliquid, cum nihil sciat, et tamen non ex aliquo prius cognito.

Item, si cognitio intellectiva conclusionis fiat ex cognitione intellectiva principiorum, hoc non est propter aliud, nisi quia principia sunt causæ scientiæ conclusionis: sed consequens est falsum ; ergo et antecedens. Falsitatem consequentis probo. Principium non est aliter causa conclusionis, quam secundum quod in se conclusionem includit ; sed non includit nisi in virtute, sed scientia conclusionis propria, non est cognitio conclusionis in virtute, sed sub propria ratione : ergo principia non sunt causæ scientiæ in conclusione.

Item, puer in principio addiscit, quod hæc vox significat istam rem,et tamen non ex aliqua alia cognitione, cum anima pueri respectu ejus addiscere sit sicut tabula rasa ; ergo aliqua est cognitio intellectiva, sine præexistenti cognitione.

Dicitur hìc, quod puer cognoscit hanc vocem significare hanc rem ex aliqua præexistenti cognitione, quia prius cognoscit rem significatam, secundum quamdam cognitionem confusam, et etiam doctrinam docentis.

Contra, accipiatur puer,qui nullam rem, nec vocem cognoscat, talis puer in principio aliquid cognoscit,et non ex aliquo præcognito, quia nihil præcognovit ; ergo est intellectiva cognitio de novo sine præexistenti cognitione.

3. *Conclusio.* Ad oppositum est Aristoteles 1. hujus, text. 10.

Ad quæstionem dico, quod omnis doctrina, et omnis disciplina fit ex præexistenti, etc. quia cognitio intellectiva procedit a potentia ad actum, et ab imperfecto ad perfectum. Illud ergo quod scitur in particulari, prius sciebatur in universali, quia non est dicere, quod illud sciebatur simul propria ratione ; quia sic non contingeret addiscere aliquid, *Addiscere enim est acquirere cognitionem alicujus de novo, et sub propria ratione.* Nec oportet dicere, quod illud quod scitur in particulari,prius fuit totaliter ignotum, sic enim non posset ab intellectu apprehendi, sicut servus fugitivus totaliter ignotus a patrefamilias, ab eo non apprehenditur, si ei occurrat, sicut arguit Plato. Illud ergo quod scitur in particulari, prius sciebatur in universali. Sed scientia in particulari est scientia, quæ concluditur instrumento demonstrationis. Scientia conclusionis in universali, est in cognoscendo principia. Nam quælibet cognitio intellectiva scibilis, fit ex cognitione intellectiva principiorum, et ista fit ulterius ex cognitione intellectiva terminorum, principia enim cognoscimus ex eo, quod terminos cognoscimus, et ista cognitio ulterius est ex cognitione signorum, quia hunc ordinem ponit Themistius, et huic consonat Aristoteles : Aristoteles tamen non dicit, quod omnis cognitio fit, etc. sed dicit, *Omnis doctrina, et omnis disciplina,* etc. et hujus ratio est ; quia aliquorum est doctrina, et disciplina, quorum non est scientia,sicut patet in Rhetoricis,per exemplum enim acquiritur doctrina, et disciplina de conclusione, non tamen scientia : et similiter est de Inductione. Unde Aristoteles per hanc particulam, *Omnis doctrina, et omnis disciplina,* etc. excludit opinionem Academicorum, qui posuerunt omnia ignorari, et nullam esse doctrinam. Similiter per hoc quod dicit, *fit,* excludit opinionem Platonicorum ; illud enim fit, quod de novo acquiritur. Si doctrina fiat in nobis ; ergo de novo acquiritur in nobis : non ergo omnia sciuntur, sicut ponit Plato.

Unde ulterius est intelligendum propter rationes, quod omnis cognitio intellectiva fit ex præexistenti cognitione,sed non semper ex eadem ; sed quædam fit ex cognitione præexistenti sensitiva, sicut patet in Inductione : et quædam fit ex præexistenti cognitione intellectiva, sicut patet in Syllogismis ; ergo concludit minus universale ex magis universali, vel saltem semper concludit ex universali, quod est notum intellectui. Sed Inductio præsupponit cognitionem sensitivam singularium : vel

quia in Inductione cognitio intellectiva conclusionis universalis est ex cognitione sensitiva singularium.

4. Ad argumenta. Ad primum dicitur, quod cognitio intellectiva est aliquando ex cognitione sensitiva, et aliquando ex cognitione intellectiva, et præexistente, et non semper ex hac fit, vel ex illa.

Ad rationes, quæ probant quod termini principiorum non sunt sensibiles; ergo non cognoscuntur cognitione sensitiva, concedantur: sunt enim universalia, et per consequens objectum intellectus.

Sustinendo secundam opinionem, quod cognitio intellectiva conclusionis in demonstratione fit ex cognitione intellectiva principiorum, et quod ibi sit status; dicitur ad primam rationem contra hoc, quod duplex est cognitio intellectiva, quædam complexa, et quædam incomplexa. Cognitio intellectiva complexa stat ad cognitionem intellectivam incomplexam, imo necesse est cognitionem intellectivam incomplexorum istam cognitionem præcedere.

Cognitio intellectiva duplex.

Ad aliud contra hoc dicitur, quod principia proprie non sunt scita, sed intellecta. Intellectus enim est principiorum, et scientia conclusionis. Per hoc ad formam, quia hæc propositio, *Unumquodque propter quod est*, etc. intelligenda est quando effectus, et causa denominantur eodem nomine, et hoc univoce, sicut calidum in igne, et omnia calida per ignem causaliter, eodem nomine nominantur, et univoce, sed conclusio est scita per principia, sed principia non sunt scita; et ideo non nominantur eodem nomine, et ideo non sequitur, quod principia sint magis scita.

Ad aliud dico, quod non est simile, tum propter hoc, quod objectum sensus de se est proportionabile sensui, ideo non requiritur alia cognitio præexistens; sed objectum intellectus de se non est proportionabile intellectui, cum existat sub conditionibus individualibus, tum quia in alio est dissimile. Intellectus enim est virtus discursiva a principiis ad conclusionem, et ideo requiritur præexistens cognitio principiorum, antequam sit cognitio conclusionum.

5. Ad aliud dicitur, quod posito, quod intellectus non sciat primo aliquid scibile in particulari, adhuc præexistit aliqua cognitio intellectiva in universali: puer enim cum statim possit sentire, aliquam cognitionem habet in universali, et ideo dicit Aristoteles in 1. Physicorum, text. 4. quod *Pueri primo appellant omnes viros, patres, et omnes fœminas, matres et postea magis dijudicant.*

Principia dupliciter considerantur.

Ad aliud dico, quod principia non sunt causæ conclusionis, nisi in virtute, si secundum se considerentur: principia enim possunt dupliciter considerari. Uno modo secundum se. Alio modo secundum quod applicantur conclusioni, ut cognoscendo hanc minorem esse sub majori. Primo modo principia non sunt causæ conclusionis, nisi in virtute, et potentia, et solum hoc concludit ratio. Sed secundo modo principia sunt causa scientiæ conclusionis actualiter, et sub propria ratione.

Ad aliud dicitur similiter. Ad rationem contra hoc dicitur, quod si quis demonstrat puero aliquam rem, cujus notitiam prius non habuit aliqualem puer, multoties utitur ista voce pro illa re, et ex tali usu et exercitio, et similiter lumine intellectus agentis puer addiscit, quod hæc vox istam rem significat, unde ex tali usu prius habet quamdam cognitionem universalem, et confusam, et ex consequenti habet cognitionem determinatam, et in particulari; primo tamen cognitionem exquirit ex cognitione sensitiva, et sic patet quomodo, et qualiter omnis doctrina, et omnis disciplina sit ex præexistenti cognitione.

QUÆSTIO II

An acquisitio scientiæ sit nobis per doctrinam

Arist. 1. *Post. cap.* 1. Plato *in Menone*. D. August. *lib. de Mag. per totum*. D. Thom. 1. *p. q.* 42. *et*

q. 117. *art.* 12. Auctor libri de cognitione veræ vitæ, *tract.* 3. *cap.* 36. Henric. *in sum. art.* 196. Conimb. *in primum Post. q.* 1. *art.* 3.

1. *Argumenta pro parte negativa.* Quod non videtur ; quia si sic, tunc doctor influeret scientiam in disciplulo, ad modum quo calidum in actu, de frigido facit calidum in actu, et per consequens scientia esset qualitas activa, quod est contra Aristotelem, qui dicit in secundo de Generatione text. 8. quod tantum duæ activæ sunt qualitates, scilicet calidi et frigidi.

Item, si doctor in discipulo causaret scientiam per doctrinam, aut ergo eamdem in numero, aut aliam. Non eamdem in numero, quia non est idem accidens numero in diversis subjectis. Non diversam numero à sua scientia, propter duo ; tum quia nemo dat, quod non habet ; sed scientiam in numero, quæ est in discipulo, non prius habuit doctor : igitur illam non dat ; tum quia illam scientiam numero causaret in discipulo mediante sua scientia, et sic scientia doctoris esset qualitas activa.

Item ad principale, quæro, an doctor proponat discipulo aliquid notum, quod est addiscendum, aut ignotum. Si illud sit notum, ergo discipulus non addiscit, addiscere enim est acquirere scientiam ex aliquo ignoto. Si illud sit ignotum ; ergo addisci non potest, quia nec intellectu apprehendi, sicut patet de servo fugitivo, qui est ignotus patrifamilias, non potest ab eo apprehendi, etsi ei occurrat.

2. Dicitur hîc, quod illud quod addiscitur, sive quod proponitur addiscenti quodammodo est notum, et quodammodo est ignotum ; est enim notum in universali, et ignotum in particulari et sub propria ratione, et quod sic est notum in universali, potest apprehendi sufficienter in particulari, secundum Linconiensem, et Aristotelem. Qualiter tamen notum sit, potest patere. Primo docens proponit propositiones sub debita forma, et illas applicat ad conclusiones, et sic ex illis principiis notis, simul cum tali applicatione, devenit in cognitionem conclusionis ignotæ.

Contra, si ex virtute præmissarum non secundum se, sed simul cum applicatione, addiscens deveniat in cognitionem conclusionis ; ergo conclusio in demonstratione non scitur, *eo quod hæc sunt*, quia requiritur applicatio ; sed consequens est falsum ; ergo et antecedens.

Item, quæritur de illa applicatione ; aut est nota addiscenti, aut ignota. Si nota addiscenti ante conclusionem, et præmissæ de se sunt notæ ante conclusionem illatam ; igitur conclusio fit addiscenti nota ante demonstrationem, et per consequens addiscens jam conclusionem non addiscit ; si illa applicatio sit ignota, igitur non potest esse principium in cognitione conclusionis ignoratæ, igitur illa applicatio nihil facit ad doctrinam. 3.

Item, si dicas, quod illa applicatio non sit semper nota, sed aliquando prius ignota, et postea nota ; igitur non semper est conclusio nota. Contra illud : si illa applicatio fiat nota, hoc erit per præmissas notas, et per aliam applicationem. Quæro tunc de illa applicatione, aut est de se nota, aut non ; si sic, eadem ratione fuit standum in prima. Si non, illa erit per aliam, et sic erit processus in infinitum.

Item, ista applicatio præmissarum non requiritur, nisi ut denotet præmissas esse actualem causam conclusionis. Sed hoc est falsum, quia si sic, tunc nullo modo posset fieri ex duobus principiis primis, sed semper requirerentur tria, scilicet duo principia, et applicatio, quæ significaret principia esse actualem causam conclusionis, sed hoc videtur inconveniens ; ergo, etc.

Ad oppositum est Aristoteles dicens, quod *omnis doctrina*, etc. et exponitur, quod per *doctrinam* intelligit acquisitionem scientiæ per doctorem.

Ad quæstionem dicitur, quod acquisitio scientiæ per doctrinam, non est possibilis, sicut dicunt Academici ; quia hoc quod unus homo alium doceat, oportet quod habeat aliquam præeminentiam respectu alterius secundum intellectum ; sed nullus habet talem præeminentiam, cum anima intellectiva, sive forma substantialis non 4. *Opini[o] Academicorum.*

suspiciat magis et minus : ideo nullus homo potest alium docere ; ergo, etc.

Et si dicatur rationi istorum, quod licet anima intellectiva secundum se non suscipiat magis et minus : tamen secundum dispositionem corporis, cujus est perfectio, potest suscipere magis et minus : et sic per accidens, quia corpus quod perficitur una anima intellectiva melius est complexionatum, quam corpus quod perficitur ab alia anima intellectiva, ideo unus homo est præeminentior in gradu intelligendi, et magis ingeniosus quam alius.

Contra istud, intellectus non est virtus materialis : ergo non potest suscipere magis, nec minus secundum dispositionem materiæ. Consequentia patet per Aristotelem 3. de Anima, text. 4. et 6. quia immateriale a materiali non dependet, et per consequens a materiali non accipit variationem.

efutatur Contra positionem istorum, non est arguendum nisi per experimentum. Quilibet enim experitur in seipso, quod ab alio addiscere potest, fundamentum propositionis istorum accipit falsum, cum dicitur, quod nullus homo habet præeminentiam respectu alterius hominis, hoc est falsum ; quod potest persuaderi per duas rationes. Quia unus est sciens in actu, et alius in potentia, sed sciens in actu aliam præeminentiam habet respectu scientis in potentia ; ergo, etc.

Item, hoc patet per aliud ; Anima intellectiva licet secundum se non habeat præeminentiam respectu alterius animæ, tamen cum est perfectio alicujus corporis melius complexionati, quam alia, præeminentior est respectu alterius in intelligendo : unde tales per Aristotelem secundo de Anima, sunt apti mente. Patet ergo, quod unus homo est præeminentior alio in intelligendo, respectu alterius, et per consequens alium docere potest, et ex hoc patet responsio ad rationem istorum. Anima enim intellectiva licet non secundum se sit præeminentior alia, ut tamen est dispositio corporis melius complexionati, potest esse alia præeminentior. Et ad rationem contra hanc rationem dicitur, quod forma materialis potest intelligi dupliciter. Uno modo dicitur, quæ educitur de potentia materiæ, vel quia utitur organo corporeo in operando : et isto modo forma intellectiva non est forma materialis. Alio modo dicitur forma materialis, quia perfectio materiæ, et isto modo anima intellectiva est forma materialis, ideo aliquam variationem potest accipere a materia, quam perficit, quia ex materia, et forma fit vere unum. *Forma materialis potest intelligi dupliciter.*

5. *Opinio Doctoris.* Ad quæstionem igitur aliter dicitur, quod scientia est nobis possibilis per doctrinam, sicut experimur in nobis. Juxta quod est intelligendum, quod scientia aliquando acquiritur totaliter ab intrinseco, aliquando partim ab intrinseco, et partim ab extrinseco, sicut et sanitas aliquando totaliter acquiritur ab intrinseco, ut quando est sic, quod pars sana alterat partem infirmam sibi propinquam, reducit ad pristinam debitam proportionem, et sic acquiritur sanitas totaliter ab intrinseco. Sed aliquando acquiritur sanitas partim ab intrinseco, et partim ab extrinseco : ut cum ita est, quod pars sana non potest de se, et virtute sua alterare perfecte infirmam, nec istam reducere ad proportionem debitam, tunc non sanatur homo ab intrinseco, sed eget extrinseco adjuvante, ut adjutorio medici, quia tunc per potationes, pars sana juvatur ad alterandum partem infirmam, in qua actione pars sana est agens principale ; sed agens extrinsecum, ut medicamentum, est coadjuvans, sic est de scientia, aliquando enim scientia acquiritur totaliter ab intrinseco, ut per inventionem, et hoc quando intellectus est bene dispositus, et ex præmissis notis potest devenire per virtutem intellectus agentis in cognitionem conclusionis ignotæ sine doctore extrinsecus.

6. Sed aliquando acquiritur scientia partim ab extrinseco, ut cum ita est, quod intellectus non est bene dispositus ; sicut patet in illis, qui habent ingenium obtusum : tunc requiritur quod doctor extrinsecus ordinet principia addiscenti, et applicet

illa conclusioni, et inde veniat addiscens in cognitionem conclusionis per doctorem, principaliter tamen lumine intellectus proprii : sed secundarie adjutorio doctoris : et ideo dicit Linconiensis, quod non solum doctor docet, sed littera scripta, et non proprie docent ista per se. Sed ista duo intellectum addiscentis excitant, et commovent. Sed interius verus doctor, id est, Deus, mentem illuminat, et veritatem ostendit.

Ulterius intelligendum, quod scientia in doctore non est qualitas activa ; licet enim per istam acquiratur scientia in discipulo, non tamen est principale agens,sed coadjuvans ; quia principale agens est intellectus intrinsecus respectu acquisitionis scientiæ mediante suo lumine, ideo in doctore scientia non est qualitas activa.

7. *Ad 1. principale.* Ad rationes ; ad primam dicendum,quod docens non influit scientiam in discipulum, sed docens excitat intellectum discipuli per principia nota, et per determinatam applicationem principiorum ad conclusionem,ut discipulus per lumen intellectus agentis (ut per principale agens interius) apprehendat cognitionem de eodem scibili, cujus cognitionem primo habuit docens : et ideo non sequitur, quod scientia docentis sit qualitas activa ; quando enim activa qualitas agit in alterum, ista qualitas virtute corporis cujus est, agit aliquid in illo alio inducendo suam formam, et non requirit in illo, in quod agit esse aliquod agens principale movens seipsum de potentia ad actum, sed in acquisitione scientiæ in docente, nec secundum se, nec secundum virtutem docentis, est qualitas sufficiens ad inducendum scientiam in discipulo. Sed principale agens est intrinsecum discipulo, ut intellectus agens mediante suo lumine, et ideo scientia non est qualitas activa.

Ad 2. Ad aliud dicitur, quod eadem scientia numero est in docente, et discipulo acquisita. Quia scientia est relativum, quia ad scibile refertur, ideo numerationem accipit a suo correlativo. Cum igitur idem scibile sciatur a doctore et docto, puta discipulo : ergo eadem scientia numero est in doctore, et in discipulo.

Contra, accidens quodlibet numeratur ad numerationem subjecti : non enim possibile est vere intelligere, quod idem accidens numero sit in diversis subjectis, sed diversa subjecta sunt docens et discipulus: igitur non potest eadem scientia numero esse in eis, cum sit accidens.

Aliter dicitur ad istud, quod diversa scientia numero est acquisita in discipulo, et in doctore, sive scientia ista accipiatur pro qualitate informante, sive pro relatione. Ad primam probationem dicitur sicut prius, quod non sequitur, scientiam in doctore esse qualitatem activam. Et causa hujus dicta est.

Ad aliam probationem dicitur, quod illa procedit secundum falsam imaginationem. Supponit enim quod doctor det scientiam discipulo, quod falsum est, doctor enim excitat intellectum discipuli solummodo ad apprehendendum per hoc, quod ei proponit propositiones vocales, de se notas cognitis terminis, applicando illas recte ad conclusionem, et tunc discipulus mediante lumine intellectus sui agentis, istam conclusionem addiscit, et in hoc deceptus fuit Plato hîc apud Aristotelem text. 3. Plato enim eo quod puer ineruditus in Geometria recte responderet ad conclusionem, ex hoc credidit puerum scivisse conclusionem; sed hoc est falsum. Puer enim sic respondens non respondebat indoctus, sed doctus respondebat, docebatur enim ab opponente, in hoc quod opponens opponebat notas propositiones, et illas applicabat ad conclusionem, et ideo non respondebat recte ineruditus, sed doctus.

Ad aliud principale sic dicitur, quod 8. *Ad 3.* conclusio proposita addiscenti non est in universali ignota, sed tantum in particulari, et talis cognitio in universali sufficit ad hoc, quod addiscens conclusionem apprehendat per lumen intellectus agentis, ad hoc tamen requiritur exercitium doctoris extrinseci per principia nota, et per applicationem debitam.

Ad rationes contra hoc dicitur. Ad primam, quod ante conclusionem notam non cognovit istam applicationem addiscens, sed simul tempore cum cognovit conclusionem, cognovit istam applicationem; verumtamen prius natura cognovit applicationem, quam conclusionem, et ideo non sequitur, quod ista applicatio non facit ad cognitionem conclusionis.

Ad aliud, cum concluditur, quod conclusio in demonstratione non sciretur, *eo quod hæc sunt*, si requiritur talis applicatio. Dicitur interimendo consequentiam, quia sequi *eo quod hæc sunt*, non est sequi per præmissas secundum se consideratas, sed per præmissas applicatas, ideo requiritur applicatio ad hoc quod sequatur conclusio, *eo quod hæc sunt*, ideo potius sequitur oppositum ex ratione, quam propositum.

Ad aliud ; cum dicitur applicatio autem est semper nota, aut prius ignota, et postea nota. Dicitur quod hæc applicatio addiscenti prius fuit ignorata, et postea ex hoc non sequitur quod fiat nota addiscenti per aliam applicationem, sed sufficit, quod applicans sic applicet ad hoc, quod fiat nota.

Ad aliud dicitur concedendo illam applicationem requiri, ut insinuetur addiscenti, quod præmissæ sunt causæ actuales istius conclusionis, sed ex hoc non sequitur quod ad scientiam istius conclusionis faciendam requirantur plures præmissæ quam duæ, quia non oportet istam applicationem signari per tertiam propositionem, sed ex hoc, quod docens debito modo ordinat præmissas, sufficienter habetur ista applicatio actualis per istas duas præmissas, etc.

QUÆSTIO III

An nos intelligamus per species acquisitas, vel per species separatas

Arist. *lib.* 3. *de Anima cap.* 5. *text.* 18. 1. *et* 5. *cap. hujus, contra Platonem supra.* Avic. *lib.* 6. *natural. part.* 5. *cap.* 6. *et* 7. D. August. *lib.* 11. *de Trinit. cap.* 8. *et lib.* 10. *cap.* 10. *et lib.* 9. *cap.* 12. D. Thom. 1. *p. q.* 84. *art.* 4. *et de Veritate q.* 10. *art.* 4. Alb. Magn. *tract. de Intellectu agente.* Durand. 1. *d.* 3. *q.* 5. Conimb. *in* 3. *de An. cap.* 5. *q.* 5. *et* 6. et communiter recent. *in hunc locum Post. et in* 3 *de An. cap.* 5.

Quod per species influxas videtur, quia secundum Aristotelem septimo Physicorum, text. com. 20. *Circa animam intellectivam non cadit alteratio* ; sed si intelligeremus per species acquisitas per intellectum, tunc esset alteratio a non speciebus in species, et ab ignorantia in scientiam; igitur oportet ponere, quod nos intelligamus per species influxas, et non per acquisitas. 1. *Argumenta principalia.*

Item, quidquid producitur de potentia ad actum, producitur per aliquod actuans (si enim calidum in potentia producitur in calidum in actu, producitur per aliquod aliud actu calidum.) Sed intellectus noster fit de sciente in potentia, actu sciens ; igitur per aliquod ens in actu sciens, et non de se, quia de se est in potentia, igitur per aliquod extrinsecum, quod est substantia separata influens species in intellectu, quod non est nisi idea.

Dicitur quod intellectus fit aliquod intelligens, vel sciens in actu, et non per agens extrinsecum, quod est substantia separata influens species in intellectum, sed per intellectum agentem, qui est intellectus intrinsecus, et ille facit de potentia intelligibile, actu intelligibile per speciem acquisitam, et hoc irradiando sua phantasmata.

Contra istud ; objectum sensus multiplicat suam speciem in sensum exteriorem, et postea in sensus interiores immaterialiter magis ac magis, et non requiritur sensus agens immaterialiter : igitur a simili, ad hoc quod objectum intellectus (quod est *quod quid est*) multiplicet suam speciem per sensus medios usque ad intellectum immaterialiter magis ac magis, non requiritur intellectus agens aliquo modo irradians sua phantasmata.

Item, *quod quid est*, de se est intellectui proportionabile ; igitur ad hoc quod actu fiat objectum intellectus, non requiritur aliquod agens. Probatio antecedentis sicut

intellectus materiam non includit in sua essentia, est tamen in materia,quia perfectio materiæ, ita *quod quid est* conditiones materiales in se non includit, est tamen conjunctum cum illis, igitur videtur quod proportio sit inter *quod quid est*, ex una parte, et intellectum ex alia.

Ad principale, omne intelligens per participationem,habet reduci ad aliquid, quod est per se, et primo intelligens : sicut omnia calida per participationem, reducuntur ad aliquid, quod est primo calidum. Sed omnes homines intelligunt per participationem, igitur intelligunt per aliquid,quod est primo intelligens ; sed tale est idea hominis : igitur, etc.

Item, rationales sumus nos et Dii,sed Dii intelligunt per speciem innatam, et non per speciem acquisitam, etc.

Item, puer debito modo interrogatus, recte respondet ad conclusiones qui non est eruditus in aliqua scientia : sed non potest recte respondere, nisi prius sciat conclusiones, et non per species acquisitas, quia nunquam acquisivit species istarum conclusionum, sive terminorum: igitur per species, etc.

Ad oppositum est Aristoteles text. 1. hujus dicens, quod *omnis doctrina* etc.

Item, primo hujus, *Omnis nostra cognitio ortum habet a sensu* : igitur non intelligimus per species innatas, sed acquisitas.

2. *Opinio Platonicorum.* Ad quæstionem dicitur secundum Platonicos, quod nos intelligimus per species influxas ab ideis. Ponit enim Plato in Menon, et alibi ideam in qualibet specie hominis, et bovis, etc. Et dicit quod ista idea hominis est causa, et exemplar singularium istorum, et quod est necessaria ad cognitionem et generationem. Ponit enim, quod agentia sensibilia non inducunt formam in materia,sed præparant materiam, et disponunt ad inductionem formæ ab extrinseco, ut idea. Ponit etiam, quod doctor nullo modo est causa in discipulo, sed removet impedimenta, quæ impediunt discipulum scire. Sed scientia in quolibet inducitur ab idea hominis, per species influxas ab ista idea intellectui nostro. Hujus oppositum ponit Aristoteles, quoad utrumlibet. Ponit enim formas educi de potentia ad actum per agens naturale. Ponit etiam doctrinam causari in nobis ex præexistenti cognitione, et sic per species acquisitas, quæ multiplicantur per sensus exteriores, usque ad intellectum.

Item, contra ipsos est, quia tunc cæci a nativitate ita excellenter haberent scientiam de coloribus sicut videntes, et hujus oppositum patet per experimentum, et dixit Aristoteles oppositum, similiter dicit in fine secundi hujus, *Deficiente sensu, deficit et cognitio illius, quæ est secundum illum sensum.*

Aliter ponit Avicenna, lib. 6. natur.part. 5. cap. 6. et 7. quod nos intelligimus per species influxas, sed non influxas ab ideis, sicut ponit Plato, sed ab ista substantia separata. Ponit enim substantias separatas superiores influere species in substantiis separatis inferioribus, et ulterius ponit unam substantiam separatam influere species intelligibiles intellectui nostro, per quas nos intelligimus ; et ulterius ponit nos intelligere cum ista substantia quæ influit species nobis, et ponit nos non intelligere quando ista substantia desinit influere. 3. *Opinio Avicennæ.*

Contra hoc est intentio Aristotelis. Similiter est contra istud, quod cæci tunc ita haberent scientiam de coloribus, sicut videntes.

Ideo aliter ad quæstionem dicitur, quod nos intelligimus per species acquisitas a sensibus exterioribus,et hujus ratio est jam tacta, quia aliter cæci possent habere completam scientiam de coloribus sicut videntes : de modo tamen qualiter acquiramus, dubium est. Modus tamen sic ponitur; anima est in potentia ad omnia, secundum Aristotelem 3.de Anima text.37.Est enim in potentia omnia intelligibilia per intellectum, et est in potentia omnia sensibilia per sensum. Objectum igitur intellectus cum sit in potentia intelligibile, non potest de se actuare intellectum per suam speciem. Cum enim existat sub conditionibus individuantibus, 4. *Opin. Doctor.* *Modus [ac]quire[ndi] species[a]rum.*

ibi est improportionatum. Ideo antequam intellectus possibilis actu intelligat, requiritur aliquod agens, ut intellectus agens faciens intellectum possibilem de potentia intelligente, actu intelligentem. Similiter faciens *quod quid est*, quod est potentia intelligibile, actu intelligibile per suam speciem, et sic intelligit intellectus noster per species acquisitas.

5. Sed intelligendum est, quod res multiplicat suam speciem per sensus exteriores usque ad sensus interiores, et usque ad phantasiam,et ista species existit sub modo materiali, et concipitur sub conditionibus individuantibus : sed ista ut sic, non potest perficere intellectum. Ideo intellectus agens ex illa specie in phantasmate disposita gignit aliam speciem in intellectu possibili. Ideo dicit Commentator in lib. de Anim. text. com. 8. quod intellectus agens facit universalitatem in rebus. Et non est intelligendum, quod eadem species numero, quæ est in virtute phantastica, sit in intellectu possibili, quia tunc accidens migraret de subjecto in subjectum, vel saltem de potentia organica ad non organicam, quod videtur inconveniens. Nec est intelligendum, quod species in virtute phantastica gignat aliam ex se in intellectu possibili, quia illa in phantasia est materialis, et materiale non gignit immateriale. Nec potest dici, quod species in phantasia est irradiata per intellectum agentem, et sic quodammodo facta est immaterialis, et sic facta immaterialis et irradiata gignit aliam in intellectu possibili, hoc enim videtur falsum, quia repugnat virtuti organicæ talis immaterialitas, quia in virtute organica species semper existit materialiter. Ideo oportet dicere, quod intellectus agens gignit in intellectu possibili speciem ex illa, quæ est in phantasia.

6. Ad argumenta. Ad primum dicitur,quod
Ad 1. principale. anima nostra alterari potest ab ignorantia in scientiam, sed tamen ab una qualitate in aliam qualitatem alterari non potest, et hoc intelligit Aristoteles 7. Physicorum text. com. 20.

Ad aliud dicitur quod intellectus noster *Ad 2.*
fit de potentia intelligente actu intelligens per aliud ens in actu, quod non est idea, nec aliquod separatum ab intellectu nostro : sed est quædam virtus intellectiva nobis conjuncta, cujusmodi est intellectus agens.

Ad rationes contra hoc. Dicitur ad primum, quod ideo non requiritur sensus agens ad hoc quod objectum sensus spiritualius sit in medio quam in objecto, et in sensibus exterioribus spiritualius, quam in sensibus interioribus,quia cum ista spiritualitate stat materialitas speciei simpliciter, quia virtus sensitiva materialis est, quia perfectio organi corporei. Similiter species in virtutibus sensitivis est similitudo rei, et individualiter et materialiter existit, ideo non requiritur sensus agens : sed intellectus possibilis est virtus immaterialis, quia non alligata organo. Similiter species in illa virtute est immaterialis simul, quia est similitudo rei non ut materialiter existit, et hanc immaterialitatem speciei intellectus possibilis facere non potest, cum sit virtus passiva, nec phantasma potest facere hanc speciem hîc, quia materiale manens materiale, nullo modo gignit immateriale, ideo requiritur intellectus agens faciens istam speciem in intellectu possibili ex ista specie, quæ est in virtute phantastica.

Ad aliud dico, quod *quod quid est*, non est de se proportionabile intellectui, quia *quod quid est*, non potest actualiter immutare, nisi sub aliquo esse ; sed non habet nisi duplex esse, scilicet esse extra animam, et esse in anima ; *quod quid est* sub esse extra animam immutare non potest ut sic, quia ibi existit materialiter, et etiam sub conditionibus individuantibus ; sed *quod quid est* non immutat ut materialiter existit: oportet ergo quod ipsum *quod quid est* immutet secundum esse quod habet in intellectu, sed esse in intellectu non habet de se, sed per intellectum agentem : ideo requiritur intellectus agens. Per hoc ad formam ; nego consequentiam, quia etsi

quod quid est materiales conditiones in suo esse non includit, nec ab illis dependet, est tamen sub illis. Similiter intellectus materiam non includit in sua essentia, nec ab illa dependet, est tamen in materia. Ergo est sufficiens proportio utrobique ; non valet, licet enim quoad istas conditiones sit proportio, non tamen sufficiens : requiritur enim plus, scilicet quod sicut species in intellectu est similitudo rei, non ut materialiter existit, sic oportet *quod quid est* ad hoc quod immutet, modum immaterialem habere; sed sub esse extra animam non habet modum immaterialem, sed tantum ut est in anima : ideo de se non est proportionabile, sed fit per intellectum agentem.

7. *Ad* 3. Ad aliud dicitur, quod omnia intelligentia per participationem reducuntur ad aliquod intelligens per essentiam, sed illud intelligens non est idea, sed est prima causa, cujus *intelligere* et *esse* sunt eadem.

Ad 4. Ad aliud dicitur, quod *Nos et Dii sumus rationales æquivoce*, quia Dii non proprie ratiocinantur, nec discurrunt a præmissis ad conclusionem, sed simplici intuitu principia, et conclusiones apprehendunt ; sed nos ratiocinamur discurrendo a principiis ad conclusionem. Ideo Dii non sunt rationales proprie loquendo. Et si sic, hoc est æquivoce, et magis perfecte quam nos, et ideo licet substantiæ separatæ intelligant per species innatas et influxas, non tamen oportet quod intellectus sic intelligat, et hoc propter imperfectionem intellectus nostri.

Ad aliud dicitur, quod puer ordinate a Platone interrogatus de principiis Geometriæ, quæ nunquam didicit, et postea de conclusione, de novo addiscit conclusionem per talem applicationem, et interrogationem, ideo non sequitur, iste puer scit conclusionem : ergo prius scivit conclusionem sub propria ratione, quam credit Plato valere, quia latuit Platonem puerum posse de novo addiscere conclusionem per applicationem præmissarum ad conclusionem.

QUÆSTIO IV

An tantum duæ sint præcognitiones

Averroes *hic text. Com.* 2. D. Thom. *hic lect.* 2. Joan. a Magistris. *in* 1. *Post. q.* 2. Paulus Ven. *hic.* Conimb. *hic q.* 4. *art.* 3. *et seqq.* Complut. *disp.* 17. *Log. quæst.* 2. Hurtado *disp.* 11. *Log. sect.* 1. Aversa *q.* 28. *sect.* 5.

Quod non videtur. Quatuor sunt quæstiones per Aristotelem secundo hujus, text. 1. sed quæstiones præsupponunt suppositiones, sive præcognitiones, quia quælibet quæstio aliquid quærit, et aliquid supponit : ergo quatuor sunt præcognitiones. 1. *Argum[enta] pro [par]te neg[ati]va.*

Item, tria sunt præcognita, videlicet dignitas, subjectum, et passio : ergo tres sunt præcognitiones. Probo consequentiam, quia præcognitio numeratur ad præcognitorum numerationem.

Dicitur hic per interemptionem, quia præcognitio non numeratur ad numerationem præcognitorum. Contra istud, accidens numeratur ad numerationem illius quod denominat, et cujus passio est, quia illud quod denominatur ab accidente, est ejus subjectum, sed hoc accidens, scilicet *præcognitio*, denominat præcognitum ; ergo, etc.

Item ad principale, sicut res habet *quid*, ita res est qualis, et quanta, sed non oportet præcognoscere *quale* de subjecto, nec *quantum*, similiter nec de passione ; ergo nec eadem ratione oportet præcognoscere *quid est* de re, non ergo sunt duo præcognitiones.

Item, videtur quod sunt tres, ex intentione Aristotelis, quia Aristoteles cap. 1. hujus, dicit quod de subjecto præsupponitur *quid est simpliciter*, de dignitate *quia est* : sed de passione non præsupponitur *quid est simpliciter*, sed *quid est*, quod significatur per nomen ; cum igitur, *quid est*, quod significatur per nomen, et *quid est simpliciter*, sint diversæ præcognitiones, tres erunt præcognitiones.

Dicitur hic, quod *quid est*, quod significatur per nomen, et *quid est simpliciter*, non sunt diversa *quid*, ideo non faciunt diversas præcognitiones.

Contra, per Aristotelem 2. Post. text. com. 39. *Quid est simpliciter* præsupponit *si est*, quærere enim *quid est*, ignorato *si est*, nihil est quærere. Sed *quid est*, quod significatur per nomen, non præsupponit esse, quia de non entibus scimus quid significatur per nomen, et tamen non entia non sciuntur esse, quia non sunt, et dicit Aristoteles quod de Tragelapho scimus, quid significatur per nomen, et tamen ignoratur si est; ergo *quid est simpliciter*, et *quid est*, quod significatur per nomen, sunt diversa.

Ad oppositum est Aristoteles 1. hujus, text. 1. dicens, *Dupliciter autem est præcognitione*, etc.

2. *...lusio.* Ad quæstionem dicitur, quod tantum duæ sunt præcognitiones, videlicet *quid est*, et *quia est*. Intelligendum tamen propter hoc, quod ad cognoscendum conclusionem, oportet præcognoscere principia. *...cipia ...lusio- sunt* Principia conclusionis sunt tria, unum complexum, quod est dignitas; duo incomplexa, ut subjectum, et passio, quia ex his duobus constituitur conclusio. In conclusione enim prædicatur passio de subjecto, ergo ad cognoscendum conclusionem oportet præcognoscere dignitatem, passionem, et subjectum, et ita sunt tria præcognita, tamen tantum sunt duo modi præcognoscendi. De subjecto enim præcognoscitur *quid est*, et *quia est* : de passione *quod est*, et de dignitate, *quia est*, et duæ sunt præcognitiones communiter, scilicet *quid est*, et *quia est*. *...rentia quid ...l quid ...nis.* Aliud est intelligendum, quod *Quid est rei simpliciter*, et *quid est*, quod per nomen significatur, non sunt eadem. Et hujusmodi duplex est ratio. Una est, quia præcognoscendo *Quid est rei simpliciter*, necesse est præcognoscere *si est* ; quia non ens non habet verum *quid*, sed præcognoscendo *quid est*, quod significatur per nomen tantum, non oportet præcognoscere *si est*, non ens enim potest habere tale esse.

Item alia ratio est ad hoc, quia cognoscendo quid significatur per nomen, solum cognoscimus modo indistincto, et confuso, et cognoscendo quid simpliciter rei, cognoscimus rem determinate et distincte. Et hoc ostendit Themistius per exemplum. Si dicatur puero, quod adducat equum ; tunc adducit equum, et non bovem, et hoc non est, nisi quia cognoscit quid significatur per hoc nomen, *equum*, tamen puer non cognoscit veram quidditatem equi ; quia tunc cognosceret principia intrinseca equi, quod falsum est : patet ergo quod *quid rei* absolutum, et quod significatur per nomen, non sunt eadem totaliter. Intelligendum tamen est, quod Aristoteles comprehendit utrumque ibi sub generalitate quadam de præcognitione, ideo tantum ponit duas præcognitiones.

Ad primam objectionem dicitur, quod consequentia non valet, quia quæstio, *quid est*, et *propter quid est*, reducuntur ad cognitionem *quid est*. Sed *quia est*, et *si est*, reducuntur ad cognitionem *si est*. 3. *Ad argumenta.*

Ad aliud similiter dicitur. Ad rationes contra hoc. Ad primam dicitur, quod cognitio non est in præcognito, ut in subjecto, sed in præcognoscente, ideo non oportet quod præcognitio numeretur ad numerationem præcogniti.

Propter quod est intelligendum, quod duplex est operatio. Quædam *immanens* agenti, ut intelligere respectu intellectus, sentire respectu sensus. Alia est operatio *transiens* in materiam extrinsecam, cujusmodi est combustio ignis, combustio enim est in illo quod comburitur, operatio primo modo est in agente, secundo modo est in passo: sed præcognitio est operatio primo modo, et ideo est in intellectu. Solutum est enim per hoc, quod operatio transiens in materiam intrinsecam est in operato : alia autem non. *Operatio duplex.*

Ad aliud contra illud dico, quod supposito, quod præcognitio referatur ad præcognitum, non oportet tamen quod numeretur ad numerationem præcogniti. Instantia enim est, quia pater refertur ad filium, et ta-

men non oportet quod si sint plures filii ejusdem, quod propter hoc iste sit plures patres, vel quod plures paternitates sint in eodem.

4. Ad tertium dicitur, quod ista propositio non est universaliter vera, scilicet, *Accidens est in eo tanquam in subjecto quod denominat*; denominat enim aliquando terminum *a quo*, ut Socrates corrumpitur : aliquando terminum *ad quem*, ut Socrates generatur. Aliquando efficiens, ut agens agit, et aliquando subjectum in quo est, sicut *homo albus*. Ideo non oportet, quod accidens sit semper in illo tanquam in subjecto quod denominat.

Ad aliud dicitur, quod non præcognoscitur de subjecto, quale est, vel quantum, nec oportet ad hoc, quod de subjecto sciatur passio ; quia ad hoc quod sciatur passio, extraneatur *quale* et *quantum*, et quodlibet accidens commune. Sed tamen de subjecto necessario præcognoscitur *quid*, quia definitio subjecti est medium ad concludendum passionem de subjecto demonstratione potissima, et antequam conclusio cognoscatur, oportet præcognoscere medium per quod cognoscitur, ideo præcognoscitur *quid est*, sed non quale, nec quantum.

De subjecto necessario præcognoscitur quid rei.

Ad aliud, concedo quod *quid est*, quod significatur per nomen, et *quid rei simpliciter*, non sunt totaliter eadem, tamen Aristoteles utrumque *quid* comprehendit sub una præcognitione generali, licet sint diversæ præcognitiones in speciali. Idem tamen intelligitur de uno, quod et de alio.

Ad rationes quæ ponunt, quod *quid verum*, et *quid* quod significatur per nomen, sunt diversa, concedendæ sunt, quia verum concludunt, possunt tamen cadere sub una præcognitione generali.

QUÆSTIO V

An de dignitate possit præcognosci quid est

Arist *hic cap.* 1 *et deinde cap.* 8. Aver. *hic text. com.* 2. *et* 2. *Metaph. cap.* 1. Themist. Philopon. et D. Thom. *in hunc locum.* Fonseca 1. *Met. cap.* 2. *q.* 2. *sect* 8. Conimb. *in* 1. *primi Poster. q* 3. *art.* 4. Complut. *disp.* 17. *q.* 2. Aversa *q.* 23. *Log. sect.* 5.

Videtur quod sic, tanta complexio est in Syllogismo, et unio, quanta est in Dignitate, sed de Syllogismo potest cognosci *quid est*, non obstante sua complexione (aliter de Syllogismo non posset esse scientia;) ergo de Dignitate potest præcognosci *quid est*, non obstante complexione. 1.

Argu ta pro te affi tiva.

Item propositio immediata definitur in isto primo libro, non obstante complexione: ergo eadem ratione Dignitas potest definiri, et habere *quid*.

Item, esse non est nihil, hujusmodi Dignitatis est esse, (præcognoscitur enim quia est) ergo Dignitas habet esse, sed omne habens esse, *est quid*, ergo de Dignitate præcognoscitur *quid*: sequitur ergo quod de Dignitate præcognoscitur *quid est*. Dicitur hic negando consequentiam, ad probationem dicitur quod licet Dignitatis sit esse, non tamen habet *quid*, quia est complexum, et complexum non habet *quid*. Unde non sequitur, *est habens esse, igitur est quid*, vel *habens quid*, nisi supposito quod illud sit simplex, et non compositum.

Contra, quod complexio non impedit, arguitur, ut prius.

Item, *esse* vel est esse verum, vel inseparabiliter concomitans essentiam. Si primo modo, necessario præcognoscitur de Dignitate, *quia est*; ergo *quid est*, quia suum esse est. Si secundo modo, adhuc sequitur, quod *esse* præsupponit essentiam, et quod supponitur, sequitur quod est, ergo sequitur ad *quid est*.

Item propositio definitur sic ; *Propositio*

Pro... qui...

est oratio verum, vel falsum significans; ergo Propositio habet *quid*, quia *definitio*, et *quid* sunt eadem, et tamen Propositio est quoddam complexum. Dignitas ergo potest habere *quid*, non obstante ratione complexi. Dicitur hîc, quod Propositio non definitur in quantum est quoddam complexum acceptum sub ratione complexi, sed sub ratione incomplexi.

Contra, in definitione ponitur hæc particula, *Significans verum, vel falsum*, sed nihil significat verum, vel falsum,nisi complexum sub ratione complexi : ergo Propositio ut hîc definitur, significat complexum sub ratione complexi.

Item, Dignitas secundum id quod est, significatur : ergo de Dignitate præcognosci potest quid significatur per nomen.

2. Ad oppositum est Aristoteles 1. hujus, dicens, quod de Dignitate præcognoscitur solum, *quia est*.

Item, si de Dignitate præcognoscitur *quid est*, tunc ex Dignitate, et illo *quid*, posset fieri, una propositio immediata, sive Dignitas, eadem ratione ista Dignitas haberet *quid*,et ex isto *quid*, et Dignitate esset alia, et sic in infinitum, quod est inconveniens. Inconveniens est ergo dicere quod Dignitas habeat *quid* .

3. Conclusio. Ad quæstionem dico, quod de Dignitate solum præcognoscitur, *quia est*. Probo, quia Dignitas facit cognitionem de conclusione, sed non ens conclusioni nihil facit ; ergo oportet quod de Dignitate præcognoscatur *quia est*.

Item ostendo, quod de Dignitate non præcognoscitur *quid est simpliciter*, quia *quid est simpliciter* est solius incomplexi, sed Dignitas est quoddam complexum ; ergo, etc. Quod autem non habeat *quid*, patet ex intentione Aristotelis 7. Metaphysic. text. 10. dicit enim quod homo albus non habet *quid*, eo quod est ens per accidens, sive aggregatum. Sed Dignitas est magis aggregatum, quam *homo albus* ; ergo Dignitas non habet *quid*. Similiter de eo non præcognoscitur *quid*, scilicet quod significatur per nomen, quia non habet *quid*, sed plura *quid* aggregata, solum ergo de Dignitate præcognoscitur *quia est*.

Ad primam rationem dicitur, quod Syllogismus potest considerari secundum quod est complexum, sub ratione complexi acceptum, et isto modo non habet *quid*. 4. *Ad argumenta.* Alio modo consideratur secundum quod est quoddam complexum,acceptum sub ratione incomplexi,et isto modo habet *quid*,et *definitionem* ; ut sic enim significatur per vocem incomplexam, ut per hanc vocem *Syllogismus*,et concipitur ab intellectu nostro,et isto modo de Syllogismo præcognoscitur *quid est*, non tamen de Dignitate secundum quod Aristoteles intelligit ; quia Aristoteles intelligit de Dignitate ut est complexum acceptum sub ratione complexi.

Ad aliud per idem, Propositio immediata non definitur, secundum quod est complexum acceptum sub ratione complexi.

Ad aliud similiter dicitur, negando consequentiam, de Dignitate præcognoscitur, *quia est* : ergo *quid est* ; et ad probationem, eodem modo sicut prius, quia Dignitas non habet *quid*, licet habeat esse. *Quid* enim solum est alicujus incomplexi, quod est objectum intellectus simpliciter.

Ad rationem contra hoc dicitur, quod esse concomitatur essentiam Dignitatis, 5. ideo sequitur, quod essentia Dignitatis præcognoscitur, sed ex hoc non sequitur, quod de Dignitate præcognoscatur *quid*, quia *quid* solum est ejus quod est objectum intellectus simpliciter, essentia autem potest esse complexi, et incomplexi, et cujuscumque alterius entis.

Ad aliud de Propositione sicut prius.

Ad rationem contra illud, dicitur quod hæc particula, *Significans verum, vel falsum*, potest comparari ad Propositionem 5. sub ratione incomplexi, et potest comparari ad Propositionem sub ratione complexi, sicut ad hanc totam,, *Homo est animal sub sua integritate*. Primo modo comparatur ad Propositionem *ut quid*. Secundo modo comparatur ad Propositionem ut *quale*, vel *qualificans*.

Ad primam, cum dicitur, quod nihil est

significans verum, vel falsum, nisi complexum sub ratione complexi, dicitur quod hoc est verum qualitative : quidditative tamen accipiendo verum, vel falsum, Propositio assumpta falsa est, quia solum hoc habet Propositio accepta sub ratione incomplexi.

Ad aliud dicitur, quod de Dignitate non præcognoscitur *quid est*, quod per nomen significatur, quia Dignitas non habet unum *quid*, sed plura congregata, et ideo de Dignitate non præcognoscitur *quid est*, quod per nomen significatur : ejusdem enim est præcognitio *quid est*, quod significatur per unum, vel habet unum *quid*, *etc*.

QUÆSTIO VI

An de passione præcognoscatur quia est

Arist. 1. *hujus, et* 1. *sequentis libri Post.* D.Thom. *hic.* Joan.de Magist. *in* 1. *Post. q.*2. Conimb. *ubi supra, quæst. præcedenti.* Complut. *disp.* 17. *q.* 2.

1. *Argumenta pro parte affirmativa.* Quod sic videtur ; quia de Passione præcognoscitur *quid est* ; ergo de ea potest præcognosci *quia est*. Antecedens patet per Aristotelem 1. hujus, text. 1. Probo consequentiam : *Quid est* præsupponit *si est*, quia quærentes *quid est*, ignorantes *si est*, nihil quærunt. Hic dicitur, quod de Passione præcognoscitur *quid est*, quod significatur per nomen, et tale *quid* non præsupponit *si est* ; negatur ergo hæc consequentia : de Passione præcognoscitur *quid est*, igitur *quia est*; *quid* tamen simpliciter præsupponit *si est*, sed sic de Passione non præcognoscitur *quid est*.

Contra istud per Aristotelem quæst. 4. text. 28. et 5. Metaphysicæ dicit, quod *quid* quod significatur per nomen, est vera definititio. Si ergo de Passione præcognoscitur *quid est*, quod significatur per nomen, igitur de eadem præcognoscitur *quid est simpliciter*, et quod est vera definitio ; et tunc redit prima ratio.

Item Aristoteles in secundo hujus, text. com. 44 distinguit de definitione, una est definitio simpliciter, et *quid rei*, altera est definitio *quid nominis*, et istam attribuit non entibus. Cum igitur Passio sit ens, non habet tantum definitionem exprimentem *quid nominis*, sed simpliciter definitionem, et per consequens *simpliciter quid*.

Item, ad principale, Passio scitur de subjecto : sed non ens sciri non potest ; igitur oportet de Passione præcognoscere *quia est*. Ad oppositum est Aristoteles 1. hujus.

Ad quæstionem dicitur ; de Passione solum præcognoscitur *quid est*, quod significatur per nomen ; et hujus ratio est, quia in Passione idem est esse, et subjecto inesse, quia accidentis esse est inesse. Sed *inesse* Passionis in subjecto concluditur in demonstratione, et hoc est suum esse, igitur *esse* Passionis concluditur, non igitur præcognoscere oportet Passionem esse ante conclusionem. 2. *Conclu*

Item, de Passione non potest præcognosci *simpliciter quid est*, licet *quid est simpliciter* habeat ex consequenti. Ratio hujus est, quia *quid simpliciter* præsupponit *si est*, sed de Passione non præcognoscitur *si est*, vel *quia est*, ante conclusionem ; necesse tamen est de Passione præcognoscere *quid est* quod significatur per nomen. Hujus ratio est, quia de Passione oportet aliqualem cognitionem habere ante conclusionem, cum sit principium integrans conclusionem, quia ex Passione et subjecto fit conclusio in demonstratione, ut prius habitum est, sed de ea non præcognoscitur, *quia est*, nec *quid est simpliciter*, igitur de ea necessario præcognoscitur *quid est*, quod significatur per nomen, et hæc cognitio est indistincta, quæ potest haberi ante cognitionem ejus, quod est *quid simpliciter*, et sic cognitio istius *quid est*, potest haberi sine cognitione *quia est* : puer enim cognoscit quid significatur per equum ; et tamen non cognovit quidditatem simpliciter equi. Similiter de non ente cognoscimus quid significatur per nomen, et tamen non cognoscimus *quid est simpliciter*, nec *quia est*.

3. Contra istam positionem potest argui. De Passione potest præcognosci inesse subjecto; quia licet in conclusione concludatur Passionem alicui determinate subjecto proprio inesse, prius tamen est inesse subjecto, quam inesse huic subjecto, et prius potest cognosci, non præcognoscendo posterius; ergo potest cognosci *quia est*, de passione in communi, licet esse speciale quod est huic subjecto inesse, concludatur in conclusione.

ccidens est ens i quia is ens. Hîc dicitur, quod accidens non est ens, nisi quia entis, scilicet accidens proprium non est ens, nisi quia proprii subjecti. Ideo impossibile est intelligere accidens proprium, sive reale, nisi intelligatur subjectum, cujus est hæc passio. Ideo non potest de Passione præcognosci esse, nisi præcognoscatur inesse proprio subjecto. Unumquodque enim intelligitur, sicut est ens, Passio autem est ens in aliquo subjecto determinato, et non est ens, nisi quia talis entis, ideo intelligi non potest, nisi sub habitudine ad tale ens. Et per hoc ad formam dicitur, quod de Passione propria, non potest præcognosci esse in communi, sive inesse, nisi præcognoscatur esse in proprio subjecto.

4. *1. prin- ale.* Ad primam similiter dicitur. Ad primam contra hoc dicitur, quod aliquando ratio quam significat nomen, est vera definitio, et hoc intelligit Aristoteles, non tamen est hoc semper verum, potest enim aliquando ratio esse entis descriptio, et ista non est vera definitio rei, licet per nomen significetur.

Ad aliud dicitur, quod ratio exprimens *quid nominis* non semper attribuitur non entibus, sed aliquando enti. Enti tamen potest inesse alia ratio, quæ est vera definitio; unde Aristoteles non intelligit, quod ratio exprimens *quid nominis* insit non enti solum. Sed intelligit, quod non enti inest ratio exprimens *quid nominis*, ita quod nulla vera ratio sibi inest, sed Passioni inest vera ratio, et ratio etiam exprimens *quid nominis*. Sed vera ratio non præcognoscitur de Passione ante conclusionem, sed solum præcognoscitur *quid est* quod significatur per nomen. Ad aliud dicitur, quod non ens non potest sciri, ideo sequitur quod oportet Passionem esse, sed tamen non sequitur ulterius, quod ejus esse præcognoscatur ante conclusionem, quia in conclusione suum esse concluditur, quia suum esse est in subjecto inesse.

Contra positionem arguitur sic; Inesse subjecto est aliud ab essentia accidentis, potest igitur essentia accidentis præsupponi, licet inesse subjecto de accidente concludatur in conclusione, sed essentia non est inesse; potest igitur præcognosci de accidente *quid est*, ante conclusionem (loquendo saltem de esse essentiæ.) 5.

Dicitur quod esse accidentis in suo subjecto non est aliud ab essentia.

Contra istud, essentia potest intelligi non intelligendo ipsam subjecto accidentis inesse. Potest enim accidens intelligi, licet non intelligatur ipsum inesse subjecto, sed sufficit, quod præfuerit in subjecto: sed nihil potest intelligi sine esse quod est de sua essentia: igitur inesse non est de essentia accidentis.

Item, essentia accidentis consistit in indivisibili.

Præterea, secundum se non suscipit magis, nec minus; quia *magis, et minus* in essentia variant speciem: essentia tamen accidentis in subjecto secundum tale esse, suscipit magis, et minus: igitur inesse non est essentia ejus.

Item si sic; tunc hîc esset nugatio, *Accidens est ens in subjecto*, quia accidens de sua essentia est ens in subjecto, et iterum exprimitur, est ens in subjecto, igitur idem bis ponitur.

Item si sic, tunc *rectum*, et *simum* essent diversæ species, quia conveniunt in aliquo, ut in *cavo*, et differunt essentialiter, quia per diversa *esse in subjecto*, sed esse in subjecto fit essentia accidentis: ergo cum in aliquo conveniunt, et in aliquo differunt, species sunt, sed hoc est falsum: si enim essent species, tunc scientia naturalis, quæ est de simo, esset sub-

alternata scientiæ Mathematicæ, quæ est de *cavo*, et non essent scientiæ diversæ primo Metaphysica, et Naturalis, et Mathematica, cujus oppositum dicit Aristoteles in 6. Metaphysic.

Ad hoc dicitur, quod *simum*, et *rectum*, non sunt diversæ species, quia non differunt per differentias intrinsecas, et formales, sed per extrinsecas, ut per diversas habitudines ad subjecta.

Contra istud, accidens consistit in habitudine essentialiter, quia secundum id quod est inhæret. Sed diversa habitudo causatur per comparationem ad diversa subjecta : igitur diversa essentia accidentis est ex diversitate subjectorum. Cum igitur cavum cui inest rectum tanquam Passio, et nasus cui inest simum tanquam Passio, sint diversa subjecta : igitur illa accidentia erunt diversa essentialiter et specifice.

6. *Inesse accidentis duplex.*

Ad primam illarum dicitur, quod *inesse* ipsius accidentis, est duplex : quoddam est *inesse actu*, quod distinguitur contra præteritum, et futurum, et tale inesse non est de essentia accidentis; quia accidens intelligi potest sine hoc, quod actualiter subjecto insit.

Aliud est *inesse*, quod consistit in quadam habitudine ab subjectum, et isto modo inesse est de essentia accidentis. Sicut enim sanum in urina non potest cognosci, nisi in habitudine ad sanum in animali, cujus est signum ; eodem modo accidens non potest intelligi nisi in habitudine ad subjectum cujus est dispositio. Accidens enim non est ens, nisi quia entis, et non intelligitur nisi sicut est entis, ideo necesse est dicere, quod inesse secundum habitudinem sit de essentia accidentis, sed non inesse, quod est actu in existere.

Ad aliud dicitur, quod suscipit magis, et minus secundum suum inesse, quod est actu existere in subjecto, illud autem non est de essentia ejus, sed secundum *inesse*, quod consistit in habitudine, accidens non suscipit magis, nec minus, sicut nec essentia.

Ad aliud dicitur similiter, quia dicendo, *Accidens est ens in subjecto*, ens accipitur dupliciter. Uno modo *ens* quod est nomen, alio modo quod est participium, quod denotat actu existens. Primo modo hîc est nugatio, sicut si dicitur, substantia est per se ens ; sicut enim substantia est per se ens essentialiter, ita accidens est ens in alio essentialiter. Secundo modo hîc non est nugatio, quia actu inesse subjecto non est de essentia accidentis.

Ad aliud dicitur, quod *rectum*, et *simum* non sunt diversæ species, et ratio hujus est, quia non habent differentiam nisi materialem, sicut dicebatur. Ad rationem contra hoc dico, quod accidens per se est dispositio subjecti, et essentialiter est talis habitudo, et tamen non oportet si subjecta sint diversa aliquo modo, quod accidentia sint diversa formaliter, vel specifice. Sed quando ita est, quod accidentia sunt Passiones subjectorum, quæ secundum se sunt diversa, et formaliter, tunc tales Passiones sunt diversæ formaliter, sicut risibile, et rudibile se habent respectu hominis, et asini. Sed nasus, cujus Passio est simitas, et cavus, cujus Passio est rectum, vel cavitas, non habent diversitatem formalem, sed tantum materialem. Sunt enim diversæ partes materiales, hujus quod symbolum : ideo *simum*, et *rectum* formalem directoriam non habent per habitudinem ad subjecta, et ideo non sunt species respectu *cavi* simpliciter, si enim essent species, tunc scientia naturalis esset bene subalternata Mathematicæ, sicut argutum est, etc.

QUÆSTIO VII

An de subjecto possit cognosci quia est

Com. 1. *Phys. cap. ult. et lib.* 2. *com.* 26 D. Thom. *opusc* 48. Doctor 1. *Metaph. q.* 1. Ant. Andr. *ibid.* Cajet. *hic, et cap.* 1. *seq. lib. et* 1. *p. q.*2. *art* 3. Ferrar. 1. *contra Gentes, cap.* 66. Conimb. *hîc q.* 3. *sect. art.* 3. Ruvius *ubi supra.* De altera præcognitione subjecti, de qua D. *in hac eadem quæst.*

vide Arist. 6. *Metaph. cap.* 1. *et* 1. *de anima. c.* 1. *text.* 11. D Thom. *hic* 1. *p q.* 1. *art.* 7. Alb. Mag *tract.* 2. Conimb. *hic q. et art. cit* et c. *q. præced, cit.*

1. *…gumenta pro parte negati…*

Quod non videtur; tantum dependet conclusio demonstrationis a prædicato, sicut a Subjecto: prædicatum enim in conclusione est passio, passio enim de Subjecto concluditur; sed de passione non præcognoscitur *quia est*: igitur nec de Subjecto.

Item, de rosa potest demonstrari passio, et tamen non oportet semper supponere rosam esse, aliquando enim non est, igitur, etc.

Item, hæc est vera, *Homo est risibilis*, sive homo sit, sive non sit, potest enim *risibile* demonstrari de homine per definitionem hominis, quæ est vera de homine, sive sit, sive non. Hæc enim est vera, *Homo est animal rationale*, sive sit actu, sive non: igitur ad hoc quod passio de subjecto demonstretur, non oportet præcognoscere de subjecto, *quia est*.

Item, *esse* quæritur de subjecto, et quæstiones sunt æquales numero, etc. igitur *esse* potest sciri de subjecto per demonstrationem. Si ergo *esse* potest de subjecto demonstrari, non est necesse præcognoscere de subjecto *quia est*, quia quod demonstratur, non oportet præcognosci ante conclusionem.

Hîc dicitur, quod *esse* de subjecto quæritur, non quod *esse* de subjecto demonstretur, sed quod *esse* de subjecto cognoscitur alia via.

Contra *esse* in essentia subjecti habens causam, est etiam posterius essentia subjecti, potest igitur per illam causam de essentia subjecti demonstrari.

Hîc dicitur, quod *esse* non est posterius essentia, sicut passio, et ideo non potest demonstrari de essentia subjecti. Contra, scire est per causam cognoscere, etc. istæ ergo tres conditiones sufficiunt ad hoc, quod aliquid demonstrative sciatur; cum igitur istæ tres conditiones reperiantur in essentia, respectu *esse*, igitur *esse* de essentia demonstrari potest.

Item, demonstratio est ex primis veris, etc. sed in definitione demonstrationis non ponitur hæc particula, quod illud de quo demonstretur sit passio, igitur non requiritur ad hoc quod aliquid de aliquo demonstretur, quod sit passio ejus.

Item, essentia facit cognitionem de esse; aut igitur facit cognitionem de *esse simpliciter*, aut quoad nos: non quoad nos; quia sic est notius quam essentia, sicut patet. Cognoscimus enim substantias separatas esse, non tamen ipsarum essentiam, ergo essentia facit cognitionem de *esse simpliciter*, et talis cognitio est per demonstrationem simpliciter, igitur *esse* de essentia simpliciter potest demonstrari.

Ad oppositum est Aristoteles 1. hujus, text. 2. dicens quod *De subjecto præcognoscitur quid est, et quia est.*

Ad quæstionem dicitur, quod de subjecto præcognoscitur utroque modo ante conclusionem; de subjecto enim præcognoscitur *quid*, quia quid subjecti est principale medium in demonstratione. Nam medium in demonstratione est causa conclusionis, et causa cognoscitur ante effectum, igitur de subjecto præcognoscitur *quid est*, similiter de subjecto præcognoscitur *quia est*, quia *quid est* præsupponit *quia est*, quia non ens non habet *quid*. *Conclusio.*

Intelligendum tamen est, quod *quid est*, non præsupponit *esse* existere, nec oportet tale *esse* præcognoscere de subjecto, secundum quod *esse* existere distinguitur contra præteritum et futurum. Sed *esse* quod præsupponitur de subjecto, est *esse secundum quid*, sunt enim gradus entis, sub quo unum ens ab alio differt. Alius est enim gradus essendi, qui correspondet homini, et asino, licet neutrum actualiter existat. Vel posset dici, quod *esse* quod præsupponitur, est esse non prohibitum in rerum natura. Illud enim de quo habetur scientia, oportet quod habuerit esse in præterito, vel possit habere esse in futuro, vel quod nunc habeat esse. *Quid est non præsupponit esse existere.*

Ad primam rationem dicitur quod conclusio magis dependet a subjecto quam a 3. *Ad argumenta.*

prædicato. Subjectum enim est causa prædicati, quod est passio.

Ad aliud dicitur, quod probat verum; probat enim quod de subjecto non oportet præcognoscere, quod est actualiter existens, etc.

Ad aliud per idem.

Ad ultimum principale sicut dicebatur, et ad rationem contra hoc dicitur, quod *esse*, licet sit posterius essentia, de essentia tamen non potest demonstrari, quia illud quod demonstratur de aliquo, necessario habet duas conditiones: necesse enim est, quod sit ens in aliquo genere per se, et necesse est, quod in subjecto, de quo concluditur, præsupponat esse, sed *esse* neutram conditionem habet, non enim est ens in genere, sed per reductionem est in eodem genere, in quo est essentia. Similiter esse in subjecto non præsupponit esse, quia sic esset processus in infinitum, propter hoc esse non potest demonstrari, quia non est ens, quia nec substantia, nec accidens, per se loquendo.

Ad primam rationem contra hoc dicitur, quod supposito, quod illud, quod demonstratur in subjecto, præsupponit esse, tunc potest demonstrari, si in subjecto causam habeat, sicut ratio concludit, sed esse in essentia non præsupponit esse ab essentia.

Ad aliud dicitur, quod requiritur quod illud quod demonstrari debet in subjecto præsupponat esse, et tunc convenienter demonstratur, si concluditur ex principiis veris, etc. Similiter ratio probat, quod non oportet illud quod demonstretur passionem esse, et hoc est concedendum, potest enim aliquando definitio materialis concludi de subjecto per definitionem formalem, sive finalem.

Dicitur ad ultimam, quod essentia non facit cognitionem de *esse*, quia in *esse* non præcognoscitur essentia respectu *esse*.

QUÆSTIO VIII

An cognitis præmissis simul cognoscatur conclusio

Doct. *quæst. sequenti.* Gabriel. *q.* 1. *Prolog.* Tartar. *lib.* 1. *Post. dub.* 3. Joan. a Mag. *in primum Post. q.* 2. *dub.* 3. Conimbr. *in cap. de præcognit. q.* 3. *art.* 2.

Quod non videtur, præmissæ se habent in ratione causæ efficientis respectu conclusionis: sed efficiens non continet effectum, nisi in virtute, et nihil agit ultra speciem suam, ergo præmissæ non faciunt cognitionem de conclusione nisi in virtute; cognitis ergo præmissis, non cognoscitur conclusio simul tempore sub propria ratione, sed tantum in virtute et potentia. 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Item, præmissæ se habent ad conclusionem in ratione causæ materialis. Sed quando causa materialis facit cognitionem de effectu, prius tempore cognoscitur causa, quam effectus, sicut in exemplo Aristotelis 7. Metaph. text. com. 4. Substantia enim præcedit omne accidens, cognitione, definitione, et tempore, ergo præmissæ prius tempore cognoscuntur, quam conclusio.

Item, secundum Aristotelem 2. Priorum, contingit cognoscere omnem mulam esse sterilem, et hanc esse mulam, et dubitare an habeat aliquid in ventre, et per consequens ignorare conclusionem, ergo, etc.

Item, multa simul, ratione qua multa sunt, non possunt intelligi ab intellectu, intellectus enim non intelligit nisi unum intelligibile simul, sed præmissæ et conclusio sunt multa intelligibilia; ergo non possunt simul cognosci ab intellectu, etc.

Item, intellectus in syllogizando discurrit successive a præmissis ad conclusionem, ergo successive intelligit præmissas, scilicet primo, et postea conclusionem, quia intelligit discurrendo, non igitur simul cognovit præmissas et conclusionem.

Item si sic, habitis præmissis in paralogismo accidentis, statim habebitur conclusio, et ita non falleremur.

Ad oppositum est Aristoteles primo hujus, text. 2. dicens, quod præmissæ simul cognoscuntur cum conclusione, simul enim inducens cognovit.

2. *onclusio.* Ad quæstionem dicitur, quod cognitis præmissis, simul tempore cognoscitur conclusio, si cognoscitur in ratione causæ, cognitis tamen primis principiis in se, ut non applicatis in ratione causæ, non oportet simul tempore cognoscere conclusionem. Primum patet, quia causa et effectus simul sunt, et non sunt. Causa enim est principium essendi effectui, sed eadem sunt principia essendi et cognoscendi, secundum Aristotelem 2. Metaph.; ergo cognitis principiis in ratione causæ, simul tempore cognoscitur conclusio. Secundum patet per Aristotelem 2. Priorum, c. 26. dicit enim quod contingit cognoscere omnem mulam esse sterilem, et hanc esse mulam et ignorare hanc esse sterilem : non applicando istas ad invicem, nec comparando minorem majori. Sic ergo patet, quod præmissæ in se cognosci possunt non cognoscendo conclusionem, et hoc est, quia deficit applicatio.

cire contingit tripliciter. Juxta hoc sciendum, ut patet in 2. Priorum, cap. 26. quod *contingit scire tripliciter.* Contingit enim scire in universali, et in particulari, et hoc dupliciter, scilicet actu, et habitu. In universali scitur conclusio, quando cognoscitur major, non cognoscendo minorem, nec conclusionem secundum se, quia cognoscendo hanc per se, *Omnis mula est sterilis,* cognoscitur in universali, quod hæc mula est sterilis. Alio modo cognoscitur conclusio in particulari, et habitu, quando cognoscitur major et minor, sed tamen minor non consideratur actu esse sub majori, et istis duobus modis prius natura, et etiam tempore cognoscuntur præmissæ, quam conclusio in actu. Tertio modo cognoscitur conclusio actu, et hoc quando cognoscitur major, et etiam minor, et simul cum hoc cognoscitur minor esse actualiter sub majori : sic enim fit applicatio præmissarum in ratione causæ, et isto modo impossibile est præmissas cognosci prius, quam simul tempore cognoscitur conclusio.

3. *Ad argumenta.* Ad primam dico, quod præmissæ continent in virtute conclusionem. Non sic in virtute tantum, quod requiratur aliquod agens, per quod præmissæ faciunt scientiam de conclusione in actu. Sed præmissæ sic applicatæ continent conclusionem virtute, sicut efficiens dispositum continet effectum ; efficiens autem ponit effectum in actu in omni materia disposita, sic præmissæ applicatæ determinate tertio modo, faciunt cognitionem de conclusione in actu.

Ad aliud dicitur, quod præmissæ habent rationem causæ materialis respectu conclusionis, et non solum hoc, sed habent rationem causæ efficientis, sic quod possunt sufficienter de se cognitionem de conclusione facere sub propria ratione, et ideo non oportet quod prius cognoscantur conclusione tempore.

Ad aliud dicitur, quod ista ratio probat, quod contingit cognoscere præmissas non applicatas ad invicem, ignorando conclusionem, et hoc intelligit Aristoteles. Si tamen præmissæ applicentur ad invicem, et minor cognoscatur esse sub majori, tunc non cognoscis præmissas, et ignoras conclusionem.

4. Ad aliud dicitur, quod multa possunt intelligi, non sub specie multorum, sed sub specie unius ; unde præmissæ, et conclusio cognoscuntur in uno indivisibili tempore, et non sub propriis speciebus, sed sub specie habitudinis.

Et si tunc quæras, unde provenit ista species habitudinis, ista habitudo nunquam fecit speciem in sensu, igitur nec intellectu.

Dicitur negando consequentiam, et dicitur, quod aliquid potest facere speciem in intellectu, quod non facit speciem in sensu. Substantia enim (ut ponitur ab aliquibus) non facit speciem in sensu, et facit tamen

speciem in intellectu; similiter hæc habitudo præmissarum ad conclusionem speciem facit in intellectu, per quam intelligitur, et etiam per quam præmissæ intelliguntur simul tempore, et tamen non facit speciem in sensu.

Et quando quæritur, quid causat hanc speciem?

Dicitur quod sicut hæc habitudo secundum se ab intellectu causatur, ita possibile est, quod species per quam intelliguntur ab intellectu causetur. Intellectus enim operatur omnes intentiones, et species per quas intelliguntur.

Ad aliud patet per idem. Intellectus enim in acquirendo cognitionem conclusionis per præmissas, prius tempore cognovit præmissas quam conclusionem, sic quodammodo tempus in quo cognovit conclusionem succedit tempori, in quo cognovit præmissas, tamen alio modo simul cognovit ista, sic simul tempore quod inter hoc tempus, et illud non cadit tempus medium, si tamen acquisierit cognitionem de conclusione, in illo acquisito *esse* intelligit præmissas, et simul conclusionem tempore, ita quod non sit alia successio temporis, in quo cognovit præmissas.

Ad aliud dicitur, quod aliquis potest falli per fallaciam accidentis, licet enim in fallacia accidentis alia conclusio sequatur necessario ex præmissis, ut illa in qua tanta identitas, et non major concluditur in conclusione, quanta prius fuit præmissis, tamen adhuc cognoscens conclusiones potest falli, ex hoc quod non applicat, sed facta recta applicatione, simul tempore cognovit quæ conclusio sequatur, et quæ non, etc.

QUÆSTIO IX

An cognitis præmissis in ratione causæ, simul natura cognoscatur conclusio

Vide Doct. *q. præced. et auctores citatos ibid.*

1. *Argumenta pro parte affirmativa.* Quod sic videtur, causa secundum se ad causatum refertur, sed cognito uno correlativorum cognoscitur simul et reliquum (quia relativa sunt simul natura) et per consequens cognitio unius non magis dependet a cognitione alterius, quam e converso, ergo, etc.

Item, si cognitis præmissis in illo instanti naturæ, non cognoscitur conclusio, tunc ista prioritate naturæ cognoscitur causa, et ignoratur causatum, sed ignorato causato ignoratur causa, cum sint relativa, ergo in ista prioritate cognoscitur simul causa, et ignoratur; ergo oportet dicere, quod cognitis præmissis in ratione causæ, cognoscitur conclusio simul natura.

Item, cognitis præmissis in ratione causæ, cognoscitur applicatio præmissarum ad conclusionem; ergo simul natura cognoscuntur applicata, quia cum applicatio sit relatio, cognosci non potest sine extremis; ergo, etc.

Item, cognitis præmissis, simul natura cognoscitur conclusio in potentia, et universali; sed sicut potentia se habet ad actum majoris, ita cognitio actualis conclusionis se habent ad eamdem majorem, quia cujus est potentia, ejus est actus, ergo simul in eodem cognoscitur major sumpta cum minori, et simul conclusio in actu.

Item, si cognitis præmissis in eodem instanti naturæ non cognoscitur conclusio, tunc potest intellectus intelligere præmissas, et cessare ab intelligendo conclusionem, et ita si non necesse est, quod præmissæ simul natura cognoscantur cum conclusionibus, possibile erit quod intelligantur prius tempore etiam, quod est contra Aristotelem, 1. hujus. text. 2.

Ad oppositum, causa prior est effectu in sua natura: ergo prius natura possunt præmissæ cognosci et intelligi in ratione causæ, quam effectus. 2. *In oppositum.*

Dicitur ad illud quod causa prius cognoscitur natura quam effectus, si accipiatur causa pro eo, quod est causa, accipiendo tamen causam sub intentione causæ, simul cognoscitur natura causa et effectus.

Contra, *Causa est ad cujus esse, sequitur aliud esse*, hæc est definitio causæ, sed defi-

nitio competit definito sub propria ratione, ergo causa est causa secundum quod prior est natura suo effectu, ergo præmissæ sub ratione causæ præcedunt effectum natura.

Item ad principale ; subjectum est prius accidente, cognitione, definitione, et tempore, et subjectum est causa accidentis ; ergo illud quod est causa, sub ratione, qua est causa, præcedit effectum natura et cognitione.

Item, unus modus prioritatis est, secundum quem esse rei prius est veritate propositionis secundum naturam, sive secundum causalitatem, et tamen in re ista sunt convertibilia; ergo illud quod est causa sub ratione causæ, prius est effectu secundum naturam : ergo præmissæ prius natura cognoscuntur ipsa conclusione, ex hoc quod sunt causa.

3. Conclusio. Ad quæstionem dicitur, quod notis præmissis in ratione causæ formalis, simul natura conclusio cognoscitur in ratione effectus, tamen præmissæ, quæ sunt causæ conclusionis, non consideratæ sub ratione intentionis causalitatis, priores sunt natura conclusione, et prius natura cognoscuntur. Primum ostendo : Causa, quæ est sub intentione causæ, ad alterum refertur ; sed relativa sunt simul natura, et secundum cognitionem naturalem ; quia unum non potest ignorari cognito altero, et via versa, ita quod neutrum principalius a cognitione alterius dependet magis ista via, quam e converso ; tamen ista duo sunt simul natura secundum cognitionem, sed relativa sic se habent quod cognito uno relativo cognoscitur et reliquum, et e contra, et magis unum non dependet a cognitione alterius, quam e contra, ideo sunt simul natura, et cognoscuntur secundum naturam præmissæ ; ergo sub ratione causæ simul natura cognoscuntur cum conclusione, quia ut sic habent rationem relativi.

Secundum ostendo ; quia secundum illud, quod sunt, faciunt cognitionem de conclusione, ita quod conclusio, quoad cognitionem, dependet ex cognitione præmissarum, cum præmissæ non dependeant a cognitione conclusionis : sicut illud quod est causa ab effectu non dependet, sed magis e contra. Sed quando unum dependet ab altero, et non e contra, illud a quo dependet, est prius natura illo quod dependet. Cognitio ergo principiorum quibus accidit intentio causalitatis, prior est secundum naturam, quam cognitio conclusionis ; ergo cognitis præmissis sub formali intentione causæ, simul natura cognoscitur etiam conclusio sub intentione effectus : tamen cognitis principiis quæ sunt causæ conclusionis, non oportet simul natura cognoscere conclusionem.

Tamen intelligendum est, quod si præmissæ cognoscuntur in se, non applicando unam alteri, tunc præmissæ prius cognoscuntur quam conclusio in actu, tempore, et natura. Si tamen præmissæ determinate ad invicem applicantur, tunc simul tempore cognoscuntur præmissæ, et conclusio, tamen prius natura cognoscuntur præmissæ : unde *Applicatio est illud sine quo non possunt præmissæ, et conclusio simul tempore cognosci et intelligi.*

Ad primam rationem dicitur, quod illa probat quod præmissæ sub ratione causæ simul natura cognoscuntur cum conclusione. 4. *Ad argumenta.*

Ad aliud per idem.

Ad tertium per idem. Applicatio enim non potest intelligi sine applicatis, imo sunt naturaliter simul quoad cognitionem, et ideo si cognoscuntur præmissæ sub ratione applicati, necesse est simul natura cognoscere cui applicantur præmissæ : tamen quod applicatur non simul natura cognoscitur.

Ad aliud dicitur, quod licet cognitio potentialis conclusionis sit simul natura cum cognitione majoris : tamen non oportet quod accepta minori sub majori, ut cognitio actualis conclusionis simul natura sit cum cognitione majoris.

Ad probationem dicitur, quod non oportet actum comparari ad actum, sicut comparatur ad potentiam.

Ad ultimum dicitur, quod prius natura cognoscuntur præmissæ quando applicantur, quam conclusio : et tamen ex hoc non sequitur, quod præmissæ prius tempore cognoscuntur. Et cum dicitur, quod in illo priori naturæ, in quo intellectus intelligit præmissas, contingit pausare, et per consequens ipsum non intelligere conclusionem in eodem tempore, sed prius tempore præmissas ; dicitur quod non sequitur, quia in eodem instanti temporis sunt duo instantia naturæ, in quorum priori intelligit principia, in posteriori conclusionem, et tamen simul tempore conclusionem : et hujus causa est, quia præmissæ cum sint applicatæ recte, sunt causa efficiens, et necessaria inferendi et cognoscendi conclusionem, et sic in eodem tempore intelliguntur præmissæ et conclusio, et non secundum prius et posterius tempore, licet secundum prius et posterius natura.

Si quæras qualiter est manifestum intellectui, quod præmissa, et conclusio sunt diversa secundum numerum. Dicitur quod ex hoc est manifesta earum diversitas, quia conclusionem non cognoscimus, nisi quia præcognitis præmissis.

5. *Ad argumenta in oppositum.* Ad rationes in oppositum dicitur, sicut dicebatur.

Ad rationem contra hoc dicitur, quod hæc definitio, *Causa est ad cujus esse*, etc. est definitio illius quod *causa*, quod scilicet subjacet intentioni causæ, et non est definitio hujus intentionis, quæ est *causæ*, quia loquendo de istis intentionibus formaliter, vel de aliquo accepto sub istis, non magis ad causam sequitur effectus, quam e contra.

Aliæ rationes probant, quod præmissæ quæ sunt causæ, prius natura cognoscuntur, quam conclusio, etc.

QUÆSTIO X

An definitio ejus quod est scire, *sit danda*

Aristot. *hic cap.* 2. *et* 6. *Ethic. cap.* 6. Averroes *in cap. secundum primi Post.* Linconiens. *hic.* Doct. *q.* 4. *Prolog*. Joan. de Magistris *in primum Post. quæst.* 3. Tartar. *in cap. secundum primi Post. quæst. unica.* Sot. *hic.* Bassol. *in prolog. sent. q.* 5. *art.* 3. Conimbr. *in cap. secundum primi Post. quæst.* 1. *art.* 1. 2. *et* 3. Aversa *quæst.* 26. *Log. sect.* 3. Complut. *disp.* 19. *quæst.* 2.

Quod non videtur ; quia aut est status in principiis primis, aut non : si non, tunc in principiis est processus in infinitum ; sed infiniti non est accipere principium, nec medium, et per consequens nec postremum, et sic non erit scitum, quod est inconveniens. Si sit status in principiis, tunc quæro, an ista principia sciantur, an non ? Si non, ergo conclusiones non erunt scitæ, quia ignoratis primis, ignorantur posteriora. Si sic, et manifestum est, quod non per causam ; quia ibi est status, ut conceditur ; ergo scire non est universaliter per causam. 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Item Aristoteles in secunda conclusione hujus, text. 5. dicit, quod principia magis sciuntur quam conclusiones, quia *Unumquodque propter quod*, etc. quia conclusiones sciuntur propter principia, ergo principia magis tunc erunt scita : et manifestum est, quod principia non sunt scita per causam, quia non habent causam : ergo scire non est per causam semper cognoscere.

Item, cognitio nostra est ab his, quæ sunt nobis magis nota : sed effectus sunt nobis magis noti, quam causæ, licet causæ prius natura sint magis notæ, et intellectus noster se habet ad illa, quæ sunt manifesta in natura, sicut oculus noctuæ ad lumen Solis : ergo cognitio nostra est ab effectibus ad causam, et non e contra ; ergo, etc. *Aristoteles 2. Meth. text. com. 1.*

Item, si scire esset per causam, nunquam

sciretur res perfecte quousque esset deventum ad primam causam, quæ est conclusionis principium ; sed causa prima est nobis imperfecte cognita, ergo quilibet effectus imperfecte cognoscitur a nobis, sed hoc non est scire ; ergo nihil scitur sub propria ratione, hoc est inconveniens ; ergo scire non est per causam cognoscere.

Item, contra secundam particulam, cum dicitur, *Et quoniam illius est causa*, si ad cognitionem conclusionis oportet causam cognoscere, ut applicatur ad effectum, sic conclusio nunquam sciretur sub propria ratione, sed sub propria ratione relativi, quia cognoscere aliquid sub propria ratione applicati, est scire sub propria ratione relativi.

Item, contra hanc particulam, *Quoniam impossibile est aliter se habere* ; de his quæ frequenter sunt, fiunt demonstrationes, contingit enim scire per demonstrationem, quod Luna eclipsatur, sed manifestum est, quod possibile est aliter se habere ; ergo male dicitur, quod scitur impossibile est aliter se habere.

Item, de corruptibilibus est scientia, secundum quod corruptibilia sunt : et tamen corruptibile secundum quod corruptibile est, possibile est se aliter habere, etc.

Et si dicatur, quod de corruptibili, sive mobili non est scientia, ea ratione, qua mobile est, sed secundum quod est immobile.

Contra, de mobili secundum quod mobile, est scientia libri Physicorum, quia de mobili secundum quod mobile scitur demonstrative quia est in potentia ad terminum.

Item, si de mobili esset scientia sub ratione immobilis, tunc de aliquo esset scientia sub ratione sui oppositi, ergo oportet dicere quod de mobili sub ratione mobilis sit scientia, et tunc redit ratio.

Ad oppositum est Aristoteles, text. com. 2.

2. *[...]nclusio. [...]re dici[...]r qua[...]r modis*

Ad quæstionem dico, quod definitio bene datur. Propter quod sciendum, quod *scire dicitur quatuor modis*, ut dicit Linconiensis. Est enim scire *communiter*, et sic sciuntur contingentia ad utrumlibet. Et est scire *proprie*, et sic sciuntur contingentia nata. Et est scire *magis proprie*, et sic sciuntur tam principia, quam conclusiones Et est scire *maxime proprie*, et sic sciuntur conclusiones per principia. Et isto quarto modo scire est per causam cognoscere, et sic accipiendo *scire* definit Aristoteles.

Tres conditiones scientiæ.

Intelligendum tamen quod ad hoc, quod aliquid sic sciatur, requiruntur tres conditiones secundum Themistium.

Primo requiritur, quod sciatur per causam : eadem enim sunt principia essendi et cognoscendi. Causa enim est principium alicujus rei, ergo est principium cognoscendi.

Secundo requiritur applicatio causæ ad effectum ; aliter non cognoscitur nisi in universali, vel in habitu, et non in actu ; ergo ad actualem cognitionem requiritur applicatio præmissarum, ita quod actualiter cognoscatur minorem esse sub majori.

Tertio requiritur, quod scitum sit necessarium, et non possit aliter se habere : et istæ tres conditiones inveniuntur in hac definitione per tres particulas positas. Prima conditio innuitur per primam particulam, cum dicitur : *arbitramur*, etc. Secunda conditio innuitur per secundam particulam, cum dicitur : *quoniam illius est causa*. Et tertia per tertiam, cum dicitur : *impossibile est aliter se habere.*

3. *Ad argumenta.*

Ad primam rationem dicitur, quod in principiis est status. Et cum quæritur ulterius, aut sciuntur, aut non ; dicitur, quod loquendo de scientia maxime proprie, non sciuntur principia prima, quia causam non habent, loquendo tamen de scientia propria, vel magis propria, principia sciuntur esse non per causam, *scire* tamen quod Aristoteles definit, est per causam ; unde æquivocatur de *scire*, secundum quod principia sciuntur et conclusiones, quæ sciuntur per *scire* hîc definitum.

Ad aliud dicitur, quod principia magis sciuntur, quam conclusiones, loquendo de

scientia magis proprie, et sic intelligit Philosophus. Loquendo tamen de scientia maxime proprie secundum quod *scire* definitur hîc, sic principia non sciuntur.

Ad aliud dicitur, quod cognitio nostra a posteriori, est simpliciter ab effectibus ad causas, quia effectus sunt notiores sensui: tamen nostra cognitio est a notioribus ad minus nota, sed notiora nobis possunt intelligi dupliciter. Uno modo dicuntur nobis notiora, quæ sunt nobis notiora secundum intellectum, comparando unam cognitionem intellectualem ad aliam: sic principia prima sunt nobis notiora, ut dignitates: et isto modo nostra cognitio simpliciter est a nobis notioribus. Alio modo dicuntur nobis notiora, quæ sunt notiora sensui, et isto modo scientia nostra non est simpliciter a nobis notioribus. Scientia enim quæ est per effectus, non est simpliciter scientia, et *propter quid*, sed tantum *quia est*.

Notiora nobis possunt intelligi dupliciter.

Et cum dicitur, quod principia non sunt nobis nota, cum sint manifesta naturæ: dicendum est, quod sic.

Ad probationem dicitur, quod Aristoteles 2. Metaph. text. com. 1. per manifesta naturæ, non intelligit principia, sed substantias separatas.

4. *Ad 4.* Ad aliud dicitur, quod conclusio cognoscitur per principia, sub ratione relativi, et non solum sub ratione relativi, sed sub quadam ratione absoluta, et sub propria ratione. Considerando enim conclusionem formaliter sub ratione causati, et præmissas formaliter sub ratione causæ; sic cognoscitur conclusio sub ratione relativi per præmissas, si enim consideremus conclusionem secundum se, quæ infertur ex præmissis applicatis, sic cognoscitur sub propria ratione.

Ad 5. Ad aliud dicitur, quod licet eclipsis possit aliter se habere secundum se, respectu tamen suæ causæ, non potest aliter se habere. Posita enim interpositione terræ inter Solem et Lunam, de necessitate ponitur eclipsis Lunæ. Ideo dicit Aristoteles 1. Post. text. com. 65. quod ista quæ frequenter eveniunt, ut veniunt in demonstratione necessaria sunt.

Ad aliud similiter dicitur: quod de corruptibili secundum quod corruptibile præcise, non est scientia, sed secundum quod est immutabile, vel incorruptibile. *Ad* 6.

Unde sciendum, quod de mutabili, secundum quod mutabile, est scientia, et etiam secundum quod immutabile, istæ rationes non sunt oppositæ, quia relatæ sunt ad diversa. Scientia enim est de mutabili secundum quod in se mutabile est, et est de mutabili secundum quod est immutabile, non in se, sed respectu passionis immutabilis: secundum quod immutabiliter aliqua passio inest mutabili. 5. *De mutabili est scientia quomodo.*

Ad primam in oppositum, concedo conclusionem, quod de mobili secundum quod est mobile in se, potest esse scientia: cum hoc tamen requiritur quod sit immutabile respectu suæ passionis, sub hoc intellectu, quod non potest moveri a sua propria passione in suum oppositum.

Ad ultimum dicitur, quod licet de mutabili sit scientia sub ratione mutabilis, non tamen est scientia de mutabili sub ratione sui oppositi, quia mutabile in se et immutabile respectu suæ passionis non sunt opposita, sed ut sic, unum aliud concomitatur: ex hoc enim, quod est in se mutabile, immutabiliter suscipit, vel recipit passionem, etc.

QUÆSTIO XI

An demonstratio sit ex primis veris, etc.

Aristoteles *hîc text.* 9. *et cap.* 6. *hujus, text.* 15. 16. *et* 17. *et primo Top. cap.* 1. Averroes et alii interp. *ibid.* D. Thom. *opusc.* 48. *tract. de Syllogis. demonstrat. cap.* 3. *et hîc sect.* 4. *cum suis ibid.* Cajet. Soto, Masio, Sanches etc. Ruvius *q.* 1. *in cap. secundum primi Post. et q.* 1. *in cap.* 4. *ejusdem.* Conimbr. *in cap. secundum primi Post. q.* 2 *art.* 3. Complut. *disp.* 18. *q.* 1. Aversa *q.* 28. *Log. sect.* 5. et communiter Recentiores *in hunc locum.*

Quod non videtur. De non ente potest esse scientia demonstrativa: et tamen non ens non est verum, sed potius falsum: ergo non oportet quod scientia demonstrativa sit ex veris. 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Dicitur hîc,quod de non ente simpliciter, quod nullo modo est ens, non potest esse scientia demonstrativa.

Contra, de vacuo, et infinito aliquo modo est scientia, et tamen ista simpliciter sunt non entia.

Item, de non ente potest sciri, quod opponitur enti; quia non ens necessario opponitur enti; ergo de non ente potest esse scientia demonstrativa.

Hîc dicitur, quod de non ente secundum quod est negatio entis quocumque modo non potest sciri, quod ipsum opponitur enti, quia non est possibile tale non ens esse, quia quodlibet non ens, quantumcumque sit non ens, est ens apud animam, et ut sic de non ente potest esse scientia demonstrativa, et sciri quod opponitur enti.

Contra,quæro de non ente apud animam, quæ est negatio universaliter entis apud animam, aut opponitur enti apud animam, aut non : si non; ergo ens apud animam, et non ens apud animam non opponuntur, quod falsum est; si sic, ergo contingit scire : ergo de non ente apud animam contingit scire ipsum opponi enti, tamen non ens apud animam simpliciter est non ens : ergo de simpliciter non ente potest esse scientia,

2. Ad principale, demonstratio ad impossibile non est ex veris, quia una præmissarum est falsa : ergo non omnis demonstratio, etc. Dicitur hîc, quod demonstratio ad impossibile est ex veris,non simpliciter, sed ex veris respectu concedentis propositionem falsam esse veram; quod accipitur loco hypothesis.

Contra, si demonstratio ad impossibile sit absolute ex una propositione falsa, tunc habeo, quod demonstratio secundum se et absolute non semper est ex veris. Sed definitio debet competere definito pro quolibet ejus : ergo hæc definitio non bene datur, cum alicui demonstrationi non competat.

Aliter dicitur, quod demonstratio ad impossibile quoad aliquem processum est ex veris, quia in tali demonstratione est triplex processus. Unus ducens ad impossibile ex hypothesi, et una assumpta. Alius est ab interemptione conclusionis impossibilis ad interemptionem hypothesis. Tertius est ab interemptione hypothesis, ad ostendendum principale propositum esse verum. Licet ergo demonstratio ad impossibile non demonstret, quoad primum processum et secundum, tamen quoad tertium processum demonstrat,per hoc principium, *De quolibet dicitur affirmatio, vel negatio*, sequitur enim, si de quolibet est affirmatio, vel negatio vera, et hypothesis non est vera, ergo ejus contradictoria est vera.

Contra, demonstratio est ex notioribus; sed affirmatio notior est negatione, si ergo demonstretur veritas affirmativæ ex falsitate negativæ, vel ex interemptione hypothesis, tunc ostenditur magis notum, per minus notum et per consequens non est demonstratio.

Ad principale,quod demonstratio non est ex primis veris, videtur; quia quod dicitur per superabundantiam, uni soli convenit; sed,*primum*,dicitur per superabundantiam; ergo si demonstratio sit ex primis, convenit tantum uni soli : ergo non est nisi una demonstratio, et per consequens nisi una scientia. 3.

Item, posita hac particula, superfluum est ponere alia sequentia : quia si demonstratio esset ex primis, superfluum esset ponere hanc particulam, *immediatis*, quia omnia prima sunt immediata, et e contra. Item, posita hac, superfluit ponere hanc, *ex prioribus, et notioribus*, quia sequitur, demonstratio est ex primis; ergo ex prioribus et notioribus.

Item, si demonstratio sit ex immediatis, sive ex primis, tunc nulla esset demonstratio ex mediatis; consequens est falsum, ergo et antecedens. Quia dicit Aristoteles 1. Topic. cap, 1. quod demonstratio est ex immediatis, et ex his quæ sunt ex mediatis principiis, et hujusmodi sunt immediata principia. Consequentia patet. Cui inest effective unum oppositorum, ab eodem negatur reliquum : mediatum et immediatum sunt opposita.

Item, si demonstratio fit ex immediatis, sive ex primis, tunc nulla demonstratio esset ab effectu ad causam, quia tunc demonstratio est a posterioribus : consequens falsum est secundum Aristotelem 2. hujus : ergo et antecedens.

Ad oppositum est Aristoteles.

4. *Conclusio.* Ad quæstionem dicitur, quod demonstratio est ex primis, etc. cujus ratio est; quia *Demonstratio est syllogismus faciens scire.* Hæc est definitio finalis demonstrationis, et scire est per causam cognoscere; ergo, etc. Unde hæc est prima conclusio hujus libri, sicut dicit Linconiensis, et probatur per definitionem finalem demonstrationis.

Scientia demonstrativa potest accipi dupliciter. Intelligendum tamen est secundum Linconiensem, quod demonstrativa scientia potest accipi, vel secundum quod est eadem cum demonstratione, et isto modo ista præpositio *ex* debet denotare circumstantiam causæ materialis, et tunc est sensus, quod demonstratio est ex primis, tanquam ex causa materiali, quia principia sunt causæ materiales demonstrationis. Alio modo scientia demonstrativa potest accipi pro habitu acquisito per demonstrationem, et sic scientia demonstrativa solum est conclusionis in demonstratione. Isto modo hæc præpositio, *ex*, dicit circumstantiam causæ efficientis, sive originantis, quia scientia demonstrativa, quæ est habitus conclusionis, est ex principiis veris, tanquam ex causa efficiente, vel originante, quia principia sunt origo scientiæ conclusionis. Hanc definitionem Aristoteles sic ostendit; primo declarat hanc particulam *ex veris*, isto modo, *Quod scitur in demonstratione est verum, sed verum non scitur nisi ex veris*. Licet enim verum possit syllogizari ex falsis, non tamen sciri ex falsis, quia falsum non est, vera igitur demonstratio est ex veris. Item, demonstratio est ex primis, quia ex principiis quæ sunt eadem. Item, demonstratio est ex immediatis, quia si demonstratio esset ex mediatis, aut tunc esset processus in infinitum, aut esset status ad immediata : non est processus in infinitum, quia tunc nihil sciretur ; si est status ad immediata, habetur propositum. Item, demonstratio est ex prioribus et notioribus, quia intellectus noster in syllogizando procedit a magis ad minus notum, quia minus notum : vel æqualiter non faciunt scientiam de ignoto. Item, demonstratio est ex causis, quia demonstratio facit scire, et scire est per causam cognoscere; ergo demonstratio est ex causis.

Sciendum tamen est quod Aristoteles 2. Post. text. 5. non ponit hanc particulam, *ex propriis*, quia hoc innuitur per hanc particulam, *ex causis*. Causa enim est propria respectu illius, cujus est causa.

Si arguatur, quod quædam sunt causæ mediatæ, et quædam immediatæ, et quædam particulares, et quædam communes, ergo non omnis causa est propria respectu effectus. 5.

Dicendum est, quod sive sit causa mediata, sive causa immediata, dummodo sit in eodem genere, sufficienter est propria respectu effectus, sed in diverso genere non, quia non contingit demonstrare descendentem a genere in genus, ut dicitur in octava conclusione, sive quæstione hujus : similiter causa ut communis est, non est causa effectus particularis, sed oportet antequam causet, quod ad hunc effectum determinetur, et ideo dicit Aristoteles hic inferius quod demonstratio non est ex communibus, sed ad determinatum genus appropriatur ; et hoc principium, *Si ab æqualibus æqualia demas, ea quæ relinquuntur, erunt æqualia*, non est principium ad demonstrandum effectum in Geometria, nisi determinetur ad genus subjectum Geometriæ, isto modo ; ut si ab æqualibus ligneis æqualia demas, illa quæ relinquuntur, etc.

Ad primam rationem sic dicitur, sicut dicebatur ad rationem contra hoc, quod de vacuo, et infinito, non est scientia demonstrativa, probans aliquam passionem positivam de illis, sed solum ad probandum passionem negativam, ut puta vacuum non esse, etc. et sic demonstratio non potest esse de non ente ; quia in tali demonstratione 6. *Ad 1 principale.*

oportet præsupponere *quia est*, sed de ista demonstratione non intendit Philosophus. Vel aliter potest dici, quod de vacuo, et infinito non est scientia demonstrativa, quia non determinat de illis, nisi quatenus illa removeat a sua consideratione.

Ad rationem in oppositum de non ente dicitur, sicut dictum est. Ad rationem contra hoc dicitur, quod ens apud animam est æquivocum, et ideo non ens non negat quodlibet. Ideo posset stare quod non ens apud animam, opponeretur enti apud animam, accipiendo *ens*, et *non ens*, pro eodem significato, et simul cum hoc potest stare, quod non ens apud animam, est aliquod ens apud animam, sicut non ens apud animam entitate speciei, potest esse ens apud animam entitate generis, quia ens apud animam, quod est Genus, non est ens Species. Sed impossibile est, quod non ens apud animam neget ens apud animam pro quolibet ente univoce.

Ad aliud dicitur, quod demonstratio ad impossibile est ex veris, quoad tertium processum.

Ad rationem contra hoc dicitur, quod illa demonstratio quoad tertium processum, qui est ex falsitate hypothesis negativæ ad veritatem affirmativæ, est ex notioribus sub aliquo intellectu. Falsitas enim negativæ dupliciter potest considerari. Uno modo in se, et ita falsitas aliqua est ignotior, quam veritas affirmativæ. Alio modo potest considerari secundum quod ista falsitas concluditur ex interemptione impossibilis, ad quod deducitur, et sic falsitas hypothesis notior est, quam veritas oppositi, et isto modo illa demonstratio est ex notioribus.

Ad aliud dicitur, quod posita hac particula *primis*, non superfluit ponere *immediatis*, quia forte non omnia principia sunt immediata. Hæc enim est per se prima, *Homo est animal*, et tamen medium habet per quod potest demonstrari. Similiter posito, quod sint eadem, tamen ex diversa proprietate accipitur : ideo non est superfluitas, nec diminutio.

Ad aliud dicitur, quod non superfluit hæc particula *ex prioribus*. Principia enim in se dicuntur prima, et absolute, sed priora dicuntur per comparationem ad conclusiones, quæ sunt posteriores, et ideo posito uno, non superfluit alterum ; similiter primum non est relativum, nisi per accidens, non enim refertur primum ad secundum, nisi quia refertur secundum ad primum. Posito enim quod nihil esset ens in rerum natura, præter illud, quod est ens primum, adhuc illud esset primum, et tamen non relatum ad secundum, nisi per accidens, sicut scibile ad scientiam.

Ad aliud dicitur, quod non superfluit dicere *ex causis*, quia causa ex hoc quod est causa, et ad hoc quod sit concludens, oportet quod sit propria, sed non oportet principium esse proprium. Similiter ex alia ratione dicitur principium et causa, et ideo non superfluit. *Ad* 5.

Ad aliud cum dicitur, *quod dicitur per superabundantiam*, etc. dicitur quod Aristoteles non intelligit quod demonstratio sit ex primis simpliciter, et extra genus, quia sic non esset, nisi tantum una demonstratio, vel saltem non esset nisi una scientia. Sed Aristoteles intelligit, quod demonstratio est ex primis in genere, et quia in diverso genere sciti, diversa sunt principia. Alia enim sunt principia in Arithmetica, et alia in Geometria, ideo demonstratio est diversa, et multiplicata, sicut diversæ scientiæ. *Ad* 6.

Ad aliud cum dicitur, quod si demonstratio sit ex immediatis, nulla esset ex mediatis. Dicitur quod non sequitur. *Ad* 7.

Ad probationem dicitur quod Aristoteles intelligit, quod demonstratio est ex immediatis finaliter, ut resolvendo omnes demonstrationes ad principia prima ; sed ex hoc non sequitur, quod nulla est demonstratio ex mediatis. Potest enim aliqua demonstratio esse ex mediatis, dummodo finaliter sit ex immediatis ; sed tantum sequitur, quod nulla demonstratio finaliter est ex immediatis.

Ad ultimum concedo, quod nulla demonstratio quæ est ab effectu ad causam, *Ad* 8.

est demonstratio simpliciter, talis enim demonstratio *est quia*, et non *simpliciter*, secundum Aristotelem. Hîc autem definit demonstrationes simpliciter, etc.

QUÆSTIO XII

An hæc sit vera, unumquodque propter quod, *etc.*

Aristot. *hic cap.* 2. *et* 2. *Met. text.* 4. Averroes *in Com. hujus loci. cap.* 2. *primi Post.* et D. Thom. 1. *par. quæst* 87. *art.* 2. *et* 1. *d.* 12. *quæst.* 1. Capreol. 1. *d.* 1. *quæst.* 1. Barg. *quæst.* 3. Joan. de Mag. *in primum Post. quæst.* 4. *dub.* 1. Limara *Theoremate* 57. Conimbr. *in cap.* 2. *hujus quæst.* 2. *art.* 4. *et* 6. Aversa *quæst.* 28. *Log. sect.* 9. Complut. *disp.* 18. *Log. quæst. dub. Appen.*

1. *Argumenta pro parte negativa.*

Quod non videtur. In istis inferioribus per virtutem Solis reperiuntur constrictio, et dissolutio. Sol enim dissolvit glaciem, et constringit lutum, et tamen non sequitur, quod in Sole sit constrictio et dissolutio, quia opposita non sunt simul in eodem ; ergo, etc.

Item, non sequitur, *Iste est ebrius propter vinum, ergo vinum est magis ebrium quam iste.* Nec sequitur, *Iste est calidus propter Solem, ergo Sol est magis calidus.* Sol enim non est calidus, ergo, etc.

Dicitur quod ista propositio est intelligenda in causis univocis, et effectibus ubi aliquid univoce reperitur in causa, et in effectu ; ebrietas autem non univoce reperitur in ebrio, et in vino, quia in ebrio formaliter ; in vino vero effective, et non formaliter.

Contra, ferrum ignitum est calidum formaliter, et lignum ignitum similiter, et tamen non sequitur, ferrum ignitum est calidum propter lignum ignitum, ergo lignum ignitum, etc.

Dicitur quod ferrum ignitum est calidum propter lignum ignitum per accidens. Lignum enim ignitum non calefacit, nisi quia ignis, et hæc propositio, *Unumquodque propter quod*, etc. non solum habet intelligi in causis univocis, etc. sed cum hoc in causis per se.

Contra, probo quod est in hujusmodi causis per se ; quia ignis est causa univoca, respectu caloris in ferro, utrumque enim calidum est formaliter : similiter est causa per se, sicut etiam responsio concedit, et tamen non sequitur, *Ferrum est calidum propter ignem, ergo ignis est magis calidus.* Quia antecedens est verum, et consequens falsum. Videmus enim ad sensum, quod æqualis quantitas ferri igniti vehementius comburit, quam æqualis quantitas ignis.

Item, probo quod hæc minor sit falsa, per quam Aristoteles probat cum ista majore conclusionem. Cum Aristoteles dicit, *Conclusionem scimus propter principia*, quia principia secundum se non sunt causæ conclusionis, nisi in virtute, propter quod exigitur applicatio ; ergo non cognoscitur propter principia secundum se.

Item non sequitur, *Conclusio scitur propter principia, ergo principia sunt magis scita* ; quia antecedens est verum, et consequens falsum. Principiorum enim est intellectus, et non scientia, secundum Aristotelem in fine primi, ergo hæc est falsa, *Unumquodque propter quod*, etc.

Dicitur quod quadruplex est scientia, secundum Linconiensem, communiter, proprie, magis proprie, et maxime proprie. Unde Aristoteles intelligit, quod scientia est conclusionis tantum, loquendo de scientia maxime proprie dicta. Sed loquendo de scientia proprie dicta, conclusiones sciuntur propter principia, et principia magis.

Contra , accipio scientiam conclusionis maxime proprie. In tali scientia sciuntur conclusiones propter principia, et tamen non sequitur, ergo principia magis sciuntur, ergo, etc.

Ad oppositum est Aristoteles.

Ad quæstionem dicitur, quod hæc est vera, *Unumquodque propter*, etc. Hujus ratio est, quia illud, quod reperitur in effectu et causa, nobilius et excellentius reperitur in causa, quam in effectu, quia est de

ratione causæ quod excellat effectum; si ergo aliqua proprietas causetur in aliquo ab aliqua causa, si illa proprietas in illa causa reperiatur univoce, excellentius reperitur in causa, quam in effectu, etc. hoc patet similiter per exemplum : Magister diligitur, propter discipulum, tunc discipulus magis diligitur.

Propter rationem intelligendum est, quod hæc propositio intelligenda est in causis univocis, et per se, non in causis per accidens, et æquivocis.

Ad primam rationem dicitur, quod Sol non dissolvit glaciem, et constringit lutum, nisi per accidens, propria enim operatio causata a Sole, est per lucem calefacere, sed per accidens dissolvit glaciem, quia calidum liquabilia dissolvit. Per accidens similiter constringit lutum, quia per calorem exhalat subtile, et derelinquit grossum. Hæc autem propositio, *Unumquodque propter quod*, etc. intelligenda est in causis univocis, et in causis per se.

Ad aliud similiter dicitur, quod calidum non est in Sole formaliter, quemadmodum est in corpore calefacto : calidum enim est qualitas activa pertinens ad elementum, sed in Sole non est qualitas activa formaliter, sed est in luce, per quam Sol efficitur calidus, lux autem non est qualitas activa, sed activus actus.

3. Ad primam rationem contra hoc dicitur, quod hæc propositio habet intelligi in propositionibus per se et univocis, sed lignum ignitum non est per se causa caloris in ferro.

Ad rationem contra hoc dicitur, quod hæc conclusio est vera, quod ignis est magis calidus, quam ferrum ignitum, sicut dicit unus Expositor.

Ad probationem dicitur, quod stat similiter, quod ignis sit magis calidus qualitative, quam ferrum, et tamen quod major sit caliditas in ferro ignito secundum quantitatem. Illa enim majoritas est propter comparationem partium materialium ferri, ideo non sequitur, in ferro est major caliditas, ergo ferrum est magis calidum.

Ad aliud dicitur, quod principia scimus, et propter principia scimus conclusiones, et cum dicitur, quod requiritur applicatio, dicitur, quod verum est, quod propter principia tantum considerata in se illa non applicando, non sciuntur, et hoc conceditur. 4.

Ad aliud similiter dicitur.

Ad rationem contra hoc dicitur, quod non sequitur, *Conclusiones sciuntur propter principia scita, maxime proprie dicta, ergo principia maxime sciuntur*. Quia hîc non arguitur in univocis, scire autem maxime non competit principiis univoce, et conclusionibus; quia conclusionibus competit formaliter, principiis tantum affective. Sed tamen loquendo de *scire* quod est apprehensio necessariorum, sive sint principia, sive conclusiones, isto modo scire univoce competit principiis et conclusionibus, et isto modo principia sunt magis scita, quam conclusiones, hoc modo accipiendo *scire*, et sic intelligit Aristoteles, similiter Linconiensis exponit. Unde dicit hanc esse secundam conclusionem hujus lib. etc.

QUÆSTIO XIII

An principia sint magis nota quam conclusiones

Aristot. *hîc cap.* 2. *text.* 5. Alber. Mag. *tract.* 2. *cap.* 6. Ferrar. l. *contra Gentes cap.* 13. Joan. de Magist. *hîc quæst.* 4. *dub.* 1. Conimbr. *hîc quæst.* 2 *art.* 5. Complut. *ubi supr. quæst. præced.* Aversa *ubi supra sect.* 8. Item vide auctores cit. *quæst.* 11.

Quod non videtur, quia si sic, ergo principium maxime primum, esset maxime notum, cujusmodi est hoc : *Nihil contingit simul esse, et non esse; consequens est falsum.* Probo falsitatem consequentis, si principium primum esset notissimum in veritate, ejus oppositum esset notissimum in falsitate : sed quod hoc sit falsum, probo, quia in Syllogismo ex oppositis, supponit pro hypothesi oppositum primi principii, quia 1. *Argumenta pro parte negativa.*

supponuntur contradictoria, et ex ista hypothesi deducitur ad negationem ejusdem de se, tanquam ad notius falsum, vel magis inconveniens; ergo negatio ejusdem, de se est notior in falsitate, quam oppositum primi principii, etc.

Hîc dicitur, quod in Syllogismo ex oppositis, non supponitur oppositum primi principii pro hypothesi, quia non supponuntur contradictoria, sed tantum alia pars contradictionis supponitur pro hypothesi.

Contra istud, aliqua pars contradictionis, similiter unaquæque pars contradictionis divisim sumpta in aliqua materia est consequens; sed conclusio in Syllogismo ex opposito est impossibilis, sed ex consequenti accepto pro hypothesi non sequitur impossibile : igitur principia non sunt magis nota, quam conclusiones.

2. Aliter dicitur, quod in Syllogismo ex oppositis supponit oppositum primi principii pro hypothesi, quia in aliqua materia speciali, minus nota sunt in falsitate, universaliter tamen magis est notum oppositum primi principii in falsitate, quam negatio ejusdem de se.

Contra, Aristoteles dicit in primo hujus, quod *Principia non solum nota sunt nobis, sed naturæ*; ergo opposita principiorum notissima sunt in falsitate non solum naturæ, sed nobis.

Item, negatio ejusdem de se, non ponit opposita in actu, sed potentia : sed oppositum primi principii, ponit ea in actu; ergo notior est impossibilitas, quando accipitur oppositum primi principii, quam negatio ejusdem de se.

Item, principia non sunt scita, ergo non sunt magis scita quam conclusiones. Antecedens patet, quia si principia essent scita, esset processus, etc. ergo non esset principium primum.

Item, quod est notum per causam, est magis notum quam illud quod non est notum per causam. Verbi gratia, conclusio in demonstratione universali est magis nota, quam conclusio in demonstratione particulari, quia in demonstratione universali cognoscitur per causam, in particulari non, secundum Aristotelem. Sed conclusiones demonstrationis, sunt notæ per causam, principia non per causam; ergo principia non sunt notiora, quam conclusiones.

Item, principium, et conclusio non sunt comparabilia secundum cognitionem; ergo principium non est magis notum, quam conclusio. Consequentia patet, quia comparatio solum est in univocis, secundum Aristotelem 7. Phys. sed principium et conclusio, quoad cognitionem, non sunt univoca, quia cognitio conclusionis est per causam, sed cognitio principii non est per causam : ergo æquivoca est cognitio.

Item, si principium esset magis notum quam conclusio, et per consequens conclusio minus nota, tunc conclusio aliquid haberet de noto, et aliquid de opposito, ut de ignorantia simul. Patet in simili; quia quod est pallidum, est minus album quam album, ideo habet aliquid de albedine, et aliquid de nigredine; ergo conclusio erit in parte nota, et in parte ignota, quia minus nota quam principium, et ulterius sequitur, quod conclusio non sit simpliciter scita. 3

Item, si conclusio sit minus nota quam principium, tunc sequeretur quod nobilius ordinaretur ad minus nobile, tanquam ad finem; consequens est falsum, ergo et antecedens. Probo consequentiam, quia si conclusio sit minus nota quam principium, ignotior est, et incertior quam principium; sed principium ordinatur ad conclusionem, ergo majus nobile ad minus nobile. Item, conclusio in demonstratione est necessaria, sed veritate nihil est verius, ergo nihil potest esse notius in veritate, quam conclusio in demonstratione, non igitur principia sunt magis nota.

Ad oppositum est Aristoteles dicens *Principia esse magis nota quam conclusiones.*

Ad quæstionem dicitur, quod sic est; quia *Unumquodque propter*, etc. Conclusiones sunt notæ propter principia; ergo principia sunt magis nota. 4. *Conclusi*

Item hoc probat Aristoteles per unam rationem; quia si principia essent minus no-

ta, vel æqualiter nota cum conclusionibus, tunc ignotum esset magis, vel æqualiter notum cum eo, quod est notum. Consequentia patet sic, habita cognitione principiorum, adhuc in isto priori naturæ, conclusio est ignota, et principia sunt nota. Si ergo dicas, quod conclusiones sunt magis notæ, vel æqualiter cum principiis, tunc ignotum est magis notum, quam illud quod est notum, vel saltem erit æqualiter notum cum eo, quod est notum, hoc est inconveniens, ergo oportet dicere, quod principia sunt magis nota, quam conclusiones.

Item, hoc potest probari alia ratione, quod conclusio non sit magis nota, quam principium; quia nihil agit ultra suam virtutem. Hoc patet, quia virtus est ultimum potentiæ, *et nihil agit* ultra ultimum potentiæ. Sed principia per suam virtutem sunt causæ conclusionis : ergo majorem cognitionem non possunt facere in conclusione, quam ipsa habet de se, nec tantam cognitionem faciunt de conclusione, quantam habet de se. Probo, quia de ratione causæ est, quod quidquid reperitur in effectu et causa, excellentius reperiatur in causa.

5. *...prin-le.* Ad primam rationem, dicitur, sicut dicebatur ultimo, quod aliquibus latent ea, quæ sunt opposita esse opposita, quibus tamen non latet negatio ejusdem de se.

Intelligendum tamen circa istud, quod respondens nunquam concederet opposita sub ratione oppositorum, esse simul vera, hoc enim est sibi notissimum in falsitate, ea tamen quæ sunt opposita, aliquando concedit esse vera, non conferens unum ad alterum, sicut contingit in disputatione, quod respondens concedit unum oppositorum, et postea per latentes interrogationes, vel per alias cautelas factas ab opponente, concedit alterum oppositorum, non conferens secundum ad primum, et postea opposita concessa, recolligit ad invicem, et concludendo ex his negationem ejusdem de se, non ducendo ad aliquod notius falsum, sed ut manifestet ea quæ conceduntur a respondente esse opposita.

Ad formam, dicitur, quod oppositum primi principii est notissimum in falsitate, quod est, opposita simul esse vera, quia illud conceditur esse notum in falsitate, tam ab opponente, quam a respondente, propter quod respondens non ponit pro hypothesi, concederet tamen illa contradictorie; non conferens unum ad aliud, sed nunquam concederet contradictoria sub forma contradictoriorum esse vera.

Ad primam rationem contra hoc, dicitur, quod illa verum concludit, prima enim principia sunt nobis notissima in veritate cognitis terminis, et etiam eorum opposita sunt notissima in falsitate, ideo oppositum primi principii sub propria forma a nullo conceditur, si illa scit quod sunt opposita, et ad invicem conferantur, et actualiter considerantur, tamen ea quæ sunt opposita, possunt aliquem latere in aliqua materia : sed cognitis terminis magis notum est *opposita esse simul vera* in falsitate, quam negatio ejusdem de se.

Ad aliud dicitur, quod negatio ejusdem de se, non includit contradictoria, nisi in potentia, si aliqua includit, et opposita sub oppositorum forma actu includuntur, ideo sequitur quod negatio ejusdem de se, non est notior in falsitate, quam sint opposita simul esse vera, aut ea quæ sunt opposita actualiter, conferendo unum oppositorum alteri. Sed causa quare homo decipitur in concedendo opposita, est propter hoc quod non confert unum ad aliud.

Aliter ad principale, dicitur quod in Syllogismo ex oppositis non concluditur de se ducendo ad aliquod manifestius falsum, 6. *Ad argumenta.* sed ad multitudinem inconvenientium, ideo cum hoc bene stat quod oppositum primi principii sit notissimum in falsitate.

Ad aliud dicitur, quod loquendo de scientia proprie dicta, et etiam de scientia magis proprie dicta, quæ scientia est apprehensio veritatis necessariorum, secundum hanc scientiam principia sunt magis scita quam conclusiones, ut dictum est, etc.

Ad aliud dicitur quod hæc interimitur, illud quod est notum per causam, est magis notum illo, quod non est notum per causam,

vera tamen est; cum utrumque cognoscibile natum est cognosci per causam : sed principia prima non sunt nata cognosci per causam, quia causam non habent, et conclusiones natæ sunt cognosci per causam, ideo exemplum in proposito non tenet. Illud enim quod scitur per demonstrationem universalem magis scitur, quam quod scitur per demonstrationem particularem, quia utrumque est natum cognosci per causam, quia igitur quod cognoscitur per particularem demonstrationem non cognoscitur per causam, demonstratio autem universalis facit cognoscere per causam, ideo ibi tenet, hîc non.

7. Ad aliud dico, quod principia et conclusio sunt comparabilia. Ad improbationem dicitur, quod licet unum cognoscatur per causam, et aliud non, et per consequens in scientia maxime propria non sint comparabilia, tamen accipiendo *scientiam* tertio modo dictam, quæ est *apprehensio veritatis necessariorum*, in hoc sunt comparabilia, prius enim dicebatur quod quatuor modis dicitur *scire :* Communiter, proprie, magis proprie, et maxime proprie; unde tertio modo comparabilia sunt.

Ad aliud, dicitur quod conclusio est partim nota, et partim ignota. Nota ex hoc quod est nota per principium, et quantum est de se, est ignota; sed ex hoc non sequitur, quod non sit simpliciter scita.

Ad aliud, quando dicitur, quod cognitio principiorum ordinatur ad cognitionem conclusionis perfectam, concedo, sed ex hoc non sequitur, quod nobilius ordinetur ad minus nobile; principium enim inquantum in eo est scientia conclusionis in universali, et modo confuso, ordinatur ad perfectam cognitionem conclusionis, et in particulari, et ita quoad hoc imperfectum ordinatur ad perfectum.

Ad aliud, quando dicitur, quod veritate necessaria nihil est verius; conceditur : potest esse tamen certius aliquid in veritate et notius. Vel potest dici per interemptionem illius propositionis, quia veritate necessaria alicujus conclusionis potest aliquid esse verius. Illud enim est magis necessarium, et per consequens magis verum, cujus necessitas et veritas ab alio non dependet, quam illud, cujus necessitas dependet ab alio.

QUÆSTIO XIV

An conclusio sit necessaria in demonstratione ut hæc sit necessaria, Homo est risibilis

Aristot. *hîc cap.* 2. *et* 6. *text.* 15. Averroes et cæteri interpretes, *cap.* 6. *cit.* Consule autem de materia hujus quæstionis Auctores *cit. quæst.* 11.

Quod non videtur; quia sequitur, *Homo est risibilis*; *ergo non est.* Consequens est contingens, ergo et antecedens, quia ex necessario non sequitur contingens. Consequentia patet, quia accidens reale subjecto inesse, præsupponit subjectum esse : sicut *quia est*, præsupponit *si est*. 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Dicitur hîc, quod accidens est duplex, quoddam quod sequitur subjectum secundum actum, ut album, et nigrum, quoddam secundum aptitudinem, ut risibile : quia omne nomen terminatum in *bile* significat per modum aptitudinis. Sed accidens consequens subjectum secundum aptitudinem non præsupponit subjectum, licet accidens consequens subjectum secundum actum præsupponat subjectum. Aptitudo enim potest fundari in non ente. Verbi gratia, cæcus aptus natus est videre, et tamen non sequitur, *Cæcus actu videt*, nec sequitur; *Ergo, cæcus potest videre*, similiter et hîc non sequitur, *Homo est risibilis, ergo homo actu est ridens.* *Accidens duplex.*

Contra, aptitudo secundum quam cæcus potest videre, fundatur in eo, quod est cæcum tanquam in subjecto, quia in eodem subjecto habent fieri habitus et privatio; sicut ergo subjectum cæcitatis est, eodem modo sequitur, quod subjectum risibilis est; ergo sicut sequitur, *Hoc est cæcum, ergo illud quod est cæcum est*, eodem modo

sequitur, *Homo est risibilis, ergo homo est.*

Item, quod aptitudo non possit fundari in non ente, videtur; quæro enim de aptitudine, aut est substantia, aut accidens; non substantia, ut manifestum est. Si sit accidens, et accidens reale non potest fundari in non ente, quia accidens est alteri inhærens, et non enti nihil inhæret, ergo, etc.

Item, quod risibile non solum consequatur hominem secundum aptitudinem, videtur; sicut dicit expositor: passio in subjecto habet duplicem rationem causæ, scilicet causæ efficientis, et materialis; sed impossibile est aliquod habens causam efficientem in subjecto primum consequi secundum aptitudinem solum, ita quod non secundum actum, ergo etc.

Item, si hæc sit necessaria : *Omnis homo est risibilis, ergo quælibet singularis necessaria*; sed consequens est falsum, ergo et antecedens. Consequentia patet. Falsitas consequentis similiter patet, quia hæc est singularis ejus, *Socrates est risibilis*, et hæc non est necessaria : sic enim potest corrumpi, ergo non est necessitate risibilis.

2. Dicitur hîc, quod hæc est necessaria absolute, *Omnis homo est risibilis*, et tamen non oportet quamlibet ejus singularem absolute esse necessariam, quia necessitas universalis continuatur per continuam singularium generationem, ideo absolute necessaria est, sed singularia corruptibilia sunt, ideo in illis non est necessitas absoluta.

Contra istud ; per se veritas hujus continuatur per successivam generationem, hæc tunc, *Omnis homo est risibilis*, non verificatur pro isto, *Antichristus est risibilis*, quia nondum generatur : et tunc ego arguo sic : Antichristus nunc non verificat propositionem, solum ergo tunc verificatur pro suppositis præsentibus, sed suppositis præsentibus potest prædicatum inesse, et non inesse, quæ corruptibila sunt, ergo veritas hujus propositionis non est necessaria, sed contingens. Non enim habet veritatem, nisi a singularibus, hoc est falsum, ergo non est dicere, quod necessitas salvatur per continuam generationem.

Item sequitur, *Omnis homo est risibilis, ergo ille est risibilis*, per locum a toto in quantitate. Consequens non est necessarium, ergo nec Antecedens. Dicitur hîc per interemptionem consequentiæ, non enim sequitur ista, *Iste homo est risibilis*, sed sequitur sub quadam conditione, *Iste homo dum est, est risibilis*, et sic singularia necessaria sunt sub conditione, tamen non sunt necessaria absolute.

Contra istud; si universalis sit necessaria, propter hoc quod singularia sunt necessaria sub conditione, tunc hæc essent necessaria, *Tu semper curris*, quia quodlibet singulare est verum sub conditione. Hæc enim est vera, *Dum tu curris in A, tu curris*; similiter hæc, *Dum tu curris in B, tu curris*, et sic quælibet singularis est necessaria, ergo hæc universalis est necessaria. Tenet similitudo, quia sicut *omnis* dicit universalitatem suppositorum, quæ nominaliter significantur, ita *semper* dicit universalitatem temporis consignificati per *A*, *B*, *et C*.

Item, tunc sequitur : *Omne quod est, quando est, necesse est esse, ergo omne quod est necesse est esse*, si a veritate conditionata singularium posset inferri veritas absoluta universalis.

Item, reducitur ratio sic: *Omnis homo est risibilis, ergo iste homo est risibilis sine conditione.* Probo: quia sic sequitur singulare, sicut in virtute universalis continetur simpliciter, non sub conditione, ergo singulare sequitur sine aliqua conditione.

Aliter dicitur ad rationem, quod hæc propositio, *Omnis homo est risibilis*, est necessaria absolute, et hujus ratio est, quia risibile est passio hominis. Et passio consequitur Speciem ratione potentiæ activæ, et ideo non potest ei non inesse, [sicut calefacere non potest non inesse igni, quia consequitur ignem ratione potentiæ activæ] ideo est quod hîc est necessaria habitudo, scilicet in hac, *Homo est risibilis*, et ita absolute necessaria. 3.

Intelligendum tamen est, quod passio, quæ necessaria de Specie, est necessaria de

contentis sub Specie, non sub propria ratione, sicut ait Aristoteles, sed sub propria ratione Speciei, inquantum Speciem dividunt : ideo singulare hujus universalis debet sic accipi, *Iste homo, inquantum homo, est risibilis*, et sic de aliis, et sic intelligendo sunt absolute necessariæ.

Ad probationem dicitur, quod licet iste homo possit non esse secundum se, tamen inquantum homo non potest non esse.

Contra istud; primo probo quod non sequitur, si passio egrediatur a potentia activa subjecti, quod propter hoc necessario insit subjecto. Secundo probo, quod ex hoc quod ex tali potentia activa egreditur, sequitur propositum. Et tertio ostendo quod necessaria habitudo non concludit propositionem necessariam esse. Primum patet sic; sicut ambulare progreditur ex potentia activa hominis, quia homo ambulat, et non secundum potentiam passivam, sed activam, et tamen non est necessaria : ergo prædicatum egredi a potentia activa subjecti, non concludit propositionem esse necessariam. Secundum ostendo, potentia non potest esse in non ente, ut in subjecto, nec in ente tantum apud animam, quia ens apud animam potentiam activam non habet, sicut patet de figmentis, et secundis intentionibus. Si ergo potentia activa est in aliquo ente reali, ut in subjecto, sequitur ergo, quod si passio egrediatur a potentia activa subjecti, necessarium est subjectum esse, et hoc est propositum. Tertium patet in his, quæ frequenter sunt, et non semper, cujusmodi est eclipsis Lunæ, ubi est necessaria habitudo, quia quandocumque est interpositio terræ inter Solem et Lunam, tunc Luna eclipsatur, et tamen hæc non est necessaria, *Luna eclipsatur* : ergo necessaria habitudo non concludit necessitatem absolute.

Item, reducitur ratio, sicut prius, hæc singularis; *Iste homo est risibilis*, in virtute universalis ponitur absolute, ergo absolute sequitur sine reduplicatione, sed hæc non est necessaria, *Iste homo est risibilis*, ergo nec universalis.

Aliter dicitur, quod hæc sit necessaria, *Omnis homo est risibilis* absolute, sive homo sit, sive non sit : quia sive sit, sive non sit, passio hominis est necessaria de subjecto, quia quod scitur, necessarium est; et ulterius dicitur, quod quælibet singularis necessaria est absolute, propter eamdem rationem. 4.

Ad probationem dicitur, quod non sequitur, *Iste homo potest non esse, ergo potest non esse risibilis;* quia ad necessitatem propositionis, non requiritur actualis existentia extremorum.

Contra istud; homo non semper canescit, quia non semper est, ergo similiter non semper est risibilis, quia non semper est, et ulterius sequitur, quod non de necessitate est risibilis, si non semper sit, ergo ex opposito consequentis sequitur, homo de necessitate est risibilis, ergo homo de necessitate est.

Item, entitas compositionis est ex entitate extremorum, ergo veritas propositionis est ex veritate extremorum, quia eadem sunt principia veritatis, et entitatis : si ergo propositio sit vera, oportet intelligere extrema esse.

Item, primo Perihermenias dicitur, quod compositio est, quam sine compositis non est intelligere. Sed quod non contingit intelligere sine aliquo, non contingit esse sine illo, quia ex opposito sequitur oppositum; si igitur compositionem non contingit intelligere sine extremis : ergo non contingit esse sine entitate extremorum, sequitur ergo, *Homo est risibilis, igitur homo est*, et similiter, *Socrates est risibilis, ergo Socrates est.*

Ad oppositum est Aristoteles in ista littera dicens, quod *Conclusio demonstrationis est necessaria, quoniam impossibile est aliter se habere.*

Ad quæstionem dicitur, quod hæc est 5.
necessaria, *Omnis homo est risibilis*. Cujus *Conclusio*
ratio est hæc, quia potest esse conclusio in demonstratione; quia prædicatur passio de subjecto : sed conclusio demonstrationis scitur per demonstrationem; sed quod sci-

tur impossibile est aliter se habere : et quod impossibile est aliter se habere est necessarium : ergo a primo ad ultimum, hæc est conclusio in demonstratione, ergo hæc est necessaria, et etiam quælibet singularis est necessaria absolute. Modus tamen ponendi ejus singulare, est diversus apud diversos.

Primus modus ponendi necessitate singularium propositionis, homo est risibilis. Quidam enim ponunt ejus singulare sic, *Iste homo, inquantum homo, est risibilis*, et hoc propter rationem positam in secunda responsione ad secundum argumentum. Passio enim est necessaria de contentis propter hoc, quod est necessaria de Specie, et ita de contentis est necessaria sub ratione Speciei, et non sub propria ratione, quia propria ratione singularia sunt corruptibilia. Istæ ergo sunt singulares, *Iste homo, inquantum homo, est risibilis*, non intelligendo, quod hæc reduplicatio, *inquantum*, sit pars termini, quia sic non essent singulares istius universalis; similiter hic essent quatuor termini, *Omnis homo est risibilis : iste est homo, ergo iste est risibilis, inquantum homo*. Sed reduplicatio additur ad denotandum, quomodo istæ singulares illi universali approprientur.

Alii ponunt, quod hujusmodi universalis, *Omnis homo est risibilis*, istæ sunt singulares, *Iste homo est risibilis, et iste homo est risibilis*, et istæ sine reduplicatione, et istæ necessariæ sunt absolute, et per necessariam habitudinem prædicati ad subjectum. Et ulterius dicunt, quod ad necessitatem istarum singularium non requiritur actualitas extremorum, sed sufficit quod singularia includant in suo intellectu naturam Speciei, quam consequitur talis passio. Non tamen intelligendum est, quod ista sit in singularibus æque primo, sicut et naturæ Speciei : sed istis inest ex consequenti. Quia passio naturæ Speciei necessario, et primo inest Speciei, et ex consequenti suppositis : et per hoc patet ad rationem, per quam confirmatur alius modus ponendi singulares.

6. *Ad 1. principale.* Ad primam rationem, dicentes primam propositionem esse necessariam, eo quod prædicatum consequitur subjectum necessario, et contenta sub subjecto, inquantum contenta includunt Speciem ; ipsi dicunt concedendo hanc consequentiam, *Omnis homo est risibilis, ergo homo est*, et ratio eorum est, quia accidens reale alicui inesse, præsupponit subjectum esse. Rationes, quæ sunt contra priorem responsionem, non sunt contra eos, sicut in secundo dicetur.

Ad primam rationem contra hoc dicitur, quod duplex est potentia activa, quædam est potentia, quam præcedit alia potentia, scilicet passiva in subjecto, quæ est contradictionis : et talis potentia activa est in homine respectu ambulationis ; sed accidens quod egreditur a tali potentia activa, non inest necessario subjecto. Alia est potentia, quam non præcedit potentia passiva in eodem, et respectu ejusdem : et isto modo est potentia activa in igne, respectu *calefacere* : statim enim cum ignis est, habet potentiam calefaciendi activam, ita quod non potest non calefacere, quantum est de se, et accidens quod egreditur a tali potentia activa subjecti, necessario consequitur subjectum, sicut *risibile* respectu hominis. *Potentia activa duplex.*

Ad aliud dicitur, quod non sequitur, *Iste homo, inquantum homo, est risibilis, igitur iste homo est*. Ideo autem non sequitur hæc conclusio, quia potentia activa, a qua egreditur passio, non inest isti homini, nisi inquantum iste homo est homo ; ideo sequitur hæc conclusio, *Iste homo, inquantum homo, est :* et sic consequens est necessarium, sicut et antecedens, quia isti homini, inquantum homo, nec inest corruptio, nec generatio. 7. *Ad 2.*

Ad tertium dicitur, quod habitudo passionis ad subjectum est necessaria isto modo, quando posito subjecto, ponitur passio sufficienter : et tunc est propositio necessaria, et sic hæc est necessaria, *Homo est risibilis*. Sed ex alia parte in his, quæ frequenter sunt, subjectum potest esse in rerum natura, licet passio non sit, cum Luna sit in aliquo tempore, in quo non est *Ad 3.*

eclipsis, ideo non est necessaria absolute habitudo passionis in his, quæ non semper sunt, licet sit habitudo inter unum ad alterum per causam extrinsecam, ut per habitudinem ad hanc causam, quæ est interpositio terræ inter Solem et Lunam, eclipsatur necessario, unde alia est habitudo in his, quæ semper sunt, et in his quæ frequenter; ideo non est simile.

Ad 4. Ad aliud dicitur, quod in virtute universalis, non includitur hæc, quæ est singularis, sub propria ratione singularis. Non enim attribuitur *risibile* suppositis, nisi quia Speciei, ideo singularia debent sequi ad universalem, non sub ratione propria, sed sub ratione communis.

Ad formam patet per hoc, quod in virtute universalis habetur, quod prædicatum attribuitur suppositis, sub reduplicatione communis, et ita minor falsa.

8. Aliter dicunt volentes sustinere, quod hæc propositio est necessaria, et quælibet singularis absolute, non addita reduplicatione.

Ad 1. *principale secundum secundum modum.* Ad primum dicunt, quod hæc consequentia non valet, *Homo est risibilis, ergo homo est*, sicut prius. Ad probationem cum dicitur, accidens reale, etc. hoc intelligendum est de accidente, quod consequitur subjectum, secundum suum esse existere, et non secundum esse specificum, sive aptitudinem, cujusmodi est risibile.

Ad primam rationem contra hoc dicitur, quod illa aptitudo, nec est substantia, nec accidens in genere, sed est quidam modus essendi, secundum quem accidens consequitur subjectum.

Ad 2. Ad aliud dicitur, quod non est simile de aptitudine in cæco, et de risibili : cæcum enim est privatio accidentis, quod primo consequitur Individuum et non Speciem : et ideo sequitur, *Si homo est cæcus : ergo homo est* ; quia idem subjectum consequitur privatio quod consequitur suus habitus, et secundum idem esse particulare, sed risibile est accidens consequens Speciem primo secundum esse absolutum, et non tantum secundum esse existere, et ideo non sequitur, *Homo est risibilis, ergo homo est*. Unde in hoc dissimile est inter cæcum et risibile, quod secundum diversa esse consequuntur sua subjecta, licet in hoc sit simile, quod sicut non sequitur, *Homo est aptum natum videre, ergo homo potest videre* ; sic non sequitur, *Homo est aptum natum ridere, ergo homo potest ridere*.

Ad tertium contra hoc dicitur, quod risibile non habet in homine causam efficientem : homo enim non efficit risibile, sed illud idem, quod est causa efficiens respectu hominis, est causa efficiens respectu risibilis, sicut dicimus, quod quodlibet subjectum passionis habet duplicem rationem, videlicet rationem causæ formalis, et rationem causæ materialis : et similiter, quod habet quandoque rationem causæ efficientis, non quod talis sit causa faciens passionem semper existere. Sed ista causa est causa habitudinis necessariæ passionis ad subjectum, ita quod cum subjectum est, passio est. 9. *Ad* 3.

Ad formam dicitur, quod licet in subjecto sit isto modo duplex ratio causæ, non sequitur tamen propter hoc, quod passio consequatur subjectum, secundum existere subjecti, ita quod in subjecto præsupponat existere, sed sufficit quod præsupponat subjectum aptum natum esse.

Ad aliud principale sic respondetur ; sicut ultimo dicebatur, quod universalis est necessaria, et quod quælibet singularis absolute est necessaria, sine aliqua duplicatione ; negatur tamen hæc consequentia, *Iste homo est risibilis, ergo iste homo est* ; quia non requiritur actualis existentia extremorum. 10. *Ad* 4.

Ad primum contra hoc dicitur, quod differentia est inter accidens proprium, et accidens commune, in hoc, quod accidens commune solum consequitur subjectum, secundum quod quidditas subjecti existit, sed accidens proprium ut propria passio consequitur quidditatem subjecti, non tantum ut existit, nec tantum ut intelligitur : sed sive quidditas existat, sive intelligatur,

passio istam quidditatem absolute consequitur, et ideo est, quod accidens commune inhærens subjecto, præsupponit subjectum esse, et propter hoc ista est falsa, *Semper homo canescit*, quia homo non est semper. Canescere enim est accidens commune : sed accidens proprium (ut propria passio inhærens subjecto) non exigit subjectum existere.

Ad 5. Ad aliud dicitur, quod entitas compositionis dependet ab entitate extremi. Sed entitas extremi dupliciter potest intelligi. Uno modo sub ratione extremi ; et sic propositio est vera, quia entitas compositionis, ut sic, ab entitate extremi dependet. Alio modo potest intelligi pro actuali existentia ejus, quod est extremum, et sic entitas compositionis, non dependet ab entitate extremi, sicut nec ejus veritas, quia sic hæc non esset vera : *Chimæra est chimæra.*

Ad 6. Ad aliud dicitur, quod compositionem non contingit esse sine entitate extremorum sub ratione extremorum, hoc idem est dicere, ac si diceretur, compositio non potest esse sine subjecto, et prædicato. Compositio tamen bene potest esse sine entitate subjecti, quæ est actualis existentia extremorum, vel eorum quæ sunt extrema, et hoc concluditur per hoc, quod est hæc vera, *Chimæra est chimæra*, et ea quæ sunt extrema, non existunt in rerum natura, etc.

QUÆSTIO XV

An hæc conditio, per se, *sit possibilis*

Aristot. *hic cap.* 4. *text.* 9. Item 5. *Metaph. cap.* 18. *text.* 23. Item 2. *Top. Loc.* 8. Averroes *in locum Poster. citat.* Philop. Albertus apud Simaram *infra.* Porph. *cap. de specie.* D. Thom. 1. *Post. lect.* 10. Doctor *d.* 3. *quæst.* 3. *et quæst.* 19. *Univ.* Zabarella *lib.* 1. *et* 2. *de proposit. necess.* Tartar. *in cap.* 5. *hujus quæst. unic.* Joan. a Mag. *prim. Poster. quæst.* 6. Faber *theor.* 8. *cap. unic.* Conimbr. *in cap.* 4. *pri. Post. quæst. un. art.* 2. *et* 3. Complut. *disp.* 18. *Log. quæst.* 2. Aversa *quæst* 18. *Log. sect.* 11 et communiter Interpretes et Recent. *in hunc locum pri. Post. et* 5. *Met. citatum.* Vide Doct. 8. *qq. continue sequentibus.* Item *qq.* 25. 26. 27. 28, *et* 29. *hujus.*

Quod non videtur ; *per se* dicit causam, per Aristotelem. Si igitur hæc sit possibilis, in propositionibus denotatur per hanc conditionem, quod subjectum sit causa prædicati, vel e contra, et tunc propositio necessaria est falsa, quia hæc tunc esset falsa, *Homo per se est animal*, quia denotatur idem esse causa suiipsius, cum tamen non sit. **1.** ***Argumenta pro parte negativa.***

Item, *per se*, excludit causam cum participatione secundum Linconiensem : aut ergo excludit efficientem causam, et tunc nihil esset *per se*, nisi prima causa, quod videtur inconveniens ; aut excludit causam materialem : et tunc substantia materialis non esset ens per se ; cujus oppositum dicit Aristoteles, dicit enim quod Callias est ens per se, aut excludit esse aliarum causarum, et tunc sequitur, quod illa, quæ causantur ab aliis causis, non sunt entia per se : omnia ista videntur inconvenientia, ergo, etc.

Ad quæstionem dicitur, quod sit certa. Ubi intelligendum est, quod hæc conditio *per se*, dupliciter potest accipi. Uno modo in propositionibus. Alio modo in rebus. Primo modo facit modum inhærendi. Secundo modo facit modum essendi ; et utroque modo hæc conditio *per se* est possibilis. Est enim possibilis in propositionibus, quia in aliquibus propositionibus subjectum est causa prædicati, et in aliis prædicatum est causa subjecti. Exemplum primi in secundo modo dicendi per se : *Homo est risibilis*, quia a principiis subjecti progreditur passio. Exemplum secundi est, quando prædicatur definitio, vel pars definitionis de definito ; tunc enim prædicatum est causa subjecti. Cum igitur inhærentia dicit causam subjecti respectu prædicati, vel prædicati respectu subjecti, conditio erit possibilis per se. **2.** ***Conclusio. Per se dupliciter potest accipi.***

Item, hæc conditio *per se* est possibilis in rebus, et constituit modum essendi, et sic excludit causam participem secundum **3.** ***Per se excludit causam simpliciter.***

Linconiensem, et hoc est tripliciter. Aut enim excludit causam efficientem, aut finalem; et isto modo prima causa solum est per se, quia non habet causam efficientem, sive finalem, est enim efficiens, et finis omnium. Alio modo excludit causam materialem; et sic Intelligentiæ sunt per se, licet in Intelligentiis logicum sit reperire quod, et quale. *Quod* est aliud ab eo quod est *quid*, tamen non est reperire ibi compositionem materiæ cum forma. Tertio modo *per se* excludit esse in subjecto, et hæc causa exclusa potest reduci ad causam materialem. Substantia enim est causa materialis, vel respectu accidentis quod est in eo; et isto modo tertio, substantia est ens per se. Substantia enim est ens, et non in alio, tanquam in subjecto; et sic ergo patet, quod hæc conditio *per se*, est possibilis in rebus; patet etiam quod sit possibilis in propositionibus.

Ad primam rationem dicitur, quod licet *per se* dicat causam in propositionibus, non tamen hæc est falsa, *Homo est animal*.

4. *Ad argumenta.* Ad probationem dicitur, quod licet animal sit idem realiter quod homo, tamen diversum est secundum conceptum, seu rationem intelligendi; et ideo ut sic potest esse causa respectu hominis, unde idem respectu sui ipsius potest esse causa, dummodo sit ab alia ratione acceptum.

Ad secundam rationem dicitur, quod *per se*, in rebus diversis, excludit diversam causam, et non excludit quamlibet causam in qualibet re: sed in Intelligentiis excludit causam materialem, sed non efficientem. Similiter in substantiis excludit esse in alio tanquam in subjecto, non tamen excludit universalem causam materialem in materialibus; ideo nullum inconveniens sequitur. Si tamen quamlibet excluderet causam in isto cui adjungitur, tunc conditio *per se*, non esset possibilis in rebus, nisi tantum in prima causa, quæ nullam aliam causam habet.

5. Contra hoc; si hæc conditio *per se* dicat causam inhærendi, tunc hæc esset falsa, *Homo per se est homo*, quia denotat idem secundum rem et rationem, quod sit causa suiipsius.

Dicitur quod hæc sit vera, *Homo per se est homo*. Et ad probationem dicitur, quod *per se*, in primo modo dicit causam inhærendi, sed non in quocumque gradu. Primus enim modus dicendi per se, habet tres gradus. Primus secundum quod idem dicitur totaliter de se. Alius secundum quod definitio prædicatur de definito, cujusmodi est Differentia et Genus. Tertius modus secundum quod pars definitionis prædicatur de definito, sicut Genus vel Differentia. *Primus modus dicendi per se habet tres gradus.* Ad formam dicitur, quod *per se* de primo modo non dicit causam inhærendi positive, sed excludit causam participem, est enim intellectus, quod homo per se est ita homo, quod non per aliam causam. Dicit enim Aristoteles 7. Metaph. quod quæstio quare homo est homo est quæstio de nihil; quia quæstio aliquid præsupponit, et aliquid quærit, sed hîc nihil præsupponitur. Dicit enim quod quærere quare homo, est homo, nulla causa. In aliis gradibus ejusdem primi modi *per se* dicit modum inhærendi, et de aliis duobus gradibus primi modi considerat demonstrator, non autem de primo gradu in quo prædicatur idem de se; et hujus ratio est, quia demonstrator utitur talibus modis, in quibus non est petitio. Sed si accipiatur ista, *Homo est homo*, loco præmissæ, semper esset petitio; quia tunc termini propositionis erunt convertibiles, et una est dubia æqualiter conclusioni. Ut si arguitur, *Homo est risibilis : homo est homo : ergo homo est risibilis*, et ideo de primo gradu in quo prædicatur idem de se, non curat demonstrator. In omnibus tamen modis dicendi per se, in quibus utitur demonstrator *per se*, dicit causam inhærendi in illo gradu, in quo demonstrator utitur, etc.

QUÆSTIO XVI

An tantum duo sint modi inhærendi per se in propositionibus

1. *...men- ...o par- ...gati-* Quod non videtur; primo auctoritate Aristotelis, qui dicit in capitulo de *Per se*, quod *Quæcumque dicuntur in simpliciter scibilibus, per se sic sunt, sicut inesse prædicantibus, aut inesse propter ipsa.* Per hanc particulam, *inesse prædicantibus*, intelligit secundum modum, quando subjectum cadit in definitionem passionis, quæ prædicatur de subjecto. Per hanc particulam, *inesse propter ipsa*, intelligit quartum modum, ubi prædicatum ponitur inesse subjecto, propter causam efficientem in subjecto, ut est hîc : *Interfectus interiit propter interfectionem.* Sed conclusio in demonstratione solum est simpliciter scibilis, igitur conclusio in demonstratione est per se secundo modo, et quarto modo. Sed manifestum est, quod in præmissis demonstrationis est primus modus dicendi per se; ergo sunt saltem tres modi dicendi per se in propositionibus, non ergo tantum duo.

Præterea per Aristotelem *per se* in propositionibus dicit causam inhærendi, toties igitur dicitur *per se*, quoties dicitur causa. Sed quatuor sunt causæ, ergo quatuor sunt etiam modi dicendi *per se*.

2. Hîc dicitur negando consequentiam, scilicet quatuor sunt causæ, ergo, etc. quia licet *per se* dicat causam inhærendi, tamen perseitas propositionis non accipitur per se a quacumque causa. A causa enim finali non accipitur modus dicendi per se, quia est extrinseca rei.

Contra; causa finalis maxime causa est, est enim causa causarum, per Aristotelem. Cum ergo *per se* dicit causam inhærendi, potius a causa finali accipitur modus perseitatis, quam ab aliqua alia causa. Item, causa efficiens est causa extrinseca rei, et tamen ab ipsa accipitur unus modus dicendi per se, non obstante quod sit extrinseca.

Item, ad principale, in demonstratione concluditur passio de subjecto, per definitionem subjecti, quæ est medium; ergo in demonstratione primo per se, in majori prædicatur passio de definitione subjecti, et in minori prædicatur definitio subjecti de subjecto. Ex hoc arguo sic, Alio modo sunt præmissæ per se, et conclusio, quia conclusiones cum hoc quod sunt per se, sunt propter aliud, sed præmissæ non sunt propter aliud, sed conclusio in demonstratione est per se secundo modo, quia prædicatur passio de subjecto; ergo major, in qua prædicatur passio de definitione subjecti, non erit per se secundo modo; nec est per se primo modo, quia prædicatum non cadit in definitionem subjecti, est igitur per se aliquo modo, et minor in qua prædicatur definitio de definito est per se primo modo, ergo plures sunt modi quam duo.

Hîc dicitur, quod passio non prædicatur de definitione subjecti in majori demonstratione, sed de definitione passionis, et per consequens minor non erit per se aliquo modo. 3.

Contra, definitio passionis est universale prædicatum, quia quatuor sunt prædicata secundum Aristotelem 1. Topic. Quorum unum est definitio, sed universale respectu istius, respectu cujus est universale, non habet propriam rationem subjecti, sed magis prædicati; ergo definitio passionis respectu subjecti non potest proprie subjici.

Item, adhuc ex ista ratione sequitur, quod sunt tres modi dicendi per se, quia in conclusione est secundus modus dicendi per se, in minore prædicatur definitio passionis de subjecto, et non per se secundo modo, ut probatum est prius; quia alio modo sunt præmissæ per se, et conclusio : nec est per se primo modo, quia prædicatum non cadit in definitionem subjecti, igitur præter primum et secundum, oportet quod ista minor sit per se aliquo alio modo, et per consequens plures sunt modi dicendi per se quam duo.

Ad oppositum videntur esse auctoritates 4. *Argumen-*

ta in oppositum. Aristotelis, quia Aristoteles postquam posuit primum modum, et secundum, dicit quod quæ neutraliter insunt, accidentia sunt, ut videtur,ergo non sunt plures modi dicendi per se, quam primus, et secundus.

Item, Aristoteles volens probare hanc propositionem, *quæ per se sunt, de necessitate insunt*, in primo capitulo, *Quoniam autem ex necessitate*, etc. ipsam probat inductive, et ipsam solum inducit in primo, et secundo modo, ergo, ut videtur, non sunt plures modi dicendi per se, quam primus et secundus; vel si sint plures, inductio Aristotelis est insufficiens.

Item, propositio dicitur per se ex hoc, quod subjectum cadit in definitionem prædicati, aut e contra, sed hoc non est nisi duobus modis, ergo tantum sunt duo modi dicendi per se.

5. *Opinio D. Thomæ.* Ad hanc quæstionem dicit Thomas expositor uno modo, quod sunt tres modi dicendi per se in propositionibus demonstrationum. Hæc enim Præpositio *per*, addita cum hoc relativo reciproco quod est *se*, dicit quamdam circumstantiam. Sed hoc est dupliciter, vel in rebus, vel in propositionibus. In rebus dicit circumstantiam solitudinis, et sic dicitur quod iste homo est per se, quando solus existit. Sed ut dicit circumstantiam in propositionibus, dicit circumstantiam in ratione causæ, et hoc tripliciter. Uno modo dicit circumstantiam causæ formalis, sicut hìc : *Iste homo vivit per animam*. Alio modo dicit circumstantiam causæ materialis, sicut hìc, *Corpus est collocatum per superficiem*. Tertio modo dicit circumstantiam causæ efficientis,sicut hìc, *Homo est calidus per ignem*. Quando igitur dicit circumstantiam causæ formalis; accipitur primus modus, quia in primo modo prædicatum est causa formalis subjecti, quia Genus et Differentia sunt partes formales respectu definiti, licet unum sit materiale respectu alterius, ideo dicit Aristoteles in 7. Metaph. quod partes definitionis sunt formæ.Quando vero dicit circumstantiam causæ materialis, accipitur secundus modus, quia in secundo modo est subjectum per se causa respectu prædicati, in ratione causæ materialis. Sed quando dicit circumstantiam causæ efficientis, accipitur quartus modus, et ita patet quod sint tres modi dicendi per se in propositionibus, videlicet primus, secundus, et quartus. Nam tertius modus est modus essendi, et non modus inhærendi.

Contra illud; si *per se* dicat circumstantiam in ratione causæ ab illa causa, igitur quæ maxime est causa, maxime dicitur *perseitas*. Sed causa finalis maxime est causa, est enim causa causarum secundum Aristotelem 5. Metaph. ergo a causa finali accipiendus est aliquis modus dicendi per se, sicut ab aliis causis, et ita erunt quatuor modi dicendi per se, et non tantum tres. 6.

Item, quod primus modus non accipiatur a causa formali videtur, quia hæc est per se primo modo, *Risibilitas est hominis*, quia prædicatum cadit in definitionem subjecti, et tamen homo non est causa formalis respectu risibilis. Similiter hæc est per se primo modo, *Pater est filii*; non tamen filius est causa formalis respectu patris.

Item, probo quod secundus modus non accipitur a causa materiali, quia causa materialis solum habet rationem passivæ potentiæ, quæ est contradictionis respectu illius, cui est causa, materia enim est causa qua res potest esse, et non esse. Si ergo subjectum respectu passionis solum haberet rationem causæ materialis, tunc passio de subjecto non prædicaretur necessario, sed contingenter, quod est impossibile.

Item, Aristoteles dicit, quod *Quæ neutraliter insunt, accidentia sunt*, hoc frustra dixisset si plures essent modi quam primus et secundus.

Sustinendo expositorem, dicendum est ad primam rationem, quod a causa finali accipitur unus modus dicendi per se, sed non alius modus a quarto, qui accipitur a causa efficiente, quia causa efficiens non agit, nisi quia movetur a fine; et ideo cum causa efficiens, et finalis simul sint motivæ causæ, et extrinsecæ secundum quod dis- 7

tinguuntur a forma, ideo ab utraque potest capi quartus modus. Tunc potest dici quod quartus modus est, quando prædicatum inest subjecto per causam motivam extrinsecam : sive ista causa sit efficiens proprie, sive finalis.

Ad aliud dicitur, quod istæ sunt per se, *Risibilitas est hominis, pater est filii*, primo modo ; quia prædicatum cadit in definitionem subjecti. Et cum dicitur, quod prædicatum non est causa formalis subjecti ; dicitur quod prædicatum est causa formalis, extendendo causam formalem ad illud, sine quo intellectus alicujus concipi non potest, et sic est punctus de formali intellectu lineæ, quia non possunt intelligere lineam sine puncto ; ideo in definitionem lineæ cadit, non tanquam intrinsecum essentiæ lineæ, sed tanquam illud, sine quo intellectus formalis lineæ concipi non potest.

Ad aliud dicitur quod ista ratio probat quod subjectum respectu passionis non habet solam rationem causæ materialis, et hoc concedit Thomas, sed simul cum hoc habet rationem causæ efficientis.

Ad aliud dicitur, quod Aristoteles dicit istam litteram, *Quæ neutraliter insunt*, etc. sub isto intellectu, quæ neutraliter insunt, ita quod prædicatum non cadit in definitionem subjecti, nec e contra, accidentaliter insunt, ex hoc tamen non sequitur quod sint tantum duo modi dicendi per se, quia pluribus modis potest prædicatum cadere in definitionem subjecti, vel e contrario. Per hoc ad rationes principales.

. et 2. cipale Ad primam patet per hoc quod nunc dictum est.

Ad secundam auctoritatem dicitur quod Aristoteles supponens hanc propositionem, *Quæ per sese insunt, de necessitate insunt* ; supponit de quarto modo. Et quia quartus modus de se manifestus est, ideo Aristoteles hanc propositionem inducit solum in primo modo, et secundo, quia illi non sunt ita manifesti, et ex hoc non sequitur, quod quartus modus non sit, nec quod Aristoteles fuerit insufficiens.

8. *Conclusio Doctoris.*

Ad quæstionem dicitur secundum Linconiensem, quod tantum sunt duo modi dicendi per se ; et ratio est, quia in propositione per se, in qua unum de alio enunciatur, unum egreditur ex principiis quidditativis alterius, et per consequens quidditas unius dependet a quidditate alterius in essendo, et ex hoc sequitur, quod quidditas unius habet definiri per quidditatem alterius, quia eadem sunt principia essendi et cognoscendi, secundum Aristotelem 2. Metaph. ergo a primo ad ultimum *Propositio per se, est quando unum extremum cadit in definitionem alterius.*

Unum potest cadere in definitionem alterius dupliciter.

Sed unum cadere in definitionem alterius, potest esse dupliciter. Uno modo sic, quod unum sit intrinsecum essentiæ alterius, sicut in definitionem Speciei Substantiæ, cadit Genus et Differentia, quæ sunt intrinseca essentiæ Speciei, sicut animal et rationale sunt intrinseca homini. Alio modo unum cadit in definitionem alterius, non sicut intrinsecum essentiæ, sed sicut additum essentiæ, quod est extrinsecum ; et isto modo subjectum cadit in definitionem accidentis : sicut homo cadit in definitionem risibilitatis, tanquam extrinsecum esse risibilitatis, ideo definitio accidentis dicitur definitio per additamentum, ex hoc ad propositum. Cum in propositione per se necesse sit unum extremum cadere in definitionem alterius, hoc potest esse dupliciter ; aut enim prædicatum cadit in definitionem subjecti, et est primus modus, supposito quod illud quod subjicitur natum sit subjici ; et quod prædicatur, prædicari ; et ad illum modum reducuntur omnes prædicationes, in quibus prædicantur causæ de causatis, sive in recto, ut *Homo est animal*, sive in obliquo, ut *Risibilitas est hominis* ; quia subjectum est causa respectu suæ passionis. Alio modo in propositione per se, subjectum cadit in definitionem prædicati, et sic fit secundus modus dicendi per se. Et ad istum modum reducuntur omnes tales prædicationes, in quibus causata prædicantur de causis, retenta priori conditione, quod illud subjiciatur

quod natum est subjici, et prædicetur quod natum est prædicari ; et cum unum extremum non possit cadere in definitionem alterius, nisi duobus modis, quia ut prædicatum cadit in definitionem subjecti, vel e contra, ideo tantum sunt duo modi dicendi per se. Ideo dicit Aristoteles, quod *Quæ neutraliter insunt, accidentia sunt.*

9. Per hæc patet ad hujusmodi instantias, si fiant in illa, *Animal est homo*, subjectum est causa prædicati ; sic in ista, *Risibile est homo*, prædicatum est causa definiens subjectum, *Ergo animal est homo*, est per se secundo modo ; et similiter hæc, *Risibile est homo*, est per se primo modo, quia prædicatum cadit in definitionem subjecti.

Ad hoc dicendum est, quod istæ instantiæ non sunt rectæ, quia in omnibus modis dicendi per se, requiritur una conditio generalis, videlicet quod subjectum sit natum subjici, et prædicatum natum prædicari, et hoc est quod Aristoteles dicit postea, *Subjicitur autem nobis in demonstratione illud quod est natum subjici sicut lignum, et prædicatur quod natum est prædicari.* Sed in istis instantiis non subjicitur quod natum est subjici. Animal enim non est natum subjici respectu hominis, nec risibile natum est subjici respectu hominis ; passio enim est magis nata prædicari, quam subjici respectu subjecti. Ideo hæc non est per se, *Risibile est homo*, nec ista, *Animal est homo.*

Tu dicis, quod definitum natum est subjici respectu definitionis, et etiam definitum natum est subjici respectu partium definitionis ; quia definitum ad definitionem, et ad suas partes comparatur ut *quid.* Sed risibile definitur per hominem, ergo natum est subjici.

Dicitur quod *duplex est definitio*, una *essentialis*, altera, *per additamentum.* In definitione essentiali definitum natum est subjici respectu partium definitionis, quia ad illas comparatur ut *quid*, tanquam ad suam propriam essentiam. Sed in definitione per additamentum non oportet definitum esse natum subjici respectu cujuscumque partis definitionis, quia non respectu subjecti, non enim comparatur ad utramque partem ut *quid*, sed ad unam ut *quid*, ad aliam vero ut *quale* : ut patet in isto exemplo, *Simum est nasus cavus.* Simum comparatur ad nasum, ut quale, per hoc quod est sibi additum. Sed ad cavum comparatur ut *quid*, sicut omne inferius comparatur ad suum superius per modum *quid* in eodem genere.

Ad aliud dicitur, quod Linconiensis hanc litteram exposuit, quod Aristoteles non intelligit quod conclusio in demonstratione sit per se in duplici genere causæ, sicut exposuit Thomas. Sed Aristoteles intelligit per illam litteram, quod duo modi sunt in demonstratione, ut primus, et secundus, et sic exponitur littera per Linconiensem, scilicet *Quæcumque dicuntur in simpliciter scibilibus*, hoc est, in demonstrationibus, *sic sunt per se sicut inesse prædicantibus*, hoc est, primo modo, ubi prædicatum est causa subjecti, *aut inesse propter ipsa*, hoc est, propter subjecta, sicut in secundo modo, ubi subjectum est causa prædicati. 10. *Ad 1 prin.*

Ad aliud dicitur negando hanc consequentiam, quatuor sunt causæ, ergo quatuor sunt modi dicendi per se. *Ad 2*

Ad probationem cum dicitur, quod modus dicendi per se accipitur a causa ; dicendum, quod non sub ratione particulari, qua causæ distinguuntur ab invicem. Sed accipitur a causa sub altera illarum duarum conditionum secundum quod subjectum est causa prædicati, vel prædicatum subjecti, et isto modo tantum accipiuntur duo modi dicendi per se.

Ad aliud principale dicitur, quod in demonstratione passio prædicatur de definitione subjecti in majori, et hoc in demonstratione potissima, et sic est major per se secundo modo, similiter conclusio in qua prædicatur passio de subjecto. Sed minor est de esse primo modo, quia in minori prædicatur definitio subjecti de subjecto ; et sic tantum duo sunt modi dicendi per se in demonstratione. *Ad*

Ad formam dicitur, quod non oportet

majorem esse per se alio modo, quam sit conclusio; quia eodem modo dicendi per se prædicatur passio de subjecto, et de definitione subjecti, quia in utraque propositione subjectum est causa prædicati, licet in una implicite, scilicet ubi subjicitur subjectum, et in alia explicite ubi subjicitur definitio, tamen utrobique est secundus modus.

Intelligendum tamen est, quod aliter est per se major et conclusio, quia in alio gradu secundi modi.

1. …ndus …s di- per …abet …s gra-

Secundus enim modus habet plures gradus, sicut primus modus, quia in primo modo est unus gradus, secundum quem definitio materialis prædicatur de definito. Alius modus est, secundum quem definitio formalis, et finalis prædicatur de definito; et tamen utrobique est primus modus dicendi per se. Quod autem aliter, et aliter fit alius gradus ostendo per Aristotelem, ubi ponit quod definitio est incorruptibilium; dicit ibi quod quædam definitio est conclusio demonstrationis, ut definitio materialis; et quædam est principium demonstrationis, ut definitio formalis; quædam est tota demonstratio sola positione differens. Cum ergo definitio materialis sit conclusio, et definitio formalis principium, alius est gradus. Eodem modo in proposito, passio prædicatur de suo subjecto secundo modo in conclusione, et passio de definitione subjecti secundo modo in majori: tamen utrobique est secundus modus. Sed quia in uno gradu est conclusio, et in alio est principium, ideo diversi sunt gradus secundi modi.

Ulterius intelligendum est, sicut dicit Linconiensis, quod Aristoteles ponit tertium modum, qui est modus essendi, et quartum modum, qui est modus causandi, propter completionem sui sermonis, non tamen sunt modi inhærendi nisi duo, scilicet, primus, et secundus.

QUÆSTIO XVII

An ista sit per se, Homo est animal

Videtur quod non; quia hæc est per accidens, *Rationale est animal,* ergo et hæc, *Animal rationale est animal,* et ulterius; igitur hæc est per accidens, *Homo est animal,* quia *animal rationale,* et *homo* idem significant. Prima consequentia patet, quia hæc est per accidens, *Homo albus est homo*; quia hæc est per accidens, *Album est homo,* igitur a simili hæc est per accidens, *Animal rationale est animal,* quia hæc est per accidens, *Rationale est animal.* 1.

Argumenta pro parte negativa

Hîc dicitur negando primam consequentiam. Et ad probationem dicitur quod non est simile, quia *Homo est albus* non est unum simpliciter, sed unum aggregatum; homo enim et album sunt duæ res diversorum Generum. Ideo non possunt facere unum simpliciter, propter hoc licet de homine albo prædicetur *homo* per accidens, sicut de albo, non tamen est sic ex alia parte.

Contra: hæc est per accidens, *Homo albus est homo,* sicut hæc, *Album est homo,* propter hoc quod homo sub ratione albi accipitur, ergo hæc erit per accidens, *Animal rationale est animal,* sicut hæc, *Rationale est animal*; quia animal sub ratione rationalis accipitur. Et hæc consequentia confirmatur per hoc, quia quod extraneatur alicui, quod est in aliquo formali conceptu, extraneatur toti conceptui.

Item ad principale; pars non prædicatur de toto per se, hæc enim non est vera: *Arca est lignum,* secundum Aristotelem 7. Metaph. sed animal est pars hominis, ergo non per se prædicatur de homine.

Hîc dicitur quod duplex est pars, scilicet realis, et rationis. Pars realis non potest prædicari de toto per se, pars tamen rationis bene potest: hujusmodi sunt animal et rationale respectu hominis.

Pars duplex.

Contra per Aristotelem in 7. Metaph. 2.

Definitio est sermo habens partes, et sicut tota definitio ad totam rem, sic pars definitionis ad partem rei. Sed tota definitio significat totam rem, ergo pars partem. Genus et Differentia sunt partes definitionis, ergo sunt partes definiti, ergo pars, etc.

Item, in definitione non est nugatio, ut suppono, quia nihil superfluum, nec diminutum continet, ergo nec Genus, nec Differentia possunt idem significare, quia tunc esset nugatio, ergo significant realiter aliud, et aliud, et sunt partes constituentes definitum, ergo sunt realiter diversæ partes.

Ad principale, Genus et Species, ut animal et homo, vel imponuntur a diversis formis, vel a gradibus ejusdem formæ : sed cum aliqua duo imponuntur a diversis formis, unum non potest per se prædicari de altero : ergo animal non potest per se prædicari de homine. Minor patet, quia musicum per accidens prædicatur de albo, quia utrumque imponitur a diversa forma. Similiter major patet, quia homo imponitur ab intellectiva, animal a sensitiva.

3. Dicitur quod minor non est universaliter vera. Et ad probationem, quod procedit, cum aliqua duo imponuntur a diversis formis, quarum una non includit aliam ; intellectiva autem includit sensitivam. Ideo animal de homine per se potest prædicari, licet musicum de albo non prædicetur, quia musica a qua imponitur musicus, non includit albedinem, a qua imponitur album, nec e contra.

Contra, si intellectiva sensitivam includeret, aut ergo includit illam, sicut inferius suum superius, aut sicut completum incompletum. Non primo modo, quia qua ratione intellectiva esset inferius ad sensitivam, eadem ratione forma bruti se haberet ut inferius ad sensitivam, tunc sequeretur quod forma bruti, et intellectiva essent diversæ Species, quia habent aliquid in quo conveniunt, ut sensitivam, et secundum se differunt : ergo essent Species differentes, quod est inconveniens. Si autem secundo modo, tunc non est vera prædicatio unius de alio : nec per consequens animal de homine propter talem inclusionem, propterea quia si sic, hæc esset per se, *Tetragonum est trigonum*, quia unum alterum includit.

Ad oppositum est Aristoteles, dicit enim, quod *Primus modus dicendi per se est, quando prædicatum cadit in definitionem subjecti indicantem quid sit subjectum*; sed animal in definitionem hominis cadit, ergo est per se primo modo.

Ad quæstionem dicitur, quod est per se primo modo, *Homo est animal*, propter rationem tactam. Intelligendum est tamen propter rationes, quod Genus, et Differentia significant diversam partem conceptus hominis, aliter in definitione esset nugatio. Si enim idem totum significaret Genus per se, et Differentia per se, quod significat Species : tunc idem intellectus in definitione poneretur bis, nec excusaret diversa ratio, quia si sic, tunc hîc non esset nugatio, *Homo animal*, quia diversa est ratio hominis, et animalis, sub qua utrumque significatur. Ideo oportet dicere quod Genus, et Differentia significant partes conceptus hominis, primo, et determinate. Genus enim determinate significat partem materialem, et Differentia distincte partem formalem, sicut Species distincta significat totum compositum, tamen Genus et Differentia significant per modum totius, et ideo totum significant confuso modo, quod Species modo determinato significant, et per hoc distinguitur a partibus realibus, partes enim reales accipiuntur per modum partis, et non per modum totius. 4. *Conclu*

Ad primam rationem dicitur sicut dicebatur.

Ad primum contra hoc dicitur, quod hæc est per accidens, *Homo albus est homo*, non solum propter hoc quod homo accipitur sub ratione albi : sed propter hoc etiam, quia hoc quod dico *homo* sub ratione albi accipitur, et similiter pro eo quod ista non faciunt unum per se, sed unum per accidens, quia sunt res diversorum Generum ; similiter licet animal accipiatur *Ad men*

sub ratione rationalis ex alia parte, non tamen hæc est per accidens, *Animal rationale est animal*, quia ex istis duobus fit unus conceptus Speciei et hominis, cui per se inest animal, et ideo est simile,

Ad aliam confirmationem dicitur, quod hæc propositio est falsa, scilicet quod per accidens inest formali conceptui alicujus, per accidens inest illi, in quo est illud formale ; et hoc si ex illo materiali et formali sit unum compositum per se, in quo composito includitur prædicatum ratione alterius partis, ut partis materialis. Hæc tamen est vera, scilicet quod per accidens inest conceptui formali alicujus, ei non inest per se, id est, illi conceptui. Aliud est enim loqui de formali in conceptu Speciei, et de formali conceptu Speciei : quia formale in conceptu Speciei est conceptus ejusdem compositus ex Genere et Differentia, sed formale in conceptu est Differentia. Tunc breviter dico, quod etsi aliquid repugnet formali in conceptu cum modo perseitatis, dummodo tamen non repugnet conceptui Speciei, vel alteri quod includitur in Specie, erit in toto per se, quia tunc est per se primo modo, cum prædicatum includitur in *quod quid* subjecti, sive in conceptu formali subjecti. Quod autem hoc sit ratione materialis in conceptu, vel formalis, hoc accidit.

Ad aliud dicitur sicut dicebatur.

Ad primum contra hoc dicitur, quod sicut tota definitio significat totam rem determinate, ita pars partem conceptus Speciei, sed ex hoc non sequitur, quod Genus significet partem realem, quia licet Genus significet partem, non tamen per modum partis, et in hoc distinguitur a parte reali.

Ad aliud, concedo quod Genus distincte, et determinate significat rem diversam ab alia re, quam significat Differentia, et similiter concedendum est quod significat partem conceptus in homine, tamen ex istis divisim inferre conjunctim, scilicet quod Genus significat partem diversam realem ; fallacia est secundum Accidens. Sicut hìc, *Iste est Monachus et est niger ; ergo*, etc. Quia ad aliud refertur realitas, et ad aliud partialitas ; pars enim realis, sicut dictum est, accipitur per modum partis, sed animal non significat hominem per modum partis.

Ad aliud principale dicitur, quod licet homo, et animal a diversis formis imponantur, hæc tamen potest esse per se, *Homo est animal,* licet etiam sensitivum, a quo imponitur animal, non includatur in intellectivo per se, tamen quia in homine non est oppositio inter sensitivum, et intellectivum ; sed sensitivum est principium quod est materiale respectu intellectivi, sive ponantur ista principia esse diversæ formæ, sive diversi gradus in illa forma : ideo animal per se includitur in homine. Ratio autem falsum supponit, hoc scilicet quod ad hoc quod propositio sit per se primo modo, oporteat formale in subjecto per se includere formale in prædicato. Sed illud non est verum. Ad hoc enim quod propositio sit per se, sufficit quod prædicatum in subjecto includatur, vel ratione formalis subjecti, vel ratione materialis. Ratione formalis, ut hìc, *Homo est rationalis.* Ratione materialis, ut hìc, *Homo est animal.* Ratione utriusque, *Homo est animal rationale.*

Rationes contra primam responsionem concludunt verum ; concludunt enim quod ad hoc quod propositio sit per se, non oportet prædicatum in subjecto includi ratione formali prædicati, nec oportet formale prædicati includi in formali subjecti, quod autem hoc inveniatur, hoc aliquando accidit, etc.

QUÆSTIO XVIII

An hæc sit per se, Animal est homo

Quod sic videtur ; Homo per se est animal, ergo animal per se est homo. Antecedens est verum ; ergo et consequens. Probatur consequentia per conversionem simplicem. Item, sequitur, *Homo est animal, ergo animal est homo,* convertibiliter : er- 1. *Argumenta pro parte affirmativa.*

go eodem addito utrobique adhuc sequitur, ergo addita hac conditione *per se*, sequitur.

Item, per Aristotelem in 1. hujus, capitulo de *Per se*, illa propositio est per se secundo modo, in qua subjectum cadit in definitionem prædicati, sed animal cadit in definitionem hominis, ergo hæc, *Animal est homo*, est per se secundo modo.

Item, aut est per se, aut per accidens : si est per se, habeo propositum; non est autem per accidens, quia propositio per accidens dicitur tripliciter. Aut quia accidens accidit subjecto; aut quia subjectum accidit accidenti; aut quia accidens accidit accidenti, sicut album est musicum. Sed hæc, *Animal est homo*, nullo istorum modorum est per accidens, quia unum extremum non est accidens respectu alterius: ergo hæc non est per accidens.

Item, Aristoteles in 1. hujus, ponit hanc propositionem, *Quæ de necessitate insunt, per se insunt*, et hoc probat, quia quæ de necessitate insunt, aut insunt per se, aut per accidens : non per accidens, quia accidentia non insunt de necessitate : sed de necessitate homo inest animali; ergo homo per se inest animali, ergo hæc est per se, *Animal est homo*. Item, *homo* et *animal* significant eamdem essentiam, sed essentia inest sibiipsi per se, et non per additum, ergo hæc est per se, *Animal est homo*.

Item, aut est per se, aut per accidens ; si per se, habeo propositum : si per accidens, ergo per additum ; quæro tunc de isto addito, aut hoc prædicatum *homo* ei inest per se, aut per accidens additum. Si per se, eadem ratione fuit standum in primo : si per additum, quærendum est de isto addito, et sic est processus in infinitum.

2. *Argumenta in oppositum.* Ad oppositum, si hæc esset per se, cum *per se* præsupponat *de omni*, hæc esset per se, *Omne animal est homo*, consequens est falsum, ergo et antecedens.

Item, si hæc esset per se, aut primo modo, aut secundo modo, aut quarto modo ; quia de tertio non est dubium, quia tertius modus, est modus essendi, et non modus inhærendi. Non primo modo, quia prædicatum cadit in definitionem subjecti, sed homo non cadit in definitionem animalis : nec secundo modo, quia in secundo modo passio prædicatur de subjecto, sic non est in proposito ; ergo, etc. Nec in quarto modo ; quia quartus modus est, quando subjectum est causa efficiens prædicati ; sed in animali non est causa efficiens respectu hominis, ergo hæc non est per se aliquo modo.

3. *Conclu[sio].* Ad quæstionem dicitur, quod hæc non est per se aliquo modo ; *Animal est homo*. Et hujus ratio est, quia si esset per se, cum prædicatum, et subjectum maxime importent eamdem essentiam, maxime videretur quod essent per se primo modo : sed non est per se primo modo, quia in primo modo prædicatum cadit in definitionem indicantem primo *quid* subjecti ; sed *homo* non cadit in definitionem animalis, sed potius e converso.

Propo[sitio] tripli[citer] dicitur accide[ns]. Intelligendum tamen, quod propositio tripliciter dicitur per accidens, secundum rationes prædictas. Uno modo, quando unum extremum est accidens alteri inhærens, sicut patet hîc, *Homo est albus*, et adhuc sic propositio potest esse per accidens tripliciter. Uno modo, quando accidens accidit subjecto, sicut hîc, *Homo est albus*. Secundo modo, quando subjectum prædicatur de accidente, sicut hîc, *Album est homo*. Et tertio modo, quando accidens prædicatur de accidente accidentaliter, sicut hîc, *Album est musicum*, et dico accidentaliter, pro tanto, quia in ista, *Album est coloratum*, prædicatur accidens in concreto, de accidente in concreto, et tamen non per accidens, sed per se ; quia quodlibet superius rationem *quid* habet respectu inferioris.

Secundo modo, dicitur propositio per accidens secundum quod distinguitur contra propositionem primo veram, et sic hæc est per accidens : *Isosceles habet tres*, etc. quia hæc non est primo vera.

Tertio modo dicitur propositio per accidens, quando prædicatum significat eam-

dem essentiam cum subjecto, verumtamen est extraneum intellectui subjecti, et hoc modo hæc est per accidens, *Animal est homo*, et similiter cum inferius prædicatur de superiori, contingit enim tunc intelligere superius non intelligendo inferius.

4. Ad argu-ta. Ad primam rationem dicitur, quod hæc, *Homo per se est animal*, non debet converti in hanc, *Animal per se est homo*, non enim debet converti simpliciter sub omni ratione; et ratio impediens est accepta ab ista conditione *per se*. *Per se* enim præsupponit *de omni*, et ideo si converteretur simpliciter, tunc universalis affirmativa converteretur simpliciter, et sic sequeretur, *Omnis homo est animal, ergo omne animal est homo*. Sed hoc est falsum : ergo illa non debet sic converti simpliciter, cum hac conditione *per se*, sed debet sic converti, *Homo per se est animal, ergo animal est homo*; sicut hæc exclusiva habet converti, *Tantum homo est animal, ergo animal est homo*; vel oportet dicere quod propositiones per se non convertantur propter extraneam rationem quam faciunt modi. Vel oportet dicere quod convertuntur non retentis eisdem modis in convertente, et sua conversa.

Ad aliud dicitur, quod *per se*, facit extraneitatem, quia præsupponit *de omni*: ideo non valet quod convertatur cum hac conditione *per se*.

Ad formam dicitur quod hæc propositio, *Convertibilia eodem addito utrobique adhuc sunt convertibilia*, est intelligenda quando illud additum non facit extraneitatem, et ita quod non includit universalitatem, vel necessitatem impedientem conversionem, sed per se licet non sit universalitas, tamen præsupponit universalitatem.

Ad aliud dico quod illa propositio est per se secundo modo, quando subjectum cadit in definitionem prædicati, quod est passio ; sed homo non est passio respectu animalis : ideo licet animal, quod subjicitur, in definitionem cadat, tamen non erit secundus modus.

Ad aliud dico quod est per accidens.

Ad probationem quod hæc divisio propositionis per accidens, quam ponit Aristoteles in 1. Posteriorum, intelligenda est de propositione per accidens, cujus unum extremum accidentaliter inest alteri ut dictum est in propositione. Sed hæc, *Animal est homo*, non est per accidens illo modo : sed est per accidens, quia prædicatum est extra intellectum subjecti, et non quia prædicatum est accidens respectu subjecti, vel e contra.

Ad aliud dicitur quod hæc propositio est 5.
vera, *Quæ de necessitate insunt, per se insunt*, quando illud quod subjicitur, natum est subjici. Sed animal non est natum subjici respectu hominis, ideo in talibus non est propositio intelligenda.

Ad aliud dico, quod hæc propositio, *Quod vere est, nulli accidit*, est intelligenda accipiendo propositionem per accidens illo modo, illud enim quod per se est, ut substantia, non accidit alteri, sicut accidens accidit subjecto, sic intelligit Aristoteles ; potest tamen alteri accidere, tanquam id quod est extra intellectum subjecti.

Ad aliud dicendum est, quod licet præ- 6.
dicatum, et subjectum significent eamdem essentiam, ex hoc non sequitur talem propositionem esse per se, sed hæc est per accidens, *Animal est homo*, quia per additum, ut per hanc, *Homo est homo*, sed non est intelligendum quod hæc sit per additum, tanquam aliquid quod est additum essentiæ animalis, quia est eadem essentia hominis et animalis ; imo est per additum, quia per aliquid quod est extra intellectum. Animal enim intelligitur communiori modo, quam homo : ideo intelligi potest, licet non intelligatur homo, et sic vocando additum quod est extra intellectum, animal est homo per additum, quia per hominem.

Ad ultimum per idem, quod *Animal est homo*, non est per se, sed per additum, ut dictum est. Et cum quæritur de illo addito, aut illi addito inest homo per se, aut per additum. Dico quod ibi inest per se ; quia hæc est per se, *Homo est homo*. Et cum di-

citur, eadem ratione standum fuit in primo. Dicitur quod non, quia homo non intelligitur, nisi intelligendo animal, sed animal potest intelligi, etsi homo non intelligatur, etc.

QUÆSTIO XIX

An propositio sit per se primo modo, in qua prædicatum, et subjectum significant idem

1. *Argumenta pro parte negativa* Quod non videtur; quia tunc hæc esset per se; *Homo est humanitas*, quæ tamen falsa est. Dicitur, quod non sequitur hanc propositionem esse per se, quia primus modus non est solum ex hoc, quod subjectum et prædicatum significant eamdem essentiam, sed ex hoc quod eamdem essentiam significant sub modis non extraneis: sed *homo* et *humanitas*, significant sub modis significandi extraneis, modo *homo* significat per modum concreti, et *humanitas* per modum abstracti, ergo hæc non est per se.

Contra, tanta est repugnantia, vel major inter determinatum, et indeterminatum, quanta inter modum abstracti, et concreti: sed non obstante, quod animal intelligitur per modum determinati, hæc tamen est vera primo modo, *Homo est animal*, ergo eadem ratione, non obstante oppositione inter modum concreti et abstracti, hæc est per se, *Homo est humanitas*.

Item, *homo* est abstractum, quia denominative dicitur ab eo *humanum*, ergo, ut videtur, *homo* non significat per modum concreti, quia abstractum non potest habere modum concreti, quia per se modus concreti, et abstracti sunt oppositi, et opposita non sunt simul in eodem.

Item ad principale, si propositio esset per se primo modo, ex hoc, quod subjectum et prædicatum significant idem, tunc hæc esset per se, *Chimæra est chimæra*; sismiliter *Non ens, est non ens*, sed hoc est falsum, quia prædicatum alteri per se inesse præsupponit subjectum esse, ergo antecedens falsum, ergo.

Ad oppositum in primo modo prædicatum cadit in definitionem indicantem *quid subjecti*, ergo nullo modo prædicatum et subjectum significant idem.

Ad quæstionem dicitur, quod propositio est per se, quando prædicatum et subjectum significant eamdem essentiam, vel quando prædicatum in intellectu essentiali subjecti includitur. Sed tamen ultra hoc requiritur, quod illud quod subjicitur, natum sit subjici, et quod prædicatur prædicari. Similiter requiritur causa sine qua non, scilicet quod sint modi proportionales, sub quibus prædicatum inest subjecto. Unde per se causa quare propositio est per se primo modo, est ex hoc quod prædicatum cadit in definitionem subjecti, vel est tota quidditas subjecti, causa sine qua non, est correspondentia determinata modorum significandi. 2. *Conclusio.*

Ad primam rationem sicut dicebatur.

Ad rationem contra hoc dico, quod non est simile de modo abstracti, et concreti, et de modo determinati, et indeterminati, quia modus abstracti, est modus sub quo nomen imponitur ad significandum abstractum, ideo talis modus cadit in unionem prædicati cum subjecto, non tanquam illud quod unitur, sed tanquam determinata ratio, sub qua res cujus est modus alteri simpliciter unitur. Ideo hæc est falsa, *Homo est humanitas*. Sed modus indeterminati non cadit in unionem prædicati cum subjecto, nec ut pars unita, nec tanquam determinata ratio, sub qua unum alteri unitur, quia ille modus est rei solum per comparationem ad intelligentem, et non est modus sub quo vox imponitur ad significandum, et ideo non oportet hanc esse falsam, *Homo est animal*, propter tales modos extraneos, quia illi modi nullo modo in unionem cadunt, ut dictum est. 3. *Ad argumenta.*

Ad aliud dicitur, quia *homo* est concretum, et abstractum respectu diversorum; est enim abstractum respectu *humani*, et est concretum ratione *humanitatis*, et ta-

men non sequitur oppositos modos esse in eodem, quia illi modi referuntur ad diversa.

Avicenna tamen aliter dicit ad rationem principalem, quod *humanitas*, et *homo* non idem significant, sed *humanitas* significat formam per quam homo est id quod est, sed *homo* significat compositum.

Ad ultimum dico, quod hæc est per se, *Chimæra est chimæra*, et similiter, *Non ens est non ens*, primo modo, non tamen sub illo genere. Primus modus pertinet ad demonstratorem, quia prædicatum non est causa subjecti, nec e contra, idem enim respectu sui ipsius non est causa.

Ad probationem, dicitur quod per se inesse, non præsupponit hoc esse, nisi actualitate extremi, ergo, etc.

QUÆSTIO XX

An genus et differentia conjunctim, vel divisim sint in primo modo dicendi per se, ut an hæc sit per se, Homo est animal rationale

1. *umen- o par- gativa* Quod non videtur. Voces sunt notæ passionum quæ sunt in anima. Sed alia passio est quam significat *animal*, et quam significat *homo*. Similiter alia similitudo, vel passio quam significat *homo*, et quam significat *rationale* in anima, igitur propositio enuncians hanc passionem esse illam, falsa est ; sed hæc est hujusmodi ; ergo, etc. Minor patet, quia propositio enuntiat significatum de significato : igitur sequitur quod hæc non est per se.

Dicitur, quod licet alia sit similitudo, quam significat *homo*, et *animal*, tamen hæc propositio non est falsa, quia supposito quod quælibet vox significat passionem in anima, illam tamen non significat absolute, sed quatenus similitudo est signum rei, sicut oratio in scripto non significat voces prolatas, nisi quatenus vox prolata est signum rei ; et ideo sicut oratio in scripto non significat illam vocem esse aliam, quia tunc significaret falsum, sed significat illam rem inesse alteri, eodem modo vox prolata non significat hanc passionem esse illam, sed hanc rem cujus est passio, inesse illi rei cujus est alia passio, ideo hæc est vera, *Homo est animal rationale*, licet sit alia similitudo subjecti, et alia prædicati in anima.

Contra, si hæc vox significaret similitudinem, et ex consequenti significaret rem, tunc sequeretur quod quælibet vox esset analoga, seu æquivoca ; similiter sequeretur quod quælibet vox significaret primo accidens, quia passio in anima est accidens. Similiter hoc dato per responsionem, habetur propositum, quia attributio est ratione primorum significatorum subjecti, et prædicati. Probo, quia terminus illud idem subjicit et prædicat primo quod significat primo ; si igitur significat quilibet terminus passionem in anima, et alia est passio hominis in anima, et passio animalis sive rationalis, ideo propositio quæ primo significat hæc de illo, falsa est.

Item, ad principale : ad hoc quod propositio sit per se, oportet quod conceptus 2.
prædicati includatur in conceptu subjecti, sed conceptus animalis et rationalis non includitur in homine, igitur hæc non erit per se primo modo. Probo minorem ; conceptus hominis est simplex, et conceptus animalis similiter est simplex, et similiter rationalis, sed duo intellectus simplices non possunt includi in uno simplici, igitur, etc.

Dicitur, quod licet conceptus animalis, et rationalis sint simplices, sunt tamen simpliciores quam conceptus simplex hominis, sed quod duo intellectus simplices in tertio intellectu simplici includantur simpliciores illo, non est inconveniens.

Contra, impossibile est duo simplicia, inquantum duo, quantumcumque sint simplicia, includi in aliquo tertio simplici. Probo, quia intellectus simplex ad quæ se convertit, totaliter se convertit : intellectus enim in intelligendo unum simpliciter, non potest intelligere aliud simplex ; sed intel-

lectus hominis est simplex, et intellectus animalis : igitur dum includit intellectum hominis, non potest includere intellectum animalis, et eadem ratione nec rationalis : illi igitur duo intellectus sub una qualitate in intellectu hominis non includuntur, etc.

3. *Visibile duplex.* Ad hoc dicitur, quod illi intellectus qui inter se duo sunt et distincti, secundum quod sunt partes definitionis sunt in definito modo confuso, et ideo dicit Aristoteles quod definitio se habet ad intellectum simplicem, sicut *videre*, vel *audire*, quod exponit Linconiensis dicens, quod *duplex est visibile*, quoddam involutum, et tale confuso modo se offert visui ; aliud evolutum et expansum, et tale se distincte offert sensui : similiter audibile quoddam est confusum, et quoddam est distinctum ; sed voces secundum quod sensui, et auditui apparent, eo modo definiuntur. Et ut sic cognoscuntur ab intellectu simplici confuso modo, et tamen definitio cognoscitur ab intellectu simplici modo determinato, ideo necesse est ponere quod partes quæ includuntur in definitione, magis cognoscantur in definitione quam in definito, aliter non faceret definitio cognitionem de definito magis quam e contra. Per hoc ad formam,quod duo intellectus simplices secundum quod inter se sunt divisi, et distincti, in definito includuntur modo confuso.

Contra, definitio est eadem cum definito : igitur si in definitione erunt duo intellectus distincti, igitur duo intellectus distincti et divisi essent primo idem intellectui uni ; sed hoc non est intelligibile : igitur, etc.

Ad oppositum est Aristoteles.

4. *Conclusio.* Ad quæstionem dicitur, quod partes definitionis conjunctim, et divisim prædicantur de definito primo modo : et hujus ratio est ; quia tunc est primus modus,quando subjectum egreditur a principiis prædicati, sive a prædicato secundum se, quod dicitur propter Genus generalissimum ; generalissimum enim prædicatur de per se contentis, et tamen subjectum non potest egredi a principiis generalissimi, quia principium non habent, non enim habent Genus superius, vel Differentiam ; sed subjectum egreditur a generalissimo tanquam ex causa ; generalissimum enim, ut Substantia, quæ substantia prædicatur de homine, est causa quare homo est substantia, ex hoc enim est homo substantia, quia substantia inclusa in homine est substantia.Sed quando prædicantur partes definitionis de definito, conjunctim, vel divisim, illæ sunt causæ a quibus progreditur subjectum ; igitur est primus modus dicendi per se.

Item, per Aristotelem in littera, qui dicit quod primus modus dicendi per se est quando prædicatum cadit in definitionem indicantem quid est subjectum.

Intelligendum est tamen propter rationes, quod vox significans passionem in anima, et rem extra, non dicitur significare duo ; non enim significat passionem, nisi ut est signum rei, et ubi unum est propter alterum, ibi est tantum unum.

Ad aliud, intelligendum propter secundam rationem, quod partes definitionis, quæ sunt diversi conceptus inter se primo, sunt idem conceptui Speciei, qui unus est, ita quod unitas ad conceptum Speciei referatur, et dualitas ad conceptum Generis, et Differentiæ . Per hoc ad rationes.

Ad primam sicut dicebatur ad rationem contra, dico quod non sequitur, *Omne nomen est analogum*, quia nomen non significat passionem nisi quia signum rei, unde non terminatur ibi vox in significando passionem, et ideo tantum unum significat, quia ubi est unum propter alterum, est ibidem tantum unum. 5. *Ad argumenta.*

Ad aliud eodem modo dicitur, quod non sequitur quodlibet nomen significare accidens ; non enim nomen significat passionem absolute, sed ut est repræsentativa rei, et ideo non significat accidens, non enim indicatum est significatum nominis per illam passionem, sed potius illud cujus est illa passio, similitudo.

Ad aliud dicitur, quod non sequitur pro-

positionem esse falsam quamlibet, non enim significat propositio unam passionem esse aliam, sed significat unam rem esse alteram, quia passionem non significat nisi quatenus repræsentat.

Ad aliud sicut dicebatur.

Ad aliud in contrarium, ut dicebatur.

Ad ultimum patet in positione, quod non est inconveniens, ad quod deducitur quod duo intellectus indistincti sint primo idem uni intellectui simplici confuso, et quod ad hoc quod illi duo intellectus partium in definitione faciant cognitionem de definito, oportet quod sint distincti quodammodo, ut ostensum est prius, quia aliter non magis facerent cognitionem de definito, quam e contra.

Contra, si in definitione sint duo intellectus simplices, et diversi secundum se, qualiter potest tota definitio intelligi uno intellectu simplici.

Dicitur, quod in intellectu simplici sunt gradus secundum majorem simplicitatem, et minorem ; magis enim simpliciter intelligitur animal, quam rationale et hoc simplicius, quam animal album, et tamen omnia illa intellectu simplici intelligi possunt, licet secundum majorem et minorem simplicitatem : oportet tamen quod quando talia duo intelliguntur intellectu simplici, quod materiale intelligatur sub ratione formali, et ut sic accipitur ut unumquodque, etc.

QUÆSTIO XXI

An propositio negativa sit per se

1. rgumen- ro par- egativa

Videtur quod non ; Aristoteles dicit in secundo Perihermenias quod hæc est per accidens, *Bonum non est malum*, et tamen hæc negativa est verissima, quia nulla propositio negativa est verior illa, in qua oppositum removetur ab opposito, ex hoc arguo sic : si propositio negativa verissima sit per accidens, multo fortius quælibet alia erit per accidens, et nulla erit per se.

Dicitur hîc, quod negativa hæc est per accidens respectu affirmativæ, et quod hoc intelligit Aristoteles, et tamen in genere negativorum hæc negativa est per se : et quælibet in qua removetur oppositum de opposito.

Contra, si hæc negativa sit per accidens respectu affirmativæ, tunc dependet ab affirmativa, et sequitur si ab affirmativa dependet, quod potest sequi ad affirmativam, igitur a primo, si negativa sit per accidens respectu affirmativæ, negativa igitur potest sequi ex affirmativa per se : sed hoc est falsum ; negativa enim non potest sequi nisi ex alia negativa, et ex altera affirmativa.

Dicitur, concedendo, quod negativa ab affirmativa dependet, et ulterius, quod ab affirmativa sequitur, sed tamen non oportet quod sequatur ex affirmativa per se, sed ex hoc, quod ab affirmativa dependet, potest sequi ex affirmativa cum alia negativa.

Contra, si negativa sequitur ex affirmativa cum negativa, quæro de illa negativa præmissa ; aut est absolute per se, ita quod ab affirmativa non dependens, aut non est absolute per se ; si sic, sequitur oppositum primæ responsionis : dictum est enim prius quod quælibet negativa dependet ab affirmativa : si non, igitur potest demonstrari per affirmativam, et aliam negativam, et tunc quæro de illa negativa ; aut est simpliciter ab affirmativa non dependens, aut non ; si sic, sequitur oppositum ; si non, tunc ulterius sequitur ex affirmativa, et negativa, et sic in infinitum ; sed hoc est inconveniens.

Item ad principale ; propositio negativa potest reduci ad affirmativam, sicut privatio ad habitum, quia negatio privat affirmationem ; cum igitur habitus prior sit sua privatione, affirmatio prior est qualibet negatione ; igitur nulla negativa est per se et primo vera, quia affirmativa prius est vera.

Item, in quolibet genere est primum, et minimum, quod est mensura aliorum, sed negativa et affirmativa sunt in genere enun-

ciationis, sed est inconveniens dicere, quod negatio sit primum in genere enunciationis, igitur oportet dicere, quod affirmatio prior est affirmativa : igitur erit primo vera, et negativa ex consequenti. Et confirmatur ratio ; quia unumquodque prius est idem sibi ipsi, quam ab alio disparatum, sed denotatur esse idem sibi per affirmativam, denotatur esse disparatum ab alio per negativam, igitur affirmativa prior est negativa.

Ad oppositum est Aristoteles in hoc libro.

2. *Argumenta in oppositum.* Item, principium primum maxime verum per se, et tamen principium primum est propositio negativa, cujusmodi est illa, *Non contingit idem simul esse et non esse*, igitur propositio negativa erit maxime vera per se, et primo.

Dicitur, quod principium primum significat rem affirmative, modo tamen negativo, et ratione rei significatæ est primo vera, et per se, ratione tamen modi significandi negative consideratum non est primum, nec propter hoc dicimus illam esse primam, sed propter rem affirmativam, quam significat.

Contra, si non sit primum, nisi ratione rei affirmativæ, et non ratione modi significandi, sequitur quod primo potest aliquid esse prius ; consequens est falsum, igitur et antecedens. Probatio consequentiæ, quamlibet rem affirmative contingit significare modo affirmativo : sed prior est illa propositio qua significatur aliqua res affirmativa modo affirmativo, quam illa, in qua significatur eadem res modo negativo: igitur principio primo posset esse alia propositio prior.

Dicitur hîc per interemptionem majoris ; quia rem significatam per primum principium non contingit significare modo affirmativo.

Contra illud, quemcumque conceptum contingit intelligere, contingit significare, et cuilibet modo intelligendi correspondet modus significandi, quia vox non determinat sibi rem, nec modum significandi, sed rem primi principii affirmativi contingit intelligere modo affirmativo ; igitur eamdem contingit significare modo affirmativo.

Ad quæstionem dicitur, quod propositio aliqua negativa est vera primo et per se, tamen quælibet negativa quantum est ex modo significandi negativo posterior est affirmativa. 3. *Conclusio.*

Primum sic declaratur, secundum Aristotelem, quædam est demonstratio affirmativa, quædam negativa, ut dicit in illo capitulo, ubi comparat demonstrationes ad invicem ; sed in demonstratione conclusio est vera per se, demonstratio enim est ex per se inhærentibus : igitur cum conclusio demonstrationis negativæ sit negativa, aliqua negativa erit per se.

Secundum declaro. Illa propositio est immediata, sive primo vera, quæ est per se vera, et quæ per aliam non potest demonstrari. Sed propositio, in qua negatur unum Genus generalissimum ab alio, est hujusmodi : si enim possit demonstrari, hoc esset in prima figura, vel in secunda : sed in neutra potest demonstrari, quia tunc aliquid oportet accipere supra subjectum, vel supra prædicatum, vel supra utrumque: sed nihil est superius istis, cum sint generalissima : igitur hæc non possunt demonstrari, etc.

Tertium ostendo : Commentator recitat rationes Alexandri super librum Perihermenias, per quas probavit, quod affirmativa est prior negativa ; et sunt tres rationes. Prima sumitur ex parte vocis. Secunda ex parte rei. Tertia ex parte intellectus.

Ex parte vocis sic ; vox affirmativa est simplicior negativa propter negationem superadditam, igitur affirmativa ratione vocis est simplicior negativa ; sed quanto alia propositio est simplicior, tanto prior est : igitur affirmativa prior est negativa.

Alia ratio est ex parte rei, licet in eadem re *non esse* præcedat *esse*, ut in istis generalibus et corruptibilibus, simpliciter tamen *esse* præcedit *non esse* in diversis. *Es-*

se enim primæ causæ prius est quam *non esse* istorum corruptibilium ; sed affirmatio significat *esse*, negatio *non esse* : igitur affirmatio prior est negatione.

Tertia ratio est ista, habitus prior est secundum intellectum privatione. Privatio enim non intelligitur, nisi quia suus habitus prius intelligitur ; affirmatio vero significat per modum habitus, negatio per modum privationis. Ex istis rationibus sequitur quod negativa quælibet quantum ad modum significandi negative posterior est affirmativa.

4. Ad rationem primam dicitur sicut dicebatur.
d argu-nta.

Ad primum contra hoc, quælibet propositio negativa quantum est ex modo suo significandi ex affirmativa dependet : tamen ex hoc non sequitur, quod quælibet syllogizari possit ex negativa et affirmativa, sed aliqua, et alia non. Propositio enim negativa, quæ est per se vera, et non primo, cujusmodi est illa, *Nulla linea est color*, potest bene demonstrari ex una negativa, et alia affirmativa, ut ex ista, *Nulla quantitas est color*, cum hac affirmativa, *Linea est quantitas*. Similiter hæc præmissa, *Nulla quantitas est color*, est per se non primo, et ideo potest demonstrari ex illa, *Nulla quantitas est qualitas*, isto modo, *Omnis color est qualitas, nulla quantitas est qualitas, igitur nulla quantitas est color*, in secundo secundæ. Sed hæc, *Nulla quantitas est qualitas*, est per se vera, et primo ; quia hæc ulterius per aliam negativam demonstrari non potest. Per hoc ad formam dicitur, quod hæc consequentia non valet, *Negativa quælibet dependet ab affirmativa, igitur quælibet negativa potest demonstrari ex una negativa, et alia affirmativa* ; sicut non sequitur : *Cognitio principiorum dependet ex terminis, ergo principia prima possunt demonstrari ex terminis*. Per hoc ad primam rationem dicitur, quod quælibet negativa præmissa quantumcumque sit per se primo vera, quantum est ex modo significandi negative, dependet ab affirmativa, et tamen non sequitur ulterius ex hoc, quod possit concludi ex affirmativa : hæc enim consequentia est neganda, *Hoc dependet ex illo, igitur potest demonstrari ex illo*.

Ad aliud principale dicitur, quod illa probat, quod negativa quantum est ex modo significandi negative posterior est affirmativa, et hoc conceditur, et idem probant duæ rationes sequentes.

Ad rationem in oppositum, qua probatur 5.
quod negativa sit simpliciter prima, dicitur sicut dicebatur.

Ad rationem contra hoc, dicitur sicut dicebatur. Verumtamen intelligendum est, quod licet primum principium significetur modo negativo, ipsum tamen æquivalet cum quadam propositione, quæ est quodammodo affirmativa, quia hæc, *Non contingit idem simul esse, et non esse*, æquivalet huic, *Necesse est non idem esse et non esse* ; quia *non contingit*, quod pro possibili ponitur, æquivalet huic, quod est *necesse non*, tamen propositioni simpliciter affirmativæ æquivalere non potest.

Ad ultimum contra hoc dicitur, quod cuilibet modo intelligendi correspondet modus significandi proportionabiliter. Et ad minorem dicitur, quod res hujusmodi principii, *Non contingit idem simul esse et non esse*, potest intelligi sub modo intelligendi affirmativo, licet ipsum principium non, sed semper intelligatur sub modo negativo.

Contra, affirmativum et negativum sunt
opposita : igitur intelligere rem affirmati- 6.
vam primi principii sub modo negativo, est intelligere oppositum sub ratione oppositi ; sed quilibet intellectus talis est falsus ; igitur principium est falsum.

Dicitur, quod affirmatio accepta ut res, et negatio ut res, sunt supposita circa idem ; tamen affirmatio ut res, et negatio ut modus, non opponuntur ; modus enim rei non opponitur. Materialia enim intelliguntur immaterialiter : et hoc non est intelligere sub ratione oppositi ; ideo dicendum est, quod intelligere rem affirmativam sub ratione modi significandi negative, non est

intelligere sub ratione oppositi; quia modus rei non opponitur, ut prius.

Ad auctoritatem, intelligit Aristoteles quod quælibet negativa est per se in genere negativorum, quælibet tamen per accidens est respectu affirmativæ, considerando negativam sub ratione modi significandi negative, et hoc intelligit Aristoteles in libro Perihermenias, ideo dictum Aristotelis hîc, et in libro Perihermenias non opponuntur, etc.

QUÆSTIO XXII

An sequatur, hoc per se inest huic, igitur hoc est hoc

1. *Argumenta pro parte negativa.* Quod non videtur; quia non sequitur, *Homini per se inest humanitas, igitur homo est humanitas*; quia antecedens est verum, et consequens falsum. Falsitas consequentis patet; et antecedens probatur, humanitas autem inest homini per se, aut per accidens; non per accidens, igitur per se inest.

Hîc dicitur quod homini non inest humanitas, ideo nec per se, nec per accidens.

Sed contra, humanitas vel est *quod quid* totum hominis, vel est totum formale in *quod quid*, sive sic, sive aliter; humanitas per se inest homini.

Item, Syllogismus ignorantiæ, est ex immediatis, per Aristotelem : sed sequitur, propositio est ex immediatis, igitur per se; igitur in præmissa Syllogismi ignorantiæ, prædicatum inest subjecto per se, et tamen non sequitur, *Hoc per se est hoc*, quia tunc sequeretur, quod hoc vere est hoc, sed hoc est falsum, quia præmissæ in syllogismo ignorantiæ, non sunt veræ, nec falsæ; igitur nec sequitur, *Hoc per se inest huic, igitur hoc est hoc.*

Nec etiam sequitur, *Hoc per accidens inest huic, igitur hoc est hoc.* Non enim sequitur, *Albedo inest homini, igitur homo est albus*; quia antecedens potest verificari sine consequente, ut posito quod albedo insit homini solum secundum dentes.

Item, non sequitur, *Animal inest Sorales per se, igitur Socrates est animal*, quia antecedens potest esse verum sine consequente. Posito enim quod Socrates non sit, consequens est falsum, quia si Socrates non sit, non est animal, et tamen antecedens est verum quia prædicatum est de intellectu subjecti Animal enim est de intellectu Socratis, igitur per se ei inest.

Ad oppositum; *per se* est conditio prædicati, et a prædicato non dividitur, nec ab inhærentia, igitur sequitur, *Per se inest huic, igitur hoc est hoc.*

Item sequitur : *Hoc inest huic per accidens, et absolute, igitur hoc est hoc.* Sequitur enim, *Albedo inest homini absolute*; *igitur homo est albus*, igitur sequitur multo fortius : *Hoc inest huic per se, igitur hoc est hoc.*

Ad quæstionem dicitur, quod non sequitur, *Hoc inest huic, etc.* Unde tria dico. Primum, quod hæc consequentia non valet. 2. *Conclusio.* Secundo, quod sequitur, *Hoc inest huic per se, igitur hoc ab illo denominari potest.* Tertio, quod non sequitur ulterius, *Hoc inest huic per accidens, igitur hoc est hoc.*

Primum ostendo, lineæ per se inest punctus in primo modo dicendi per se, et tamen non sequitur lineam esse punctum. Similiter, triangulo inest linea per se, et tamen non sequitur, triangulus est linea : igitur non sequitur, *Hoc inest huic, igitur hoc est hoc.*

Secundum ostendo, sequitur enim, *Triangulo per se inest linea, igitur est triangulus linearis.* Similiter, *Lineæ inest punctus per se : igitur linea est punctualis*; sic igitur patet secundum per exempla, hoc etiam patet ratione, in his quæ insunt per accidens; ut *Hoc inest huic simpliciter, igitur hoc est hoc*, igitur sequitur ex illa parte eodem modo, *Hoc inest huic per se, igitur hoc est hoc.* Quia quod per se inest, simpliciter inest, et quando aliquid inest alteri simpliciter inest, in illis tenet; *Hoc simpliciter inest huic, igitur hoc est hoc.*

Tertium ostendo, non enim sequitur, *Albedo inest Socrati, igitur Socrates est al-*

bus. Quia antecedens potest esse verum sine consequente, verificatur enim antecedens, si Socrati insit albedo secundum dentes, et tamen consequens non verificatur.

dentia liciter a sunt se. Ad videndum tamen, quomodo in accidentalibus tenet consequentia ab *inesse* ad *esse*, sciendum est, quod quædam accidentia nata sunt inesse toti, per unam partem determinatam, et quædam nata sunt inesse secundum quamlibet partem. Exemplum primi, sicut calceatum esse, inest homini secundum pedem. Exemplum secundi, album natum est inesse toti secundum quamlibet partem. Accipiendo accidentia primo modo, sequitur, *Hoc inest huic, igitur hoc est hoc*. Sequitur enim, *Calceatum inest homini secundum pedem : igitur homo est calceatus*. Accipiendo tamen accidens secundo modo, non sequitur ab *inesse* ad *esse*, nisi ita sit, quod tale accidens ipsi toti, vel saltem pluribus partibus totius, sive majori parti insit, et ideo non sequitur : *Albedo inest homini, igitur homo est albus universaliter*; et hanc determinationem innuit Albertus super librum sex Principiorum.

Propter rationes, intelligendum est quod tenet, *Hoc inest huic per se, igitur hoc est hoc*, si unum natum sit prædicari de altero; sed in aliis tamen non tenet : et ideo, quia humanitas non est nata prædicari de homine, ideo non sequitur, *Homini per se inest humanitas : igitur homo est humanitas*.

3. *argu- ta* Ad primam rationem dicitur, quod consequentia non valet, quia unum de altero non est natum prædicari propter modos repugnantes, sicut in positione dictum est, quod non sequitur ab *inesse* ad *esse*.

Ad aliud dicitur quod Syllogismus ignorantiæ est ex immediatis in falsitate, cujusmodi est ista, *Qualitas est quantitas*; et sic est ex propositionibus falsis per se : non tamen ex propositionibus absolute per se. Per hoc ad formam, quod non sequitur, syllogismus ignorantiæ est ex immediatis, igitur est ex propositionibus per se, nec sequitur, propositio est immediata in falsitate : ergo prædicatum inest subjecto per se, quia si per se inesset, absolute inesset; sed sequitur, igitur prædicatum per se est de subjecto. Si tamen talis propositio esset immediata absolute per se, tunc sequitur quod prædicatum inest subjecto per se. Sed non debet dici immediata, nisi cum hac conditione, *in falsitate*.

Ad aliud patet in positione.

Ad ultimum duplex est responsio, una concedit, quod hæc est per se, *Socrates est animal*, sive Socrates sit, sive non : quia prædicatum est de intellectu subjecti. Alia non concedit hanc esse per se, Socrate non existente, quia ad hoc quod esset per se, oporteret quod per eamdem causam per quam hæc verificatur, *Socrates est risibilis*, verificatur illa, *Socrates est animal*. Sed hæc non potest verificari, nisi per *quod quid* subjecti, et illud non est Socrate corrupto, quia quando Socrates corrumpitur, non habet *quid*, quia tunc non est, et *quid est* præsupponit *si est*.

Item, tunc nec est hæc vera, *Socrates est animal*, nec *Socrates est risibilis*, quia accidens reale præsupponit subjectum esse. Et ad probationem dicitur, quod non sufficit prædicatum esse de intellectu subjecti, igitur est per se primo, nisi addatur, quod prædicatum est de intellectu subjecti, tanquam cadens in ejus definitionem. Sed quando Socrates non est, animal in definitionem Socratis non cadit, quia tunc non habet *quod primo*, nec ex consequenti, etc.

QUÆSTIO XXIII

An Genus per se prædicetur de Differentia

De his octo quæstionibus vide auctores citatos *q*. 15.

Quod sic videtur; Quæcumque significant unam essentiam sic se habent, quod unum de alio prædicari potest per se, Genus et Differentia sunt hujusmodi : igitur, etc. 1. *Argumenta pro parte affirmativa.*

Hic dicitur, quod major est falsa, plus enim requiritur ad perseitatem, quam identitas essentiæ; requiruntur enim modi

significandi proportionales, sub quibus hoc huic attribuitur. Sed diversa est ratio, et extranea rationalis, et animalis, ideo non est per se.

Contra illud ; essentia est eadem sibi, aut igitur per se, aut per additum ; si per se, habetur propositum : si per additum, accipiendo illud additum, illud est idem sibiipsi ; aut igitur per se, aut per additum ; si per additum, processus erit in infinitum: si per se, igitur identitas essentiæ sufficit ad perseitatem.

Item, quod extranea ratio non prohibeat perseitatem, videtur ; magis est extranea ratio inter hominem et animal, quam inter animal, et rationale, quia homo significat per modum determinati, et animal respectu hominis significat per modum indeterminati ; sed rationale respectu animalis significat per modum actus et determinantis, et animal respectu rationalis per modum determinabilis. Sed major est extraneitas inter modum indeterminati, et determinati, circa eamdem essentiam, quam inter modum determinantis, et determinabilis : si igitur illa ratio extranea impediret perseitatem, tunc hæc non esset per se, *Homo est animal*, quod est falsum.

Item, hæc est per se, *Ens est unum*, et tamen diversa est ratio entis et unius. Similiter hæc est per se, *Lapis est pœna*, et tamen diversa est ratio, lapidis et pœnæ : nec tunc potest prohiberi nugatio per diversam rationem, quia tunc hìc non esset nugatio, *Animal homo*, quia manifestum est, quod diversa ratione significant illa duo : igitur diversa ratio non impedit nugationem, ideo oportet dicere, quod Genus et Differentia non significant eamdem essentiam,

2. Propter hanc rationem dicitur aliter, quod Genus et Differentia non significant eamdem essentiam : Genus enim significat partem materialem respectu Specierum, et Differentia significat partem formalem, quantum est ex primo intellectu. Quia cum utrumque significet partem per modum totius, ideo ex consequenti importat totum, quod significat Species, tamen neutrum significat determinate, nisi partem.

Contra illud ; si Genus significaret partem, et Differentia aliam partem, tunc prædicatio Differentiæ de Specie esset denominativa, per hoc medium, quia pars integralis solum prædicatur de toto denominative secundum Aristotelem in 7. Metaph. et 8. quia hæc prædicatio non est vera, *Arca est lignum*, denominative ; sed hæc est vera, *Arca est lignea*, denominative.

Item, si Genus et Differentia significent diversas partes, cum utrumque prædicetur essentialiter de definito, definitum erit duæ partes, sive duæ essentiæ essentialiter : sed hoc est inconveniens.

Item, substantiæ separatæ definiuntur per Genus et Differentiam, et tamen in illis non est pars, quia sunt formæ simplices ; igitur Genus et Differentia non significant diversas partes. 3.

Item, ad principale arguitur in tertia figura : *Omnis homo per se est animal : omnis homo per se est rationalis, igitur rationale per se est animal.* Præmissæ sunt veræ : igitur conclusio. Bonitas consequentiæ patet ; quia ideo conclusio in demonstratione est per se, quia sequitur ex per se inhærentibus, secundum Aristotelem ; igitur si præmissæ sunt veræ per se, conclusio erit per se vera.

Dicitur quod hìc est fallacia Accidentis, ex variatione medii termini, quia in majori accipitur *homo* sub ratione materialis in conceptu hominis ; animal enim de homine verificatur sub ratione materialis in conceptu hominis ; et in minori rationale verificatur de homine sub rationale formali in conceptu hominis, et ita variatur ille terminus *homo*.

Contra illud ; ex opposito conclusionis cum minori sequitur repugnantia majoris, igitur prior syllogismus fuit bonus. Accipio enim oppositum conclusionis, ut hoc ; *Nullum rationale est per se animal*, sumatur minor, quæ prius, *Omnis homo est per se rationalis*, et sequitur ; *igitur nullus homo per se est animal*, in secundo primæ.

Ille Syllogismus est bonus, igitur prior.

Item quod *homo* non varietur secundum talem acceptionem videtur, quia talis terminus sic supponit suum significatum, sicut ipsum significat, sed ille terminus significat suum significatum sub ratione formalis in conceptu; igitur tunc supponit suum significatum sub ratione formalis in conceptu : non est igitur dicere talem variationem in homine,quod potest accipi sub ratione materialis in majori, et sub ratione formalis in minori.

4. Ad primam illarum dicitur, quod in Syllogismo conversivo, nullum rationale per se est animal,etc. est fallacia Accidentis,sicut prius in Syllogismo affirmativo.

Contra, in definitionibus secundum substantiam non cadit accidens,secundum Aristotelem in Elenchis. Sed omnia illa tria, *animal*, *rationale*, et *homo*, sunt individua secundum substantiam; igitur in istis terminis non potest cadere accidens.

Item, idem est principium cognoscendi se, et suam privationem, sed Syllogismus affirmativus comparatur ad negativum in eisdem terminis, sicut habitus ad privationem; igitur est principium cognoscendi bonitatem in Syllogismo negativo : sed ille Syllogismus est bonus sine variatione, *Omne rationale per se est animal, Omnis homo per se est rationalis, Igitur omnis homo per se est animal*; igitur Syllogismus negativus in eisdem terminis, et in eodem ordine erit bonus sine variatione, igitur etc.

Item, fallacia Accidentis est ex variatione alicujus termini, et in prima figura, maxime ex variatione medii termini; sed in illo discursu, *Nullum rationale per se est animal, Omnis homo per se est rationalis*, non est variatio alicujus termini, quia *homo*, et *animal* accipiuntur uniformiter sicut *rationale*, quod est medium, uniformiter accipitur; quia sub ea ratione qua Differentia vere prædicatur de homine, quia ut sic est pars definitionis hominis, similiter ut Differentia est, vere ab eo removetur animal cum hac conditione *per se*, quia cum hac conditione sibi extraneatur, igitur quilibet terminus uniformiter accipitur, non igitur est variatio.

Item, ad principale, rationale per se est 5.
ens : igitur rationale per se est animal. Antecedens verum est, quia ens per se est de intellectu cujuslibet : igitur consequens. Probatio consequentiæ, quia si rationale per se est ens, aut igitur ens quod est substantia, aut ens quod est accidens : non ens quod est accidens; quia accidens non est principium formale definiendi substantiam; igitur rationale est ens substantia : et tunc ulterius quærendum est, aut est substantia corporea, aut incorporea; non incorporea, quia non esset tunc principium formale speciei corporis, igitur est substantia corporea; et sic descendendum est quousque deveniatur ad animal, igitur rationale per se s tanimal.

Substantia alia simplex, alia composita.

Hîc dicitur,quod rationale per se est ens, quod est substantia; sed substantia dicitur dupliciter, simplex et composita. Simplex adhuc est duplex, scilicet materia,et forma. Tunc rationale est substantia simplex, quæ est forma, et illa substantia non est Genus, nec dividitur per Differentiam.

Sed sola substantia composita est Genus, et illa non prædicatur per se de rationali.

Contra illud, quæro de substantia quæ est forma, an illa est in plus quam substantia composita, quæ est Genus, aut in minus, aut æqualis ambitus; non potest esse in plus, quia tunc esset aliquid prius generalissimo univoce, sed hoc est falsum; nec potest esse æqualis, quia tunc essent duo generalissima Substantiæ : oportet igitur, quod sit sicut in minus; sed de quocumque prædicatur per se illud quod est in minus, de eodem prædicatur illud quod est in plus; sed per te substantia, quæ est forma per se prædicatur de Differentia, et illa est inferius respectu substantiæ compositæ, ut probavi; igitur substantia composita, quæ est Genus per se prædicatur de Differentia.

Item, probo ex dictis, quod substantia
quæ est forma, est Genus; quia substantia 6.
quæ est forma per te, per se prædicatur de

rationali, et illa eadem substantia eadem ratione per se prædicatur de irrationali : igitur rationale, et irrationale sunt Differentia, quia inter se diversa sunt, et in aliquo conveniunt, ut in substantia quæ est forma ; igitur sunt Differentia. *Differentia* enim *sunt illa* secundum Aristotelem in 5. Metaphys. *Quæcumque inter se diversa sunt alicui tamen idem entia*, sed talia sunt Species : igitur rationale, et irrationale essent Species substantiæ, quæ est forma : igitur substantia, quæ est forma, erit Genus.

Item, posset probari quod substantia nullo modo est Genus. Aristoteles probat, quod ens non est Genus, quia ens per se prædicatur de Differentia, secundum aliquam ejus significationem. Sed per te substantia secundum aliquam ejus significationem prædicatur per se de Differentia : igitur substantia non est Genus. Si tu dicas quod hæc forma arguendi non valet, tunc forma Aristotelis arguendi non valebit.

Item, ad principale, rationale per se est
7. sensibile ; igitur rationale per se est animal. Antecedens est verum, quia ultima Differentia includit omnes præcedentes secundum Aristotelem in 7. Metaph.

Dicitur, quod concesso antecedente, nego consequentiam, et ratio negationis est: quia in animali sunt duo, videlicet intellectus sensibilis, et intellectus corporis superioris, vel substantiæ. Unde licet rationale per se includat sensibile, non tamen includit Genus, quod est intellectus animalis per se, ideo non valet consequentia.

Contra, conceptus animalis est indivisibilis, eo quod concipitur ab intellectu simplici, qui est indivisibilis, sed indivisibile ubi est, secundum se totum est : si igitur aliquid conceptus animalis includatur in rationali, totum quod est in illo conceptu per se in rationali includitur.

Item, materiale concipitur sub ratione formalis : cum igitur rationale includat sensibile, quod est formale in animali, ex consequenti includit materiale in animali ; et sic per consequens consequentia erit bona.

Item, concesso antecedente habetur propositum principale : quia si rationale per se est sensibile, eadem ratione irrationale per se est sensibile, igitur rationale et irrationale sunt differentia, ut prius argutum est; quia in aliquo sunt diversa, et in aliquo conveniunt, et ulterius ; igitur sunt Species respectu sensibilis, et ulterius sequitur, quod sensibile sit Genus, et sensibile per se prædicatur de Differentia : igitur Genus per se prædicatur de Differentia.

Ad principale. Aristoteles in 7. Metaph. arguit quandocumque aliqua duo sic se habent, quod unum accidit alteri, tunc utrumque accidit tertio. Hanc minorem accipio ; sed Genus per te accidit Differentiæ; igitur utrumque accidet tertio, igitur hæc erit per accidens, *Homo est animal rationale.* Si hæc erit per accidens, *Rationale est animal.* Consequens est falsum, ut patet, quia per Aristotelem est in primo modo dicendi per se.

Dicitur hîc, quod propositio quam accipit 8.
Aristoteles in sua ratione, videlicet illa, *Quando aliqua duo sic se habent, quod unum*, etc. intelligitur quando ex talibus duobus non fit unum per se, et essentialiter, sicut hîc ; *Homo est albus.* Sed Genus et Differentia faciunt unum essentialiter, Genus est in potentia essentialiter, quia Genus est in potentia essentiali respectu Differentiæ, et Differentia habet rationem actus essentialis : ideo ex his fit unum essentialiter, et per se : sed sic non est de homine albo.

Contra illud, quia Aristoteles in 7. illo sic arguit : Dissolutis B, et A, manet B, et manet A, et non manet hæc syllaba *ba*; in hac igitur syllaba *ba*, aliquid præfuit quod nec fuit B, nec fuit A, et hujusmodi erit forma hujus syllabæ *Ba*. Similiter arguo in proposito : Dissolutis Genere et Differentia manet intellectus Generis, et manet intellectus Differentiæ, et non manet intellectus definitionis; igitur in definitione aliquid præfuit formale, quod nec fuit intellectus Generis, nec intellectus Differentiæ : igitur Differen-

tia non est essentialis actus respectu Generis, et formale.

Item, manente causa manet effectus : sed extraneitas inter rationem Generis, et Differentiæ fuit causa quare per se non prædicatur de Differentia ; sed in extremo hujus propositionis, *Homo est animal rationale*, manet eadem causa, quia eadem extraneitas ; igitur hæc non erit per se, *Homo est animal rationale.*

Item, ad principale, hæc est necessaria, *Rationale est animal*, igitur per se Antecedens patet ; quia sequitur ex necessariis. Consequentiam probo dupliciter ; Aristoteles facit hanc consequentiam : demonstratio est ex necessariis ; igitur ex propositionibus per se, ergo sequitur conclusio est necessaria ; igitur per se. Similiter si aliqua est propositio necessaria, aut est mediata, aut immediata : propositio mediata potest esse conclusio demonstrationis ; igitur per se similiter propositio immediata est principium demonstrationis ; igitur est per se, quia demonstratio est ex propositionibus per se, secundum Aristotelem ; sequitur igitur, si aliqua propositio est necessaria, est per se.

9. Item ad principale. Commentator, super primum Physicorum, probat quod pars non est per se eadem toti, et arguit sic ; si una pars esset per se, esset per se eadem toti, eadem ratione,et alia : sed quæcumque sunt per se eadem tertio, inter se sunt eadem ; si igitur manus, et pes essent eadem toti per se, tunc sequeretur, quod manus esset pes. Eodem modo arguitur in proposito, quæcumque sunt eadem tertio per se, inter se sunt eadem : sed animal et rationale sunt eadem alicui tertio per se, ut homini ; igitur unum per se inest alteri.

Hic dicitur, quod Commentator intelligit, quod quæcumque sunt per se, et primo eadem tertio, inter se sunt eadem. Sed Genus et Differentia non sunt primo eadem Speciei, nihil enim est primo idem Speciei nisi definitio : partes autem definitionis ex consequenti.

Contra, si definitio sit eadem primo definito, tunc definitum erit primo duo entia. Probo consequentiam, in definitione sunt duo entia, videlicet significatum Generis, et significatum Differentiæ : si igitur hoc totum sit primo idem definito, tunc duo entia diversa erunt per se eadem definito, et sic definitum erit duo entia.

Item, probo, quod Genus possit esse idem Speciei, per auctoritates Aristotelis in 1. libro in illo cap. *Monstratis autem his*, dicit quod *Genus est idem primo diversis Speciebus : igitur animal est primo idem homini.*

Item, Aristoteles in 7. Physic. dicit quod *Secundum Genus non fiunt comparationes, quia in Genere latent multæ æquivocationes*; igitur Genus æquivocum est ad diversas Species : igitur inest primo cuilibet Speciei, sicut æquivocum inest primo cuilibet significato.

Item, Genus nihil est præter suas Species, secundum Aristotelem 7. Metaph. igitur primo inest cuilibet Speciei. Similiter in diversis Speciebus est diversa materia, secundum illud quod est : igitur, etc.

Ad oppositum sunt rationes Aristotelis, 10. *Argumenta in oppositum.*
illud de quo prædicatur Genus per se, aut Individuum ; igitur, etc.

Item, si Genus per se prædicetur de Differentia, unum animal esset multa animalia, consequens est falsum, igitur et antecedens. Consequentia sic probatur, supposito quod definitio sit primo eadem definitio, nec diminute, nec aliquid superflue designans aliud a conceptu Speciei; tunc hoc totum, *Animal rationale*, inest primo homini ; sed homo non est eadem essentia bis repetita, igitur *Animal rationale*, non significat eamdem essentiam repetitam, quia tunc non esset primo eadem definito : igitur in hac definitione, *Animal rationale* significabit diversam essentiam primo. Nam dicendo, *Socrates est animal rationale*, denotatur quod Socrates sit animal, ratione animalis expressi. Denotatur similiter, quod Socrates sit animal, per hoc quod dicitur *rationale*, si animal sit de per se intellectu rationalis ; et non denotatur, quod Socrates sit idem

animal per rationale quod præfuit significatum per animal; quia tunc esset essentialiter essentia eadem, quod est contra suppositum; ergo Socrates in hoc, quod est *rationale*, est aliud animal, in re tamen Socrates est unum animal numero; igitur unum animal est multa animalia, posita hac hypothesi falsa, quod Genus per se prædicetur de Differentia.

11. *Conclusio.* Ad quæstionem dicitur, quod Genus per se non prædicatur de Differentia, propter rationem proximam.

Item, hæc generalis conditio est in omnibus modis dicendi per se, quod illud subjiciatur, quod natum est subjici; et similiter quod prædicetur, quod natum est prædicari. Sed rationale non est natum subjici respectu animalis, nec respectu hominis, quia in quale prædicatur respectu utriusque; ideo hæc non erit in aliquo modo de per se.

Item, hoc patet inductive, non prædicatur per se primo modo, quia prædicatum non est totus intellectus subjecti, nec in intellectu subjecti includitur: quia diversam rem significant *animal*, et *rationale*. Nec est per se secundo modo, quia subjectum non cadit in definitionem prædicati. Nec tertio modo, quia tertius modus est modus essendi, et non prædicandi. Nec quarto modo, quia subjectum non est causa efficiens prædicati, igitur nullo modo est per se.

Genus, et Differentia non determinate significant idem quod Species. Intelligendum tamen propter rationes, quod Genus et Differentia non determinate significant idem quod Species: *animal* enim et *rationale* non significant determinate totum illud quod significat *homo* per se, quod enim significatur per *animal*, est pars materialis in conceptu hominis, ut totum id quod est compositum ex substantia, et anima sensitiva. Differentia significat partem formalem hominis, ut illam perfectionem quæ perficit substantiam sensitivam, et determinate illas partes significant: tamen unumquodque significat partem, non per modum partis, sed per modum totius; ideo ex consequenti determinate utrumque significat totum, quod significatur per hominem. Per hoc ad rationes.

Ad primam, sicut ultimo dicebatur, quod Genus et Differentia distincte significant diversas partes, et non eamdem essentiam, quia tunc definitio non esset eadem definito. Et illud inconveniens sequeretur, quod in qualibet definitione esset nugatio, ut præargutum est. 12. *Ad 1 princ.*

Ad primam contra hoc dicitur, quod duplex est pars integralis, quædam accepta per modum partis: et talis pars non potest de toto prædicari nisi denominative, quemadmodum hæc est falsa, *Homo est caput*. Sed hæc est vera, *Homo est capitatus*, et talis pars dicitur realis, et aliquo modo est integralis. *Pars integralis duplex.*

Alia est pars secundum rationem, quæ significat per modum totius; et talis pars de toto prædicari potest univoce, cujusmodi partem significat animal. Licet enim animal significet partem materialem hominis, non tamen significat per modum partis, sed totius: et ideo potest prædicari de homine univoce, et hoc est quod Boetius ait, quod Genus in prædicatione est totum: prædicatur enim de Specie, quia totum significat ex consequenti.

Intelligendum tamen est, quod *rationale* prædicatur de homine per modum denominativi, ex hoc, quod prædicatur *in quale*, licet non simpliciter denominative prædicetur, cum sit de essentia hominis; multa enim habent modum denominativi, quæ non sunt denominativa simpliciter: *Prædicatio enim denominativa* est, quando res de genere accidentis substantia denominat.

Ad aliud dicitur, quod non sequitur hominem esse duo entia, quia tam Genus, quam Differentia in prædicatione accipiuntur ut totum, et non sub ratione partis, et ita illud totum prædicant ex consequenti. Similiter Genus accipitur sub ratione Differentiæ, et ideo non sequitur Speciem esse distincta entia ex hoc, quod definitio de Specie prædicatur, quia ut Genus, sub ratione Differentiæ accipitur, sic unum con- *Ad 2.*

ceptum faciunt, qui est conceptus Speciei, licet tamen ille conceptus definitionis differat a conceptu speciei accidentaliter, ex hoc quod conceptus definitionis est magis distinctus, et conceptus Speciei confusus.

Ad 3. Ad aliud dicitur, quod Intelligentiæ habent aliquam compositionem, ut compositionem *esse* cum *essentia*, et ita ab *essentia* accipitur Genus, et ab *esse* accipitur Differentia, et illa ratio concludit, quod non quælibet Differentia significat partem formalem eo modo, quo est forma in istis inferioribus.

Ad 4. Ad aliud ut dicebatur.

Ad aliud contra hoc, quod licet homo supponat sub ratione formali semper in qualibet propositione, ubi supponit tanquam sub ratione substantiæ, tamen non semper ratio formalis illa, quæ est ratio rationalis in homine, est causa positiva, quare prædicatum subjecto per se inest. Ratio enim positiva quare animal inest homini, est conceptus animalis in homine, et non conceptus rationalis.

13. Ad 5. Ad aliud sicut dicebatur, quod in illo Syllogismo negativo, *Nullum rationale*, etc. est variatio, sicut in Syllogismo affirmativo, æque etiam est conversivus, et in eodem termino, ut in illo termino *homo*, quia ille terminus variabatur in affirmativo : hæc tamen fallacia non debet assignari evidenter, nec potest nisi in Syllogismo affirmativo, ut patet secundum Ægidium. Variatio enim in negativo Syllogismo debet assignari in affirmativo, respectu cujus est conversivus. Verbi gratia, hæc fallacia Accidentis, *Homo est Species*, *Socrates est homo*, *igitur Socrates est Species*, ex variatione hujus termini eodem modo in Syllogismo negativo, qui est alterius conversivus, *Socrates non est Species*, *Socrates est homo* ; *igitur homo non est Species*, variatio est in eodem termino, quo prius, ut in illo termino *homo*, et tamen hæc variatio non potest convenienter assignari in negativo Syllogismo : sed debet assignari in paralogismo affirmativo. Affirmatio enim est principium ducendi in cognitionem suæ negationis, sicut rectum est judex sui, et obliqui. Similiter est ex parte illa, variatio enim est in Syllogismo negativo, debet tamen assignari in affirmativo, et semper secundum eumdem terminum, ut illum terminum *homo*.

Ad primam rationem contra hoc, cum dicitur in definitionibus, etc. dicitur quod Aristoteles intelligit, quod in definitionibus secundum rationem, hoc est, in quibus non est extranea ratio, in illis non cadit accidens, sed in istis est talis extraneatio, ideo illa auctoritas non est ad propositum.

Ad aliud dicitur, quod in affirmativo Syllogismo, omne rationale, etc. est consequentia bona per locum extrinsecum, et non per formam intrinsecam. Tenet enim per hanc maximam, ut si miles poterit debellare castrum, poterit et Rex. Si aliquid insit illi cui minus videtur inesse, inerit illi cui magis videtur.

Sed animal vid tur magis inesse homin per se, quam rationale, ideo si rationale per se insit per locum a minori, etiam animal inerit homini per se, per primam maximam. Per hæc ad formam ; quod quando consequentia affirmativa tenet per locum a minori, et non per locum a toto in quantitate, non oportet quod si sequitur affirmative, quod sequatur negative sine variatione.

Ad aliud dicitur, quod hîc variatio est in aliquo termino, ut in illo termino *homo*, ut 14. Ad 6.
prædictum est ; quia variatur in comparatione ad rationale, et animal ; illa tamen variatio non convenienter assignatur in Syllogismo negativo, sed in affirmativo, respectu cujus est conversivus, ut in illo, *Omnis homo est animal*.

Contra illud est una ratio. In prima figura solum est fallacia Accidentis ex variatione medii termini, quia ex ejusdem identitate est bonitas Syllogismi. Sed ille discursus, *Nullum rationale*, etc. est in prima figura : igitur variatio solum erit hîc in medio termino, scilicet *rationale*. Hîc dicitur, quod major est falsa ; non enim oportet in prima

figura accidens semper esse ex variatione medii, sed sufficit quod sit ex variatione medii, vel alicujus extremi. Verbi gratia, hîc est fallacia Accidentis, *Socrates non est Species, Socrates est homo ; igitur homo non est Species*, et non ex variatione termini medii, videlicet *Socrates*, sed ex variatione minoris extremitatis, videlicet hujus termini *homo*. Homo enim in minori, ut comparatur ad Socratem, habet acceptionem pro supposito virtute prædicati, et in conclusione *homo* habet acceptionem pro intentione, ut comparatur ad hoc prædicatum *Species*, et illa variatio fit in minori extremitate.

15. Aliter tamen dicunt quidam, quod in toto discursu, *Nullum rationale per se est animal*, etc. est variatio in medio termino, quia in majori removetur *animal* cum hac conditione *per se* a rationali pro ejus significato distincto, secundum quod determinate significat partem : in minori vero prædicatur *rationale* secundum quod significat per modum totius, et ita variatur *rationale* in majori, et minori.

Contra illud, terminus subjicit, et prædicat illud, quod significat, et sub eodem modo ; sed per te *rationale* significat partem per modum totius ; igitur subjicit partem per modum totius, sicut prædicat.

Hîc dicitur quod licet significet partem determinate, tamen potest prædicari per modum totius, et subjici per modum totius. Sed tamen, ut hæc concedatur vera, *Nullum rationale per se est animal*, accipitur *rationale* formaliter sub distincto significato, licet ratio totius sit *sine qua non*, ideo ratio formalis prædicativa salvatur utrobique, licet ratio *sine qua non*, non maneat.

Ad 7. Ad aliud principale sicut dicebatur, quod substantia composita est Genus simpliciter in linea Prædicamentali, substantia tamen quæ est forma non est Genus nisi per attributionem. Et absolute dicendum est quod substantia, quæ est forma, licet sit Genus aliquo modo respectu rationalis : ut tamen *rationale* est Differentia, sic respectu rationalis non est Genus, sed ut *rationale* respectu substantiæ, quæ est forma, accipitur ut Species.

Ad rationem contra hoc dicendum, quod substantia, quæ est forma, æqualis est ambitus cum substantia, quæ est Genus. Et cum dicitur quod tunc essent duo generalissima in eodem Prædicamento, conceditur quod sunt duo generalissima in uno Prædicamento, non tamen sequitur quod duo sunt Prædicamenta in Genere substantiæ. Coordinatio enim Differentiarum reducitur ad coordinationem Generalissimi directam, sicut Genus generalissimum, quod est Substantia, et forma attributionem habent ad substantiam compositam, unde non sunt duo generalissima prima simpliciter, quia unum habet attributionem ad alterum, sunt tamen duo secundum prædicationem æque primam.

Ad aliam, quæ probat quod substantia, quæ est forma, sit Genus ad rationale, et irrationale ; dicitur, quod *rationale* potest dupliciter considerari. Uno modo secundum quod imponitur ab ultimo gradu perfectionis in homine, et sic nullam formam superiorem includit in suo intellectu. Alio modo secundum quod imponitur a tota perfectione in homine, quæ advenit Substantiæ, quæ est Genus generalissimum, et illo modo includit omnes priores Differentias. Per hoc ad formam, quod *rationale* primo modo acceptum, et *irrationale* non conveniunt in substantia, quæ est forma, tanquam in communi univoco prædicabili de istis, utrumque est substantia, quæ est forma æquivoce ; et sic substantia, quæ est forma, non est Genus, respectu illorum. Secundo modo concedo quod Substantia, quæ est forma, sit Genus respectu istorum, sed non ut Differentiæ sunt, sed ut Species sunt collaterales. 16. *Ad* 8. ***Rationale potest dupliciter considerari.***

Ad aliud quod Aristoteles probat ens non esse Genus quoad aliquod ejus significatum; quia de Differentia prædicatur per se, et tamen non concludit, quod ens nullo modo possit esse Genus. Eodem modo conceditur in proposito, quod substantia quoad aliquod *Ad* 9.

ejus significatum non est Genus respectu rationalis, et irrationalis : vel saltem ut significat perfectionem ultimam in homine : et ut imponitur ab illo ultimo gradu, quia substantia, quæ est forma, prædicatur de rationali æquivoce, ac sic diceretur, *Cæleste sidus est canis.*

Ad 10. Ad aliud ut dicebatur. Ad primum contra illud dico, quod conceptus animalis est indivisibilis pro tanto quod concipitur ab intellectu simplici, non tamen est sic indivisibilis sicut conceptus Substantiæ, quæ est Genus generalissimum, quia in intellectu simplici sunt multi gradus : et quia non totaliter est indivisibilis, ideo aliquid potest includi in intellectu rationalis, ut puta sensibile, et aliquid non, ut Genus superius.

Ad formam, quod minor est vera de divisibili, quod nullam compositionem habet, sed quodlibet Genus intermedium in suo intellectu includit Genus et differentiam.

Ad 11. Ad aliud nego hanc consequentiam, *Rationale includit formale in conceptu animalis* ; *igitur includit per se animal*. Ad hoc enim quod aliqua propositio sit per se, oportet quod quidquid est in conceptu prædicati, seu materiale, seu formale, in conceptu subjecti includatur (loquendo de primo modo.) tamen hæc est consequentia bona ; *Subjectum includit formaliter conceptum prædicati* ; *igitur includit per se prædicatum.* Aliud enim est includere formalem conceptum prædicati, et includere formale in conceptu.

Ad 12. Ad aliud conceditur quod sensibile est Genus respectu rationalis, et irrationalis, ut illa totam perfectionem important Specierum, sed ex hoc non sequitur quod Genus per se prædicetur de Differentia : hîc est enim fallacia Accidentis, sensibile quod est Genus per se prædicatur de Differentia, etc. quia rationale variatur secundum quod ad sensibile comparatur, et secundum quod ad hominem, vel ad animal comparatur ; comparatur enim ad sensibile, ut Species ejus ; comparatur vero ad hominem, vel animal, ut Differentia : ideo variatio est.

Ad aliud principale sicut dicebatur. 17.

Ad primum contra hoc dicitur, quod ratio Aristotelis concludit ubi est dissolutio vera, et realis, quia dissolutis B, et A, manet B, et A, et non manet Ba ; igitur aliquid ut forma præfuit in Ba, quod nec fuit B, nec A, sed per A, et B, intelligit elementa corporis, probat enim quod forma realis non est aliquod elementorum. Sed Differentia non est forma nisi secundum rationem ; igitur in proposito non tenet ratio. *Ad* 13.

Contra hoc, manentibus illis totaliter, quæ requiruntur ad essentiam rei, manet essentia rei, sed dissolutis Genere, et Differentia, manet Genus, et Differentia, et non manet tota definitio ; igitur aliquid aliud requiritur ad definitionem, quam Genus, et Differentia.

Hîc dicitur quod dissolutis Genere, et Differentia, secundum quod Genus est propria potentia, et Differentia est proprius actus definitionis, definitio non manet tunc.

Intelligendum tamen quod Genus, et Differentia sub propria ratione propriorum conceptuum, non se habent ad invicem sicut potentia, et actus ; quia conceptus Generis intelligi potest sine conceptu Differentiæ, et e contra, sed nihil intelligitur nisi actus, vel ut actus habens : igitur conceptus Generis, quantum est de se, non est propria potentia respectu Differentiæ. Propria enim potentia non potest intelligi nisi per comparationem ad proprium actum : tamen res materialis, quæ subest conceptui Generis, est propria potentia respectu rei, quæ subest conceptui Differentiæ, et hæc ratio ab illa dissolvi non potest, ita quod utrumque maneat, et ideo definitio est perpetua, et demonstratio. Tunc breviter dicitur, quod ut Genus est potentia respectu Differentiæ, sic istis dissolutis non manet definitio.

Aliter tamen potest dici ad illud de *B*, et *A*, quod ratio illa Aristotelis non est ad propositum. Aristoteles enim arguit sic ; Dissolutis *B*, et *A*, manet B, manet A, ita

quod neutrum est ad alterum inclinatum, et tunc non manet *Ba* : tunc ergo aliquid formale fuit præter A, et B. Unde supponit Aristoteles in ratione, quod neutrum ad alterum inclinetur, sed sic dissoluta anima a materia, manet corpus, et manet anima; quia tamen anima naturaliter inclinatur ad corpus, ideo non præfuit in homine alia forma uniens animam cum corpore, sed secundum se fuit perfectio corporis. Eodem modo est ex parte illa. Dissolutis enim Genere, et Differentia ab invicem, adhuc conceptus Differentiæ habet aliquam inclinationem ad conceptum Generis tanquam ad propinquam potentiam : sicut anima inclinatur ad corpus : ideo non oportet ponere aliquid formale in definitione præter Differentiam. Quia Differentia licet maneat post dissolutionem, non tamen sic manet, quin habeat inclinationem ad Genus.

Ad 14. Ad aliud quod in illa, *Homo est animal rationale*, non manet causa extraneitatis, quia ex animali, et rationali fit unum extremum essentialiter.

18. *Ad* 15. Ad aliud dicitur negando hanc consequentiam; *Est necessarium : igitur per se.*

Ad probationem dicitur, quod Aristoteles supponit illud esse subjectum, quod natum est subjici, et illud esse prædicatum, quod natum est prædicari : et hoc supposito sequitur, *Demonstratio est ex necessariis : igitur est ex propositionibus per se,* sed rationale non est natum subjici respectu animalis, nec hominis, quia significat per modum *qualis*, et concernentis. Ideo nec sequitur quod hæc sit per se, *Rationale est animal :* nec illa, *Rationale est homo.*

Ad 16. Ad aliud dicitur, quod licet hæc sit necessaria; non est tamen mediata, nec immediata; quia respectu animalis non ordinatur secundum *sub*, et *supra* in Genere; similiter quod subjicitur non est natum subjici, et sic eadem ratione non est immediata.

Ad formam, quod hæc divisio propositionis necessariæ sufficiens est, quando subjicitur, quod natum est subjici; sic non est in proposito.

Ad aliud sicut dicebatur. *Ad* 17.

Ad primum contra hoc, quod partes definitionis licet sint duæ consideratæ secundum se, tamen ut comparantur ad definitum faciunt per se unum. Et similiter, ut constituunt definitionem, unum accipitur sub ratione alterius; ideo non sequitur quod Species sit duo entia.

Ad aliud dicitur, quod aliquid esse primo idem alteri, dupliciter intelligitur. *Ad* 18. Uno modo quando prædicatum non excedit subjectum, nec contra; et illo modo definitio est eadem definito primo, et Genus non. Alio modo dicitur aliquid esse primo idem alteri, quando inter subjectum, et prædicatum non est aliquod medium ordinatum in eodem Genere; et illo modo Genus est primo in diversis Speciebus; quia inter hominem et Genus proximum non est aliquod Genus medium in genere Substantiæ.

Ad aliud dicitur, quod Genus quoad *Ad* 19. illud, quod determinate significat, solum significat partem materialem Speciei; per modum tamen totius, et illa pars univoce reperitur in diversis Speciebus realiter; tamen consequenter significat totum : et secundum hoc, Genus est divisum in diversis Speciebus realiter : et similiter secundum hoc, Genus est diversa natura in diversis, et sic concedo quod Genus primo, et æquivoce diversis Speciebus inest, sed illam æquivocationem non considerat Logicus. Logicus enim considerat rem sub ratione secundæ intentionis, et non sub esse reali. Ideo licet in re sit diversum in diversis Speciebus, tamen apud Logicum Genus est univocum.

Ad aliud dicitur, quod Aristoteles dicit 19. quod Genus nihil est præter ejus Species, aut si est, ut materia est; et sic est hoc intelligendum quoad primum significatum, et distinctum, Genus significat materiam Speciei, tamen modo confuso, sive concomitanter significat totum, et sic nihil est præter suas Species.

Contra hoc. Si Genus primo, et determinate significat partem, et concomitanter, et ex consequenti totum, tunc quodlibet Genus esset analogum, quia indeterminate haberet duo significata secundum ordinem.

Hîc dicitur, quod non sequitur, Genus esse analogum, non enim significat totum ex impositione. Sed quia Genus partem significat per modum totius, et ex illo modo totius, ducimur in cognitionem totius concomitanter, ideo dicimus Genus significare totum concomitanter : sed hoc non est proprie significare, sive ex impositione, ideo non est analogum, sed sic significare est repræsentare quodammodo, sicut *capitatum* significat caput determinare, per modum tamen totius ; et ex modo concernendi totum, significat habens caput ex consequenti, et sic totum : sed hoc non est significare proprie.

QUÆSTIO XXIV

An differentia inferior includat differentiam superiorem per se, ut an hæc sit per se, rationale est sensibile

Arist. 7. *Metaph. text.* 43. Doctor 4. *d.* 11. *q.* 3. §. *ad rationes, et* 7. *Metaph. quæst.* 17. Ant. Andr. *ibidem, quæst.* 15. Capr. 1. *d.* 18. *q.* 2. Soncinnas 7. *Metaph. q.* 37. Sotus *cap. de Genere, q.* 1. Cajet. *in expos. c.* 4. *Porphyrii.* Tart. *in c.* 5. *primi Poster. dub.* 1. Fonsec. 5. *Metaph. c.* 28. *q.* 18. Ruvius *c. de differ. q.* 5. Sanch. *lib.* 3. *q.* 18. Complut. *disp* 7. *Log. q.* 4.

1. Quod non videtur. Boetius *in divisionibus*, docet artem definiendi, et dicit quod ad definiendum Speciem, sumendum est primo suum Genus, et ipsum dividendum est per Differentias immediatas, et illa Differentia, quæ Speciei convenit, adhuc est dividenda per alias Differentias, et sic quousque deveniatur ad Differentiam ultimam, et sic Genus superius cum omnibus Differentiis Speciei convenientibus debet poni in definitione Speciei ; et exemplificat de nomine. Facta enim divisione, definit nomen sic : *Nomen est vox significativa, etc.*

...umen- ...ro par- ...egati-

Sed si Differentia inferior includeret superiorem, in tali definitione esset nugatio, quia Differentiæ superiores expresse ponuntur in tali definitione, et per se in Differentiis inferioribus includuntur, bis igitur in eadem definitione replicantur, et ita erit nugatio, *Animal rationale,* quia animal includit sensibile in suo intellectu; similiter rationale includit sensibile per se, igitur implicite ponitur bis sensibile in definitione, igitur nugatio est.

Hîc dicitur, quod non sequitur quod hîc sit nugatio, *Animal rationale,* quia in rationali tantum implicite ponitur sensibile, ad hoc autem quod esset nugatio, oporteret idem bis exprimi, et non tantum replicari implicite.

Contra, Aristoteles in 6. Topicorum, docet investigare nugationem, ponendo definitionem nominis pro nomine. Ponatur igitur definitio illorum nominum pro istis nominibus, et sic erit certa nugatio.

Ad principale, Aristoteles in secundo hujus, dans artem definiendi, dicit quod *Quælibet pars definitionis est in plus quam definitum, totum tamen æquale, et convertibile* : et ponit illud exemplum, *Ternarius est numerus impar, primus utroque modo.* Sed si Differentia inferior includat omnes superiores, tunc Differentia inferior non esset in plus quam definitum, sed convertibile. Oportet igitur dicere quod Differentia inferior non includat superiores Differentias.

Item, si rationale includit sensibile, cum tunc non includat ipsum convertibiliter, sequitur quod includit ipsum, et aliquid ultra ; rationale igitur est compositum ex sensibili, et re addita ; sed quandocumque unum est compositum ex duobus, unum est actus, et reliquum potentia. Sed a potentia potest accipi Genus, et ab actu Differentia ; igitur rationale includit Genus, et Differentiam, in suo conceptu primo: sed omne tale est Species ; igitur Differentia erit Species, quod est inconveniens.

Item, qua ratione rationale includit sensibile in suo intellectu, eadem rationes

irrationale includit sensibile in suo intellectu; tunc ergo in sensibili conveniunt.

Et manifestum est quod inter se differunt; igitur sunt differentia : quod patet secundum Aristotelem 5. Metaph. cap. 9. *Differentia sunt quæcumque sunt alicui idem entia, et inter se sunt differentia.* Sed omnia differentia sunt Species; igitur rationale, et irrationale essent Species, et per consequens diversæ essent species.

2. Hîc dicitur quod illæ duæ rationes non concludunt, nisi quod illud quod est Differentia respectu unius, sit Species respectu alterius. Et sic quod rationale comparatum ad animal, sive ad hominem est Differentia; sed comparatum ad sensibile, est Species : sed ex hoc non sequitur quod Differentia sit Species, nisi incidente fallacia Accidentis.

Contra, si rationale sit Species respectu sensibilis, tunc habebit Differentiam; quæro de illa Differentia, aut est Species respectu superioris Differentiæ, aut non; si non, eadem ratione fuit standum in primo; si sic, quæro tunc de Differentia ejus; aut est Species respectu superioris Differentiæ, aut non : si sic, processus est in infinitum; si non, eadem ratione standum fuit in primo.

Item, si rationale includit per se sensibile, et significat tanquam Species ejus, tamen non est procedere in infinitum in prædicatis substantialibus, secundum Aristotelem, in primo hujus, erit devenire tunc ad aliquod generalissimum Differentiarum Substantiæ; igitur in substantiis erunt duo generalissima, et sic hæc duo erunt generalissima Substantiæ, et ita plura quam decem erunt Prædicamenta.

Hîc dicitur, concedendo quod duo sunt generalissima in substantiis; una substantiarum in media coordinatione, et alia Differentiarum collateralium, etc.

Tertium potest esse generalissimum aliarum Differentiarum ex alio latere, unde quod sic sint plura generalissima in substantiis, non est inconveniens, et hoc collateraliter. Sed ex hoc non sequitur quod plura sunt Prædicamenta in substantiis, quia generalissima Differentiarum habent eumdem modum prædicandi cum Substantia, quæ est generalissimum in ordine medio, et ad illud reducuntur per attributionem.

Contra hoc, ex ista responsione sequitur quod Quantitas, et Substantia non faciunt duo Prædicamenta; quia generalissimum Quantitatis habet eumdem modum prædicandi de suis contentis; sicut generalissimum Substantiæ de suis. Similiter generalissimum Quantitatis habet reduci ad generalissimum Substantiæ, sicut posterius ad prius. Si igitur illæ duæ conditiones concludunt unum esse Prædicamentum, tunc unum esset Prædicamentum Substantiæ, et Quantitatis.

Item, si sic; tunc in Differentiis erit unum generalissimum aliud a generalissimo in medio ordine; igitur similiter unum specialissimum, et intermedia erunt Genera. Sed ista tria *generalissimum, specialissimum*, et *intermedia*, constituunt Prædicamentum; si igitur in substantiis, et Differentiis, substantiæ sint diversa generalissima, specialissima, et intermedia, ut innuit responsio; igitur erunt diversa Prædicamenta.

Item, generalissimum Differentiarum est alterum a generalissimo substantiarum in medio ordine per te, et manifestum est quod non est differens ab eo, quia tunc generalissimum esset Species : igitur erit per se diversum a generalissimo Substantiæ, sed duo generalissima per se diversa arguunt duo Prædicamenta; igitur in Substantia sunt duo Prædicamenta, concesso hoc, quod duo sunt generalissima.

Ad principale : si sic; impossibile est fieri definitionem; consequens est falsum : 3.
igitur et antecedens. Probo consequentiam, quæro aut definitio debet dari ex Genere infimo, et ultima Differentia, aut ex Genere remoto, et ultima Differentia; non potest dari ex Genere proximo primo, et ultima Differentia, si Differentia inferior includat superiorem, quia tunc in qualibet definitione esset nugatio; quia sic dicendo; *Ani-*

mal rationale, animal includit omnes Differentias superiores, et similiter rationale per te; igitur bis idem intellectus includitur in definitione. Nec potest dari ex remoto, et ultima Differentia; quia per Aristotelem secundo hujus, definitio debet explanare omnia prædicata in quid de definito : sed Differentia inferior explicite, non ponit Differentias superiores, nec Genus primum ponit illas, quia generalius; igitur ex Genere primo, et ultima Differentia non potest definitio fieri.

Ad oppositum : Boetius dicit *in divisionibus*, quod sufficit definire ex duobus terminis, et exponit seipsum sic, *ex Genere primo, et ultima Differentia*. Sed talis definitio non valeret, si ultima Differentia non includeret omnes Differentias superiores; quia per Aristotelem in secundo hujus, in definitione debent poni omnia prædicata in quid expresse, vel implicite.

4. *...umen- ...oppo- ...m.* Item, secundum Aristotelem in Prædicamentis; *Commune est Generibus, et Differentiis univoce prædicari*. Sed univoce prædicari est prædicari secundum nomen, et secundum definitionem : igitur Differentia habet definitionem : sed nihil definitur nisi Species specialissima, vel subalterna; quia *sola species definitur* secundum Aristotelem secundo hujus; igitur Differentia est Species respectu alicujus alterius superioris, sed Species includit Genus : igitur Differentia inferior includit superiorem.

Item, secundum Aristotelem in 8. Metaphys. *Differentia dicit totam substantiam rei*; igitur rationale includit sensibile, et omnes Differentias superiores, quia omnia illa sunt de intellectu substantiali hominis.

Item, per Aristotelem ibidem, illæ Differentiæ sunt per se, quando repetitur toties idem intellectus, quoties ille ponitur in ordine, sicut exemplificat. Et hæc est quædam regula ad cognoscendum Differentias per se.

Sed rationale, et sensibile sunt Differentiæ per se; igitur idem intellectus bis repetitur, sicut dicto sensibili rationale. Sed hoc non est, nisi inferior includat superiorem.

Item, Aristoteles dicit ibidem, quod licet Differentia communior præponatur, et inferior postponatur, adhuc esset nugatio, quia repetitio unius intellectus, ut sic dicto, *Bipes habens duos pedes*, quia in substantiis non est ordo, ideo videtur nugatio. Dicit ulterius, quod definiendum est ex primo Genere, et ultima Differentia, quod non esset verum nisi ultima includeret præcedentes.

Item, hæc est per se, *Homo est animal*. Sed ad hoc quod aliqua propositio sit per se primo modo, oportet quod formale in subjecto includat formale in prædicato; et materiale, materiale; igitur rationale, quod est formale in homine, per se includit sensibile, quod est formale in animali : igitur, etc.

Ad quæstionem dicitur, quod rationale, et sensibile possunt dupliciter considerari. 5. *Rationale, et sensibile dupliciter considerantur.*

Uno modo secundum quod rationale, imponitur ab ultimo gradu perfectionis in homine, et sensibile ab alio gradu. Et isto modo Differentia inferior non includit superiorem, quia iste gradus non est ille, sed ab illo distinctus.

Alio modo potest rationale considerari, non secundum quod imponitur ab ultimo gradu, sive ultima forma, sed secundum quod imponitur a tota perfectione in homine, quæ perficit substantiam, quod est Genus generalissimum. Et illo modo rationale includit sensibile, et omnes Differentias præcedentes, quia in illa tota perfectione includitur pars.

Intelligendum tamen propter rationes, quod accipiendo *rationale*, ut imponitur ab ultima forma, seu ab ultimo gradu, sic sufficit definire cum proximo primo Genere, et ultima Differentia, non tamen sufficit definire ex Genere primo, et ultima differentia, sed cum Genere primo et omnibus aliis Differentiis intermediis. Non autem ex Genere proximo, et omnibus aliis Differentiis.

Primum ostendo sic, ultima Differentia cum Genere illo proximo includit omnia alia prædicata *in quid* de Specie, licet enim ultima Differentia imposita ab ultimo gradu secundum se non includat superiores Differentias, Genus tamen proximum cui additur, includit Differentias omnes superiores, et ideo sic est sufficiens definitio : tunc enim est sufficiens definitio, quando aggregat in se omnia quæ prædicantur *in quid*, et essentialiter de definito.

Secundum patet. Definitio enim debet indicare omnia prædicata essentialia de definito, et illa includere secundum Aristotelem in secundo hujus. Sed Genus primum non ponit Differentias superiores, nec Differentia ultima accepta ab ultimo gradu ponit illas, ut dictum est : non igitur est sufficiens definitio ex Genere primo, et ultima Differentia. Sed illo modo oportet definire ex Genere primo, et omnibus, sicut dicit Boetius.

Tertium patet, quia Genus proximum includit omnes Differentias superiores ; si ergo ex Genere proximo, et omnibus Differentiis fiet definitio, tunc in definitione erit nugatio.

Aliud est intelligendum quod si Differentia, ut *rationale*, accipiatur a tota perfectione speciei, illo modo non contingit definire ex Genere proximo, et Differentia illa : nec ex Genere proximo, et omnibus Differentiis. Sed contingit definire ex Genere primo, et ultima Differentia. Primum istorum patet ; quia si ex Genere proximo, et ultima Differentia illo modo accepta esset definitio, tunc in definitione esset nugatio ; quia Genus proximum includit omnes Differentias præcedentes, similiter illa Differentia includit omnes Differentias præcedentes : et ita bis idem diceretur. Secundum patet per idem, quia tunc esset nugatio, quia Genus proximum includit omnes Differentias præcedentes. Tertium patet, quia definitio debet aggregare in se omnia prædicata essentialia, et non plus. Sed ex Genere proximo, et ultima Differentia, definitio constituta aggregat in se omnia essentialia prædicata de homine, quia Genus prædicat primum materiale de homine, licet per modum totius, et Differentia accepta a tota perfectione includit totam perfectionem Generis, quæ advenit Substantiæ, quæ est Genus generalissimum ; et per consequens sic ponit omnia prædicata essentialia.

Aliud est intelligendum, quod Differentia accepta a tota perfectione, ut *rationale*, licet sit Differentia hominis, vel animalis, tamen est Species respectu Differentiæ superioris, ut respectu sensibilis. Et etiam in illa ordinatione Differentiarum duo sunt generalissima collateralia, ita quod in Prædicamento substantiæ est unum generalissimum, scilicet, *corporeum* ex una parte, et *incorporeum* ex alia parte : et est aliud generalissimum substantiarum, et ita tria generalissima, non tamen tria Prædicamenta, quia generalissima Differentiarum reducuntur ad generalissimum substantiarum, quod est intermedium tanquam intrinsecum illius Generis, et propria perfectio : et non tanquam extrinsecum, sicut Quantitas reducitur ad Substantiam.

Ad primam rationem dicitur, quod Boetius intelligit, quod definitio est danda ex Genere primo, et omnibus Differentiis, accipiendo Differentias a diversis gradibus, et sic ultima Differentia non includit præcedentes, et propter hoc non sequitur quod tunc erit nugatio.

Ad aliud dicitur quod in illa definitione, *Animal rationale*, non est nugatio, si rationale accipitur ab ultimo gradu, quia sic non includit differentias præcedentes. Si autem includeret, sic concedo, quod hîc esset nugatio. Sed sic non est hæc definitio.

Ad aliud dicitur, quod ultima Differentia convertibilis est cum definito, et etiam est in plus, sub diversa tamen ratione ; quia aliquid esse in plus respectu alterius est dupliciter. Uno modo, quia est in plus, quoad ambitum suppositorum, et sic Differentia inferior non est in plus. Alio modo dicitur aliquid in plus alio, quia simpli-

cius : et illo modo quælibet Differentia est in plus, quam definitum, et cum hoc stat, quod Differentia ultima sit convertibilis quoad ambitum suppositorum.

. et 4. Ad alias duas rationes sicut dicebatur, quod Differentia inferior est Species respectu superioris, ut rationale est species respectu sensibilis, licet respectu hominis, vel animalis sit Differentia.

Ad primum contra hoc, quod rationale, ut est Species, sic accipitur a tota perfectione, et significat totam perfectionem hominis quæ advenit Substantiæ quæ est Genus generalissimum, et illo modo Species est, et habet Differentiam, quæ accipitur ab ultimo gradu, et non a tota perfectione. Et cum quæritur an illa Differentia habeat aliam differentiam, aut non ; dicitur quod non. Sed non fuit eadem ratione standum in primo, quia hæc Differentia, quæ non habet aliam, accepta tantum est ab ultimo gradu, et sic est Differentia, quod nullo modo est Species, ideo differentiam non habet. Sed differentia alia, quæ est Species, accepta est a tota perfectione, et habet aliquid in quo convenit cum alia Differentia, et aliquid in quo differt, ideo differentiam potest habere.

t 5. Ad aliud sicut dicebatur, quod est aliquod generalissimum differentiarum, diversum a generalissimo substantiarum intermediarum, et tamen non sequitur quod sint diversa Prædicamenta. Unde hæc consequentia non valet, *Duo sunt generalissima, vel tria* ; *igitur tot sunt Prædicamenta substantiarum*, quia generalissima differentiarum reducuntur ad generalissimum substantiarum in medio ordine, sicut posterius ad prius intrinsecum.

7. Ad alia contra hoc. Ad primum dicitur, quod hîc est fallacia Accidentis ; inter illas coordinationes sunt diversa generalissima, et specialissima, et intermedia : igitur diversa Prædicamenta. Non enim hoc sufficit, sed requiritur quod unum non reducatur ad aliud tanquam intrinsecum ei.

Ad aliud, quod hîc est fallacia Consequentis, hoc generalissimum, puta *corporeum* est diversum a generalissimo, quod est Substantia : igitur sunt principia diversorum Prædicamentorum ; hoc enim non sufficit, sed requiritur quod unum ad aliud non reducatur, ut prædictum est. Ad aliud dicitur quod non est ad propositum, quia per se causa quare corporeum et incorporeum faciunt unum Prædicamentum, non est propter hoc quod unum reducatur ad alterum ; sed hæc est causa, quia unum reducitur ad alterum ut intrinsecum, et essentialis perfectio. Quantitas autem est totum extrinsecum Substantiæ, et est ejus perfectio accidentalis : igitur, etc.

Ad ultimum principale dicitur, negando consequentiam ; Differentia inferior includit superiorem per se : igitur non est possibile definire. *Ad 6.*

Ad probationem dicitur, quod quando quæritur, aut contingit definire ex primo Genere, et ultima Differentia, aut ex proximo, dicitur, quod accipiendo *rationale*, secundum quod imponitur a tota perfectione, hoc est, secundum quod includit differentias præcedentes, sic contingit definire ex primo Genere, et ultima Differentia, ut dictum est in positione.

Ad probationem dicitur, quod adhuc definitio erit sufficiens, licet prædicata essentialia non ponantur explicite in tali definitione, tamen implicite, et hoc sufficit.

Ad rationes in oppositum. 8.

Ad primam dicitur, quod auctoritas Boetii probat, quod ultima Differentia secundum quod imponitur a tota perfectione cum primo Genere sufficit ad definiendum, quia sic includit omnes Differentias præcedentes, et hoc conceditur. Si enim Boetius intelligeret, quod sufficeret ex primo Genere, et ultima Differentia, ut imponitur ab ultimo gradu, falsum diceret. *Ad argumenta in oppositum.*

Ad aliud quod Differentiæ prædicantur univoce. Sed prædicari univoce est duplex. Uno modo quando prædicatur superius de per se inferiori, sicut homo de illo homine, et illo modo Differentiæ acceptæ ab aliquo distincto gradu non prædicantur *Prædicari univoce duplex.*

univoce, tamen Differentiæ acceptæ a tota perfectione sic possunt univoce prædicari. Alio modo dicitur prædicari univoce quod prædicat essentiam rei, vel partem essentiæ, et sic omnes Differentiæ prædicantur univoce, et etiam generalissimum, quod nullam habet definitionem, sic prædicatur univoce ; sed sic prædicari non est prædicari secundum definitionem.

Ad aliud dicitur, quod illa ratio probat quod Differentia accepta a tota perfectione includit superiorem, quia Differentia sic accepta ordinata cum alia superiori facit nugationem secundum intellectum Aristotelis.

Ad aliud dicitur quod illa concludit idem. Intellectus enim Aristotelis est,quod contingit definire ex primo Genere, et ultima Differentia, accipiendo ultimam differentiam a tota perfectione, ut sic dicendo, *Homo est substantia rationalis.*

Ad aliud,quod ad hoc quod propositio sit primo modo, non oportet quod formale in subjecto, includat formale in prædicato, sed hoc accidit ; quia per se causa est ex hoc, quod totus conceptus prædicati in conceptu subjecti includitur. Et sic quod est formale in prædicato, includitur in formali subjecti, sicut *Homo est rationalis.* Sed aliquando est propositio per se primo modo, in qua materiale subjecti includit formale prædicati, sicut hîc, *Homo est animal*, *animal* est materiale in conceptu hominis, et idem includit formale in hoc prædicato, *animal*, etc.

QUÆSTIO XXV

An aliquod accidens per se prædicetur de subjecto

Vide auctores *quæst.* 15. *hujus.*

1. *Argumenta pro parte negativa.* Quod non videtur ; subjectum comparatur ad accidens in ratione causæ materialis ; sed causa materialis est illud quo res potest esse, et non esse : (est enim in potentia contradictionis.) igitur sic subjectum comparatur ad passionem sub potentia ad ipsum, et suum oppositum ; non igitur passio necessario inest suo subjecto, et per consequens de subjecto non prædicatur per se ; quia quæ per se insunt, de necessitate insunt.

Hîc dicitur, quod subjectum comparatur ad passionem ratione duplicis causæ (sicut dicit Thomas) ut in ratione causæ materialis, et in ratione causæ efficientis. Unde licet causa materialis, quantum est de se, sit in potentia contradictionis : non tamen sequitur passionem posse inesse, et non inesse subjecto.

Contra, per Aristotelem in 2. Physic. impossibile est causam materialem, et efficientem concurrere in eodem : et ratio est, quia impossibile est idem esse in potentia, et actu, respectu ejusdem ; si igitur subjectum respectu passionis habet rationem causæ materialis, non habebit rationem causæ efficientis.

Aliter dicitur ad rationem, quod subjectum respectu passionis habet rationem causæ materialis, sed ex hoc non sequitur, quod possit esse sub passione, et non esse ; quia materia pertinens ad Speciem, non est principium,quo res potest esse,et non esse, sed materia pertinens ad individuum tantum.

Contra, materia, quantum est de se, est in potentia passiva, nullum actum in sua essentia includens. Sed omnis determinatio est ratione alicujus actus, qui determinat ; igitur materia pertinens ad Speciem, quantum est de se, non potest esse sufficiens causa,quare passio necessario Speciei insit.

Aliter dicitur ad rationem, quod Species respectu passionis habet rationem causæ materialis, et causæ formalis, ratione causæ materialis ; Species recipit passionem ; ratione causæ formalis, determinat passionem sibi inesse, ita quod suum oppositum non possit inesse : sed subjectum non habet rationem causæ efficientis, non enim est intelligibile, quod homo efficiat risibile 2.

in eo, sed illud idem agens, quod causat hominem, causat risibile effective, posterius tamen secundum naturam.

Contra ; si subjectum habet rationem causæ materialis respectu passionis ; igitur habet potentiæ passivæ rationem, si habet rationem causæ formalis, habet rationem potentiæ activæ, igitur in eodem simul essent potentia activa, et passiva respectu ejusdem, quod videtur esse inconveniens ; sicut poneretur in eodem causa materialis, et causa efficiens respectu ejusdem.

Ad principale ; subjectum præcedit passionem. Verbi gratia : Intelligi potest homo non intelligendo passionem ; igitur potest intelligi sub opposito passionis : sed quandocumque subjectum potest intelligi sub opposito prædicati, prædicatum non necessario inest subjecto, nec per consequens per se ; igitur passio non potest prædicari per se de subjecto, et multo fortius nullum aliud accidens.

Item, per Aristotelem, *Substantia præcedit omne accidens definitione, et tempore*, sed quod tempore præcedit alterum, non per se respicit ipsum ; substantia igitur universaliter præcedit omne accidens : igitur nullum accidens per se prædicatur de subjecto.

Hîc dicitur, quod Aristoteles intelligit quod substantia separata præcedit omne accidens tempore, cujusmodi est prima causa, substantia tamen materialis non præcedit tempore accidentia.

Contra illud, Aristoteles declarat, quod substantia præcedit omne accidens tempore, ex hoc quod substantia separabilis est, sed manifestum est, quod prima causa non est separabilis ab accidentibus, nec inseparabilis, quia cum accidentibus non est nata uniri : et illud dicitur separabile, quod est natum uniri : igitur de prima causa non potest Aristoteles intelligere.

3. Aliter dicitur, quod Aristoteles intelligit hanc propositionem, *Substantia præcedit omne accidens*, de accidente communi, et non de accidente proprio ; accidens enim proprium simul est tempore cum subjecto cujus est proprium. Sed accidens commune est posterius, ut in pluribus.

Contra illud sic ; Aristoteles probat, quod substantia præcedit omne accidens, cognitione, tempore, et definitione, ex hoc quod accidens definitur per substantiam ; sed manifestum est, quod accidens proprium definitur per substantiam ; igitur substantia præcedit omne accidens proprium, et commune.

Dicitur, quod per illud medium Aristoteles non probat nisi, quod omne accidens præcedit definitione, et non tempore.

Contra illud, supponitur quod Aristoteles loquitur Logice, et univoce de substantia, et accidente. Si igitur substantia secundum definitionem præcedit accidens proprium, et etiam substantia præcedit accidens tempore, non æquivoce ; igitur eadem substantia non æquivoce, sed univoce præcedit omne accidens tempore, et definitione.

Hîc dicitur, quod substantia quantum est de se præcedit omne accidens ; quia substantia quantum ad suum existere, et esse temporale, non indiget accidente ; accidens tamen ad suum existere indiget substantia ; ideo accidens conjunctum est cum substantia : propterea indiget substantia. Breviter Aristoteles intelligit, quod substantia, quantum est de per se, præcedit accidens sic tempore, quod non indiget esse temporali accidentis, cum hoc tamen stat, quod substantia, et accidens simul sint tempore per accidens, ex hoc, quod accidens quantum ad esse temporale indiget existere substantiæ.

Contra illud, hæc ratio non concludit quod substantia præcedit accidens tempore, sed solum natura, ex hoc, quod subtantia non indiget accidente, sed e converso, et non plus sequitur quam quod substantia prior est accidente secundum naturam.

Item, quod substantia, et accidens simul sint tempore, ostenditur. Substantia est causa accidentis ; et causa, et effectus sunt simul tempore, et non sunt : igitur sub-

stantia est simul cum accidente, et non est.

Ad oppositum est Aristoteles dicens, *Secundum modum esse quando subjectum cadit in eo quod quid est passionis, sicut numerus cadit in definitione paris,vel imparis.* Sic igitur patet, quod substantia cadit in definitione passionis, et passio per se de subjecto prædicatur.

4. *Conclusio.* Ad quæstionem dicitur, quod aliquod accidens prædicatur per se de subjecto, et secundo modo, ratio est; quia tunc est propositio per se secundo modo, quando prædicatum egreditur a principiis Speciei, secundum quod Species est, et non Individui secundum quod Individuum : sed sic risibile se habet respectu hominis, egreditur enim risibile a principiis hominis intrinsece, quæ sunt intrinseca homini secundum quod homo est, et non inquantum ille homo, et ideo rationabiliter per se prædicatur de homine : et habere tres angulos de triangulo, et sic de aliis.

Ad 1 princ. Ad rationem contra hoc dicitur, sustinendo responsionem expositoris sicut dicebatur. Et ad rationem contra hoc dicitur, quod causa materialis, et efficiens non concurrunt in eodem, loquendo de efficiente per transmutationem,et hoc intelligit Aristoteles. Sed alio modo est causa efficiens per quamdam emanationem, et sic subjectum includit causam efficientem respectu passionis, quia passio emanat de subjecto; et de tali causa efficiente per emanationem non intelligit Aristoteles, ibi, quia sic possibile est unum, et idem sub diversa ratione. Homo enim habet rationem causæ materialis respectu risibilis, inquantum recipit, et subjicitur tali passioni, inquantum tamen illa passio a subjecto egreditur, sic habet subjectum, *ut homo*, rationem causæ efficientis per emanationem.

Sustinendo secundam responsionem, potest dici ad rationem contra hoc, quod Species non necessitat sibi passionem inesse ratione causæ materialis tantum, tamen ut materia Speciei determinatur per formam, sic potest necessitate passionem sibi inesse. Et coincidit cum tertia responsione. Ideo dico, sicut tertio dicebatur.

Ad rationem contra hoc dicitur,quod non est inconveniens aliquid in se includere potentiam activam, et passivam (loquendo de potentia activa formæ) imo hoc est necessarium : sicut enim cuilibet materiæ correspondet forma ipsam perficiens, ita cuilibet potentiæ passivæ correspondet potentia activa, et in eodem in quo est materia et forma. Sequitur enim si forma perficit materiam ; igitur perficere potest : sed materia perficitur ; igitur perfici potest. Loquendo tamen de potentia activa efficientis, et de potentia passiva materiæ,sic non concurrunt in eodem respectu ejusdem.

Ad aliud per interemptionem hujus consequentiæ,subjectum potest intelligi non intelligendo passionem : igitur potest intelligi sub opposito passionis; cujus ratio est,quia homo per se est causa risibilitatis; si igitur intelligatur hominem esse hominem,et non tamen ipsum esse non risibilem; ex hoc, quod intelligitur ipsum non esse risibilem, ex consequenti intelligitur ipsum non esse hominem, quia propria passio, et efficiens concomitantur se secundum esse, et non esse; et ita ex consequenti intelligitur hominem esse hominem, et non esse hominem, quod est impossibile. Similiter hoc patet per Porphyrium; dicit enim quod est differentia inter accidens proprium, et accidens consequens individuum, in hoc, quod accidens proprium sic se habet ad subjectum, quod subjectum non potest intelligi sub opposito illius, licet subjectum possit intelligi non intelligendo illud. Sed de accidente communi, aliter est; subjectum enim potest intelligi non intelligendo accidens commune, etiam potest intelligi sub opposito accidentis communis. Possum enim intelligere Æthiopem nitentem candore, sine incompossibilitate intellectuum, sed non possum intelligere, hominem esse non risibilem, sine incompossibilitate. Voco enim accidens commune quod consequitur subjectum ratione conditionum materialium, et non ratione formæ Speciei. 5. *Ad 2.*

Ad aliud sicut dicebatur. *Ad 3.*

Ad primum contra hoc; quod ex hoc quod substantia quoad esse suum temporale non indiget esse temporali accidentis, sequitur quod non solum præcedit, quantum est de se, accidens natura, sed etiam quod sit prius tempore. Quod vero sint simul, hoc est per accidens; ut ratione indigentiæ accidentis.

Ad 4. Ad aliud dicitur, quod substantia inquantum est causa accidentis, et accepta sub ratione causæ, sic simul temporaliter est cum accidente. Substantia tamen quæ est causa, non considerata sub ratione causæ, quantum est de se potest esse sine accidente, ita quod accidente non indiget, quod tamen sint simul, hoc est per accidens.

Aliter potest dici ad rationem, quod substantia præcedit omne accidens in aliquo tempore; loquendo de Substantia quæ est Genus; quia alia est substantia, quæ sine accidente potest esse : sicut patet de substantiis separatis. Et ideo substantiæ secundum Genus non repugnat, quod præcedat quodlibet accidens tempore, quia quod repugnat Generi, repugnat Speciei, sive non potest inesse Speciei. Si enim habere alas repugnat animali, non potest inesse avi : ideo sequitur, quod substantiæ secundum Genus non repugnat præcedere quodlibet accidens tempore. Et hoc intelligit Aristoteles, quod tamen alia substantia simul tempore sit cum accidente, hoc non est ratione substantiæ, unde substantia est; sed hoc est ratione alicujus alterius.

Et per hoc patet ad rationem quamdam positam contra responsionem priorem, quod substantia secundum Genus separabilis est, sic scilicet quod substantiæ secundum Genus non repugnat separari. Unde non oportet, quod separabile accipiatur pro eo quod actu unitur, sed extensive potest accipi, etc.

QUÆSTIO XXVI

An omne accidens habeat subjectum cui inest per se

Arist. 10. *Metaph. c.* 4. *pri. Post. text.* 9. *et* 7. *Met. text.* 4. 17. *et* 19. Porph. *c.* 6. *de accid.* Vide Interpretes eorum *illis locis*. Cajet. *cap. de proprio*. Mass. *ibid.* Item vide Doctorem. *q.* 32. *univers.* Lovanienses et alios Neotericos apud Complut. *disp.* 9. *Log. q.* 2.

Videtur quod sic; quia si esset instantia, hoc esset de accidente communi, ut album; sed de illo non est instantia : igitur, etc. Probo minorem, album inest alicui subjecto, ut homini, aut igitur per se, aut per additum. Si per se, habetur propositum; si per additum, ut per superficiem, quæro de illo, aut album inest illi addito per se, aut per additum; si per se, habetur propositum, quia album habet subjectum aliquod cui per se inest; si per additum, processus erit in infinitum. 1. *Argumenta pro parte affirmativa.*

Item, si album non haberet subjectum per se cui inest, non magis inesset huic subjecto, quam illi, aut cuicumque alteri. Cum igitur huic subjecto inest, et non illi, et tunc in hoc subjecto habet causam, per quam sibi per se potest inesse.

Item, per Aristotelem in 7. Metaph. quia substantia præcedit omne accidens, substantia cadit in definitionem cujuslibet accidentis. Sed tunc arguo sic : Secundus modus dicendi per se est, quando subjectum cadit in definitionem accidentis. Dicitur, quod intelligitur quando cadit in definitionem accidentis proprii tantum, et non in definitionem accidentis communis.

Contra illud; Aristoteles per illud concludit hanc universalem, quod *Substantia præcedit omne accidens*. Sed propositio universalis non sequitur ex medio particulari : igitur hoc medium est universale : igitur intelligit, quod substantia cadit in definitionem cujuscumque accidentis.

Ad oppositum est Aristoteles qui dicit, quod *Quæ neutraliter insunt, accidentia*

sunt, ut *musicum, et album* : accidentia igitur communia, ut talia, non habent subjectum cui per se insunt.

2. *Conclusio.* Ad quæstionem dicitur, quod accidens non inest per se, eo modo quo demonstrator utitur per se : et hujus ratio est, quia Aristoteles dicit, *Quæ neutraliter insunt, accidentaliter insunt*, ut *album musicum* : igitur album, et musicum non sunt accidentia per se, sed per accidens.

Juxta quod est intelligendum, quod licet quodlibet accidens causetur ex unione formæ cum materia, secundum Aristotelem I. Physic. etiam quamvis omne accidens sit in ente in actu, tamquam in subjecto, quia nec in materia, nec in forma, cum non sint entia ; sed principia entis, tamen non oportet, quod quodlibet accidens per se insit subjecto.

Accidentia quædam ab intrinseco, quædam ab extrinseco. Juxta quod est intelligendum, quod quædam accidentia insunt subjecto totaliter tantum ab extrinseco, sicut albedo causatur a frigore, nigredo ab æstu ; et accidentia illo modo non insunt per se in subjecto : et hujus ratio est, quia accidens per se est accidens proprium. Sed accidens proprium est quod soli Speciei, et omni contento sub Specie inest. Sed talia accidentia, quæ insunt tantum ab extrinseco, potest inesse multis speciebus. Alio modo accidens causatur ab intrinseco, et hoc tripliciter. Uno modo ratione formæ, alio modo ratione materiæ, et tertio modo ratione complexionis. Accidens secundo modo est sicut quantitas, et tale accidens non est accidens per se propter rationem quæ data est. Quantitas enim non inest soli Speciei, sed multis speciebus. Accidens tertio modo quod causatur ex complexione est, ut albedo, nigredo, quæ causantur ex qualitatibus primis, etiam qualitates primæ ex diversa commixtione causantur diversimode, talia accidentia non sunt accidentia proprie propter rationem dictam, quia multis speciebus insunt. Accidens primo modo, quod consequitur compositum ratione specificæ formæ, est accidens per se : tale enim solam Speciem consequitur, et omnibus contentis sub Specie inest, et semper ; sicut *risibile* se habet respectu hominis, et *habere tres angulos*, respectu trianguli. Effectus enim non excedit causam ; ideo sicut forma hominis non est in asino, aut in aliis speciebus, ita risibile in asino non reperitur. Similiter sicut forma specifica hominis in quolibet supposito reperitur, ita risibile, quia posita per se causa, ponitur et effectus.

3. *Accidens dupliciter potest per se inesse subjecto.* Aliud est intelligendum propter rationes, quod accidens per se inesse subjecto potest esse dupliciter. Uno modo dicitur aliquid inesse subjecto per se, quod non per subjectum medium ; et illo modo quodlibet inest per se alicui subjecto. Alio modo dicitur accidens inesse per se, quia egreditur a principio formali ipsius subjecti ; et sic solum propria passio inest per se. Primus modus non pertinet ad demonstratorem, tamen secundus pertinet. Ideo dicit Linconiensis, quod hæc est per se, *Homo est quantus*, non tamen pertinet ad demonstrationem : omnis enim demonstratio est ex propositionibus per se, sed non convertitur. Non enim omnis propositio per se pertinet ad demonstratorem. Per hoc ad rationes.

4. *Ad argumenta.* Ad primam dicitur, quod quodlibet accidens inest alicui subjecto per se, accipiendo *per se*, ita quod non per medium, et hoc concludit ratio ; non tamen ex hoc sequitur, quod quodlibet accidens inest subjecto per se, sicut demonstrator utitur *per se*.

Ad aliud dicitur, quod multa accidentia quæ sunt in subjecto, habent causam intrinsecam, propter quam subjecto insunt : ex hoc non sequitur, quod insunt subjecto per se, sicut demonstrator utitur *per se*. Demonstrator enim dicit passionem inesse subjecto per se ; quando consequitur subjectum ratione formæ specificæ, et non ratione conditionum materialium, sicut albedo est in cycno.

Ad aliud dicitur, quod in definitionem cujuslibet accidentis cadit subjectum, sed ex hoc non sequitur, quod accidens per se

inest alicui subjecto; ad hoc enim quod per se insit subjecto, oportet, quod sequatur subjectum ratione formæ specificæ; unde causa quare accidentia definiuntur per subjecta, est, quia extra illa subjecta non inveniuntur; sicut quantitas non invenitur extra corpus, simitas non invenitur extra nasum. Sed tamen non sunt per se accidentia talium subjectorum, quia talia accidentia consequuntur ratione conditionum materialium nasi, et non ratione formæ, quia si sic, omnis nasus esset simus.

QUÆSTIO XXVII

An accidens possit prædicari de alio accidente tanquam de subjecto secundo modo dicendi per se

1. *Argumenta pro parte negativa.* Quod non videtur. Si per accidens per se prædicatur de alio, quæro an illa duo accidentia sint alterius coordinationis, aut ejusdem. Si ejusdem, tunc est primus modus dicendi per se, et non secundus, sicut hîc, *Album, et coloratum.* Si alterius, tunc hæc posset esse per se secundo modo, *Quantum est æquale*, et hoc secundo modo, quod non videtur.

Item, secundo modo dicendi per se, subjectum comparatur ad prædicatum in ratione duplicis causæ; ut in ratione causæ materialis, et efficientis. Sed unum accidens non est causa efficiens respectu alterius accidentis, quia omnis efficiens, et omnis effectus, est per se existens; tale non est accidens, nec est causa materialis, quia accidens non potest esse subjectum accidentis.

Item, si accidens per se prædicaretur de alio, sequeretur, quod unum accidens haberet duo subjecta; consequens est falsum; igitur et antecedens. Probatio consequentiæ, substantia est subjectum omnium accidentium, quia omnia accidentia sunt in primis substantiis secundum Aristotelem in Prædicamentis. Similiter accidens est subjectum alterius, si unum de alio prædicatur per se, secundo modo: igitur sequitur, quod unum accidens habet duo subjecta.

Ad oppositum est Aristoteles dicens, hanc esse per se, secundo modo, *Triangulus habet tres angulos*, et tamen triangulus est accidens. Dicit etiam in principio hujus, quod triangulus est passio lineæ: probatur enim in Geometria, quod super quamlibet lineam datam contingit triangulum æquilaterum collocare; igitur accidens potest prædicari de alio accidente secundo modo. 2. *Argumenta in oppositum.*

Item, Aristoteles in tota Logica concludit passiones de intentionibus secundis, ut de enunciatione, et syllogismo; quia intentiones secundæ sunt subjectum Logicæ, de quibus Logica considerat passiones; et tamen illa sunt accidentia: igitur accidens, potest prædicari de accidente per se, quia conclusio in demonstratione est per se.

Ad quæstionem dicitur, quod unum accidens potest prædicari de alio per se secundo modo, ut patet in hoc exemplo, *Triangulus habet tres*, etc. *Numerus est par, vel impar.* Et hujus ratio est, quia secundus modus dicendi per se, est quando subjectum cadit in definitionem passionis, in quo subjecto est causa formalis respectu *Habere tres*, etc. et triangulus cadit in definitionem ipsius quod est *Habere tres*, igitur hîc est secundus modus, igitur accidens de accidente potest prædicari per se. 3. *Conclusio.*

Intelligendum tamen propter rationes, quod dupliciter potest accipi subjectum: uno modo dicitur subjectum, suppositum, quod est per se existens; et illo modo accidens non est per se existens, nec subjectum respectu alicujus passionis, sed sola substantia. Alio modo dicitur aliquid esse subjectum, eo quod immediate est susceptivum sive medium, quo accidens in substantia recipitur; et illo modo unum accidens potest esse subjectum alterius; sicut quantitas est subjectum respectu qualitatis; et triangulus respectu *Habere tres*, etc. Sed in hoc differunt, quod in quantitate non est causa formalis respectu qualitatis, sicut in triangulo est causa formalis respectu *Habere tres.* *Subjectum dupliciter accipitur.*

4. *Ad argumenta.* Ad primam rationem dicitur, quod quando accidens de accidente prædicatur per se secundo modo, tunc sunt alterius coordinationis. Sed ex hoc non sequitur, quod hæc sit per se, *Quantum est æquale*; deficit enim conditio requisita, quia in quanto non includitur causa formalis respectu æqualis.

Ad aliud, quod unum accidens potest esse subjectum respectu alterius; non ita quod sit suppositum, sed potius est subjectum, quia immediate susceptivum, sicut superficies respectu coloris se habet. Sic non est inconveniens. Inconveniens tamen esset, quod unum accidens haberet duo subjecta suppositantia, et non ordinata.

De hoc quod tangitur in prima ratione, quod subjectum habet rationem causæ efficientis; patet in præcedente quæstione, quia vel non habet rationem causæ efficientis respectu passionis, vel si habet, hoc est per quamdam emanationem, et non per transmutationem, etc.

QUÆSTIO XXVIII

An passio habens subjectum proprium, insit ei per se

1. *Argumenta pro parte negativa* Quod non videtur. Impar inest numero tanquam proprio subjecto, et tamen non inest ei per se, igitur, etc. Prima pars patet, quia impar inest numero non per aliquid extrinsecum, igitur numerus est proprium subjectum respectu imparis. Aliam partem probo, si impar per se inest numero, cum *per se* præsupponat *de omni*; tunc omnis numerus esset impar, conclusio est falsa, et non minor, igitur major.

Item, sicut se habet rectum ad lineam, ita impar ad numerum; sed linea est proprium subjectum respectu lineæ rectæ, igitur numerus est proprium subjectum respectu imparis.

Item, nasus est proprium subjectum respectu simi, et tamen non per se prædicatur de naso, quia tunc hæc esset vera, *Omnis nasus est simus*, igitur accidens habens proprium subjectum non inest subjecto per se. Major patet, quia nasus cadit in definitionem simi secundum Aristotelem in 7. Metaph. Sed solum cadens in definitionem accidentis est ejus proprium subjectum, igitur nasus est proprium subjectum simi.

Item, hæc minor patet aliter : illud subjectum a cujus principiis egreditur accidens, quod natum est subjici respectu accidentis, est subjectum proprium illius. Sed nasus est natus subjici respectu simi, etiam a principiis nasi egreditur simul; igitur nasus est proprium subjectum respectu simi.

2. *Ad argumenta opposita* Ad oppositum, si subjectum est proprium respectu accidentis, accidens est proprium respectu subjecti, et e converso, quia propria passio, et proprium subjectum non excedunt se invicem : sed accidens proprium per se prædicatur de subjecto cujus est proprium; igitur eadem ratione subjectum habens proprium per se prædicatur de eo.

Item, quandocumque accidens a principiis subjecti causatur præcise, et sufficienter, tunc prædicatur illud accidens de subjecto secundo modo dicendi per se. Sed quando accipitur subjectum proprium respectu accidentis, tunc a subjecto proprio, et ex principiis suis sufficienter, et præcise egreditur passio; igitur passio habens proprium subjectum per se, de eo prædicatur.

3. *Conclusio* Ad quæstionem dicitur, quod accidens habens subjectum proprium pertinens ad Speciem, per se de eo prædicatur : accidens tamen habens subjectum proprium, quod est individuum, non per se prædicatur de illo quomodo demonstrator utitur *per se*. Primum patet, quia tunc est secundus modus dicendi per se, quando accidens prædicatum de subjecto egreditur ex principiis subjecti pertinentibus ad naturam Speciei; igitur accidens habens subjectum proprium, quod est Species, per se prædicatur de illo, secundo modo. Secundum patet, hæc enim non est per se : *Ille homo est albus*. Album enim, etsi consequatur

individuum, hoc non tamen ratione formæ pertinentis ad Speciem causabit, sed ratione conditionum materialium, quæ accidunt veræ Speciei.

bjectum d accidis in ratione causæ comparatur tripliciter.

Intelligendum tamen est, quod subjectum comparatur ad accidens tripliciter in ratione causæ. Uno modo comparatur in ratione causæ diminutæ. Secundo modo in ratione causæ superfluæ. Alio modo in ratione causæ præcisæ. In ratione causæ diminutæ accipitur subjectum sicut figura respectu *Habere tres*, quia licet figura remota removeatur *Habere tres*, tamen figura posita non ponitur sufficienter *Habere tres*. Alio modo comparatur in ratione causæ superfluæ, sicut isosceles respectu *Habere tres*. Licet enim isosceles causam hujus passionis in se includat, ex hoc quod includit triangulum, tamen superaddit differentiam triangulo, quæ nihil facit ad *Habere tres*, et ita se habet isosceles in ratione causæ superfluæ. Sed triangulus se habet in ratione causæ præcisæ respectu *Habere tres*, et hujus causa est, quod *Habere tres* primo inest triangulo, quia remoto aliquo, quod pertinet ad triangulum (ut remota figura, vel termino) removetur *Habere tres*, et posito triangulo, ponitur etiam *Habere tres*; tunc dico, quod passio comparata ad subjectum quod habet rationem causæ præcisæ per se, et primo de illo prædicatur : et tale subjectum proprium est respectu passionis. Sed de contentis sub tali subjecto prædicatur propria passio per se, sed non primo, quia quod per se inest superiori, per se inest inferiori, licet non primo.

4. *d argumenta.*

Ad primam rationem dicitur, quod numerus non est proprium subjectum respectu imparis, quia numerus excedit hanc passionem *impar*, et proprium subjectum non excedit propriam passionem.

Ad probationem dicitur, quod impar inest numero per aliquid extrinsecum, quia inest numero per aliquam ejus speciem, et ita per aliquid extrinsecum : dicit etiam Aristoteles in Elenchis, quod *inferiora sunt extra superiora*, quia in intellectu superioris non ponuntur inferiora : et ita accidunt superioribus.

Ad aliud dicitur, quod rectum inest lineæ, non tanquam subjecto, sed inest lineæ contractæ quodammodo tanquam proprio subjecto. Si enim linea secundum se, et absolute esset proprium subjectum respectu recti, tunc omnis linea esset recta, et eodem modo impar inest numero, non tanquam proprio subjecto, sed numero contracto prius inest, ut alicui speciei numeri.

Contra illud ; si impar inesset alicui speciei numeri primo, quæro aut inest ternario, aut quaternario, et sic de aliis. Sed qua ratione inest uni primo, eadem ratione inest alteri, igitur nulli inest primo, quia quod per superabundantiam dicitur, uni soli convenit.

Dicitur hîc quod impar non primo inest ternario, nec quaternario, ut concludit ratio. Sed primo inest alicui speciei subalternæ, quæ continetur sub numero, quia ex quo omne genus dividitur immediate per duas differentias : et quælibet differentia adveniens generi constituit speciem, igitur primo dividitur numerus in duas species tantum, et uni illarum specierum inest per se tanquam propria passio, et alii *impar* tanquam passio. Sed quia illæ sunt duæ species immediatæ, ideo accidit error, quia per Aristotelem secundus error est quando passio creditur inesse inferioribus primo propter hoc quod commune cui passio inest, est innominatum.

Ad aliud dicitur, quod nasus non est proprium subjectum simi. Et ad primam probationem dicitur, quod illud quod cadit in definitionem alterius tanquam subjectum proximum, illud est subjectum proprium respectu accidentis. Sed nasus non cadit in definitionem simi, tanquam proprium subjectum, sed nasus quodammodo contractus ; et ideo non est proprium subjectum.

Ad aliam probationem dicitur, quod nasus non est natus subjici respectu simi, quia nasus non subjicitur respectu

simi, nisi per conceptum suum, ut per nasum contractum ; et quia per aliquid quod est extra intellectum nasi, quod ponit simum, subjicitur nasus respectu simi : et ideo secundum accidens, unde hæc est secundum accidens, *Nasus est simus*, et universaliter quando communius subjicitur respectu minus communis : nasus enim excedit ambitum suorum suppositorum, ideo, etc.

5. *Propositio per se dicitur dupliciter.* Contra illud dicit Aristoteles in primo hujus, quod hæc est secundum se, *Lignum est album*, et hæc est per accidens, *Album est lignum*, et tamen lignum non est proprium subjectum albi, sed possibile est, quod excedat.

Ad hoc dicendum, quod aliquam propositionem esse secundum se, est dupliciter, vel absolute, vel in comparatione. Absolute quando proprium subjectum subjicitur respectu suæ passionis, vel inferius respectu superioris. In comparatione, quando subjectum subjicitur respectu accidentis. Per hoc ad formam dicitur, quod hæc, *Lignum est album*, est secundum se, in comparatione ad hanc, *Album est lignum*, quia ex hoc quod lignum est, non subjicitur secundum aliquod aliud alterius generis : sed album subjicitur totaliter secundum alterum, ut subjectum, et ideo respectu alterius secundum se. Ideo hæc est per se ; *Lignum est album*, non tamen simpliciter secundum se. Similiter nec illa, *Nasus est simus* : nec illa, *Animal est homo;* quia in nullo illorum subjicitur respectu alterius, quod est natum subjici. Tu dicis, quod Aristoteles supponit quod subjiciatur quod natum est subjici in demonstratione, quemadmodum lignum, et prædicatum quemadmodum album, quoniam ex hujusmodi fiunt demonstrationes, supponit igitur Aristoteles quod subjicitur,sicut illud quod natum est subjici respectu albi.

Dicendum quod Aristoteles non intelligit lignum per se, sed lignum contractum, vel per lignum intelligit aliquod subjectum proprium respectu albi,si possibile est album habere subjectum proprium, etc.

QUÆSTIO XXIX

An unum oppositorum per se prædicetur de altero

De his tribus quæstionibus vide Auctores citatos *supra quæst.* 15. *hujus.*

1. *Argumenta pro parte affirmativa.* Quod sic videtur ; hæc est per se, *Mutabile est immutabile*, et illa sunt opposita. Probo majorem, de mutabili est scientia ; sed illud de quo est scientia, est in se perpetuum, et incorruptibile : igitur mutabile est perpetuum, et per consequens mutabile est immutabile.

Item, hæc est per se : *Non ens est ens*, et tamen in illa prædicatur oppositum de suo opposito. Antecedens patet per Aristotelem in quarto. Dicit enim quod ens prædicatur per se de substantia et accidente, sicut de privationibus et negationibus.

Hîc dicitur, quod non ens est ens in intellectu, vel significatione.Sed sic non prædicatur oppositum de suo opposito; quia non ens realiter, et ens in significatione non opponuntur.

Contra, hæc est vera, *Non ens in significatione, est ens in significatione* ; quia non ens in significatione significatur, et illa sunt opposita, igitur opposita per se prædicantur de se.

Item,hæc est per se, *Multitudo est ens*, et ens et unum convertuntur ; igitur hæc est per se, *Multitudo est una* : sed multum et unum opponuntur ; igitur, etc.

Hîc dicitur, quod *unum* dicitur dupliciter. Unum quod est principium numeri, et unum quod convertitur cum ente. Et sic dicitur tripliciter, unum genere, unum specie, et unum numero, et toties dicitur multitudo sibi opposita. Tunc dicitur ad formam, quod unum non dicitur de multo sibi opposito. Sed unum genere prædicatur de multo specie, et illa non opponuntur : similiter unum specie dicitur de *multo* numero.

Contra, accipiendo multum genere, illud multum est ens : igitur est unum ; quia

ens et unum convertuntur. Sed multum genere non est unum specie, nec unum numero; quia sub illo non continetur: igitur oportet dicere, quod multum in genere est unum in genere; et illa sunt opposita relativa ad idem: igitur oppositum prædicatur de opposito.

Item, hæc est per se, *Convenientia sunt differentia secundo modo*; quia subjectum est causa prædicati, et tamen prædicatur oppositum de opposito; igitur. Probo majorem, convenientia includit multa, sed hæc est per se, *Multa sunt differentia*; igitur, etc.

Hîc dicitur, quod convenientia non includit multa per se, quia *multum* est subjectum quodammodo respectu convenientium. Sed subjectum de accidente non prædicatur per se; ideo hæc non est per se, *Convenientia sunt multa*; licet hæc sit per se, *Multa sunt differentia*; quia tamen hæc non est per se, *Convenientia sunt multa*, ideo non sequitur quod convenientia per se sit differentia.

Contra illud; ex hac responsione sequitur propositum. Si *multa* sit subjectum respectu convenientium, hæc est per se, *Multa sunt convenientia*; sed *multum* est species diversa, convenientia est species unius: sed illa sunt opposita, igitur oppositum de opposito adhuc prædicatur.

Item, aliter probatur quod hæc sit per se; *Convenientia sunt differentia*, omnis oppositio est diversitas, convenientia est oppositio; igitur omnis convenientia est diversitas. Præmissæ sunt per se veræ: igitur conclusio. Tunc arguo sic: si abstractum per se prædicatur de abstracto, et concretum per se de concreto. Si igitur convenientia est per se diversitas, convenientia sunt per se diversa, sive differentia. Minor patet; quia oppositio per se est ens: sed diversitas et identitas sunt per se differentia entis; sed oppositis non est identitas: igitur est diversitas. Minor patet; quia omnis relatio est oppositio, omnis convenientia est relatio: igitur omnis convenientia est oppositio.

Hîc dicitur, quod hæc minor est falsa: Omnis convenientia est oppositio.

Ad probationem dicitur, quod in hac probatione est fallacia Accidentis, quia in majori accipitur *relatio* ut est nomen secundæ intentionis, et non ut est Genus generalissimum, sive nomen primæ intentionis; quia ut est Genus generalissimum, nihil de eo prædicatur per se, sed in minori accipitur *relatio* ut est nomen primæ intentionis, sive Genus generalissimum cum dicitur, quod convenientia est relatio, et ideo non est identitas medii. Et ideo fallacia Accidentis.

Contra illud; quando est fallacia Accidentis, tunc si præmissæ accipiantur cum reduplicatione, altera præmissarum erit falsa: sed hîc utraque illarum præmissarum cum reduplicatione erit vera. Hæc enim est vera: *Omnis relatio, inquantum relatio, est oppositio*, et hæc similiter, *Convenientia, inquantum convenientia, est relatio*: igitur non est fallacia Accidentis.

Item, hæc propositio, *Omnis relatio est oppositio*, vera est: igitur habet contenta sub se, de quibus vere dicitur, convenientia continetur sub relatione; igitur hæc est vera, *Convenientia est oppositio*.

Item, fallacia Accidentis est ex hoc, quod idem intellectus secundum substantiam variatur per diversos modos accipiendi; sed intellectus primæ intentionis, et secundæ, non est idem secundum substantiam: igitur non erit fallacia Accidentis ex hoc, quod in majori est oppositio secundæ intentionis, et in minori primæ, sed potius erit fallacia æquivocationis.

Ad oppositum; unum oppositorum est corruptivum alterius, et per consequens non est alterius causa. Sed in propositionibus per se, vel subjectum est causa prædicati, vel prædicatum est causa subjecti: igitur unum oppositorum de altero non prædicatur per se.

Ad quæstionem dicendum, quod unum 3.
oppositorum non prædicatur de alio, nec per se, nec per accidens: et hujus ratio est; quia unum oppositorum est alterius cor- *Conclusio.*

ruptivum : igitur de altero non prædicatur per se. Per hoc medium : *In propositionibus per se, unum extremorum est causa productiva alterius, et non corruptiva.*

Intelligendum tamen est, quod omnes oppositiones includunt contradictionem, tanquam oppositionem simplicissimam, sicut patet inductive. Oppositio privationis ad habitum,includit contradictionem circa subjectum habile. Licet enim non omne ens sit cæcum, vel videns ; tamen omne ens natum videre, et quando natum est videre, est cæcum, vel videns.Similiter oppositio contraria includit; quia in oppositione contraria unum extremorum est privativum, et destructivum alterius. Verumtamen superaddit contradictioni et oppositioni secundum privationem et habitum, aliquam naturam in utroque extremo. Licet enim nigrum sit privatio albi, tamen in se est alia natura positivæ : est enim Species per se in Genere et univoce. Sed univocatio Generis in diversis speciebus non est figmentum : oportet igitur quod accipiatur ab aliqua natura positiva in qualibet Specie ; nigrum igitur habet aliquam naturam positivam, licet non terminatam, sive ita perfectam, sicut album. Similiter relative opposita includunt contradictionem ; quia pater accipitur a potentia activa, filius a potentiva passiva ; sicut igitur in eodem non est possibile simul esse potentiam activam,et passivam respectu ejusdem; ita impossibile est patrem,et filium, esse in eodem secundum quod ad invicem referuntur : includunt igitur contradictionem, quia pater non est filius, nec e contra, secundum quod referuntur ad invicem : distinguitur enim relatio per suum fundamentum.

4 *Ad1 princ.* Ad primam rationem dicitur, quod mutabile non est per se immutabile.Et ad probationem dicitur, quod ex hoc quod mutabile est scibile, sequitur quod mutabile est perpetuum per habitudinem ad suam passionem, quæ est partim esse a termino *a quo*, et partim esse in termino *ad quem.* Verumtamen mutabile in se non est immutabile : et ideo ratio non plus concludit, nisi quod mutabile sit immutabile ; ut est subjectum passionis universalis ; quia sic est subjectum scientiæ.

Ad aliud dicitur, sicut dicebatur. *Ad 2.*

Ad rationem contra hoc dicitur concedendo hanc : *Non ens in significatione, est ens in significatione* ; sed non ut opponuntur, sed ut æquivoce accipiuntur ; ens enim in significatione est æquivocum : ideo possibile est non ens in significatione esse ens in significatione, alio, et alio modo.

Ad aliud dicitur sicut dicebatur, quod multum oppositum uni, quod est genus generalissimum, est non ens, et opponitur contradictorie ei: et ideo illud multum non est unum ; quia non potest opponi uni in genere contrarie. Contraria enim sunt in genere ; nec relative,propter eamdem rationem ; nec privative, quia privatio est in eodem genere in quo est habitus. Similiter privatio est ens aliquo modo. Sequitur igitur quod contradictorie; et tale multum non est ens. *Ad 3.*

Ad aliud sicut dicebatur.

Ad rationem contra hoc dicitur, quod hæc non est per se : *Convenientia sunt multa* ; quia non subjicitur quod natum est subjici : nec illa multa sunt convenientia. Et cum dicitur, prædicatur propria passio de subjecto : dicitur, quod *multum* non est subjectum proprium respectu convenientium, quia *multa* excedunt convenientia ; sicut nasus simum ; ideo sicut hæc non est per se, *Nasus est simus,* sic nec illa. Similiter posito quod esset subjectum proprium, non alio modo proprium est, nisi quia receptivum respectu illius, sicut superficies respectu albedinis. Non enim habet causam efficientem, vel formalem respectu differentiæ, sicut requiritur ad secundum modum dicendi per se, et ideo non per se est. *Ad 4.*

Ad aliud dicitur ; quod hæc minor est falsa : Convenientia est oppositio.

Et ad probationem dicendum, quod hic est fallacia æquivocationis ; quia in majori *Ad 5.*

cum dicitur : *Omnis relatio est oppositio* ; hæc est vera, ut *relatio* significat intentionem secundam, quia de re primæ intentionis, quæ habet rationem Generis generalissimi,non potest aliquid superius primæ intentionis prædicari per se,quia generalissimo nihil est prius.Similiter nec aliquid superius in abstracto secundæ intentionis prædicatur per se de re primæ intentionis ; quia licet hæc sit vera, *Substantia est genus* ; tamen hæc est falsa, *Substantia est generalitas*. Cum igitur oppositio simpliciter significetur in abstracto, non prædicatur per se,nec aliquo modo de relatione vere, nisi *relatio* significet rem secundæ intentionis. Sed in minori est vera secundum quod *relatio* significat rem primæ intentionis, et sic est fallacia æquivocationis.

5. Contra responsionem de *multo*, et *uno* potest argui. Simpliciter oppositum uni, quod est genus generalissimum vere fit ei contradictorie oppositum, sicut non ens generalissimum enti generalissimo. Tunc arguo sic, de quocumque prædicatur unum convertibilium, et reliquum prædicatur ; sed multum oppositum uni, quod est generalissimum,et non ens tale generalissimum convertuntur : quia eidem contradictorie opponuntur ; cum igitur hæc sit vera : Albedo est non ens, quod non ens est generalissimum substantiæ ; albedo tunc est multa ; consequens est falsum ; igitur et antecedens.

Hic dicitur concedendo conclusionem, quod albedo est multa, secundum quod illud *multum* est oppositum generalissimo, et non ens entitate generalissimi. Et si arguatur contra hoc, quod multum oppositum uni generalissimo componitur ex unionibus, igitur est ens ; quia illud est ens, cujus partes sunt entes.

Dicitur quod multum quod est oppositum generalissimo, non componitur ex partibus. Unde æquivoce est ibi multitudo et multitudo in genere.

Aliter dicitur propter hanc rationem, quod unum generalissimum non habet multum sibi oppositum, nisi in speciebus. Unde ratio principalis supponit falsum, quod aliquid sit multum, et oppositum generalissimo sub sua generalitate ; quia si esset multum oppositum, non posset ei opponi contrarie, nec relative, nec privative. Opponeretur ergo ei contradictorie : et sic sequitur quod albedo esset multum, vel quod Chimæra esset multum : quod videtur inconveniens, et ideo sicut relativa dicuntur *ad aliquid*, non in generalissimo, quia tunc essent duo generalissima *Ad aliquid*. Sed dicuntur *ad aliquid* in suis speciebus : ita multum oppositum uni quod est transcendens, non opponitur ei in generalissimis, sed in speciebus generalissimi privative, quoad modum ; contrarie vero quoad rem, etc.

QUÆSTIO XXX

An inhærentia sit de essentia accidentis

D. Thom. 4. *d.* 18. *q. et art.* 1. Doctor 4. *d.* 12. *q. unic. et* 7. *Metaph. q.* 1. Baccon 1. *d.* 8. *quæst.* 1. Aretin. 4. *d.* 1. *q.* 1. Trombeta 7. *Metaph. q.* 1. Amil. Acerb. *lib.* 3. *Peripat. qq.* Zimara *Theor.* 3. Anton. Andr. 7. *Met. q.* 1. Capr. 4. *d.* 2. *q.* 1. Herveus *quodl.* 4. *q.* 9. Javel. 7. *Met. q.* 1. Cajet. 7. *de ente et essen. q.* 15. Julius Syren. *de subject.* 1. *Phys. sect.* 2. *cap.* 22. Flandria *lib.* 7. *Met. q.* 1. *art.* 2. Ruvius *in cap. de Accid. q.* 5. Aversa *tom.* 1. *Philos. q.* 21. *sect.* 2.

Quod sic videtur ; accidens inhæret, aut igitur per se, aut per additum ; si per se, habetur propositum : si per additum, cum illud additum non possit esse substantia (quia accidens non inhæret per substantiam) oportet quod illud additum sit accidens, tunc quæro de illo accidente, aut inhæret per se, aut per accidens : si per se, habetur propositum ; si per additum, tunc erit processus in infinitum : oportet igitur dicere quod inhærentia sit de ejus essentia. 1. *Argumenta pro parte affirmativa.*

Hic dicitur, quod accidens inhæret per inhærentiam, et tamen illa inhærentia non inhæret. Sicut homo est albus per albedinem, et tamen albedo non est alba.

Contra illud : quæro de illa inhærentia, aut est substantia, aut accidens : substantia

non est, igitur est accidens, cum sit ens; tunc quæro, aut inhæret per se, aut per additum; et sic redit ratio.

Item, si inhæret subjecto per aliquod additum, tunc ex subjecto et accidente fieret unum per quamdam colligationem, vel per aliquam formam tertiam, quod est contra Aristotelem in 7. Metaphysic. dicit enim quod *ex subjecto et accidente fit unum*, quia unum illorum est actus, et aliud potentia, et non est alia causa quærenda.

Item, si accidens inhæret subjecto per aliquod additum quod est forma illorum; tunc sequeretur quod formæ esset forma, quod improbat Aristoteles, quia tunc esset processus in infinitum in causis formalibus.

Item sequitur, quod forma esset compositum; esset enim accidens quoddam materiale unitum cum subjecto per formam tertiam.

Item, qua ratione ex albo, et homine fieret unum per additum, ita eadem ratione ex illo addito (cum sit accidens) et homine, fieret unum per accidens, et sic processus in infinitum.

Item, inesse accidentis est suum esse; igitur sua essentia est sua inhærentia.

Item, accidens non potest intelligi sine habitudine ad subjectum; sed per Aristotelem 7. Metaphysic. partes pertinentes ad speciem sunt sine quibus species intelligi non potest: si ergo accidens intelligi non potest sine habitudine ad subjectum, habitudo ad subjectum est de sua essentia. Sed talis habitudo est sua inhærentia; igitur, etc.

Item, accidens definitur per suum subjectum; igitur inhærentia accidentis ad subjectum est de essentia accidentis.

Item, accidens non est ens, nisi quia entis, per Aristotelem in 7. Metaphysic. quia illud quod est, substantia est; igitur habitudo accidentis ad subjectum est de essentia accidentis.

Argumenta in oppositum. Ad oppositum. Si inhærentia sit de essentia; hic esset nugatio, *Accidens inhærens*, quia semel ponitur inhærentia expresse: et implicite importatur per accidens, bis igitur ponitur idem.

Item si sic, non posset aliquod accidens significari in abstracto; quia si accidens illud quod est, inhæreat, tunc non posset significari per modum non inhærentis, sive per modum absoluti; quia nec potest per modum absoluti intelligi.

Item, esse non est de essentia substantiæ: igitus inesse non est de essentia accidentis.

Item, inesse accidentis concluditur in demonstratione per Aristotelem, sed sua essentia non concluditur; quia impossibile est per Aristotelem secundo hujus, demonstrare *quod quid est*; igitur nec essentiam demonstrare possumus; igitur inhærentia accidentis non est sua essentia.

Item, quod potest prima causa cum secunda, potest prima causa per se; sed prima causa cum substantia particulari potest producere accidens; igitur prima causa sine substantia potest accidens producere, et si sic; inhærentia ejus ad substantiam non est ejus essentia, quia tunc non potest produci sine substantia.

3. *Prima opinio.* *Inhærentia duplex.* Ad quæstionem dicitur, quod inhærentia est de essentia accidentis, verumtamen distinguitur de inhærentia. Inhærentia potest uno modo denotare unionem inter substantiam et accidens, et illo modo inhærentia nihil est, nisi ejus essentia, quia inter accidens et ejus subjectum nullum est medium, sed ex his fit unum, quia unum est actus, aliud potentia. Alio modo potest intelligi inhærentia entitas accidentis in subjecto: et de illa adhuc distinguitur; quia quædam est inhærentia, quæ est actualis existentia accidentis in subjecto; et alia est inhærentia, quæ est habitudo accidentis in subjecto. Prima non est de essentia, quia nihil potest intelligi sine illo quod est de sua essentia. Sed accidens potest intelligi sine *actualiter inesse*. Sicut enim substantia intelligi potest circumscribendo *esse*, *existere*, *fuisse*, et *fore*, ita accidens potest intelligi inesse accidentaliter circumscribendo esse temporale: conceptui enim

accidentis accidit esse temporale. Secundum declaratur, quia ens dividitur immediate per ens comparatum,et absolutum; accidens est ens : igitur est absolutum, vel comparatum. Si igitur circumscribas accidens ab habitudine ad subjectum ; tunc ponis accidens esse ens absolutum : et ita ponis accidens esse substantiam. Et hoc patet per exemplum Aristotelis, dicit enim quod accidens habitudinem habet ad substantiam, sicut sanum in urina ad sanum in animali. Sed sanum in urina nihil est, nisi per habitudinem ad sanum in animali : igitur accidens nihil est, circumscripta habitudine ad substantiam : habitudo igitur ad substantiam est de ejus essentia.

Item, Aristoteles in fine septimi Metaphysic.ducit ad hoc inconveniens, quia passio esset separabilis ; sed hoc non esset inconveniens nisi habitudo ad substantiam esset de essentia passionis. Per hoc ad argumenta in oppositum.

Ad primum dicitur quod *inhærens* potest accipi Nominaliter et Participaliter. Si Nominaliter, sic hîc est nugatio, *Albedo inhærens,* quia inhærentia habitualis per utrumque exprimitur. Si accipitur Participialiter, sic non est nugatio, quia non importatur eadem inhærentia utrobique ; quia albedo importat inhærentiam habitualem ; hoc Participium importat inhærentiam actualem.

...in ...tum.

Contra illud ; *inhærens*, ut est Nomen, et ut est Participium, non differt in significato, sed tantum in modo significandi ; *inhærens* enim ut est Nomen, significat sine tempore ; ut est Participium, cum tempore : bis igitur ponitur idem significatum, igitur est nugatio, nec diversi modi excusant,quia tunc hîc non esset nugatio, *Homo animal*.

Hic oportet dicere quod *inhærens*, ut est Nomen, et ut est Participium non significat idem. Et ad rationem principalem oportet dicere, quod hic non fit nugatio, sive sit Nomen, sive sit Participium.

2. Ad aliud dicitur, quod licet albedo significet inhærentiam, non tamen repugnat sibi significare per modum absoluti ; quia res modo non repugnat, materiale enim potest significare, et intelligi immaterialiter, sive universaliter : similiter Differentia substantiæ essentialiter est *quid*, et tamen modum *qualis* habet. Per hoc ad formam, neganda est hæc consequentia ; si inhærentia sit de essentia, igitur non contingit significare accidens absolute, sive per modum absoluti. Possum enim intelligere accidens quodammodo præscindendo subjectum, et quodammodo ut concernit et significat : verumtamen intelligitur substantia concomitanter ; quia accidens intelligitur sicut est ens, quia ut est ens movet intellectum. Sed accidens non est ens nisi quia entis, igitur accidens non intelligitur nisi ex consequenti intelligatur substantia.

Ad aliud dicitur,quod *Substantia duplex est esse*, scilicet esse *essentiæ*,et *existentiæ* ; esse essentiæ est de essentia, esse existere, non. Eodem modo, *Inesse accidentis est duplex*, inesse existere,et inesse essentiæ. 5. *Ad* 3. *Substantia duplex esse.*

Inesse existere non est de essentia.

Ad aliud dicendum, quod *quid* accidentis in demonstratione de subjecto concluditur, sicut suum inesse. Et ad probationem cum dicitur, *quod quid est* non demonstratur,dicitur, quod Aristoteles intelligit *quod quid est* sub ratione *quod quid est* demonstrari non potest, quia definitio inquantum definitio præsupponitur. Illud tamen quod est definitio et essentia rei concluditur ; sed non sub ratione essentiæ, sive ratione definitionis. Dicit enim Aristoteles in primo hujus, quod definitio quædam est principium demonstrationis, et quædam conclusio, et quædam est demonstratio sola positione differens. *Ad* 4.

Ad aliud dicitur, quod prima causa cum secunda potest facere accidens esse ; verumtamen prima causa sine secunda non potest facere accidens, et sic interimitur minor. Ratio interemptionis est : primo, quia prima causa est agens universale ; sed agens universale indifferens est ad effectus particulares, et ita quantum est de se ad nullum determinatur : si igitur debeant

produci effectus particulares, oportet quod per agens particulare determinetur agens universale ad effectum, et per consequens non potest producere effectum particularem, ut accidens sine substantia. Alia causa est; si prima causa posset per se producere accidens sine secunda, ut sine substantia : tunc secunda causa esset superflua in ordine causarum ; hoc est inconveniens. Consequentia patet ; quia superfluum est facere per duo illud, quod fierit potest per unum, et eodem modo.

6. Contra illud arguitur ; si prima causa cum substantia posset facere accidens, et cum prima causa non potest hoc facere per se ; tunc prima causa cum secunda est perfectior, et perfectius agens quam per se ; et ita prima causa per se non esset perfectissima causa.

Hìc dicitur, quod accidentia, et generabilia, et corruptibilia entia sunt : inquantum sunt ejusmodi, aliena sunt a perfectione ; et ideo perfectio causæ non potest concludi ex productione talium effectuum. Facere enim imperfectionem, non arguit perfectionem in causa, sed magis imperfectionem. Ex hoc igitur quod prima causa cum secunda sive substantia facit accidens, et tamen prima causa per se non potest facere ; non arguit quod prima causa cum secunda sit perfectior quam prima per se ; posse enim facere imperfectionem, non est posse ; sed magis non posse.

Contra illud ; accipio illud esse quod perfectionis est in accidente ; et tunc arguo, quidquid perfectionis potest prima causa cum secunda, potest prima per se ; sed causa prima cum substantia potest facere esse accidentis ; igitur prima causa sine substantia potest facere esse accidentis.

Hìc dicitur quod esse accidentis non est perfectionis, quia ejus esse est ejus inesse, et prima causa non potest accidens facere inesse sine substantia, ideo nec esse.

Contra, si illud esse accidentis esset actualiter subjecto inesse, tunc facere accidens esse, et non inesse, esset facere incompossibilia ; quia hoc esset facere accidens esse, et non esse simul, et illa non habent rationem facti respectu actus ; et per consequens prima causa non posset facere accidens esse, et tamen alteri non inesse. Sed hoc est falsissimum, sicut patet in corpore Christi.

Dicitur quod quidquid sit de accidente, quod est in corpore Christi sine subjecto, tamen de intentione Aristotelis non est quod accidens sit sine subjecto.

Contra hoc, sive hoc sit de intentione Aristotelis, sive non, hoc est dubium, saltem hoc non est repugnans alicui principio Philosophiæ, et est in se verum ; igitur hìc est magis sustinenda ratio.

Propter rationem jam dictam, dicendum est, quod inhærentia accidentis actualis non est de essentia accidentis ; similiter esse accidentis non est actualiter subjecto inesse. 7. *Opinio Doct.*

Inhærentia tamen secundum aptitudinem, est de ejus essentia. Primum patet ; quia prima causa non potest facere incompossibilia ; prima causa potest facere accidens esse, et tamen in subjecto non esse, sicut patet de quantitate : igitur accidens esse, et ipsum in subjecto non esse, non sunt incompossibilia : esse igitur accidentis non est actualiter subjecto inesse : et per hoc patet, quod inhærentia actualis non est de essentia.

Secundum membrum patet ; quia accidens non potest intelligi, nisi concomitanter intelligatur subjectum ; nec etiam definitur sine subjecto ; sed hoc non est nisi quia aptum est inesse subjecto ; quia si nec haberet actualitatem, nec aptitudinem, ut esset in subjecto, non magis definiretur per subjectum, quam e contra : igitur accidens essentialiter aptum natum est inesse subjecto ; inhærentia igitur secundum aptitudinem est de essentia accidentis.

Intelligendum tamen est quod accidens potest habere duplex esse. Unum esse naturale, quod sibi debetur, si cedatur naturæ propriæ ; sicut grave, si dimittatur naturæ propriæ, est deorsum. Alio modo potest habere esse præter naturam ; sicut 8. *Acci[dens] potest [ha]bere [du]plex e[sse].*

grave detentum sursum, habet esse sursum præter naturam. Quoad esse primum, accidentis esse est in subjecto actualiter esse : quoad secundum esse, accidens esse potest ; et tamen non in subjecto esse actualiter : sicut grave, sive sit sursum, sive deorsum, aptum natum est esse deorsum ; ita accidens sive habeat esse naturale, sive præter naturam, tamen aptum natum est esse in subjecto.

Intelligendum tamen est quod non sequitur ; aptum natum est esse in subjecto, ergo est in subjecto, vel potest esse in subjecto ; sicut non sequitur ; cæcus aptus natus est videre, igitur videt, vel potest videre.

Contra illud ; esse accidentis est inesse, per Aristotelem ; igitur si ponitur accidens esse, et tamen non inesse, ponentur incompossibilia.

Item, si inhærentia secundum aptitudinem sit de essentia accidentis, quæro an illa aptitudo sit tota essentia, vel pars essentiæ accidentis, vel extrinsecum ; non essentia tota, quia non sequitur, *aptitudo, igitur accidens :* non est pars essentiæ, quia tunc accidens esset compositum ex diversis essentiis. Si sit extrinsecum ab essentia accidentis, igitur accidens in sua essentia erit quid absolutum, et non comparatum ad substantiam, cujus oppositum dicit Aristoteles.

Ad primum illorum patet in positione quod existere accidentis non est quocumque modo esse in subjecto ; sed existere actualiter, et materiale, quod sibi debetur si propriæ naturæ dimittatur, esto quod in subjecto sit actualiter. Sed non est de essentia sic actualiter inesse subjecto, sed esse in subjecto secundum aptitudinem, sicut esse grave præter naturam, non est actualiter esse deorsum : sed tamen esse grave præter naturam conjunctum est esse deorsum secundum aptitudinem, non quod esse sursum actualiter sit esse deorsum secundum aptitudinem, sed illa duo *esse* sunt conjuncta.

Aptitudo ad inhærendum est modus essentiæ accidentis.

Ad aliud dicitur, quod illa aptitudo est modus essendi. Sicut enim aptitudo ad deorsum non est aliquid de essentia gravis, sed est modus, sub quo essentia gravis ad deorsum inclinatur, ita aptitudo hujus inhærentiæ non est quid de essentia accidentis, sed est modus essendi, sub quo essentia accidentis ad subjectum inclinatur, nec aliquam compositionem facit cum accidente, quia modus non est ens proprie, ideo compositionem rei cum re non facit. Tunc ad formam dicendum, quod non sequitur : Aptitudo non est intrinsecum quid essentiæ accidentis, igitur essentia accidentis est absolutum. Licet enim sit extrinsecum, non tamen est extrinsecum, sicut res alterius generis, sed est extrinsecum essentiæ, sicut modus, sine quo non est essentia, et ideo non sequitur quod essentia sit absoluta, quia semper sub tali accipitur.

Tu dicis quod essentia accidentis non est ille modus, sed prior eo secundum naturam : igitur possum circumscribere essentiam a modo per intellectum, quia prius potest absolvi a posteriori ; quæro tunc in illo priori, an essentia accidentis sit a subjecto absoluta, vel comparata. Si absoluta, igitur conceptus accidentis erit conceptus subjecti : non est comparata, quia tunc circumscripto modo haberet alium modum per quem compararetur ; vel oportet dicere quod essentia accidentis secundum se sine aliquo modo sit comparata, et sic non inhæret accidens secundum talem aptitudinem essentialiter, sed sine.

Hîc dicitur, quod possibile est absolvere per intellectum essentiam accidentis a modo aptitudinis, sed non a modo ut modus est, sed a modo ut accipitur ut res. Quando enim essentia per intellectum absolvitur a suo modo, tunc accipitur *modus* ut res, sed semper adhuc intelligitur essentia sub illo modo, ut modus est, ita essentia accidentaliter potest intelligi non intelligendo aptitudinem ; quia sic accipitur *modus* ut res, non tamen potest accipi, nisi sub habitudine ; quia a proposito modo, ut modus est, absolvi non potest, quia statim in absolutione *modus* accipitur, ut res ; et ideo quando quæritur, cum circumscribitur es-

sentia accidentis a modo, aut est absoluta, aut comparata. Dico, quod comparata ; quia licet absolvatur a modo accepto ut res, non tamen absolvitur ab aptitudine, ut modus est. Et cum dicitur ; essentia est prior secundum naturam modo, ut modus secundum naturam ; igitur potest absolvi a modo, ut modus ; neganda est consequentia.

10. *Ad argumenta principalia pro parte affirmativa.* Ad rationes. Ad primam contra hoc dicitur, quod accidens inhæret subjecto per se, non primo modo, ita quod inhærentia actualiter sit de essentia ; nec secundo modo, nec aliquo modo pertinente ad demonstrationem ; sed inest per se, ita quod non per medium, sicut superficies est alba, non per aliquod subjectum medium.

Ad alias rationes, quæ probant quod accidens non inhæret subjecto per aliquod accidens medium, concedendæ sunt ; quia ex accidente, et subjecto fit unum, quia hæc est potentia et illud actus, non per aliquod medium uniens, ut dictum est.

Ad aliud cum arguitur, Cujus esse est inesse, etc. Dicendum est quod esse accidentis non est actualiter inesse, sed secundum aptitudinem. Potest enim accidens esse licet non actualiter insit, ut dictum est, et ideo inhærentia actualis non est de essentia.

Ad aliud dicitur, quod accidens non potest intelligi sine substantia ; sed hujus causa non est, quia ejus esse sit actualiter subjecto inesse, sed causa est, quia inhæret secundum aptitudinem, sive quia aptum natum est inesse.

Ad aliud similiter ; definitur enim per ejus subjectum, non quia ejus esse sit actualiter inesse subjecto ; sed quia ejus esse naturale est actualiter inesse subjecto, et etiam quia semper aptum natum est inesse. Istæ duæ rationes sufficiunt ad hoc quod per subjectum definiatur.

Ad aliud, quod accidens non est ens nisi quia entis secundum aptitudinem ; per hoc enim differt a substantia, quia substantia non dependet ab accidente, nec secundum actum, nec secundum aptitudinem ; sed licet accidentis inesse non dependeat a substantia secundum actum, semper tamen aptum natum est inesse, si cederetur naturæ propriæ.

Ad rationes alterius positionis. Ad primam de sano in urina dico, quod Aristoteles intelligit quod sicut sanum in urina non est ens, nisi per habitudinem ad sanum in animali ; ita accidens non est ens, nisi quia aptum natum esse in substantia, unde similitudo est sani in urina ad sanum in animali, et accidentis ad substantiam secundum aptitudinem, non tamen tenet similitudo secundum actum ; ita quod actualiter sit accidens in substantia, hoc non oportet. 11. *Ad rationes prim. opinionis.*

Ad aliud cum dicitur, Omne ens aut est absolutum, aut comparatum ; dicitur, quod accidens est ens comparatum, sed non nisi propter hoc quod inhæret secundum aptitudinem.

Ad aliud, cum dicitur, quod passio inseparabilis est, dicendum quod Aristoteles habet pro inconvenienti quod passio sit separabilis a substantia secundum aptitudinem ; sic enim substantia separabilis est ab accidente. Quod tamen accidens sit separabile a substantia secundum actum, non habet Aristoteles pro inconvenienti, etc.

QUÆSTIO XXXI

An tertius modus sit modus inhærendi

Quod sic videtur : Aristoteles ponit modum perseitatis propter demonstrationem, sed modi pertinentes ad demonstrationem sunt modi inhærendi ; igitur, etc. 1. *Argumenta pro parte affirmativa.*

Hic dicitur, quod Aristoteles non solum ponit modos pertinentes ad demonstrationem, sed ponit alios modos ut ex illis declaret modos necessarios ad demonstrationem.

Contra, si poneret alios modos, quam pertinentes ad demonstrationem, eadem ratione haberet ponere plures modos, quam

quatuor, quia hæc est per se, *Homo est homo*, sed nullo illorum quatuor modorum quos ponit Aristoteles. Non primo modo; quia prædicatum non est definitio subjecti, nec pars definitionis. Nec secundo modo, ut patet. Nec tertio modo. Nec quarto, manifestum est. Similiter hæc est per se, *Superficies est alba*, et tamen nullo illorum modorum. Similiter per Aristotelem, negativa est per se, et tamen nullo illorum modorum. Similiter sunt multi modi perseitatis nominati 9. Metaphysicæ, qui non per se sunt in aliquo illorum modorum; igitur Aristoteles est insufficiens, vel oportet dicere quod ponit solum modos pertinentes ad demonstrationem.

Item, *per se* tertio modo idem significat quod *solitarie*, sed hæc est inhærentia, quomodo substantia solitarie est ens, sicut substantia est ens non in alio: igitur *per se* tertio modo dicit modum inhærendi.

Item, quod impossibile est significare, impossibile est intelligere; sed impossibile est significare esse per se inesse subjecto sine attributione, et inhærentia; igitur impossibile est intelligere substantiam esse per se sine inhærentia intellectuali; igitur tertius modus qui est modus essendi, secundum quem dicimus quod substantia est ens per se, est modus inhærendi.

Ad oppositum est Aristoteles, et omnes expositores.

nclusio. odus inhærendi id ?

Ad quæstionem dicitur, quod tertius modus non est modus inhærendi, sed essendi; et hujus ratio est, quia *modus inhærendi* est quando in subjecto includitur causa prædicati, vel e contra, vel quando prædicatum inest subjecto primo, ita quod non per aliam causam; sicut hîc, *Homo est homo*. Istis tribus modis solum modus perseitatis est modus inhærendi, sed in illo tertio modo non prædicatur aliquid de aliquo; igitur tertius modus non est modus inhærendi, est tamen modus essendi; quia substantia non est per habitudinem aliquo modo ad prædicatum, quia licet nullus intellectus esset, nec aliqua prædicatio, substantia esset solitarie, vel non dependens ab accidente. Sed accidens non est per se tertio modo, accidens enim est in alio, et ab alio dependet.

3. *Ad argumenta.*

Ad primam rationem dicitur, quod tertius modus pertinet ad demonstrationem; non tamen est modus inhærendi, sed perseitas in tertio modo est subjecti in demonstratione, puta sibi solitarie, et absolute in se acceptum, non ut prædicatum comparatur. Unde perseitas tertio modo, nec est subjecti in comparatione ad prædicatum, nec e contra.

Ad aliud dicitur, quod per se esse non potest attribui substantiæ nisi per inhærentiam, hoc concludunt illæ duæ rationes ultimæ; quod conditio perseitatis non potest alicui attribui nisi per inhærentiam, sive comparationem; sed hoc accidit tertio modo: perseitas enim in tertio modo est subjecti absolute, ut substantiæ, non in comparatione ad prædicatum; et quia illa perseitas non est subjecti in comparatione ad prædicatum, nec prædicati in comparatione ad subjectum, ideo non est modus inhærendi.

4. *Objectiones contra conclusionem.*

Contra duo dicta in positione potest argui, dictum est primo, quod substantia est per se tertio modo. Contra illud; si substantia materialis esset per se, non esset per causam efficientem; consequens est falsum, igitur et antecedens. Consequentia patet: quia *per se* in tertio modo, ut dicit Linconiensis, excludit causam comparticipem quamcumque.

Hîc dicitur negando consequentiam. Ad rationem dicitur; quod *per se* excludit causam comparticipem sed non quamcumque; sed aliquando efficientem, aliquando materialem, aliquando esse in subjecto. Primo modo solum prima causa est per se. Secundo modo Intelligentia. Tertio modo substantia materialis.

Contra illud, substantia materialis est per se per exclusionem causæ efficientis, ut videtur, sicut dicit Boetius: esse est propria operatio entis: sicut vivere viventis; sed propria operatio est a composito, tanquam a causa efficiente: igitur esse efficitur a

substantia materiali, non igitur substantia est per causam extrinsecam.

Item, si substantia non comparetur ad suum esse in ratione causæ efficientis : igitur solum comparatur in ratione susceptivi. Sed si sic ; cum ratio susceptivi sit, quo res potest esse, et non esse, manente susceptivo, sicut materia potest esse, et non esse sub forma, manente essentia materiæ ; tunc posset substantia materialis ipsa manente esse et non esse ; sed hoc est inconveniens ; igitur oportet dicere quod substantia materialis sit causa efficiens respectu sui esse.

Ad principale : si substantia sit per se : aut igitur prima, aut secunda; non secunda quia tunc esset ponere ideam Platonis ; non prima, quia eadem sunt principia essendi unumquodque, et distinguendi ipsum ab alio : si igitur substantia prima per se sit; igitur per se distinguitur a qualibet alia substantia,etc. et si sic ; igitur per se distinguitur a Platone; et sic per consequens specifice, differentia enim per se, et non per additum est specifica.

Item, contra secundum quod dicit in positione, cum dicitur, Accidens non est per se tertio modo, contra hoc : Quod abstrahit a substantia in significando, intelligi potest a substantia abstrahendo, et per consequens in essendo a substantia non dependet ; quia enim homo potest intelligi non intelligendo Socratem, ideo potest homo esse cum hoc quod Socrates non sit,sed aliquod accidens, ut accidens, abstractum significat abstrahendo a substantia ; igitur potest intelligi et esse sine substantia : igitur non dependet a substantia : accidens igitur est per se tertio modo sicut substantia.

Ad primum illorum sicut dicebatur.

Ad primam rationem contra hoc : dicitur
5. *Solutiones.* quod quoad hoc est simile, quod sicut in vivente præsupponitur vivere antequam a vivente procedat aliquis actus ; ita in essentia præsupponitur esse quod est actualiter entis antequam aliquod accidens a substantia egrediatur ; ideo de subjecto in demonstratione præsupponitur *quid est*, et *quia est*.

Ad aliud, secundum Boetium super Prædicamenta : quod suscipere est accipere aliquid ab extrinseco [agente per transmutationem, sicut illa inferiora accipiunt causalitatem ab extrinseco : sed quando aliquid sic est susceptivum, oportet quod in ipso præsupponatur esse antequam suscipiat. Ideo illo modo loquendo de susceptione sicut loquitur Boetius, non potest substantia materialis suscipere suum esse,quia tunc ante esse habebit esse. Si vero extendatur *suscipere* ad illud quod est in aliquo ab extrinseco, et ab intrinseco ; sic substantia suscipit suum esse ; sed tunc modo sequitur ulterius, ex hoc quod substantia materialis manens, posset esse,et non esse, quia esse comparatur ad substantiam, tanquam prima ejus actualitas, sine qua existere non potest.

Ad aliud principale dicitur, quod tam substantia prima, quam secunda consideratæ sub ratione sub qua sunt per se tertio modo, quod neutra dependet ab alia sicut accidens a subjecto.

Ad probationes contra hoc. Ad primam, quod non est ponere ideam Platonis ex illa responsione ; non enim ponitur secunda substantia existere separatim a prima, imo non ponitur quod habeat aliud existere quam prima substantia, cujus opposuit Plato ; posuit enim ipsam existere immaterialiter sicut Intelligentiam.

Ad aliud dicitur, quod hæc propositio, *Per idem principium aliquid est, et distinguitur ab alio;* intelligenda est de principio distinguendi per accidens ; cujusmodi est quantitas. Quantitas enim est principium distinguendi unum individuum ab alio, et tamen non est principium essendi. Vel potest dici, quod sicut substantia prima ab alia distinguitur per quantitatem : ita est per quantitate mentitate individui; substantia enim individuatur per quantitatem.

Ad aliud,quod accidens significatur abstrahendo a substantia ; sed hoc potest dupliciter intelligi : uno modo quod significe-

tur non intelligendo substantiam, nec ut hujus : et illo modo impossibile est accidens intelligi abstrahendo a substantia ; accidens enim non potest intelligi, nisi intelligatur substantia sub habitudine, qua est accidens illius, quia accidens non est ens, nisi quia entis, et ideo non intelligitur nisi ut entis. Alio modo potest accidens intelligi abstrahendo a substantia, secundum quod accidens intelligitur, non ut est substantiam informans, sive ut est idem cum substantia quodammodo ; et sic intelligitur accidens abstrahendo a substantia, sicut albedo. Album enim intelligitur ut substantiam concernens, tanquam quid idem cum substantia, quia vere potest dici quod *Hoc est hoc.* Sed albedo potest intelligi solum ut substantiæ est ; et non quid idem, et hoc est suum intelligi per modum abstracti, etc.

QUÆSTIO XXXII

An quartus modus sit modus inhærendi

1. gumen- pro par- negati- Quod non videtur ; quia in propositione modi inhærendi, illud quod prædicatur per se, attribuitur subjecto ; sed in quarto modo prædicatum non attribuitur subjecto, sed efficitur : sed efficiens, et subjectum non coincidunt ; igitur, etc.

Item, ubi est modus inhærendi, prædicatum inest subjecto ; sed in quarto modo prædicatum non inest subjecto ; ergo, etc.

Probo minorem : in quarto modo illud quod subjicitur est causa efficiens respectu prædicati, et quod est causa efficiens respectu alicujus, non est subjectum respectu illius, sicut patet in exemplo naturali ; si ignis agat in aquam efficiendo calorem, calor est ab igne, tanquam ab efficiente, sed non est in igne tanquam in subjecto, sed in aqua.

Item, quartus modus est modus causandi, igitur non inhærendi.

Ad oppositum, *per se* dicit causam, sed per causam efficientem possunt fieri demonstrationes, igitur *per se*, ut est modus inhærendi, potest importare causam efficientem. Item, expositor est ad oppositum.

Ad quæstionem dici potest, sicut dicit Thomas, quod quartus modus est modus inhærendi ; quia in subjecto includitur causa efficiens respectu prædicati. Quando enim hæc conditio *per se* est unius extremi in comparatione ad aliud, tunc est modus inhærendi ; sed in quarto modo *per se* est conditio unius extremi ad aliud, quia in subjecto est causa prædicati. 2. *Conclusio.*

Intelligendum tamen est quod *subjectum est duplex* ; propositionis, et subjectum respectu accidentis ; in quolibet modo dicendi per se illud, quod subjicitur est subjectum propositionis, respectu prædicati, non tamen oportet quod in quolibet modo dicendi per se sit illud, quod subjicitur subjectum respectu prædicati, eo modo quo subjectum subjicitur accidenti, et ideo in quarto modo sic dicendo, *Interfectus interiit propter interfectionem*, illud quod ponitur a parte subjecti est subjectum propositionis, non tamen est subjectum respectu prædicati, sicut substantia respectu accidentis, ut in secundo modo. Hic enim est quartus modus ; *Ignis per calorem calefacit*, et tamen calefacere non est in igne sicut in subjecto, sed sicut in efficiente, sed est in calefacto, tanquam in subjecto, quia actio est in passo tanquam in subjecto. *Subjectum duplex.*

Ad primam rationem dicitur, quod minor est falsa ; prædicatum enim attribuitur subjecto propositionis in quarto modo ; sed non attribuitur semper alicui subjecto, quod est subjectum accidentis. Et cum dicitur, quod efficiens et subjectum non coincidunt, dicitur quod subjectum naturale quod patitur, et efficiens quod agit in idipsum passum, talia non coincidunt in eadem actione ; tamen subjectum propositionis, et efficiens, respectu prædicati possunt coincidere. 3. *Ad argumenta.*

Ad aliud per idem. Ad ultimum respondetur interimendo consequentiam ; quia

modus causandi non distat a modo inhærendi : sed ponit illum Linconiensis; tamen vult dicere, quod quartus modus est modus causandi, et non inhærendi. Ponit enim tantum duos modos inhærendi, videlicet primum, et secundum, et tertium essendi, et quartum modum causandi.

QUÆSTIO XXXIII

Utrum primo *præsupponat* per se, *et hoc est quærere, an sequatur,* hoc est primo, igitur per se

Vide Auctores *cit. quæst.* 15.

1. *Argumenta pro parte negativa.* Quod non videtur. Hæc est primo vera, *Socrates est homo,* et tamen non per se : quia *per se* præsupponit *de omni*, et hæc non est *de omni*, igitur non sequitur, etc.

Item, hæc est primo, *Superficies est alba,* quia album inest superficiei, et non per aliud medium,et tamen hæc non est per se; tum quia *per se* præsupponit *de omni*, et hæc non est *de omni,* tum quia subjectum excedit prædicatum ; igitur,etc.

Item, hæc est vera,*Triangulus habet tres primo*, igitur, etc.

Item, quod primo inest uni soli inest per se, quod per se inest, omni inest, sed quod inest uni soli, non inest omni, igitur, etc.

In oppositum. Ad oppositum. *Primo* supra *per se* addit immediationem, et adæquationem. Sed sequitur, prædicatum immediate inest subjecto, et ei est adæquatum, igitur per se inest, igitur sequitur, primo inest, igitur per se inest.

Item, si inesset primo, et non per se alicui subjecto, tunc per accidens inesset illi. Sed illa sunt incompossibilia, quod prædicatum insit primo subjecto, et tamen per accidens.

Conclusio. Ad quæstionem dicitur, quod hæc consequentia est bona, *Hoc est primo* ; *igitur per se*, propter primam rationem in oppositum ; *primo* enim supra *per se*,addit immediationem, et adæquationem, ut tactum est.

Ad argumenta. Ad primam rationem dicitur, quod hæc consequentia est bona, *Socrates primo est homo* ; *igitur per se*, et consequens verum, sicut antecedens. Ad probationem dicitur quod *per se*, præsupponit *de omni*, ubi subjicitur terminus communis ; sed in proposito supponit terminus singularis.

Ad aliud, quod hæc, *Superficies est alba*, non est primo vera, sicut *primo* pertinet ad conclusionem demonstrationis ; quia conclusio in demonstratione dicitur esse primo vera,ex hoc quod accidens non excedit subjectum, nec e contra. Sed superficies excedit album. Similiter nec est hæc primo vera : *Superficies est colorata*; quia coloratum non egreditur ex principiis intrinsecis superficiei. Et ad probationem dicitur,negando hanc consequentiam :*Album inest superficiei non per medium*, *igitur primo* ; plus enim requiritur. Nam requiritur, quod album a principiis superficiei egrediatur, et quod ei sit coæquatum. Si tamen dicatur esse primo, sive per se, hoc non est eo modo, quo *per se*, et *primo* pertinet ad demonstrationem.

Ad aliud, quod hæc est vera ; *Triangulus habet tres primo* ; sed tamen ly *primo*, non est hujusmodi pars prædicati : sed est modus, quo prædicatum inest subjecto, et ideo bene sequitur, quod triangulus habet tres per se, sed non sequitur, quod sit per se : *Triangulus habet tres primo*, quia ly *primo* non est pars prædicati.

Ad aliud dicitur, quod ista non repugnat, *Habere tres inest omni triangulo, et soli triangulo*, universalitas enim refertur ad Individua, et exclusio ad Species ; et ideo quod soli inest illo modo, potest inesse omni : quia quod inest soli Speciei, potest inesse omni Individuo, eo quod non referuntur ad idem, etc.

QUÆSTIO XXXIV

An hæc sit vera, omnis triangulus habet tres primo

Fonseca *lib.* 8. *Instit. cap.* 24. *et* 25. Tartar. *tract.* 7. *in P. Hisp.* Rodrig. *lib.* 1. *dial. cap.* 8. Complut. Aversa, et Summulistæ *de suppl. distrib.* Vide Doct. *q.* 11. *pri. Periher. sub principium.*

1. *rgumen- pro par- negati-* Quod non videtur ; quælibet singularis est falsa ; ergo hæc est falsa. Antecedens patet ; quia hæc est falsa, *Isosceles habet tres primo* : et sic de aliis per Aristotelem.

Hîc dicitur, quod quælibet singularis est vera ; quod sic declaratur. Primo non est dispositio rei, quæ inhæret secundum se, nec est dispositio inhærentiæ, sed est dispositio inhærentis secundum quod inhærens est. Primum patet ; quia si esset dispositio rei, quæ inhæret secundum se, tunc istam rem consequeretur in conversione, et tunc sequitur ; *Homo est animal primo* ; *ergo animal primo est homo*. Secundum patet, si esset dispositio inhærentiæ, tunc faceret propositionem modalem, quod falsum est : ergo est dispositio inhærentis secundum quod est inhærens ; tunc dicitur quod *habere tres* sub hoc modo consequitur omnem triangulum : non sub quacumque ratione, sed sub determinata ratione, ut sub ratione trianguli, et sic quælibet singularis est vera. Singulares sunt istæ, *Isosceles inquantum triangulus habet tres*, et sic de aliis.

Contra istud, si hoc sit verum : *Iste triangulus inquantum triangulus habet tres primo* : eadem ratione potest esse verum, *Socrates inquantum homo est Species*, tamen Socrates inquantum homo non est Species.

Huic dicitur, quod non est simile ; quia Isosceli secundum se aliquo modo inest *habere tres*, sed Socrati nullo modo inest species ; et ideo Socrati sub ratione Socratis, nec sub ratione hominis, ei convenit hoc prædicatum.

Contra, probo quod licet Socrati repugnet Species sub propria ratione, quod tamen possit convenire sub ratione hominis ; hoc prædicatum, *esse indeterminatæ velocitatis*, repugnat cuilibet motui particulari secundum se ; quia per Aristotelem in 8. Physicorum, quilibet motus particularis est determinatæ velocitatis, et per consequens sibi repugnat esse indeterminatæ velocitatis ; quia cui convenit unum oppositorum, ei repugnat alterum : ergo esse indeterminatæ velocitatis convenit cuilibet motui, sub ratione generali motus ; quia per Aristotelem 6. Physicorum, motus sub ratione motus potest velocitari, et tardari in infinitum.

Item, si ille triangulus, inquantum triangulus, haberet tres primo, ergo triangulus non haberet tres primo. Consequens est falsum ; ergo et antecedens. Consequentia patet, quia quod primo inest inferiori, non potest inesse superiori primo, per Aristotelem primo hujus, imo si hoc credatur, accidit tertius error.

Item, si iste triangulus haberet tres, etc. eadem ratione iste triangulus haberet tres, sed hoc est falsum ; quia quod per superabundantiam dicitur, uni soli convenit; *primo* dicitur per superabundantiam ; igitur, etc.

Hîc dicitur, quod *habere tres primo*, inest huic triangulo, et illi, sub ratione trianguli ; sed non sub propria ratione. Unde non est inconveniens, quod passio insit multis primo acceptis sub ratione communis, respectu cujus illa est passio universalis. Inconveniens tamen est, quod una passio primo insit multis acceptis sub propria ratione.

Contra, si hæc passio insit huic triangulo, et illi, sub hac conditione primo ; quæro, aut inest istis primo, ut duo sunt, aut ut unum sunt in triangulo ; si inest istis, ut duo sunt, contra hoc est, quod una passio non inest multis primo, ut multa sunt; si ut sunt in triangulo unum; contra, ut sunt unum in triangulo in illa unitate, non sunt aliud a triangulo ; dicere ergo

quod *habere tres* insit primo istis duobus, sub ratione trianguli, non est quod prædicatum inest suppositis [primo, sed communi; ergo non est quælibet singularis vera.

2. *Argumenta in oppositum.* Ad oppositum. Hæc est conclusio in demonstratione: ergo est immediata, ergo primo vera; ergo omnis triangulus habet tres primo,

Hîc dicitur, quod licet hæc sit conclusio in demonstratione, *Omnis triangulus*, etc. non sequitur, quod prædicatum inest subjecto immediate disposito signo universali; sed sequitur quod prædicatum inest subjecto absolute, et ideo sequitur, quod hæc sit per se, *Triangulus habet tres*, etc. primo; non tamen hæc, *Omnis triangulus*, etc.

Contra, probo quod hæc sit primo, *Omnis triangulus habet*, etc. quia omnis triangulus habet tres, aut ergo primo, aut non primo; si primo, habetur propositum: si non primo, ergo hoc prædicatum inest alicui prius, aut ergo inest alicui prius subjecto universaliter disposito, quam triangulo, aut alicui subjecto non universaliter disposito; non primo modo, quia non est aliquod subjectum universaliter dispositum, cui *habere tres* insit prius quam triangulo: non secundo modo, quia tunc ex particulari, sive indefinita, sequeretur universalis.

Item, ostendo quod illa, *Triangulus*, etc. non sit primo vera; quia propositio primo vera est immediata; ergo non est primo per se. Probo minorem: illa, *Triangulus habet tres*, etc. potest probari per definitionem trianguli tanquam per medium; ergo cum habeat medium per quod potest probari, non est immediata.

Hîc dicitur, quod illa, *Triangulus*, etc. est immediata. Sed distinguitur de propositione immediata: quædam est immediata immediatione causæ, et quædam immediata immediatione subjecti. Tunc dicitur, quod illa est immediata immediatione subjecti, non causæ.

Contra illud, hæc, *Triangulus habet tres*, demonstratur per definitionem trianguli, isto modo: Omnis figura rectilinea, cujus angulus extrinsecus est æqualis duobus angulis intrinsecis, habet tres; triangulus est hujusmodi figura; ergo, etc. In ista demonstratione *habere tres* prius prædicatur de definitione trianguli, tanquam de subjecto, quam de triangulo, ergo hîc, *Triangulus habet tres*, non est immediata immediatione subjecti, quia prius inest alteri subjecto, quam huic.

Ad quæstionem dicitur, quod hæc est vera; *Omnis triangulus habet tres primo*; et hujus ratio est; quia hæc est conclusio in demonstratione; sed conclusio in demonstratione est primo, et immediata immediatione subjecti, licet non immediatione causæ; ergo hæc esse vera, *Omnis triangulus habet tres*, etc. 3. *Conclusio.*

Intelligendum tamen est propter rationes, quod licet aliquid sit contentum sub aliquo, sicut suppositum sub communi absolute, verumtamen respectu alicujus prædicati tale suppositum extraneatur communi. V. g. licet Socrates sit per se suppositum hominis, tamen ut homo subjicitur respectu hujus prædicati, *species*, Socrates extraneatur homini; ideo hîc est fallacia Accidentis, *Homo est species, Socrates est homo, ergo Socrates est Species*; similiter ex illa parte, licet Isosceles sit per se contentum sub triangulo, ut tamen triangulus comparatur ad hoc prædicatum, *Habere tres*, etc. primo; sibi extraneatur Isosceles sub propria, et absoluta ratione; et ideo non sequitur, *Omnis triangulus habet tres primo, ergo Isosceles habet tres primo*. Verumtamen, quia hæc est universalis, *Omnis triangulus*, etc. et distribuit non immobiliter, ideo oportet descendere ad aliqua singularia; et debet sic fieri descensus; *Omnis triangulus habet tres primo, ergo Isosceles inquantum triangulus habet tres primo*, et quælibet singularis est vera sicut universalis.

Ad rationes. Ad primam jam dictum est. Sunt enim istæ singulares respectu istius universalis, *Iste triangulus inquantum* 4. *Ad argumenta.*

triangulus habet tres primo, et sic de aliis.

Ad secundam, sicut dicebatur, quod non est simile propter duo, quia ad hoc quod prædicatum insit individuo, sub ratione communis, duæ conditiones requiruntur. Una quod illud prædicatum illi communi insit per se, et primo, et non per accidens. Alia quod illud prædicatum non repugnet subjecto, sicut est in illa, *Isosceles inquantum triangulus habet tres primo*, quia hoc prædicatum non repugnat Isosceli sub quacumque ratione; similiter hoc prædicatum inest triangulo per se primo, et non per accidens. Sed in illa, *Socrates inquantum homo est species*, est defectus in utraque conditione. Species enim repugnat Socrati sub quacumque ratione, similiter homini non inest per se, sed per accidens. Ideo licet hæc sit vera; *Iste triangulus inquantum triangulus*, etc. non tamen hæc est vera, *Socrates inquantum homo est species*.

Ad aliud contra hoc, dicitur, quod esse infinitæ velocitatis, non repugnat motui particulari sub quacumque ratione, quia licet sub particulari repugnet, tamen sub ratione generali motus, sibi non repugnat. Et ad probationem cum dicitur, cui inest unum oppositorum etc. hoc est intelligendum sub eadem ratione, quia opposita debent referri ad idem, sed esse determinatæ velocitatis sub ratione particulari, et esse indeterminatæ velocitatis sub ratione generali motus, non accipitur sub eadem ratione; ideo non opponuntur ad invicem, et ideo non sequitur, motus particularis est determinatæ velocitatis, ergo sibi repugnat esse indeterminatæ velocitatis. Tunc sic ex parte alia, licet Socrati sub ratione particulari repugnet esse Species, tamen sub ratione generali hominis sibi non repugnat.

Ad hoc dictum est supra, quod sub quacumque ratione sibi repugnat esse Species sub ratione propria, certum est. Similiter sub ratione hominis : quia homini non inest Species nisi per accidens, et etiam ut sic Socrates extraneatur.

Vel aliter potest dici ad illam rationem de motu, quod quilibet motus particularis potest considerari in se, ut est quid continuum, et successivum. Et sic non repugnat sibi velocitari sive tardari usque ad infinitum. Secundo modo potest considerari per comparationem ad determinatum movens, et mobile; et isto modo sibi repugnat velocitari : quia non velocitatur nisi secundum virtutem, et habitudinem moventis, et mobilis.

Unde est dicendum, quod non repugnat motui particulari velocitari in infinitum sub ratione communis. Et sic particulari motui inest esse determinatæ velocitatis, et indeterminatæ velocitatis per habitudinem ad diversa, ut prius dictum est.

Ad aliam rationem dicendum est, quod 5.
licet Isosceli, inquantum triangulus, insit hoc prædicatum *Habere tres primo*, non sequitur quod non insit triangulo. Et ad probationem cum dicitur, quod impossibile est idem inesse duobus primo, verum est sub propria ratione. Verumtamen possibile est idem inesse duobus primo, dummodo uni sub ratione alterius. Unde respectu primitatis non sunt duo, quia ubi unum est propter alterum, ibi tantum unum. Ad aliud sicut dicebatur.

Ad rationem contra hoc, dicendum, quod Isosceles, et Isopleuros, ut suscipiunt hoc prædicatum *Habere tres primo*, quodammodo sunt unum, et quodammodo duo : unum respectu primitatis, quia hoc prædicatum sub hac determinatione *primo* suscipiunt, ut conveniunt in una ratione trianguli; et quodammodo sunt duo, quia diversa subjecta diversarum propositionum.

Contra hoc, quod tu dicis; si hæc esset vera, *Isosceles, inquantum triangulus, habet tres primo*, tunc demonstratio universalis non esset potior, quam esset particularis; quia per responsionem eadem passio primo inest universali, et particulari, sive singulari.

Hic dicitur, quod non obstante hoc, demonstratio universalis est potior, quia licet

eadem passio insit universali, et singulari, tamen diversa ratione ; quia universali inest absolute, sed singulari inest sub ratione sui communis ; et ideo universalis potior est quam particularis.

6. *Doctor probabiliter sustinet partem negativam.* Sustinendo aliam partem dicitur, quod hæc est falsa ; *Omnis triangulus,* etc. quia sua contradictoria est vera, et etiam sua contraria.

Item, si omnis triangulus haberet tres primo, tunc *habere tres primo* inesset cuilibet singulari primo, quia hoc significat hæc propositio. Sed si *habere tres* insit huic triangulo primo, ergo non illi primo, quia quod per superabundantiam dicitur, uni soli convenit : ponere ergo quod hæc sit vera, *Omnis triangulus,* etc. est ponere impossibilia.

7. *Ad primum in oppositum.* Ad primam rationem, sicut dicebatur, quod hæc est immediata, et primo vera, *Omnis triangulus,* etc. sed ex hoc non sequitur, quod omnis triangulus habet tres primo ; illa enim immediatio, sive primitas in illa propositione, non est propter hoc quod prædicatum primo inest subjecto sub isto modo : sed ex hoc quod prædicatum primo, et immediate subjecto absolute concepto inest : unde hæc est vera, *Triangulus habet tres primo.*

Ad primum contra hoc, cum quæritur, *Omnis triangulus,* etc. aut ergo primo, aut non. Dicitur quod non primo, quia alicui alteri inest hoc prædicatum *primo habere tres,* triangulo enim non disposito : si ergo universali inest hæc passio *habere tres primo,* et cum infers, ergo per illam, *triangulus,* etc. potest probari illa, *Omnis triangulus,* etc. dicendum, quod non sequitur.

Ad aliud sicut dicebatur, quod hæc, *Triangulus habet tres,* est immediata immediatione subjecti, sed non immediatione causæ, sicut dicebatur.

Ad 2. Subjectum duplex. Ad rationem contra hoc dicitur, quod *duplex est subjectum,* quoddam est subjectum respectu accidentis, et quoddam subjectum propositionis, unde illa ratio contra hanc responsionem, probat quod *habere tres* inest alicui subjecto propositionis, ut definitioni trianguli prius quam triangulo, et hoc est concedendum. Verumtamen, nulli subjecto accidentis inest *habere tres* prius quam triangulo, et *habere* non inest definitioni trianguli tanquam subjecto accidentis, sed tanquam commune per quod probatur *habere tres* de triangulo.

Contra ; quod hæc sit falsa, *Triangulus* 8.
habet tres primo, probo ; quia propositio indefinita est falsa, cujus quælibet singularis est falsa ; sed illa est falsa ; *Iste triangulus habet tres,* etc. et sic de aliis. Si dicas, quod istæ singulares sunt veræ ; tunc hæc universalis erit vera, *Omnis triangulus habet tres primo,* quod est negatum ; cum ergo omnes singulares sint falsæ, hæc indefinita erit falsa.

Hic dicitur, quod hæc non est indefinita, *Triangulus habet tres primo,* sed est singularis, sicut illa, *Homo est species,* quia habet triangulus suppositionem simplicem, et ut sic extraneatur cuilibet supposito, et ideo licet singulares sint falsæ, non tamen oportet universalem esse falsam.

Contra ; *habere tres* est prædicatum reale, ergo non restringit triangulum, ut stet pro intentione, ita quod non pro supposito.

Item, hæc potest esse conclusio in demonstratione, ergo prædicatum attribuitur subjecto per comparationem ad suppositum.

Item, prædicatum distans est, ergo non res- 9.
tringit subjectum ad exceptionem aliquam.

Ad primum istorum dicitur, quod hoc prædicatum, *habere tres,* est prædicatum reale : verumtamen hoc prædicatum, *habere tres,* dispositum hac conditione *primo,* est intentionale, quia *per se,* et *primo,* sunt intentiones secundæ, sicut Species.

Ad aliud, quod *triangulus habet tres,* etc. potest esse conclusio in demonstratione ; et ideo prædicatum attribuitur subjecto per comparationem ad suppositum. Sed ista, *Triangulus habet tres primo,* non est conclusio in aliqua demonstratione, quia hæc est singularis, et de singularibus, inquantum hujusmodi, non est scientia per Aristotelem.

Ad aliud dicitur, quod illud quod est distans, contrahere potest ad exceptionem subjectum, non sub ea ratione qua est distans, quia distantia non est causa restrictionis, sed causa restrictionis ad intentionem est, quod prædicatum est intentionale, et ideo sub ratione generali intentionis potest restringere subjectum, ut accipiatur pro intentione; et eadem ratione subjectum intentionale restringit prædicatum ad intentionem, ut si dicatur, *Species est homo*, quia aliter in conversione esset variatio suppositionis sic conversa, *Homo est species*; *ergo species est homo*, etc.

QUÆSTIO XXXV

An passio inhærens supposito alicujus communis habentis unicum suppositum, insit illi supposito primo, ut, An passio Lunæ primo insit huic Lunæ

Vide Auctores *cit. quæst. sequenti.*

1. *Argumentum pro parte negativa.* Quod sic videtur. Quando aliqua duo aliquam rem significant, et sunt ejusdem ambitus quoad supposita, quidquid inest uni per se, et primo, inerit per se, et primo alteri; sed Luna et hæc Luna idem significant, et ejusdem ambitus sunt, quia neutrum alterum excedit: ergo si aliqua passio insit Lunæ primo, inest primo huic Lunæ.

Hic dicitur, quod licet Luna et hæc Luna, significent eamdem rem, et sint ejusdem ambitus, non tamen sequitur quod si uni insit passio, quod alii insit passio.

Ad hoc enim quod aliqua passio insit subjecto primo, oportet quod subjectum sit universale, et ita passio primo inest Lunæ, non tamen primo inest huic Lunæ.

Contra; universalitas et particularitas non se habent in ratione susceptivi, nec in ratione partis susceptivi respectu passionis; non enim hoc totum aggregatum, *Luna universalis* suscipit passionem, sed *Luna* tantum, ergo universalitas non confert ad perseitatem, nec particularitas impedit.

Item, in synonimis quæcumque passio inest uni primo, et alteri primo: eadem enim passio, quæ inest lapidi primo, inest petræ: et tamen ista differunt per diversas rationes; ergo diversæ rationes non impediunt quin si aliqua passio insit Lunæ quin insit huic Lunæ, cum sint ejusdem ambitus, sicut *lapis*, et *petra*.

Item sequitur: *Luna, ergo hæc Luna*, et e contra; quia oppositum consequentis non stat cum antecedente: ergo passio primo inhærens uni inest alteri primo.

Ad oppositum est Aristoteles dicens, quod iste error est quando commune non habet nisi unum suppositum, et creditur quod passio universalis et primo inhærens universali, primo insit illi supposito.

Ad quæstionem dicitur, quod passio primo inhærens communi habenti unicum suppositum, non inhæret illi supposito primo. Hujus ratio est, quia passio consequitur subjectum primo, secundum quod subjectum aptum natum est prædicari de pluribus: sed hæc Luna, non est apta nata prædicari de pluribus. Luna tamen licet non habeat nisi unicum suppositum actu, nec possit habere nisi unicum (impeditur enim ex ordine universi, quia melius per unum est facere quam per duo, si possit fieri per unum æque bene) verumtamen Luna apta est prædicari, et plurificari in multa supposita: ideo passio primo inest Lunæ, quæ tamen primo non inest huic Lunæ. 2. *Conclusio.*

Intelligendum tamen est, quod ad hoc quod passio consequatur subjectum primo, requiritur quod subjectum habeat rationem causæ respectu passionis, tamen non qualitercumque; subjectum enim potest esse causa respectu accidentis tripliciter. Uno modo subjectum potest esse causa superflua, sicut Isosceles respectu *habere tres*. Isosceles enim ipsi subjecto respectu *habere tres* superaddit differentiam, quæ differentia superfluit in producendo tres. *Subjectum potest esse causa respectu accidentis tripliciter.*

Alio modo subjectum habet rationem causæ diminutæ respectu accidentis, sicut

figura respectu *habere tres*, quia non sequitur, *Hæc est figura, ergo habet tres.* Tertio modo subjectum habet rationem causæ præcisæ respectu accidentis, sicut triangulus respectu *habere tres*. Triangulus enim addit illud quod est diminutum in figura, et præcidit illud superfluum quod est in Isoscele respectu hujus passionis *Habere tres*, et ideo habet rationem causæ convertibilis, sive adæquatæ, et ideo *habere tres primo* consequitur triangulum, et hoc est quod Aristoteles dicit, definiendo passionem universalem, sic dicendo ; quod *Cum per se, et de omni secundum quod ipsum est, hæc conditio*, secundum quod ipsum est, *reperitur in passione respectu subjecti, quando subjectum est in ratione causæ respectu passionis*, secundum quod ipsum est, *est secundum causam præcisam, et adæquatam.*

3. *Tripliciter contingit errare in assignando quæstionem universalem.*

Aliud intelligendum est, quod tripliciter contingit errare in assignando passionem universalem, qui tres modi possunt patere sic artificialiter ; quia commune cujus est passio, aut habet tantum unum suppositum, aut multa ; si tantum unum, et assignatur illa passio primo inesse illi uni supposito, tunc est primus error. Si commune habeat plura supposita ; aut ergo ipsum est innominatum propter ambiguitatem sui, aut nominatum propter suam certitudinem : si sit innominatum, et conceditur passio illius innominati primo inesse suis inferioribus, sic est secundus error : ut si credatur hæc passio, commutabiliter proportionari, primo lineis, et numeris inesse propter hoc quod commune istorum, cujus est hæc passio, est innominatum propter suam ambiguitatem, sic est secundus error. Si autem commune habens multa supposita sit nominatum, tunc est distinguendum ulterius, quia aut est differentia certa ejus ad suppositum, et sic non est aliqua causa erroris ; tunc enim possumus scire quod passio, quæ inest communi primo, non inest supposito primo, nec e contra. Si vero differentia non sit certa, tunc est tertius error, ex hoc quod creditur quod passio, quæ inest primo inferiori, primo insit superiori, vel e contra.

Ad primam rationem dicendum, quod licet Luna, et hæc Luna sint æqualis ambitus, non tamen oportet passionem inhærentem primo Lunæ, inesse primo huic Lunæ, quia licet sint æqualis ambitus materialiter, non tamen sunt æqualis ambitus formaliter ; quia formæ Lunæ non repugnat multiplicari per multa supposita, sive non repugnat Lunæ secundum suam formam. Sed huic Lunæ repugnat ex sua forma, materialiter tamen sunt ejusdem ambitus, sed hoc est propter impedimentum ordinis universi. Ordo enim universi intendit quod melius est, et melius est facere per unum, quam per duo, si possit fieri per unum, et ideo propter ordinem universi est tantum una Luna. 4.

Contra istud : Intelligentia non est apta nata multiplicari per multa supposita, quia Intelligentia est forma immaterialis totaliter, quia nec est materiam perficiens, nec est educta de potentia materiæ ; ergo saltem in Intelligentiis non est error, si passio sit assignata supposito primo, quæ primo convenit communi.

Hîc oportet dicere, quod passio inhærens Intelligentiæ, si assignetur huic Intelligentiæ, potest adhuc esse error ; quia passio consequitur subjectum secundum quod universale est, et hæc Intelligentia non est universalis ; ideo huic Intelligentiæ commune non inest primo. Et tunc oportet respondere ad rationes contra primam responsionem.

5. *Ad rationes contra primam responsionem ad 1. principale.*

Ad primam dicitur, quod licet universalitas non sit pars conceptus ingrediens susceptivum passionis, et tamen illud sine quo passio non inest primo subjecto, et ideo potest conferri ad hoc quod passio insit Lunæ, et tamen non primo huic Lunæ.

Ad aliud dicitur, quod diversæ rationes concernendi universale, et singulare sunt magis intranea, et magis cohærentia conceptui universali, et singulari quam diversæ rationes in synonimis. Dixit enim Aristoteles quod si aliquod nomen impona-

tur ad significandum universale sub ratione propria, et singulare, similiter hoc erit æquivoce. Et ideo licet passio una possit primo inesse lapidi et petræ, non tamen una passio potest inesse primo universali, et singulari.

Ad aliud dicitur, quod sequitur materialiter ; *Luna, ergo hæc Luna,* quia in re non est Luna, nec potest esse nisi ista : tamen non sequitur formaliter, quia Luna inquantum est ex forma sua non habet repugnantiam, ut in multis inveniatur, est enim apta nata prædicari de pluribus, ideo non sequitur formaliter.

Ad probationem dicitur, quod oppositum consequentis non stat cum antecedente, quantum est ex materia ; tamen quantum est ex forma, potest stare ; quia quantum est ex forma significationis, ista potest simul stare, *Luna movetur, et hæc Luna non movetur,* sicut ista, *Homo currit, et Socrates non currit,* ideo consequentia non est formalis, sed materialis, etc.

QUÆSTIO XXXVI

An passio possit inesse primo suppositis alicujus communis habentis plura supposita

Albert. Mag. *tract.* 5. *de Proprio. cap.* 1. Doct. *q.* 30. *universalium.* Sot. *q.* 1. *de Prop.* Ruvius *C. de prop. q.* 2. Rodriguez *in q. primam Doct. de Prop. art.* 2. Aversa *q.* 14. *Log. sect.* 3. Complut. *disp.* 8. *Log. q.* 2.

1. *[A]rgumen[tum] pro par[te] affirma[tiv]a.* Quod sic videtur. Primo generatio inest huic homini, et illi, et non primo homini, quia species non generatur, ut homo primo, sed per accidens, per Aristotelem 7. Metaph. ergo possibile est accidens inesse suppositis primo communis habentis plura supposita.

Hîc dicitur, quod generatio non inest primo isti homini, nec illi, nec primo inest alicui speciei.

Contra, quodlibet accidens inest alicui primo, aut ergo communi, aut singulari.

Hîc dicitur, quod licet passio insit alicui communi primo, sed non inest speciei ut homini, sed inest huic communi quod est compositum ex contrariis, quia illud primo est generabile et corruptibile.

Contra ; *Actus et operationes sunt primo circa singularia,* per Aristotelem 1. Metaph. generatio est operatio ; ergo est circa singularia, et non circa commune.

Item, si generatio sit primo circa hoc commune compositum ex contrariis ; ergo primo inest speciei, quod est negatum. Probo consequentiam, quia compositum ex contrariis prædicatur de pluribus in numero, etc. ergo est species ; ergo si primo inest composito ex contrariis primo inest speciei.

Item quæro, an compositum tale sit substantia, vel accidens, aut aggregatum. Non substantia, cum non sit genus generalissimum ; nec differentia, sed species ; ergo si compositum ex contrariis primo generatur, species primo generatur.

Item, si sit accidens : tunc accidens primo generatur, quod est contra Aristotelem. Ad accidens enim est alteratio, non generatio proprie. Si sit aggregatum, hoc non potest esse, quia ens per accidens non generatur per Aristotelem 7. Physicorum. Illud enim per se est ens ; sed accidens non est per se ens ; ergo videtur quod generatio primo insit singulari.

Propterea dicitur aliter ad rationem, quod generatio non inest primo communi, nec naturæ, ut est in hoc primo, inquantum hoc distinguitur ab illo ; sed inest naturæ, quæ est in hoc, et in illo.

Contra ; generatio aut inest communi primo, aut singulari ; quia inter commune, et singulare, non est medium : si ergo generatio non insit communi primo ut homini ; ergo primo inest singulari : sed singulare secundum quod tale est numero diversum ab altero ; ergo, etc.

Item, generatio inest huic homini, et illi; sed non potest inesse huic primo, quia tunc non inesset illi, quia iste non est ille, quia quod per superabundantiam dicitur, uni soli convenit : ergo generatio inest alicui

primo reperto in hoc et in illo, quod est negatum.

2. Item, ad principale; differentia est inter accidens proprium, et accidens commune, per Porphyrium quia accidens proprium primo inest Speciei; accidens vero commune primo inest Individuo : sed omne accidens inhærens subjecto cui primo inest, habet causam in subjecto, quia aliter non magis inesset uni subjecto quam alteri, ergo albedo in subjecto cui primo inest, habet causam necessariam; ergo est ejus passio, potest ergo passio inesse pluribus primo alicujus Speciei habentis plura supposita.

Item, quæro, aut passio inest pluribus suppositis primo, aut communi primo : si pluribus suppositis, habeo propositum ; si communi primo, quæro de illo communi ; illud inest pluribus suppositis, aut ergo inest illis primo, aut per aliquod aliud commune. Si per aliquod aliud commune, esset processus in infinitum. Si pluribus suppositis insit primo, eadem ratione standum fuit in primo. Passio ergo universalis potest inesse pluribus suppositis primo.

Hîc dicitur, quod passio inest pluribus suppositis, non primo, sed per aliud commune, ut per Speciem ; ut risibile inest Socrati, primo tamen homini. Sed species inest pluribus illis suppositis primo. Similiter genus inest pluribus speciebus primo, quia ibi est status et non est ratio eadem quare status non fuit in primo.

Contra illud ; per eamdem naturam consequitur species sua supposita propria, et etiam passio illa eadem : si ergo species primo insit diversis suppositis, passio primo potest inesse eidem, quia per eamdem causam.

Ad oppositum est Aristoteles, dicit enim quod secundus error est, quando aliquod commune est innominatum habens multa supposita, et creditur, quod illa passio primo insit illis suppositis.

3. *Conclusio.* Ad quæstionem, dicitur, quod passio potest non inesse individuis primo : hujus ratio est, quia passio consequitur naturam speciei secundum se, quia a natura speciei secundum se egreditur illa. Sed naturæ speciei accidit multiplicari per multa ejus diversa individua: individua enim per quantitatem multiplicantur, et alias conditiones materiales; sed naturæ speciei accidunt conditiones materiales; ideo multitudo individuorum accidit naturæ speciei : passio ergo consequens naturam speciei per accidens, consequitur multa primo individua, quia naturam speciei primo consequitur cui accidit multitudo, et ideo suppositis non inest primo.

Intelligendum tamen est, quod aliter consequitur passio plura supposita : species, et genus suas species, vel species sua supposita. Passio enim non consequitur sua supposita, sed primo naturam speciei tanquam causata a specie. Sed genus non consequitur suas species tanquam causatum a speciebus, sed tanquam specierum causa, quia ex genere et differentia causatur, et fit species, ideo genus potest per eumdem modum consequi diversas species, quia secundum illud quod est causa diversarum specierum. Passio tantum non consequitur primo plura individua, quia ab individuis non causatur ut plura sunt, sed a natura speciei (quæ in individuis multiplicatur) primo causatur passio, et ideo non sequitur individua nisi per accidens.

Ad rationes. Ad primam dicitur, sicut ultimo dicebatur, quod generatio non consequitur primo universale abstractum a singularibus, quia per Aristotelem *Generationes et operationes sunt circa singularia*; sed generatio primo consequitur singulare ; consequitur enim naturam in hoc, et in illo. Sed consequi naturam in hoc potest esse dupliciter. Uno modo quod consequatur naturam in hoc, inquantum hoc est, et isto modo generatio non consequitur naturam in hoc ; quia si consequeretur naturam in hoc, inquantum hoc, non consequeretur naturam in illo, quia illud non est hoc ; ergo generatio non consequitur naturam in hoc inquantum hoc, ita quod hæcceitas sit ca- 4. *Ad 1. princ.*

sa positiva. Alio modo dicitur consequi naturam in hoc, ita quod hæcceitas sit causa sine qua non, et non causa positiva; et isto modo generatio primo consequitur naturam in hoc ; hoc est, consequitur naturam quæ non est sine hoc ; et similiter consequitur naturam in illo, ita quod non sine illo, et utramque primo. Unde per Aristotelem genus primo potest inesse diversis speciebus : ita generatio primo potest inesse diversis individuis, non tamen inquantum distincta sunt hypostatice, sed pro eo quod generatio consequitur primo naturam quæ est in hoc, et quæ est in illo, et ita generatio quodammodo est universalis,non simpliciter ; quia non est ut universale abstractum, quia universale abstractum sic non concipitur inquantum hoc positive,nec sub hoc, sed ita quod hæcceitas sit causa sine qua non ; sed naturæ tamen inest primo generatio contingenter, non inquantum hoc, nec inquantum illud ; ideo secundum quid est universalis, non tamen contingit sine hæcceitate; et ideo singularis est simpliciter. Exemplum conveniens ad hoc est de visu per Aristotelem in fine secundi hujus. Sensus quodammodo est universalis, ut visus respectu coloris non simpliciter, ut certum est, quia sic sensus esset intellectus, sed est universalis eo modo quo dictum est.

Tu dices, ergo est ponere medium inter universale et singulare.

Dicitur quod non sequitur. Sed tantum, quod sit ponere medium inter universale, et singulare, secundum quod concipitur inquantum hoc ; sed inter simpliciter universale, et simpliciter singulare non est medium ; natura enim quæ in hoc primo generatur, non est simpliciter universalis, sed est simpliciter singularis ; est tamen universalis secundum quid, quia non concipitur inquantum hoc positive.

5. Ad rationes contra hoc. Ad primam jam patet, quod generatio non est alicujus primo communis, sed est singularis, sed non quocumque modo est ipsum singulare, sed
Ad 2. sicut dictum est. Ad aliud icidtur, quod generatio non est hujus, inquantum hoc, nec illius, inquantum illud ; sed est cujusdam naturæ in hoc et in illo ; et ideo quodammodo est ipsius universalis, sed non simpliciter universalis, sed est cujusdam naturæ,quæ non est sine hoc : natura enim speciei non generatur sine qualitate et quantitate, non tamen generatur, ut quanta est, nec qualis, ita quod dicat causam positivam.

Ad aliud principale dicitur, quod licet *Ad* 3.
accidens commune consequatur individuum primo, non tamen est propria passio ejus.

Ad probationem contra,dicitur, quod habet causam in subjecto ratione cujus magis inest uni, quam alteri. Sed illa causa non est intrinseca naturæ speciei, sed ex aliquo addito naturæ speciei, ut ex complexione, vel aliis conditionibus materialibus, quæ primo consequuntur individuum, et ideo accidens commune non est passio.

Ad aliud sicut dicebatur.

Ad rationem contra hoc dicitur, quod *Ad* 4.
natura speciei inest pluribus individuis secundum se, passio non inest individuis secundum se,sed secundum naturam speciei: et ideo nego hanc consequentiam, *Species et passio insunt suppositis per eamdem formam, ergo æque primo,* quia forma per quam species inest individuis est intrinseca speciei.Sed forma per quam passio inest suppositis, non est intrinseca passioni, sed additur sibi : sicut natura speciei non est intrinseca passioni, sed est res sibi addita, quia res alterius generis.

QUÆSTIO XXXVII

An cognoscens unumquemque triangulum, cognoscat triangulum simpliciter

Aristotel. 1. *Post. cap.* 5. *text.* 13. Averroes *ibid. comment.* 39. *et* 41. (ubi citat se de hac materia in libro Syllogismi) *contra Abusamarem, etc.* D. Thom. *in primum posterior. lect.* 12. Joan. a Mag. *q.* 6. *in primum Post.*

Quod sic videtur. Cognoscens conclusionem in demonstratione cognoscit simplici- 1. *Argumen-*

ta pro parte affirmativa. ter : sed cognoscens unumquemque triangulum, cognoscit conclusionem in demonstratione : ergo cognoscens unumquemque triangulum, cognoscit simpliciter. Probo minorem. Conclusio in demonstratione est illa, in qua prædicatur passio universalis de subjecto, sicut est in proposito.

Hîc dicitur, quod minor est falsa ; sed hæc est conclusio in demonstratione, *Omnis triangulus habet tres*, etc. *omnis* enim distribuit pro suppositis, inquantum participant naturam communis. Sed *unusquisque* distribuit pro suppositis, ut numerata sunt ; sed numeratio accidit, ut unum est distinctum contra alterum naturæ speciei, de qua per se scitur passio, et ideo qui cognoscit unumquemque triangulum, non cognoscit, nisi secundum accidens, et ideo hæc non est conclusio in demonstratione. Sed illa est conclusio, *Omnis triangulus*, etc. quia de suppositis, inquantum includunt naturam speciei, scitur passio.

Contra illud;hoc signum *omnis*,distribuit terminum in sua supposita. Similiter hoc signum, *unumquodque*, et nihil innovat circa terminum, cum sint dictiones officiabiles, ergo eodem modo est una conclusio in demonstratione sicut alia.

Item, si unusquisque distribuat prædicatum pro suppositis, ut numerata sunt, et distincta, tunc hæc esset plures ; *unusquisque triangulus*, etc. quia tunc primo pluribus attribuitur prædicatum.

Item, Aristoteles dicit, *Scire autem opinamur unumquodque* ; ergo *unumquodque* non distribuit pro suppositis, ut numerata sunt, et distincta, quia, ut sic, res non scitur,et tunc littera Aristotelis esset falsa.

Item si sic ; tunc hîc esset petitio principii, *Unusquisqne homo currit : ergo iste homo currit.* Quia in antecedente fit distributio pro illo sub propria ratione, et eodem modo accipitur in consequente.

Item, contra illud dictum, ostendo quod *omnis* non distribuit pro suppositis,ut conveniunt in natura speciei, quia si sic, hæc esset vera, *Omnis homo est species.*

Item, hæc esset falsa, *Omnis homo est albus*, quia sensus esset,omnis homo,inquantum homo, est albus, sed hoc est falsum ; ergo, etc.Quia differentia est inter accidens commune, et accidens proprium in hoc, quod accidens proprium primo inest Speciei, commune primo inest Individuo.

Item,hæc esset falsa,*Omnis homo est individuum*, cum tamen quælibet singularis sit vera.

Item, ad principale ; qui cognoscit omnem triangulum, cognoscit simpliciter per Aristotelem, sed qui cognoscit unumquemque triangulum, cognoscit omnem triangulum simpliciter, ergo, etc. Hîc dicitur, quod minor est falsa.

Contra ; sequitur, *Tu cognoscis unumquemque triangulum : ergo omnem*, quia oppositum consequentis infert oppositum antecedentis. Sequitur enim, *Non cognoscis omnem triangulum, ergo aliquem triangulum non cognoscis*, et hoc est oppositum antecedentis.

Ad oppositum est Aristoteles dicens,quod si aliquis monstret unumquemque triangulum monstratione una, aut altera, quod duos rectos habet, non cognoscit triangulum, quod duos rectos habet nisi sophistico modo.

Ad quæstionem dicitur, quod qui cognoscit unumquemque triangulum, non cognoscit triangulum simpliciter, sed sophistico modo, sicut dicit Aristoteles. Et hujus ratio est ; quia quodlibet inferius addit aliud supra superius, quod extraneatur superiori. Ut species super genus addit differentiam, quæ generi extraneatur. Similiter individuum supra speciem addit conditiones materiales, quæ naturæ speciei extraneantur ; quia individua multiplicantur per istas conditiones materiales, quia multiplicatio est ex parte materiæ. Sed multiplicatio accidit naturæ speciei, ergo conditiones materiales naturæ speciei accidunt. *2. Conclusio.*

Aliud intelligendum est, quod hoc signum, *omnis*, distribuit terminum in suppositis, secundum quod supposita includunt naturam speciei, et hoc signum,*unus-*

quisque, distribuit pro suppositis, inquantum includunt aliquid extraneum naturæ speciei. Ex hoc arguo ; passio per se scitur de natura speciei, sed *unusquisque*, distribuit pro suppositis, non ut includunt naturam speciei ; ergo de unoquoque triangulo non scitur hæc passio *Habere tres* per se, sed per accidens, et sophistico modo, quia *unusquisque* distribuit pro suppositis, ut addunt conditiones materiales, quæ naturæ speciei extraneantur.

...stratio ...ex. Propter rationes, intelligendum est,quod *duplex est abstractio,* una est a materia, et suppositis, sicut homo abstrahit ab illo homine, et ab isto ; et a materia, ut ab homine albo, et ab homine nigro.Unde album et nigrum prius sequuntur subjectum, in ratione conditionum materialium. Alia est abstractio a suppositis, sed non a materia; sicut homo albus abstrahitur a suppositis, ut ab illo homine, et ab isto, sed non a materia ; quia album consequitur passiones materiales subjecti.

...lex sig- distri- ...um. Duplici isti abstractioni correspondet duplex signum distributivum ; quia termino communi abstracto a suppositis et a materia, correspondet hoc signum, *omnis*; quia hoc signum, *omnis,* distribuit terminum in supposita, quæ sunt, *hoc aliquid,* et *hoc est,* ut includunt naturam speciei. Sed hoc signum *unusquisque,* correspondet termino communi abstracto a suppositis, sed non a materia ; quia distribuit pro ipsis, ut sunt *synolon* *, et non *hoc aliquid.*

Simul ... Ideo intelligendum, quod licet hoc signum *unusquisque,* distribuat pro suppositis, ut materiata sunt per conditiones materiales, verumtamen sub aliqua communitate, sub qua distribuit *omnis,*quia *omnis* distribuit pro suppositis, ut conveniunt in natura speciei. Sed *unusquisque* ut naturæ speciei extraneantur. Sed tamen ut conveniunt in aliquo alio communi materiali, abstracto solum a suppositis, et non a materia, et sic ponitur quod quælibet propositio universalis est una, ubi ponitur hoc signum *omnis,*et ubi hoc signum *unusquisque*. Ex istis sequens est quod hoc signum, *omnis,* solum addendum est subjecto propositionum, in quibus prædicata essentialiter insunt subjecto, ut, *Omnis homo est animal.* Sed hoc signum, *unusquisque,* addendum est in prædicationibus accidentalibus, ut, *Unusquisque homo est albus.* Et ratio hujus est ; quia prædicata essentialia primo insunt naturæ speciei, et non individuis, et prædicata accidentalia primo insunt individuis, et non inquantum includunt naturam speciei, et hoc loquendo de accidentibus communibus.

Ad primam rationem dicitur, sicut dicebatur. 3. *Ad argumenta.*

Ad primum contra, patet in positione, quod hoc signum *unusquisque* non distribuit pro suppositis, ut includunt naturam speciei ; et ideo non potest hæc, *Unusquisque triangulus*, etc. esse conclusio in demonstratione, unde non sufficit quod subjectum accipiatur respectu passionis, sub quocumque modo, ad hoc quod fiat conclusio demonstrationis. Sed si debeat accipi sub signo universali, sub hoc signo *omnis* accipitur.

Ad aliud dicitur, quod Aristoteles extendit hoc signum *unumquodque*, ad hoc signum, *omnis*, unde utitur eo pro hoc signo, *omnis*.

Unde sciendum est, quod licet *omnis*, debeat distribuere subjectum in comparatione ad prædicatum essentiale : similiter hoc signum *unusquisque* in comparatione ad prædicatum accidentale ; quandoque tamen abutitur e contra.

Ad aliud, quod non est petitio principii, licet *unusquisque* distribuat pro suppositis sub conditionibus materialibus, quia non distribuit pro illis absolute et sub propriis rationibus,sed ut conveniunt in aliquo communi abstracto a suppositis, licet non a materia. Ideo hic non est petitio ; *Omnis homo est albus, ergo iste,* quia non proceditur ab eodem supposito propositionis sub propria ratione accepto, ad illud idem.

Ad aliud de unitate propositionis,dicitur per idem, quod non sit distributio pro suppositis complete, sub rationibus propriis,

per hoc signum *unusquisque*, sed ut conveniunt in aliquo communi eo modo, quo est dictum.

Ad aliud dicitur, quod non sequitur hanc esse veram, *Omnis homo est species*, quia species per accidens prædicatur de homine, et non per se; ideo species non convenit suppositis hominis, inquantum includunt naturam hominis; et ideo hæc est vera; sed quia *habere tres* per se prædicatur de triangulo, ideo hæc est vera, *Omnis triangulus habet tres*, etc. prædicatum enim inest suppositis, ut includunt naturam trianguli.

Ad aliud, quod illæ rationes probant quod hæc non sit primo vera, sive per se, *Omnis homo est albus*. Quia potest esse vera per accidens, vel potest dici quod non sequitur illas esse impossibiles, quia abutitur hoc signo *omnis*, et tales concedimus.

Ad aliud per idem.

Ad aliud sicut dicebatur.

Ad rationem contra hoc: quod hæc consequentia non valet: *Tu cognoscis unumquemque triangulum, ergo omnem*, similiter nec ex opposito sequitur oppositum; *Non cognoscis omnem, ergo aliquem non cognoscis*. Vel *Non omnis triangulus: ergo aliquis triangulus non*, quia hæc, *Aliquis triangulus non habet tres*, opponitur huic, *Unusquisque triangulus*, etc.

Circa quod sciendum est, quod hoc signum *aliquis*, æquivoce sumitur secundum quod hæc, *Aliquis triangulus non habet tres*, contradicit huic, *Omnis triangulus habet tres*, et huic, *Unusquisque triangulus*, etc. quia *aliquis* particulat oppositum dupliciter. Uno modo ad suppositum, quod est *hoc aliquid*, et isto modo hæc, *Aliquis triangulus non*, etc. contradicit huic, *Omnis triangulus*, etc. Alio modo particulat ad suppositum quod est simul totum, quod Aristoteles vocat *synolon*, isto modo contradicit huic, quod est *unusquisque*, etc.

Tunc ad formam dicitur, quod hæc, *Aliquis triangulus non habet*, etc, ut contradicit huic, *Unusquisque triangulus*, etc. non sequitur ad hanc, *non omnis triangulus*, etc.

QUÆSTIO XXXVIII

An signum universale distribuat terminum sub propria ratione suppositorum, aut sub ratione termini communis

Doctor *quæst. præced.*

Quod sub ratione propria suppositorum, videtur; per Aristotelem, qui cognovit unumquemque triangulum, non cognovit simpliciter, sed secundum accidens; sed si hoc signum *unusquisque*, distribueret pro suppositis, sub ratione communis, tunc cognoscens unumquemque triangulum, cognosceret simpliciter; quia tunc triangulus cognoscitur habere tres simpliciter, quando *habere tres* cognoscitur de suppositis trianguli, inquantum conveniunt in natura trianguli: ergo signum distribuit terminum sub propria ratione suppositorum. 1.

Item, scientia passionis de subjecto dicitur scientia simpliciter: sed scientia simpliciter est quando habetur scientia sub propria ratione: hoc signum ergo *omnis*, distribuit terminum sub propria ratione, et non in universali, quia scire in universali, est scire secundum *quid*; cum ergo *habere tres* simpliciter sciatur de triangulo omni; ergo scitur de triangulo sub propria ratione; hoc signum ergo, *omnis*, distribuit pro suppositis sub propria ratione suppositorum.

Item, signum reducit terminum ad actum, pro eis quæ fuerunt in termino potentialiter: sed supposita sub propria ratione fuerunt potentialiter in termino communi; ergo signum distribuit terminum pro suppositis sub propriis rationibus.

Item, quod actualiter sequitur ad alterum, actualiter in illo includitur; sed singulare actualiter sequitur ad universale, sequitur enim, *Omnis homo currit, ergo iste*, ergo singulare actualiter ponitur in universali; signum ergo universale distribuit terminum in supposita sub propria

ratione. Probo majorem; si enim aliquid actualiter sit homo, et tamen non actualiter includitur, sed potentialiter, ergo posito uno potest alterum non poni; et per consequens ad unum non sequitur alterum; si ergo non actualiter includitur, non actualiter sequitur : ergo ex opposito, si actualiter sequitur, actualiter includitur.

2. *umen- oppo- .* Ad oppositum, si fuerit distributio pro suppositis sub propria ratione suppositorum, propositio universalis esset plures; quia actualiter et sub propria ratione prædicatum pluribus attribuitur.

Dicitur quod ex hoc non sequitur quod sint plures, quia vox est una.

Contra, unitas et pluralitas per se respiciunt intellectum; si ergo in propositione universali sunt plures intellectus proprii, et sub propria ratione, propositio erit plures. Si tu dicis, quod licet pluralitas, et unitas habeant per se referri ad intellectum, tamen vox est illud sine quo non est pluralitas, sive unitas. Vox enim una est illud, sine quo propositio non est una, et sine pluribus vocibus non est propositio plures.

Contra; Aristoteles loquens de pluralitate propositionum in voce, non distinguit inter multitudinem et pluralitatem vocum. Cum ergo hæc universalis propositio sit multiplex, sicut oportet concedere, si fiat distributio pro suppositis sub propria ratione suppositorum ut accipitur sub unitate vocis : ergo quælibet propositio universalis esset plures pluralitate in voce, ergo oportet concedere, quod quælibet propositio sit multiplex sive plures, vel oportet concedere quod non fiat distributio pro suppositis sub propria ratione suppositorum.

Item si sic; tunc cognito principio demonstrationis, cognoscitur conclusio in actu, et sub propria ratione; quod est contra Aristotelem in hujus primi principio; *Antequam aliquid sit inducere*. Consequentia patet, quia in conclusione scitur prædicatum de subjecto sub propria ratione, si ergo in principio demonstrationis fiat distributio pro suppositis sub propria ratione, tunc eodem modo scitur conclusio in principio suo et in se, quia utrobique sub propria ratione.

Item, si fiat distributio sub propria ratione suppositorum, tunc Enthymema erit Syllogismus, vel non erit consequentia; quorum utrumque est inconveniens : ergo et antecedens. Probatio consequentiæ; ex universali infertur sua singularis, quæro ergo, aut est consequentia, aut non; si sic, et in universali fit distributio pro singulari sub propria ratione; ergo singulare sequitur ex universali, ex eo quod hæc sunt, sequitur ergo syllogistice; ergo si fiat distributio pro suppositis sub propria ratione, tunc aut non erit consequentia, aut si fit, talis consequentia erit Syllogismus, et ita Enthymema erit Syllogismus.

Ad quæstionem dicitur, quod signum universale distribuit terminum, non sub propria ratione suppositorum, sed sub ratione termini communis. Hujus ratio est prius tacta, quia si fieret distributio pro suppositis sub propria ratione, quælibet propositio universalis esset plures, et per consequens non Syllogismus, et tunc periret Syllogismus, et etiam contradictio in universalibus, quod est inconveniens. 3. *Conclusio.*

Intelligendum tamen est propter rationes, quod illa tria se habent secundum ordinem. Prius enim est potentia illius singularis in termino communi non distributo. Secundo est actus singularis in termino communi distributo, iste actus tamen incompletus est. Tertio est actus singularis proprius secundum quod sub propria ratione accipitur, potentia primo est pura potentia, actus proprius singularis est purus actus. Sed singulare in communi distributo est incompletus, et est actus et potentia respectu diversorum; est enim actus respectu potentiæ singularis in termino non distributo, et per distributionem reducitur ad actum, et iste actus est simpliciter potentia respectu actus proprii sub propria ratione. Sicut patet si dicitur, *Omnis homo currit*, non importatur illa, *Socrates currit*,

per hanc, nisi in potentia et virtute, sed in illa, *Socrates currit*, Socrates accipitur sub propria ratione.

4. *Ad argumenta.* Ad primam rationem dicitur, quod cognoscens unumquemque triangulum habere tres, non cognoscit triangulum simpliciter: et hujus causa non est sicut ratio prætendit, propter hoc quod in illa, *unusquisque triangulus*, etc, distribuitur triangulus in suppositis præcise sub propria ratione suppositorum. Sed causa prius dicta est: ideo non cognoscens unumquemque triangulum, etc. cognoscit ipsum secundum accidens, quia hoc signum *unusquisque*, distribuit terminum in supposita, ut conveniunt in aliquo communi, non in communi quod est natura speciei, quod abstrahitur a suppositis et a conditionibus materialibus, sed ut conveniunt in aliquo ommuni materiali abstracto a suppositis; sed non a materia, sicut patet in præcedenti quæstione. Et quia istæ conditiones materiales extraneantur naturæ speciei, ideo cognoscens unumquemque triangulum, cognoscit triangulum sophistico modo, et secundum accidens.

Ad aliud dicitur, quod passio scitur de subjecto sub propria ratione, sicut ratio concludit. Sed non sequitur, passio scitur sub propria ratione de subjecto, ergo scitur de subjecto sub propria ratione suppositorum, sed scitur sub propria ratione subjecti; et sic scire passionem de suppositis non est scire in universali, quod Aristoteles vocat *secundum quid*, quia de singularibus secundum quod singularia sunt, non potest aliquid sciri, nisi secundum accidens, et ideo de his non scitur passio, ut includunt naturam speciei.

Ad aliud, quod signum reducit terminum ad actum pro suppositis ad quæ fuit in potentia, sed non ad actum completum, quia sic esset plures, sed ad actum incompletum, sub quo actu incompleto fuit potentia ad singulare sub propria ratione; et ideo signum non distribuit terminum pro suppositis sub propria ratione, ut dictum est in positione.

Ad aliud, quod hæc consequentia non valet, *Singulare actu sequitur ad universale: igitur in universali in actu includitur*, loquendo de actu completo singularis; loquendo tamen de actu incompleto in ipso includitur. Ratio interemptionis consequentiæ est; quia consequentia enthymematica non sequitur gratia significationis, tunc enim esset consequentia syllogistica; quia sequitur conclusio eo quod sunt. Sed ista tenet gratia rei, et ideo licet singulare sequatur actu ad universale, quia tamen non ratione significationis completæ, sed ratione rei, ideo non oportet quod actu complete ponatur singulare, et in significatione universalis, sed incomplete, et in virtute. 5.

Et ad probationem consequentiæ dicitur, quod oppositum non sequitur; quia stat simul quod actu sequatur, et actu non completo ponatur, sed potentia, et virtute; si illa potentia non est ad opposita, et ideo ratione rei semper ad universalem sequitur singulare enthymematice.

QUÆSTIO XXXIX

An sequatur, hoc interest per se, igitur de necessitate, *quam consequentiam facit Aristoteles*

Aristotel. 6. *hujus text.* 15. Abusamar *in libro de Demonstrat.* Averroes *in comment. hujus loci*. D. Thom. *sect.* 13. *in primum Poster.* Conimbr. *in expos. cap. 6. hujus.* Paulus Venetus *ibid.* Cajet. et Ægid. *super textum cit.*

Quod non videtur. Superficies per se est alba, et tamen non sequitur, igitur de necessitate est alba; quia consequens est falsum, et antecedens verum. Antecedens patet; quia superficies est alba, aut igitur per additum, aut per se; si per se, habetur propositum; si per additum, adhuc illud additum denominat superficiem. Quæro tunc, aut igitur per se, aut per additum: si per additum, processus erit in infinitum; si per se, eadem ratione standum fuit in primo. 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Item, hoc falsum contingens, per se est

falsum; quia prædicatum cadit in definitionem subjecti, et tamen non est de necessitate falsum : igitur, etc. Probatio consequentiæ : si hoc falsum contingens de necessitate est falsum, igitur de necessitate est non verum, igitur de necessitate non est verum, a termino infinito ad negatum, et ulterius, igitur non potest esse verum ; quia ista æquivalent, et ulterius sequitur ; igitur est impossibile : igitur a primo, si hoc falsum contingens de necessitate est falsum : igitur hoc falsum contingens est impossibile, consequens falsum, igitur antecedens.

Item, hæc est per se, *Socrates est mortalis*, sive *corruptibilis* ; non tamen est necessaria : igitur non sequitur, *Hoc inest per se, igitur hoc de necessitate inest.*

Hic dicitur, quod sequitur, *Socrates est mortalis, igitur de necessitate est mortalis*, et consequens verum est, sicut antecedens.

Contra, si Socrates de necessitate est mortalis, sive corruptibilis, Socrates non potest esse non mortalis ; et si sic, nunquam morietur ; consequens est falsum, igitur et antecedens. Secunda consequentia patet, quia ex opposito sequitur oppositum, quia si Socrates sit mortuus, Socrates potest non esse mortalis ; quia quando est mortuus, non est mortalis : et sequitur non est mortalis, igitur non de necessitate est mortalis, igitur potest non esse, etc.

Item ista, *Socrates de necessitate est mortalis*, ponit opposita : igitur non est vera, sed impossibilis. Antecedens patet, quia *necessarium* ponit non posse non esse, et *mortale* ponit posse non esse : et ista opponuntur.

Item sequitur, Socrates de necessitate est mortalis ; igitur de necessitate est, consequens est falsum : ergo et antecedens. Consequentia patet, quia accidens reale alicui inesse subjectum præsupponit esse : mortale est accidens reale.

2. Ad primam illarum rationum dicitur, quod hæc, *Socrates de necessitate est mortalis*, non ponit opposita, quia hæc est necessitas diminuta ; necessitas enim respectu mori est necessitas diminuta, et ideo illa necessitas non ponit non posse non esse.

Contra illud, sive illud sit verum, vel non, nihil ad rationem : quia concessa est hæc consequentia, *Socrates per se est mortalis, igitur de necessitate est mortalis*, et Aristoteles intelligit illam propositionem, *Quæ per se insunt, de necessitate insunt*, de necessitate absoluta ; cum igitur hæc sit per se, *Socrates est mortalis*, ut concessum est, igitur hæc erit necessaria per se absolute.

Item, quod hîc non sit necessitas diminuta videtur, quia modus necessitatis est modus compositionis, et non extremi : igitur non est immediata dispositio extremi, nec e contra : igitur ab extremo non diminuitur, nec e contra ; quia enim *mortuum* non est determinatio immediata hominis, sicut dicendo, *Homo est mortuus*; *mortuum* tamen diminuit ab homine, sequitur igitur, quod si hîc sit necessitas absoluta, igitur de necessitate est mortalis, sicut in aliis.

Item, si propositio diceretur necessaria diminute propter extremum additum, tunc hæc esset necessaria, *Socrates de necessitate currit*, quia quando currit, de necessitate currit ; vel saltem hæc est vera, *Socrates de necessitate est*, quia sicut *mortale* hominem consequitur necessario dum existit ; ita *esse* consequitur hominem necessario dum existit. Videtur igitur quod hæc non sit necessaria necessitate diminuta, *Socrates est mortalis*.

Item, quod hæc sit impossibilis videtur ; quia ponit opposita, quia necessitas in hoc a contingentia distinguitur, quod propositio contingens est, quæ cum sit vera, potest tamen esse falsa : igitur si propositio sit necessaria est semper vera, ita quod pro nullo instanti, vel tempore est falsa : igitur si Socrates de necessitate est mortalis, Socrates semper est mortalis; et non potest non esse mortalis. Sed si sit mortalis, potest non esse : igitur adhuc ponuntur opposita.

Aliter dicitur ad rationem, quod hæc, 3.

Socrates est mortalis, nec est per se, nec necessaria, et instantia est vana.

Contra, quod sit per se, potest probari tripliciter, quia quod per se inest superiori, per se inest inferiori, (licet non primo) mortale per se, et primo inest superiori, ut animali ; igitur inest inferiori per se, ut Socrati. Minor patet,quia mortale est quoddam accidens inhærens huic, et illi. Sed non huic primo, nec illi primo, quia si huic primo non inesset illi ; eadem ratione si inesset illi primo, non inesset huic primo : igitur primo inest alicui communi reperto in illo, et in hoc : hoc non potest esse nisi animal, igitur animali primo inest mortale.

Item, Aristoteles in 10. Metaphysicæ dicit, quod *corruptibile*,et *incorruptibile* sunt differentiæ secundum substantiam ; igitur eadem ratione *mortale et immortale*, essent differentiæ secundum substantiam. Sed differentiæ substantiales per se prædicantur de speciebus, et de contentis quibus insunt, igitur mortale per se prædicatur de Socrate.

Item, illa propositio est per se,quando in subjecto est causa prædicati. Sed Socrates habet causam intrinsecam respectu mortalis : igitur, etc. Minor patet ; quia in Socrate est materia, et materia est principium quo res potest esse, et non esse.

Item, propositio est necessaria, quando prædicatum consequitur conceptum subjecti necessario, accipio tunc Socratem, ut est simul totum, ut concipitur cum conditionibus materialibus. Sed ista sunt causa corruptibilitatis, quia, ut prius habitum est, materia est qua res potest esse, et non esse : igitur hæc est necessaria, *Socrates est mortalis* sive *corruptibilis*, quia ut Socrates concipitur cum causa corruptionis.

Item, ostendo quod hæc sit necessaria, quia sequitur, *si Socrates de necessitate est mortalis*, *igitur Socrates de necessitate est immortalis*, consequens est necessarium, igitur antecedens. Consequentia patet, quia conditionalis præsupponit suum antecedens, et quod præsupponitur ponitur, igitur per hanc conditionalem ponitur suum antecedens : et quod ponitur sequitur ; sequitur igitur, quod consequentia sit bona. Probatio antecedentis ; una enim conditionalis accipitur loco antecedentis, quæ vera est ; sequitur enim, Socrates de necessitate est mortalis, igitur non potest non esse mortalis, et ulterius ; igitur semper est mortalis, et ulterius; igitur numquam erit mortuus ; igitur de necessitate est immortalis, igitur a primo, *Si Socrates de necessitate est mortalis* : *de necessitate est immortalis.*

Item, hæc est simpliciter per se, ut prius probatum est,igitur necessaria.

Item,hæc est per se ; *Omnis homo est animal*, et tamen non est necessaria. Antecedens patet, quia prædicatum cadit in intellectum subjecti. Minor patet, quia ex illa, *Omnis homo est animal* ; sequitur illa, *Socrates est animal*; consequens est contingens : igitur et antecedens, quia ex necessario non sequitur contingens. Quod hæc sit contingens, *Socrates est animal*, patet ; quia Socrates potest esse, et non esse, ut est suppositum animalis, quia sub ratione singularis est suppositum, et sub illa ratione potest esse, et non esse ; igitur sub ratione suppositi potest esse, et non esse : igitur potest non habere rationem suppositi respectu animalis,et per consequens hæc erit contingens, *Socrates est animal*, quia aliquando Socrates est suppositum animalis, et aliquando non. 4.

Hîc dicitur, quod duplex est singulare ; singulare, quod est *hoc aliquid*, et singulare quod est *synolon* ; singulare primo modo non est corruptibile : aliud singulare est corruptibile. Primo modo Socrates est suppositum animalis. Secundo modo non. *Singulare duplex.*

Contra, quandocumque aliqua duo sunt conjuncta in re necessario, corrupto uno, necessarium est aliud corrumpi. Sed *hoc aliquid*, et simul totum in re, sunt necessario conjuncta, quia non est ponere naturam speciei existere, sicut ponit Plato, præter singularia ; igitur cor-

rupto *synolon* necessario corrumpitur *hoc aliquid* (licet per accidens) et tunc ulterius; sub ratione qua *hoc aliquid* est suppositum, igitur corrumpitur, sub ratione suppositi.

5. *gumen - opposi-* Ad oppositum est Aristoteles. Probat enim quod demonstratio est ex propriis necessariis, quia est ex propositionibus per se, et accipit hanc propositionem, *Quæ per se insunt, de necessitate insunt.* Hoc patet in demonstratione : quia propositio per se, sicut demonstratio utitur per se, aut est conclusio demonstrationis, aut principium. Si conclusio, sequitur quod necessaria; quia quod scitur impossibile est aliter se habere, per definitionem ejus quod est *scire*: conclusio scitur per demonstrationem: igitur, etc. Similiter si propositio per se sit principium demonstrationis, adhuc est necessaria; quia necessitas conclusionis non est nisi ex necessitate principiorum : cum igitur conclusio in demonstratione sit necessaria, principia erunt necessaria, quia necessarium non scitur nisi ex necessariis : sequitur igitur hoc est per se, ergo necessarium : loquendo de perseitate, quæ pertinet ad demonstrationem. Unde sciendum est, ut supra dictum est, quod perseitas sumitur duobus modis. Uno modo, ut pertinet ad demonstrationem. Accipitur perseitas alio modo, ita quod prædicatum insit subjecto non per medium, sicut est hæc per se, *Superficies est alba*, et *Ille homo est quantus*. Sed de talibus non considerat demonstrator in suis demonstrationibus, et de talibus non habet hæc propositio intelligi, *Quæ per se insunt, de necessitate insunt.*

-seitas sumitur -bus mo-

6 *1. et 2. -ncipale.* Ad primum argumentum patet per id quod nunc ultimo dictum est in positione, quod illud exemplum non est contra intellectum Aristotelis.

Ad secundum dicitur quod hæc est vera, *Falsum contingens de necessitate est falsum.*

Ad probationem, concedo omnes consequentias usque ad hanc, *Falsum contingens non potest esse verum : igitur est impossibile.* Quia omnibus consequentiis prædictis hoc *falsum contingens* accipitur, ut per se suppositum falsi, et ita comparatur ad prædicata ut *quid* in omnibus consequentiis intermediis. Sed cum infertur, igitur falsum contingens est impossibile, accipitur *falsum contingens* ac si acciperetur per modum denominantis, ut *quale*, et ita interpretatur *quid* esse *quale*. Et ad probationem, dicitur quod hæc propositio, *Quod non potest esse verum, est impossibile*, distinguenda est, ex eo quod ly *quod*, potest referre complexum, sive incomplexum. Si referat complexum, sic est vera, quia illud complexum, *Quod non potest esse verum, est impossibile.* Si referat incomplexum, ut puta hoc, *falsum contingens*, quod est qualitas complexi, sic intelligendo propositionem, falsa est, et ideo non valet hæc consequentia : *Hoc falsum contingens non potest esse verum ; igitur hoc falsum contingens est impossibile.*

Tu dices, hæc est definitio impossibilis : *Impossibile enim est quod non potest esse verum.* Dicitur quod hæc non est definitio impossibilis, sed est definitio subjecti, sive signi. Unde iste est sensus, illud complexum, *quod non potest esse verum*, est impossibile.

Contra illud, hæc est vera, *Falsum contingens est contingenter falsum* ; quia prædicatur idem de se ; igitur illa est falsa, *Falsum contingens de necessitate est falsum*; quia contingens non est necessarium. Hic dicitur quod istæ simul stant, nec prædicatur idem de se, *Falsum contingens est contingenter falsum.*

Contra : Comparatur *quid* ad *quid.*

Dicitur, quod falsum contingenter, denominat falsum contingens : et ad ipsum comparatur ut *quale* ; quia si contingenter significatum adverbialiter comparatur ad contingens significatum nominaliter ut *quid*, hic esset nugatio, ut *inesse bene est bonum*, et universaliter ubi adverbium et nomen significantia idem conjunguntur. Sed hoc est falsum ; igitur, etc.

Ad aliud, quod hæc, *Socrates est mortalis*, nullo modo est per se ; quia *mortale* sive 7. *Ad 3.*

sequatur pro apto nato mori, sive pro potentia ad moriendum, semper denominat aliquid pertinens ad defectum Speciei, et ideo non prædicatur per se de Socrate, nec de homine, eo modo quo demonstrator utitur *per se*. Similiter primo inest supposito sub ratione esse existere, et non naturæ Speciei : et ideo non inest per se sicut passio : passio enim non sonat in defectum, quia passio causatur a natura Speciei. Sed defectus quilibet est ratione additi naturæ Speciei. Similiter passio primo inhæret naturæ Speciei, igitur, etc.

Intelligendum tamen quod hæc, *Socrates de necessitate est mortalis*, distinguenda est ; supponendo quod *mortale* accipiatur pro potentia ad moriendum, ex hoc quod necessitas potest dicere inevitabilitatem : vel ex quo potest dicere perpetuam veritatem. Primo modo hæc est necessaria, *Socrates de necessitate est mortalis* ; quia Socrates inevitabiliter morietur, sicut Sol inevitabiliter orietur cras. Secundo modo hæc est falsa, sicut illa : *Sol semper orietur cras*, et hujus ratio est ; quia hæc ponit opposita, quia si Socrates de necessitate est mortalis, Socrates semper est mortalis : et si sic, igitur semper est. Similiter si Socrates de necessitate est mortalis, est mortalis : et si mortalis, igitur tunc potest mori, et potest non esse aliquo tempore. Sed illa non stant simul, *Socrates pro omni tempore est, et pro aliquo tempore potest non esse*, quantum est ex materia. Similiter si Socrates de necessitate est mortalis, non potest non esse, quia quod de necessitate est in potentia ante actum, et semper nunquam potest esse sub actu : et si est mortalis, potest non esse ; igitur ponuntur opposita, sic igitur hæc est vera : *Socrates de necessitate est mortalis*, secundum quod necessitas accipitur pro inevitabilitate pro aliquo tempore. Sed secundum quod necessitas accipitur pro perpetua veritate : sic est falsa includens opposita, et incompossibilia.

Intelligendum, quod si *mortale* denotet aptum natum mori, sic est hæc vera, *Socrates de necessitate est mortalis*, quia sive sit, sive non, aptus natus est mori : et hoc patet ad rationem qualiter est necessaria, et qualiter non.

Ad rationes quæ probant quod hæc non est vera, *Socrates*, etc. dicendum est ad primam, negando consequentiam ; *Socrates de necessitate est mortalis*; *igitur non potest non esse mortalis*, simpliciter loquendo, secundum quod accidens consequitur esse verum ; quia necessitas quæ est inevitabiliter, non ponit non posse non esse pro omni tempore, sed ponit non posse non esse pro aliquo tempore. Et ad probationem cum dicitur, quod necessitas ponit non posse non esse ; dicitur, quod hoc non ponit absolute, sed pro aliquo tempore determinate. Per hoc enim differt a necessitate quæ est perpetua veritas. *Ad 4.*

8. Ad aliud dicitur, negando hanc consequentiam, *Socrates de necessitate est mortalis* ; *igitur de necessitate est* (accipiendo necessitatem sicut prius,) sed tantum sequitur, igitur Socrates de necessitate est pro aliquo tempore determinato, sed non simpliciter. *Ad 5.*

Ad illas quæ probant quod in illa, *Socrates de necessitate est mortalis*, diminuitur necessitas per additionem hujus termini *mortale* concedendæ sunt ; est tamen quodammodo necessitas æquivoce, respectu necessitatis, quæ est perpetua veritas, sive alterius rationis.

Ad rationes contra secundam responsionem, quæ probant quod hæc sit simpliciter per se, et etiam necessaria. Dicitur ad primam quod mortale non per se inest primo animali, nec primo huic individuo, inquantum est hoc ; nec illi, inquantum est illud, ut ratio probat; nec alicui communi abstracto ab his. Sed primo inest alicui naturæ in hoc, et in illo, quæ non est sine hoc, vel illo, hæcceitas tamen non est causa positiva.

Ad aliud, quod corruptibile, et incorruptibile non sunt differentiæ substantiales ; quia corruptibile sonat in defectum et posse non esse, similiter et mortale. Sed differentia substantialis conducit ad esse rei : ideo

hæc non sunt differentiæ substantiales. Sed Aristoteles intelligit quod hæc præsupponunt differentiam substantialem, et specificam in illis in quibus insunt; quia corruptibilia (ut ista inferiora) et substantiæ separatæ alterius Speciei sunt, ideo substantialiter differunt.

Non omne quod inest per causam intrinsecam, inest per se. Ad aliud, quod hîc est fallacia Consequentis, *Mortale inest Socrati per causam intrinsecam : igitur per se.* Non enim omne quod inest per causam intrinsecam, inest per se, sed quod inest subjecto per causam naturæ Speciei intrinsecam ; unde natura Speciei inest sibi per se. Sed mortale non inest Socrati per causam intrinsecam Socratis, ut homo est, sed per causam pertinentem ad individuum, et per materiam individualem ut individuata est.

9. Ad alias rationes quæ probant quod hæc sit necessaria. Dicitur ad primam, quod Socrates ut est *synolon*, includit causam necessariam respectu mortalis, secundum talem necessitatem, quæ est inevitabiliter ; ideo sequitur quæ sit necessaria necessitate, quæ est inevitabilitas, non tamen habet mortale causam perpetuam in Socrate, quia qui imaginatur quod mortale habeat causam perpetuam in Socrate, imaginatur incompossibilia ; imaginatur enim quod Socrates sit semper in potentia ante actum ad moriendum, et ita quod semper sit, imaginatur enim Socratem habere potentiam, ut aliquando non sit, quia si Socrates est mortalis, Socrates est in potentia, ut aliquando moriatur, et sic per consequens ut aliquando non sit.

Ad aliud dicitur negando consequentiam, quia antecedens conditionalis non sequitur ad conditionalem, quia veritas conditionalis consistit in habitudine consequentis ad antecedens. Sed habitudo hujus ad hoc non ponit antecedens actualiter, nec consequens actualiter : ideo neutrum sequitur.

Ad probationem dicitur negando hanc consequentiam, antecedens in conditionali supponitur ; igitur ponitur per conditionalem tanquam per consequens, quia instantia est si dico, *Homo mortuus* ; *mortuum* præsupponit hominem, sicut dispositio disponibile, et tamen non sequitur, homo mortuus est, igitur homo est. Ad aliud patet quod non est per se.

Contra illud fundamentum responsionis, quod est quod hæc, *Socrates de necessitate est mortalis*, est impossibilis ; ut necessitas dicit perpetuam veritatem, quia ponuntur opposita. Contra illud, est una propositio : igitur non ponuntur opposita. Antecedens patet, quia hæc est una, *Socrates est mortalis*, quia modus inhærentiæ non facit pluralitatem. Consequentia patet, quia plura, ut plura, non clauduntur in uno intellectu. Sed opposita sub ratione qua sunt opposita sunt plura : igitur opposita secundum quod talia, non clauduntur in uno intellectu. Sed propositio una intellectum unum habet ; igitur si hæc sit una, non includit opposita. Item, si includit opposita, aut igitur utrumque sub ratione communis, quod falsum est ; quia contradictoriis nihil est commune ; aut unum sub ratione alterius, et tunc non sequeretur opposita ; sicut nec sequitur, *Scio me nihil scire, igitur nihil scio* ; quia oppositum reflexum supra suum oppositum diminuit ab eo, nec utrumque sub propria ratione ponit, quia tunc hæc esset plures : igitur hæc nullo modo ponit opposita. 10. *Objectiones.*

Item, modus rei non repugnat, sed de necessitate importat modum inhærentiæ ; igitur non repugnat mortali ; ex hoc arguo, quando propositio ponit opposita, tunc ponit opposita ratione aliquorum materialium repugnantium, positorum in propositione : sicut hîc, *Scio me esse lapidem* ; quia huic ponitur *scire* per hoc quod dico, *scio*, per hoc quod ponitur, *me esse lapidem*, ponitur *me non scire*. Sed in illa propositione non sunt duo talia, quia modus rei non repugnat.

Item hæc, *Socrates mortalis*, non ponit opposita, sed unum intellectum : si igitur illa, *Socrates de necessitate est mortalis*, ponit opposita : igitur hoc est ratione modi necessitatis, sequitur igitur quod modus necessitatis ponit alterum illorum. Sed hoc

est inconveniens, quia incomplexum non ponit complexum.

Item, sequitur, *Socrates est mortalis, igitur de necessitate est mortalis.* Antecedens possibile est ; ergo et consequens. Consequentia patet per Aristotelem in lib. de Cœlo et mundo, *Omne corruptibile de necessitate corrumpetur, igitur mortale de necessitate morietur.* Eadem ratione sequitur, *De necessitate morietur, igitur de necessitate est mortalis.*

Item, si ratione materialium repugnantium illa poneret opposita : tunc illa poneret opposita ; *Contingens de necessitate est contingens, mortale de necessitate est mortale.*

11. *Solutiones.* Ad ista dicitur, ad primum, quod illa ratio concludit verum : propositio enim una non includit opposita, nisi extendamus *claudere* ad claudere in virtute. Sed proprie debemus dicere quod ponit opposita, si ita sit quod opposita sequantur. Et ad probationem, cum dicitur, quod unus intellectus non claudit duos, verum est, proprie loquendo : verumtamen unus intellectus potest duos in virtute claudere ; sed hoc est extendendo *claudere.*

Ad aliud, quod hæc propositio una est, et cum infertur ; igitur non ponit opposita, neganda est consequentia. Et ad probationem, cum quæritur, aut ponit opposita sub propriis rationibus, etc. dicitur quod ponit opposita sub ratione communis. Et ad probationem cum dicitur, quod contradictoriis nihil est commune, verum est secundum prædicationem, tamen contradictoriis aliquid est commune communitate antecedentis : etiam his quæ sunt contradictoria aliquid est commune communitate prædicationis, possum enim prædicare aliquod prædicatum de utroque, tamen secundum quod contradicunt, nihil est commune ipsis secundum prædicationem univoce. Tu dices, hæc propositio, *Socrates de necessitate est mortalis, æque primo ponit opposita, igitur plures est.*

Dicitur quod non sequitur; instantia enim est in simili ; quia *Homines currunt simul,* ponit plura, et tamen non est plures. Eodem modo propositio ponens opposita una est, quia non primo ponit opposita ; sed primo ponit unum intellectum, ad quem sequuntur opposita ex consequenti.

Ad aliud, quod in illa, *Socrates de necessitate est mortalis,* ponuntur duo materialia, ratione quorum non ponuntur opposita. Et ad probationem, cum dicitur, quod modus rei non repugnat, dicitur quod modus secundum se non repugnat rei ; unde ille modus *necessitatis, et mortale,* in se considerata non habent aliquam oppositionem : verumtamen secundum quod modus *necessitas* est dispositio inhærentiæ, et significat extrema uniri pro omni tempore ; ideo ex consequenti ponuntur opposita, non ratione illorum materialium in se consideratorum, sed ratione perpetuæ veritatis, quæ designatur ex hoc, quod hoc huic unitur sub tali medio.

Ad aliud, quod hæc, *Socrates est mortalis,* non ponit opposita, et tamen illa ponit, *Socrates de necessitate est mortalis.* Et cum dicitur, hoc est ratione modi, conceditur. Et cum infertur : igitur modus ponit unum oppositorum in propositione ; dicitur, quod non sequitur, licet enim modus medianter sit illud ratione cujus ponitur complexum ; non tamen est illud quod ponit. Unde est *quo,* sed non *quod.* Sed tota propositio est illud quod ponit opposita, quia ratione unius incomplexi ponit unum, et ratione alterius ponit alterum oppositum, sicut patet in hoc exemplo, *Tu scis te esse lapidem.*

Ad aliud, quod hæc propositio non est vera, *Socrates de necessitate est mortalis,* ut necessitas dicit perpetuam veritatem ; et sic non sequitur ad hanc, *Socrates est mortalis,* sequitur tamen secundum quod *necessitas* dicit inevitabilitatem. Et ad probationem dicitur, quod hæc propositio, *Omne corruptibile de necessitate corrumpetur,* intelligenda est de necessitate quæ est inevitabilitas, non tamen quæ est perpetua veritas, et illo modo concedendum est consequens.

Ad aliud, quod hæc non includit opposi-

ta, *Contingens de necessitate est contingens*, quia hîc comparatur idem ad seipsum, et idem respectu suiipsius, (sicut cum dicitur *Homo est homo*, homo prædicatur in quid de homine) dicit *quid*, et ideo hæc non ponit opposita ; nec illa, *Mortale de necessitate est mortale*, propter eamdem causam, et rationem. Illa tamen ponit opposita, *Socrates de necessitate est mortalis*, hîc enim mortale non comparatur ad seipsum, nec ad Socratem ut *quid* : sed ut *quale* sub modo necessitatis, et ideo hîc poni possunt opposita, sed non in aliis.

Ad aliud principale, quod hæc per se,
12. *Omnis homo est animal*, et est necessaria, et etiam illa : *Ille homo est animal*, intelligendo per illum hominem *hoc aliquid* distinctum contra *synolon*. Et cum probatur, quod hoc aliquid sit corruptibile per accidens, conceditur. Sed ulterius cum dicitur ; quod suppositum animalis ratione suppositi corrumpitur per accidens, neganda est consequentia. Ad probationem dicitur,quod hîc est fallacia Accidentis, Natura, ut est hoc aliquid, est suppositum, et natura, ut est hoc aliquid, est corruptibile per accidens : igitur suppositum sub ratione suppositi est corruptibile per accidens. Consequentia est neganda ; quia sub diversa ratione est suppositum, et corruptibile per accidens, quia natura habens modum essendi, quo est *hoc aliquid*, est corruptibile per accidens, propter hoc quod natura sub illo modo essendi conjungitur sub modo essendi ipsius *synolon*. Sed natura habens modum *hoc aliquid* est suppositum, non quia conjungitur cum *synolon*, *hoc aliquid* dicitur, sed quia includit naturam communem *synolon*,secundum quod unum individuum materialiter ab alio distinguitur, sed ut sic extraneatur sibi conjuncto cum quibuslibet, quæ sunt causa corruptionis. Sed est suppositum eo, quod includit eam essentiam, quam includit suum commune, ut habet habitudinem ad suum commune ; ut habitudo hujus quod est *hoc aliquid* inest sive res sit, sive non sit ; ideo manet suppositum, sive sit, sive non. Unde si ratio hujus quod est *hoc aliquid* absolute,et ratio suppositi essent totaliter eadem, circumscribendo habitudinem, ratio concluderet, etc.

QUÆSTIO XL

Utrum per medium contingens possit sciri necessarium

Aristot. 2. *Pri. cap.* 2. *et cap.* 4. *hujus text.* 7. *et cap.* 6. *text.* 15. 16. *et* 18. Averroes et cæteri interpretes *iisdem locis*. Joan. de Magistr. *in* 1. *Post. quæst.* 7. Paul. Ven. *in* 6. *hujus text.* 15. *et* 16. *cit.* Ruvius *in cap.* 4. *hujus quæst.* 1. Tartar. *in cap.* 7. *hujus, cit.* Conimbr. *in expos.* 4. *et* 6. *cap. hujus, cit.*

Quod sic videtur. Hæc est necessaria : Luna eclipsatur : cum sic conclusio demonstrationis, et hoc scitur per hoc medium : *Terra interponitur inter Solem, et Lunam*, sed hoc est medium contingens : igitur necessarium scitur per medium contingens. 1. *Argumenta pro parte affirmativa.*

Item, in his quæ sæpe fiunt, conclusio scitur, et per consequens est necessaria ; sed media sunt semper contingentia, quia quæ frequenter sunt, non sunt necessaria.

Item sequitur ; *Homo albus est animal* : *igitur homo est animal*, hîc consequens necessarium infertur ex contingenti et antecedente : igitur necessarium scitur per medium contingens ; quia effectus scitur per causam, et conclusio est effectus præmissarum, igitur, etc.

Ad oppositum est Aristoteles.

Ad quæstionem dicitur, quod necessarium non potest sciri per medium contingens, et hujus ratio est ; quia *necessarium* immutabile est, sed immutabilitas conclusionis necessariæ, est ex immutabilitate alicujus causæ ; sed contingentia non habent veritatem immutabilem, igitur contingentia non possunt esse causa conclusionis necessariæ, igitur, etc. 2. *Conclusio.*

Ad primum argumentum, quod hæc, *Luna eclipsatur*, contingens est, et etiam illa, *Terra interponitur inter Solem et Lu-* 3. *Ad argumenta.*

nam, et universaliter ea quæ frequenter sunt, contingentia sunt, et non necessaria. Dicit tamen Aristoteles, quod ut veniunt in demonstrationem necessaria sunt ; et Linconiensis hoc exponit dicens, quod ut veniunt in demonstrationem, accipiuntur cum circumstantiis cum quibus necessitantur. Verbi gratia, quandocumque ponitur terra inter Solem et Lunam, eclipsatur. Sed quandocumque Luna cadit in umbra terræ, interponitur terra inter Solem et Lunam, igitur, etc. Sic igitur patet qualiter quæ frequenter sunt, licet in se sint contingentia, tamen necessaria sunt ut veniunt in demonstrationem.

Ad aliud per idem. Ad tertium dicendum, quod necessarium non sequitur per medium contingens, et cum dicitur, infertur per medium contingens, igitur scitur per idem, consequentia non valet ; sed tantum sequitur,quod medium contingens est causa illationis conclusionis necessariæ ; et si non consideretur ut contingens, non tamen est causa necessitatis in conclusione, etc.

QUÆSTIO XLI

Utrum conclusio necessaria possit sequi syllogistice ex præmissis contingentibus

Aristot. *hic cap.* 16. *text.* 17. Averroes *in Com. hujus loci* .D. Thom. *sect.* 13. *in primam hujus.* Paulus Venetus *super text.* 17. *cap.* 6. *hujus.* Fonseca *lib.* 6. *Instit. cap.* 5. Aversa *lib.* 4. *Instit. cap.* 2. et communiter Summulistæ *in regulis consequentiarum.*

1. *Argumenta pro parte negativa.* Quod non videtur ; Contingens est indifferens ad esse, et ad non esse, necessarium est determinatum ad esse, igitur, etc. sicut nec ex disjunctiva sequitur ejus altera pars.

Item, contingens est medium inter necessarium, et impossibile, et ex contingenti non sequitur impossibile, igitur eadem ratione, ex contingenti non sequitur necessarium.

Item, effectus non excedit causam, conclusio est effectus præmissarum : igitur si præmissæ sunt contingentes conclusio erit contingens et non necessaria.

Item, conclusio sequitur propter præmissas ; sed propter contingens non est necessarium ; igitur necessarium non sequitur propter contingentia, sive ex contingentibus.

Hîc dicitur, quod conclusio ex contingentibus sequitur non *propter quid,* hoc est, propter causam, quia præmissæ contingentes non sunt causæ conclusionis necessariæ, sed tantum sicut ex falsis sequitur verum.

Contra ; ex falsis sequitur verum, eo quod hæc sunt : igitur ex falsis sequitur verum *propter quid* eodem modo ; igitur ex contingentibus necessarium. Item sequitur, *Homo est asinus, igitur homo est animal propter quid.* Sicut enim illa, *Homo est animal*, sequitur ad illam, *Homo est homo, propter quid,* tanquam ad unam causam veritatis ; ita ad istam, *Homo est asinus,* tanquam a causa veritatis, non enim dicitur causa veritatis, quia actu verificatur ; sed quia illa esset vera, si propositio cujus est causa, esset vera, sive poneret veritatem in propositione, cujus est causa, tunc ex impossibili sequitur necessarium *propter quid*, igitur eadem ratione ex contingenti.

Ad oppositum est Aristoteles dicens, quod ex contingenti, sequitur necessarium, sicut ex non veris verum.

Ad quæstionem dicitur,quod necessarium syllogistice potest sequi ex propositionibus contingentibus; sequitur enim, *Omne quod est album est animal, omnis homo est albus igitur*, etc. Præmissæ sunt contingentes, et conclusio necessaria. 2. *Conclus*

Intelligendum tamen propter rationes, quod præmissæ contingentes possunt dupliciter considerari. Uno modo ratione contingentiæ, quæ est in præmissis. Alio modo ratione dispositionis terminorum. Primo modo ex contingentibus non sequitur conclusio necessaria *propter quid,* nec eo quod hæc sunt. Secundo modo ex præmissis contingentibus sequitur conclusio necessaria eo quod hæc sunt. Sed tamen quia contingentia præmissarum adjungitur dispositioni terminorum, quæ est causa neces- *Præmis contingentes poss duplici considerari.*

saria inferendi conclusionem ; ideo dicitur necessarium sequi ex contingentibus, quia est, et eodem modo dicitur verum sequi ex falsis, sed non *propter quid*, sequitur conclusio necessaria ex contingentibus, quia dispositio terminorum, ut est causa necessaria inferendi conclusionem extraneatur contingentiæ. Unde hæc est fallacia Accidentis ; conclusio necessaria sequitur necessario ex istis præmissis, et illæ præmissæ sunt contingentes ; igitur conclusio necessaria sequitur necessario ex contingentibus, loquendo de *per se*, de conclusione, sicut loquitur Aristoteles in lib. Elenchorum, assignat hîc fallaciam accidentis ; *Omnis triangulus habet tres*, etc. *omnis triangulus est figura, igitur omnis figura habet tres*, etc. figura enim accidit triangulo secundum quod habet tres.

3. *Ad argumenta.* Ad primam rationem dicitur, quod illa probat, quod ex præmissis contingentibus secundum quod sunt contingentes non sequitur conclusio necessaria, et hoc concessum est.

Ad aliud patet per idem quod contingens sub ratione contingentis est medium inter necessarium et impossibile, et illo modo, sicut ex contingenti non sequitur impossibile, sic nec necessarium sequitur syllogistice. Verumtamen, quia ratione dispositionis terminorum (non ex eo quod est contingens) præmissæ sunt causæ conclusionis necessariæ, ideo ex illis, ut sic sequitur conclusio necessaria eo quod hæc sunt, non contingit autem reperire aliquam dispositionem terminorum, ut ex eo quod est contingens sequatur impossibile.

Ad aliud dicitur, quod effectus non excedit causam ; et ex hoc non sequitur necessarium, scilicet ex contingentibus secundum quod contingentia sunt, sequitur tamen necessario ex dispositione terminorum.

Ad aliud dicitur eodem modo sicut prius.

Ad rationem contra hoc, quæ probat, quod præmissæ contingentes ratione dispositionis terminorum inferunt *propter quid*, et *eo quod hæc sunt* conclusionem necessariam ; cum hoc stat tamen quod respiciendo ad contingentiam non inferunt conclusionem *propter quid*. Et eodem modo est dicendum de præmissis falsis respectu conclusionis veræ, similiter de impossibili respectu conclusionis necessariæ, etc.

QUÆSTIO XLII

Utrum accidens commune (cujusmodi est album) necessario prædicetur de subjecto, ut sic dicendo, Homo est albus, *vel* cygnus est albus

Aristot. *cap.* 6. *hujus text.* 15. Averroes et Paul. Ven. *in Com. text. Porphyr. cap. de Accid.* et recentiores omnes fere cum ipso *ibidem*.

Quod non videtur ; quia Aristoteles ponit, quod demonstratio est ex propositionibus per se, quia ex necessariis ; si igitur tales propositiones essent necessariæ, essent per se : consequens est falsum, quia album non est accidens proprium cygni, igitur de eo non dicitur per se. 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Hîc dicitur, quod non sequitur, est necessaria, igitur per se ; nisi ubi subjicitur quod natum est subjici ; hæc enim est necessaria, *Animal est homo*, et tamen non est per se. Sed cygnus non est proprium subjectum respectu albi, ideo hæc non est per se.

Contra illud ; si album necessario inest cygno, habet igitur in cygno suæ inhærentiæ causam necessariam. Sed quando in subjecto est causa respectu accidentis, tunc tale accidens per se inest subjecto, igitur hæc est per se, *Cygnus est albus*, si sit necessaria.

Item, si hæc esset necessaria, *Cygnus est albus* : tunc esset scibilis, sed hæc non est scibilis cum album non sit propria passio, sed accidens commune per Porphyrium.

Ad oppositum ; hæc est necessaria , *Socrates est quantus*, et tamen quantum est accidens commune ; igitur, etc. Quod sit necessaria probo ; quia conceptus quanti consequitur conceptum Socratis, Socrates 2. *Argumenta in oppositum.*

enim concipi non potest sine quanto, et quali; igitur est necessaria.

Item, accidens inseparabile inseparabiliter inest subjecto; igitur necessarium inest subjecto, tamen accidens inseparabile continetur sub accidente communi, quia accidens commune dividitur in accidens separabile, et inseparabile, sicut dicit Porphyrius; igitur accidens commune necessario inest subjecto.

Item, per Aristotelem in lib. Priorum, hæc est vera: *Cygnus est albus de necessitate*, et tamen album est accidens commune; igitur, etc. Antecedens patet per Aristotelem, quia Aristoteles in lib. Priorum ostendit, quod ex altera de contingenti ad utrumlibet, et ex altera de necessario non valet conclusio in secunda figura. Et hoc declarat per instantiam in terminis, *quia cum terminis sic dispositis*, etc. stat universalis negativa de necessario, in his terminis, *Contingit nullum hominem esse album, vel omnem: de necessitate omnis cygnus est albus*, et stat cum istis præmissis: quod de *necessitate nullus cygnus est homo.* Sed Aristoteles non instaret nisi præmissæ essent veræ. Posset enim aliquis dicere quod Aristoteles non instat si alia præmissarum esset vera, quia totum inconveniens, quod tunc sequitur, sequitur ex falsitate præmissæ: igitur hæc est vera, *De necessitate omnis cygnus est albus*, et ex intentione Aristotelis.

Hîc dicitur, quod Aristoteles intelligit hanc esse veram, non absolute, sed dum existit; album enim primo inest singularibus sub ratione existentiæ, et ideo non est necessaria absolute, nisi dum singularia existunt.

Contra hoc, tunc non esset necessaria absolute, *Socrates est risibilis*; risibile enim non inest Socrati, nisi sub ratione existentiæ. Si igitur album insit universaliter cygno, igitur aliquam causam habet in cygno ratione cujus inest cygno, et quando prædicatum in subjecto habet causam necessariam, necessario inest subjecto: igitur hæc est vera; *Omnis cygnus*, etc. Major patet, quia si album non haberet causam in cygno, non magis inesset cygno quam alicui alteri, ut corvo.

Ad quæstionem dicitur dupliciter. Una via est quod hæc est necessaria; *Omnis cygnus est albus*, sicut patet ex processu Aristotelis in lib. Priorum. Si dicitur, quod Aristoteles instat per illam, *Omnis cygnus de necessitate est albus*, non quia vera sit, sed per ipsam dat intelligere unam veram. 3. *Prima responsio ad quæst.*

Contra hoc est; quia si instantia debeat esse ex utrisque veris, ex majori contingenti, et minori de necessario; aut igitur accipitur medium in secunda figura accidentale, cujusmodi est *album*; aut accidens proprium, cujusmodi est *risibile*; aut aliquod prædicatum essentiale. Si accipitur terminus accidentalis pro medio cujusmodi est *albus*, habeo propositum, quod hæc sit vera, *Omnis cygnus est albus de necessitate*, vel Aristoteles non instat. Si accipitur terminus essentialis pro medio, sive accipitur proprium, tunc semper illa de contingenti accepta erit falsa; hæc enim est falsa, *Contingit omnem hominem esse animal*, sive *risibilem*: nullo igitur modo potest Aristoteles instare in terminis contra illam commixtionem, nisi ita sit quod prædicatum quod accipitur in secunda figura pro medio, sit terminus accidentalis sumptus a qualitatibus.

Intelligendum tamen est quod album non dicitur accidens ratione, quia nullum habeat subjectum proprium, sed pro tanto, quia ab extrinseco inducitur in subjecto. Si tamen inducitur a causa intrinseca, ut a complexione, sicut quidam volunt; sic est accidens proprium. Inest enim album tanquam propria passio alicui subjecto quod reperitur in cygno et nive; unde illi subjecto primo inest tanquam propria passio. Sed cygno, et nivi, non inest primo album, sed per se, licet non primo, et per hoc dicunt quod hæc est necessaria, *Cygnus est albus*, sicut per se, et etiam scibilis est; potest enim album concludi de cygno per illam causam, quæ communiter reperitur in cygno, et in nive.

4. Contra hanc viam arguitur sic per Porphyrium, quoniam album, et nigrum sunt accidentia communia, secundum quod accidens commune distinguitur contra proprium, sed accidens illo modo est, secundum quod potest abesse et adesse subjecto; igitur album non inest necessario subjecto.

4. Hic dicitur, quod Porphyrius intelligit quod album est accidens commune, secundum quod album inducitur ab extrinseco, id est, a qualitatibus, ut a calore et frigiditate, etc. sic albedo et nigredo resultat ex hujusmodi qualitatibus, secundum tamen quod inducitur ab intrinseco, a complexione, sic est accidens proprium.

Contra illud, *album* est qualitas secunda causata a primis, igitur tale accidens consequitur complexionem; sed complexio primo est individui, igitur album primo inest individuo. Sed accidens proprium primo inest Speciei, igitur album non est accidens proprium, licet inducatur ab intrinseco.

Hic dicitur quod album consequitur complexionem. Et cum dicitur, quod complexio est passio singularis, dicitur quod non; sed est alicujus materialis in hoc, et in illo. Unde album non inest singulari primo, sed alicui communi primo; sed non communi, quod est natura Speciei abstracta a conditionibus materialibus, sed inest cuidam quod est quodammodo species per attributionem, quia est quasi quoddam medium inter naturam communem, et individuam, et sic quodammodo species non vere.

Contra istud, *album* univocum est ad album inductum ab extrinseco, et ad album inductum ab intrinseco, sed album inductum ab extrinseco non est propria passio alicujus; igitur nec album inductum ab intrinseco.

Ad illud oportet dicere, quod non sunt totaliter unius rationis, ut comparatur ad causas, quia album causatum ab intrinseco naturale est subjecto, quia a natura propria causatur ab intrinseco; album vero inductum ab extrinseco est præter naturam subjecti.

Aliter dicitur ad quæstionem, quod accidentia communia, ut album et nigrum, non prædicantur necessario de subjecto; et hujus ratio est; quia subjectum absoluta ratione potest esse album, et non esse album; quia idem Socrates quoad intellectum, qui est albus ipso existente, adhuc ipso non existente, non est albus; et tamen manet intellectus idem Socrates, qui prius fuit, quia *esse*, *fuisse* et *fore*, accidit intellectui Socratis: igitur hæc est contingens, *Socrates est albus*, et eadem ratione, *Cygnus est albus*, quia talia accidentia non insunt subjectis, nisi secundum quod existunt; sed accidit existere subjectis, quia Socrates potest non existere, et per consequens Socrates, sive cygnus, potest esse albus, et non esse albus: tales igitur non sunt necessariæ; igitur non necessariæ, nisi dum subjecta existunt. 5. *Secunda responsio.*

Ad primam rationem in oppositum dicitur, quod Socrates, ut est per se suppositum hominis, intelligi potest sine quantitate; quia in intellectu Socratis non est quantitas. 6 *Ad argumenta in oppositum.*

Tu dices, accipio Socratem ut est *synolon* sic non potest intelligi nisi intelligatur quantus: igitur hæc est necessaria, *Socrates est quantus.*

Dicitur, quod talia accidentia communia non insunt subjectis ratione conceptuum, sed eis insunt dum existunt; et ideo neganda est hæc consequentia, *Synolon non potest intelligi sine quanto, igitur quantum de eo necessario prædicatur*, quia plus requiritur; requiritur enim, quod *synolon* actualiter sit ad hoc quod *quantum* de eo necessario prædicetur.

Ad aliud, quod accidentia dicuntur inseparabilia, non propter hoc quod conceptum subjecti necessario comitantur, sed dicuntur inseparabilia, quia subjecto manente non possunt separari; et sic album inseparabile est a nive; non quia album de necessitate consequatur nivem, sed quia nive existente non potest album separari.

Ad aliud sicut dicebatur.

Ad rationem contra hoc, quod non est si-

militer de *risibili*, et *albo*. Album enim primo naturam consequitur ut existit, et sic primo singulari inest. Sed risibile inest primo Speciei. Per hoc ad formam, quod risibile non consequitur Socratem sub ratione existentiæ, sed sub ratione naturæ speciei.

Ad ultimum, quod album in subjecto habet aliquam causam, ratione cujus necessario inest cygno, dum cygnus est, quia album consequitur talem complexionem. Sed quia illa causa non est intrinseca naturæ Speciei; sed illa causa pertinet ad individuum primo, ideo tale accidens non habet in subjecto causam necessariam absolute, sed solum pro aliquo tempore. Unde ad formam; accidens habens causam necessariam in natura Speciei primo, absolute necessario consequitur subjectum, sicut risibile hominem, sed accidens habens causam necessariam in individuo primo, non inest necessario, etc.

QUÆSTIO XLIII

Utrum Dialectica sit scientia communis

Aristot. *hic cap.* 12. *text.* 27. Averroes *ibidem*. Doctor *q.* 2. *Universal.* Tartar. *quæst.* 1. *Proœmial.* Joan. Anglicus et Brasav. *super quæst.* 2. *Univers. Doctoris.* Joan. de Magist. *quæst.* 9. *hujus.* Faber. *Theor.* 1. *cap.* 1.

1. *Argumenta pro parte negativa.*

Quod non videtur; scientia dicitur communis a communitate subjecti, sed subjectum Dialecticæ est Syllogismus, qui non est communis prædicatione ad subjecta aliarum scientiarum,

Item, scientia distinctionem et denominationem capit a fine, sed finis Dialecticæ non est communis, imo particularis; igitur, etc. Minor patet, quia finis Dialecticæ est opinio; opinio autem distinguitur contra scientiam, et per consequens est finis particularis.

Item, Metaphysica est scientia communis, igitur non Dialectica. Consequentia patet, quia si utraque esset communis ad omnes scientias, tunc sic duo essent æque communia in scientiis, Dialectica igitur non erit communis.

Item, Demonstrativa est communis ad omnes scientias, non igitur Dialectica.

Ad oppositum est Aristoteles.

2. *Conclusio.*

Ad quæstionem dicitur, quod Dialectica est scientia communis, sicut vult Aristoteles.

Scientia dicitur communis dupliciter.

Est tamen sciendum, quod *Scientia dicitur communis dupliciter.* Uno modo communitate subjecti. Alio modo communitate applicationis. Primo modo Metaphysica est scientia communis, quia considerat ens, quod est commune ad omnia subjecta omnium scientiarum. Secundo modo Dialectica est communis; Dialectica enim est de Syllogismo tanquam de subjecto. Sed Syllogismus est communis commmunitate applicationis; potest enim applicari ad subjectum cujuslibet scientiæ, quia quælibet scientia utitur Syllogismo. Et ideo dicit Aristoteles, quod Dialectica cum sit inquisitiva, ad omnium methodorum principia viam habet.

Vide quæst. 2. Universalium, num. 2.

3. *Ad argumenta.*

Ad primum argumentum, dicitur, quod scientia potest esse communis communitate applicationis, et tamen particularis particularitate finis. Et sic Dialectica est particularis in prædicando, tamen est communis communitate applicationis ad omnes scientias. Potest enim opinio in qualibet scientia causari per Syllogismum Dialecticum.

Ad aliud, quod Metaphysica est scientia communis communitate subjecti in prædicando. Sed Dialectica est scientia communis non communitate subjecti, sed applicationis, et ita diversimode est hæc communis et illa.

Ad aliud, quod æque Demonstrativa est scientia communis communitate applicationis. Sicut enim in qualibet scientia contingit arguere Dialectice ex probabilibus communibus, ita in qualibet scientia contingit arguere demonstrative ex propriis. Unde in hoc quod utraque applicatur omnibus, utraque est communis, applicatur tamen diversimode, et in hoc differunt, etc.

QUÆSTIO XLIV

Utrum in demonstratione possit esse deceptio

Aristot. *hic cap.* 18. *text.* 24. D. Thom. *hic sect.* 22. Vide Averroem *supra locum Philos. cit.*

1. *[Arg]umen[ta] [p]ro par[te] negati[va].* Quod non videtur; quia per Aristotelem sicut sensibilia sunt nota sensui, sic intelligibilia sunt nota intellectui : sed sensus non decipitur circa sensibilia, igitur nec intellectus circa principia intelligibilia, igitur, etc. Confirmatur ratio, quia dicit Aristoteles, circulus est figura, hîc potest esse deceptio : sed si describatur in pulvere, non est deceptio, sic enim manifestum est, quod circulus est figura, et poema Homeri non est circulus : eodem modo principia Demonstrationis de se sunt nota intellectui, igitur in illis non potest esse deceptio æquivocationis, nec aliqua alia in dictione est.

Item, quod in demonstratione non sit aliqua deceptio per fallaciam extra dictionem esse videtur ; quia si aliqua fallacia esset in Demonstrativis, esset fallacia Consequentis, quia fallacia Accidentis non potest in illis accidere, quia primum dicitur de medio per se, et medium de tertio per se. Nec accidit fallacia secundum quid, et simpliciter, quia Demonstratio est ex universalibus, et sic inducendo per alias. Si igitur accidit fallacia, erit fallacia Consequentis ; sed illa accidere non potest, quia fallacia Consequentis non est in terminis convertibilibus. Demonstratio est ex convertibilibus ; igitur in Demonstratione non ponitur Consequens.

Item, in illis circa quæ non contingit errare, non cadit deceptio, sed circa principia Demonstrationum non contingit errare (per Aristotelem in tertio Metaph.) igitur, etc.

Ad oppositum in Demonstrativis fiunt Syllogismi falsigraphi,et in illis est deceptio, igitur, etc.

Ad quæstionem dicitur,quod in Demonstrativis non est tanta deceptio, quanta est in Dialectica : aliqua tamen potest esse. Quod non tanta, patet per quatuor causas. Prima, quia in Demonstrativis arguitur ex universalibus, et ita excluditur Enthymema, et Inductio, et quælibet alia species Argumentationis. Similiter extraneantur omnes loci extrinseci, et hæc est una causa, quare in Demonstrativis minor est deceptio, quam in Dialecticis ; Dialecticus enim utitur omnibus istis modis arguendi. 2. *Conclusio.*

Alia est causa, quia Demonstratio est ex paucioribus, et certioribus, quam Syllogismus Dialecticus ; quia in Demonstrationibus non contingit augere media, nisi in latus, vel in post assumendo. Sed in Dialecticis contingit augere media istis modis, et multis aliis modis.Tertia causa est; propter hoc quod Demonstrationis principia sunt nota intellectui, sicut sensibilia sensui, et ideo minor est deceptio quam in Dialectica.

Quarta causa est ; quoniam in Demonstrativis facilior est resolutio in prima principia. Ex his omnibus sequitur quod in Demonstrativis scientiis minor est deceptio, quam in aliis, quia sicut Aristoteles recitat, senes ostendebant quod ignis generatur, in multiplicata analogia, quia enim hæc consequentia est bona, *Si aliquid generatur, multiplicata analogia cito generatur* ; ideo crediderunt senes, quod hæc consequentia esset bona, *Ignis cito generatur : igitur generatur multiplicata analogia*, hîc tamen incidit fallacia Consequentis.

Ad primum argumentum dicitur, quod principia Demonstrativa de se sunt nota intellectui, unde in illis secundum se non accidit deceptio, tamen ex alia circumstantia potest esse deceptio, ut forte ex hoc quod intellectus non est bene dispositus. 3. *Ad argumenta.*

Ad aliud dicitur, quod in Demonstratione potissima non accidit Consequens : tamen in Demonstratione non potissima potest accidere fallacia Accidentis, et Consequentis, ex ignorantia syllogizantis. Quia

enim in Demonstratione potissima arguitur ex convertibilibus, ideo ibi non est consequens; licet ibi arguatur e contra. Est tamen aliud vitium ut forte circulus. Sed in Demonstratione non potissima accipiuntur aliquando termini non convertibiles, et in talibus si arguatur e contra erit fallacia Consequentis; sed tamen in Demonstrativis secundum quod talia sunt, non est aliqua deceptio.

Ad aliud, quod licet circa principia primà non contingat errare, quæ sunt simpliciter prima : tamen circa specialia diversarum scientiarum contingit errare. Sicut enim dicit Aristoteles, *Quædam sunt principia quæ prima sunt in aliqua scientia, et tamen non oportet addiscentem illis consentire.* Unde supposito, quod circa principia non contingat errare, tamen in modo deducendi ex præmissis conclusionem, potest esse error in Demonstrativis; verumtamen minor est quam in Dialecticis, etc.

QUÆSTIO XLV

An hæc sit vera, Si affirmatio est causa affirmationis, et negatio negationis

Aristot. *hîc cap.* 14. *text.* 30. D. Thom. *hic lect.* 23. Tartaret. *hîc dub.* 1. Paulus Venet. *in locum Philosophi cit.*

1. Quod sit falsa videtur; quia ignis est causa caloris, et universaliter non ignis non est causa non caloris, quia Sol est non ignis; et tamen Sol est causa caloris.

Item, homo est causa animalis; et tamen sequitur, quod non homo sit causa non animalis; quia tunc sequitur, *Asinus est non homo, ergo asinus est non animal.*

Ad oppositum est Aristoteles.

2. *Conclusio. Causa duplex.* Ad quæstionem dicitur, quod duplex est causa; quædam præcisa, alia non præcisa. Loquendo de causa primo modo, tunc illa propositio est vera, si affirmatio, etc. ut patet in exemplo Aristotelis, *Si enim habere pulmonem est causa respirandi, tunc non habere pulmonem est causa non respirandi, quia habere pulmonem est causa respirationis.* in aliis causis non tenet.

Ad primum argumentum, quod sicut ignis est causa caloris in virtute sua, ita illud quod non habet virtutem ignis, non habet causam caloris. Omnia enim quæ sunt calida, sunt calida virtute primi calidi, quod est ignis. Vel potest dici, quod Sol non est causa præcisa caloris, quia Sol tanquam ignis causat calorem. Ad aliud, quod homo non est præcisa causa animalis, sed præcisa causa animalis est substantia animata sensibilis. 3. *Ad argumenta.*

QUÆSTIO XLVI

Utrum deficiente sensu, deficiat et scientia secundum illum sensum

Aristot. *hîc cap.* 15 *text.* 33 Averroes *in com. hujus text.* D. Thom. *hic lect.* 30. Paulus Venet. *hic in textu cit. Philosophi.* Tartaret. *in hoc cap. Dubio* 3. Joan. de Magist. *in* 1. *post. quæst.* 11.

Quod non videtur. Intellectus in quo est scientia est virtus superior quam sensus, et prior; sed prius non dependet a posteriori : ergo cognitio intellectiva non dependet a cognitione sensitiva ; ergo, etc. 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Item, intellectus intelligit se, et suam operationem, et etiam intentiones secundas : sed ista non cadunt sub sensum; ergo de his posset esse scientia deficiente sensu.

Hîc dicitur, quod licet ista non cadant sub sensum, tamen cadunt sub intellectum, nec oportet, quod sub sensum cadant; quia illa quæ intelliguntur directe intellectu cadunt sub sensum; sed quæ intelliguntur in intellectu reflexo non.

Contra, Aristoteles in lib. de Sensu, et Sensato, *Omnino non intelligimus, quod sensu non comprehendimus,* ergo si intentiones secundæ non cadunt sub sensum, ergo nec sub intellectum.

Item, intentiones secundæ intelliguntur per reflexionem; ergo intelliguntur posterius, quam res, scilicet primæ intentiones. Logica ergo quæ est de intentionibus se-

cundis, posterior erit in ordine scientiarum, quam scientia realis, ut Metaphysica, sive Physica, quod videtur falsum.

Item ad principale, cæci habent scientiam, et tamen deficit eis sensus; ergo non oportet quod deficiente sensu deficiat, etc.

Item, anima separata habet scientiam, tamen caret sensu; ergo, etc. Similiter substantiæ separatæ carent sensu; et tamen habent scientiam.

Ad oppositum est Aristoteles dicens, quod *deficiente sensu, deficiet et scientia*, ergo, etc.

2. ...clusio. Ad quæstionem dicitur, quod sic, sicut dicit Aristoteles, et hujus ratio est; quia *Scientia est cognitio acquisita per demonstrationem*, demonstratio est ex universalibus: ergo scientia non est sine cognitione universali. Sed cognitio universalis non est sine cognitione sensitiva; quia cognitio universalium est per inductionem, et inductio est singularium, quorum est sensus: ergo a primo, scientia non est sine cognitione sensitiva.

...llectus ...modo ...pendet ...nsibus. Intelligendum tamen est propter rationes, quod licet virtus intellectiva sit prior virtutibus sensitivis, tamen quodammodo dependet a virtutibus sensitivis. Omnes enim virtutes sensitivæ ordinatæ sunt ad intellectivam, prius enim apprehenditur species a sensibus exterioribus, et postea a sensu communi, tertio a phantasia, quarto ab intellectu, et ita intellectus in cognoscendo aliquo modo dependet a potentiis sensitivis, quia per illas defertur ad intellectum possibilem. Et loquor de intellectu secundum quod cognoscitur per species acquisitas, quia de intellectu separato est alia ratio.

Tu dicis, intellectus est virtus immaterialis: ergo nullo modo a potentiis sensibilibus dependet, cum sint materiales.

...us immaterialis ...st dici ...liciter. Dicitur, quod intellectus est virtus immaterialis pro tanto, quia non utitur organo corporeo in operando. Unde virtus immaterialis potest dici dupliciter. Uno modo, quia non est perfectio materiæ, et sic intellectus non est virtus immaterialis. Alio modo, quia non utitur organo corporeo in operando, et isto modo intellectus est virtus immaterialis; quia tamen est perfectio materiæ, ideo aliquo modo a potentiis sensitivis dependet. Ideo enim phrenetici non bene dijudicant, quia sensus est male dispositus; et ideo etiam intellectus ex consequenti. Similiter in dormiendo intellectus non judicat, et hoc quia sensus ligatur. Similiter quidam capti sunt mente, quidam inepti, et hujus causa non est secundum se, quia intellectus secundum se non est magis dispositus, nec minus, quia non suscipit magis, nec minus secundum se; sed causa est, quia in homine uno quam in alio est complexio melior. Dixit enim Aristoteles, quod *molles carne apti sunt.*

Ad argumenta. Ad primum argumentum sicut jam dictum est, quod intellectus a sensibilibus quodammodo dependet.

Aliquid potest esse prius alio dupliciter. Ad probationem dicitur, quod prius aliquid alio potest esse tripliciter. Uno modo generatione, et perfectione; sicut substantia præcedit accidens quantum est de se tempore, et natura. Alio modo perfectione, sed non generatione: sicut intellectus secundum se prior est sensu. Tertio modo generatione, sed non perfectione; sicut animal prius est homine. Tunc dico, quod prius est altero primo modo, ab altero non dependet; quod tamen secundo, vel tertio modo, ab altero dependet; et sic intellectus a sensu dependere potest.

Ad aliud sicut dicebatur.

Ad rationes contra hoc.

Ad primam dico, quod Aristoteles in lib. de Sensu, et Sensato, loquitur, et dicit, quod *Omnino non intelligimus de numero sensibilium, quod non prius cadit in sensum.*

Ad aliud, quod non sequitur quod Logica sit posterior scientia ordine doctrinæ, quam aliæ.

Operatio intellectus triplex. Ad probationem cum dicitur, res primæ intentionis primo intelliguntur, dicitur quod triplex est operatio intellectus. Una est intelligentia simplicium; alia est compositio, vel divisio; et quoad illas duas opera-

Vide Doct. in opere imperf. Proœm. 2.

tiones res primæ intentionis sunt notæ prius intellectui, quam secundæ. Tertia est operatio discursiva a præmissis ad conclusiones; et ille discursus est intentio secunda, et est actus rationis, per quem ducimur in cognitionem primarum, intentionum, et aliarum scientiarum; et ideo quoad hunc actum Logica est prior, et ita prior, inquantum ad doctrinam, quia per discursum doctrinamur.

Ad aliud dicitur, quod propositio intelligenda est de his, qui carent sensu a nativitate.

Ad aliud, quod anima separata cognoscit ea quæ cognoscit, absque discursu, et non per species acquisitas. Sed hæc propositio intelligenda est de his quæ acquiruntur per discursum, et eodem modo dicendum est ad ultimum, etc.

QUÆSTIO XLVII

Utrum unitas scientiæ sit ex unitate generis subjecti

Arist. *cap.* 21. *hujus. text.* 43. *et* 4. *Metaph. text.* 6, *et* 7. 6. *Metaph. text.* 1. Averroes *in Com. text. hujus loci cit.* Eusebius Cæsarien. *lib.* 11. *de præpar. Evang.* D. Thom. *lect.* 41. 42. 43. *et Opusc.* 76. *quæst.* 5. Doctor *quæst.* 3. *prolog. et* 3. *dist.* 21. *quæst. unic.* Suar. *disp.* 1. *Metaph.* Mirandul. *lib. de Evers. sing. Cert. sect.* 6. *et* 7. Aversa *quæst.* 27. *Log. sect.* 7. Compluten. *disp.* 19. *quæst.* 4. Denique de hac materia videndi sunt Theologi 1. *par. quæst.* 1. *art.* 3. *Metaph. lib.* 1. *et* 6. Logici *in hoc. cap. et in Proœmial.*

1. *Argumenta pro parte negativa.*

Quod non videtur; ens est subjectum cujuslibet scientiæ, et tamen scientiæ secundum se sunt plures, et diversæ; ergo, etc. Major patet; quia de non ente non est scientia. Hîc dicitur, quod ens sub eadem ratione non est subjectum cujuslibet scientiæ; quia ens rationis est subjectum Logicæ; et ens inquantum mobile, est subjectum naturalis scientiæ, et ens sub absoluta ratione est subjectum Metaphysicæ, et tamen non est idem subjectum cujuslibet scientiæ.

Contra, ratio mobilis est ratio entis, quia mobile est ens; consimiliter considerare ens sub ratione mobilis, est considerare ens sub quadam ratione entis; et per consequens Naturalis Scientia non differt a Metaphysica: sed solum variantur scientiæ per diversas rationes subjecti.

Item, si scientiæ varientur ex hoc, quod subjectum, sive ens variatur secundum diversas rationes solum, cum scientiæ secentur ut res, hoc est per eorum subjecta quæ sunt realia; sequitur quod scientiæ non diversificarentur, nisi secundum rationem, et non realiter, quod est inconveniens.

Item, ad principale; Metaphysica est una scientia, et tamen est de pluribus; est enim de Substantia, Quantitate, et sic de aliis.

Hîc dicitur quod Metaphysica est de pluribus entibus, est tamen unde unico subjecto; quia omnia entia habent attributionem ad Substantiam, et sic Metaphysica est de uno subjecto, quod est unum unitate attributionis; et hoc sufficit per Aristotelem 4. Metaphysicæ.

Contra: decem sunt Genera prima; cum ergo sint prima, nullam habet attributionem ad alterum; quia si sic, esset aliquid prius primis; ergo non est dicere quod Metaphys. est de decem Generibus, per attributionem ad Substantiam.

Item, Quantitas secundum illud quod est, est ens absolutum, sed Metaphysica est de Quantitate secundum illud quod est, ergo Metaphysica est de Quantitate secundum quod est ens absolutum; et per consequens non per attributionem ad Substantiam. Major patet, quia si Quantitas secundum illud quod est, esset comparatum, tunc esset Quantitas Ad aliquid, quod non est verum.

Ad oppositum est Aristoteles, dicens quod *unitas scientiæ est ex unitate generis subjecti.*

Ad quæstionem dicitur quod sic; cujus ratio est, quia sicut se habet potentia ad subjectum, ita scientia ad subjectum; sed unitas potentiæ est ex unitate subjecti, si- 2. *Conclus*

cut unitas potentiæ visivæ est ex unitate coloris, potentia enim distinguitur per subjecta, per Aristotelem 2. de Anima ; ergo unitas scientiæ est ex unitate generis subjecti.

unita- scien- quid ritur. q. 2. princ. 6. Intelligendum tamen quod non oportet ad unitatem scientiæ, genus subjectum esse unum unitate prædicationis ad omnia quæ continentur in scientia : sed sufficit quod sit unum secundum analogiam, sicut ens est subjectum potentiæ intellectivæ ; ita quod primum ens, quod est Substantia, est subjectum intellectus, et omnia alia entia per attributionem ad Substantiam, ita de ente quod est substantia est primo Metaphysica, et omnibus aliis entibus secundum quod habent attributionem ad Substantiam, et ita sequitur quod non oportet genus subjectum esse prædicabile de omnibus, quæ determinantur in scientia : sed sic commune, quod omnia in illa scientia habeant attributionem ad ipsum. Et conveniens exemplum ponit Linconiensis. Sicut enim est de arbore quod ejus sunt radices, quæ sunt ejus principium, sic etiam ejus sunt rami existentes ab arbore, et ab uno exeunt alii rami, quousque fiat multitudo ramorum ; ita est in subjecto scientiæ, quod ejus sunt principium, et ab ipso egrediuntur passiones, quæ de ipso sciuntur per principium. Id manifestum patet in Geometria ; ubi prior conclusio est principium conclusionis subsequentis, et sic fit una conclusio, et ab illa conclusione fiunt aliæ, et sic quousque fiat integritas scientiæ, omnia illa habent attributionem ad genus subjectum.

Ad primum argumentum, sicut dicebatur.

3. argu- a. Ad rationem contra hoc ; conceditur quod ratio mobilis est quædam ratio entis, quia nihil est quod possit subterfugere rationem entis ; verum ratio entis, sub qua consequitur ens, quod est genus in Metaphysica, et ratio illa entis quæ est ratio entis mobilis, quasi æquivoce sunt rationes entis, et ideo per illam rationem entis sufficienter diversificatur scientia Naturalis a Metaphysica.

Ad aliud dicitur, quod non sequitur scientiam diversificari solum secundum rationes ; quia illæ diversæ rationes entis, per quas diversificatur scientia, non sunt diversimode solum secundum considerationem intellectus, sed in re ; hæc ratio non est illa, modus enim essendi inquantum mobile, non est modus essendi absolute, inquantum est quid in se. Ad aliud principale sicut dicebatur.

Ad primum contra hoc dicitur, quod licet Quantitas sit primum in suo genere, ita quod in illo genere non habeat aliquid prius, nihil tamen prohibet ipsum reduci ad aliquod prius alterius generis. Unde cum dicitur, quod tunc esset aliquid prius primo, dicendum, quod hoc non est inconveniens in diverso genere : Substantia enim est primum ens, ad quod omnia entia, sive omnia genera accidentium reduci habent.

Ad aliud dicitur, quod non sequitur Quantitatem esse Ad aliquid, licet attributionem habeat ad Substantiam, non enim quælibet attributio, sive comparatio facit Ad aliquid, sed solum comparatio ad terminum. Sed tamen comparatio ad subjectum non facit aliquod ens Ad aliquid. Per hoc ad formam dicitur, quod hæc major, Quantitas secundum illud quod est, est ens absolutum, vera est, distinguendo absolutum contra comparatum ad terminum relationis; verumtamen ipsum est comparatum ad subjectum, quia accidens secundum illud quod est, substantiæ est; accidens enim non est ens, nisi quia entis.

QUÆSTIONUM LIBRI PRIMI POSTERIORUM FINIS.

F. JOANNIS
DUNS SCOTI
DOCTORIS SUBTILIS
IN LIBRUM SECUNDUM POSTERIORUM ANALYTICORUM
ARISTOTELIS QUÆSTIONES

QUÆSTIO I
Utrum quæstiones sint æquales numero scientiis

Aristot. *hic cap.* 1. *text.* 1. *et* 1. *Top. cap.* 7. *et* 8. Averroes *ibid.* D Thom. *hic lect.* 1. Tartaret, *quæst.* 1. *hujus.* Paul. Ven. *in cap. et text. cit. hujus.*

Quæritur, de veritate hujus, *Quæstiones vere scibiles, sunt æquales numero iis quæ vere scimus.* Quod sit falsa, videtur, quia de contingentibus, et corruptibilibus fiunt quæstiones, et tamen non sunt vere scita ; quia de contingentibus non est scientia ; ergo, etc.

Hîc dicit Linconiensis, quod quæstiones in generali sunt æquales numero his, quæ vere scimus in generali, tamen in speciali non sunt æquales his, quæcumque vere scimus in speciali.

Contra ; æquales genere, et numero, distinguuntur contra se invicem ; sicut idem genere, et idem numero. Dicere ergo quod quæstiones numero sunt æquales his, quæcumque vere scimus ; et dicere quod illæ quæstiones sunt æquales genere, non videtur conveniens expositio. Exponitur enim unum membrum per alterum.

Item ad principale ; quæstiones sunt infinitæ, et conclusiones scitæ sunt finitæ, sed quod infinita non sunt æqualia finitis, quia ibi non est certitudo ; ergo, etc.

Item, illud quod quæritur, est dubium : quia per Boetium, *Quæstio est dubitabilis propositio* ; sed illud quod scitur est certum ; ergo, etc. Item, scientia pertinet ad demonstratorem : sed ad demonstratorem non pertinet interrogatio, nec quæstio ; non enim interrogat, sed sumit *quid* per Aristotelem.

Hîc dicitur quod ad demonstratorem non pertinet interrogare de præmissis ; et hoc intendit Aristoteles. Ad eum tamen pertinet interrogare de conclusione, et ad conclusionem pertinet scientia, et ita ad idem pertinet interrogatio et scientia.

Contra hoc, si demonstrator interroget de conclusione, tunc contingit addiscentem non credere ; quia per Aristotelem conclusio per hoc a positione, et suppositione differt, quia non oportet addiscentem assentire illi de quo fit quæstio, sed hæsitare potest de una parte, et de opposito ; et ita non oportet addiscentem credere, quod est contra Aristotelem.

Ad oppositum est Aristoteles.

Ad quæstionem dicitur, quod quæstiones 2.
sunt æquales numero, etc. Hujus ratio est; *Conclusio.* quia propositio scibilis non est per se nota in veritate, nec in falsitate ; quia *Propositio scibilis est illa cujus scientia acquiritur de novo per causam* ; *Propositio scibilis.* sed talis non est per se nota in veritate, quia si sic, ejus scientia non acquireretur de novo, nec per se nota in falsitate, quia de non ente non est scientia ; propositio ergo scibilis non est per se nota, nec est simpliciter ignota, sicut im-

possibilia, de quibus non potest esse scientia; ergo propositio scibilis talis est, de qua scientia acquiri potest post dubitationem, ita quod ipsa prius sit dubitata, et postea per principia nota fiat scita; ergo, etc.

Intelligendum tamen est, quod propositio scibilis non est quæribilis tali modo, quod ab eodem sit scita, et dubitata; quia sic simul esset nota, et certa respectu ejusdem. Sed ipsa est prius dubitata ab addiscente, et postea per principia nota per se debite applicata, ipsa fit certa, et eadem quæstio, quæ est scita ab uno, et est dubitabilis ab alio, et hoc non est inconveniens.

3. *Ad argumenta.* Ad primum sicut dicebatur. Ad rationem contra hoc dicitur, quod istæ determinationes, *genere*, et *numero*, non referuntur ad idem, sed hæc determinatio *in generali*, referenda est ad conclusiones; hæc determinatio *numero*, referenda est ad æqualitatem; et ita patet quod intellectus est iste: *Quæstiones acceptæ in generali, sunt æquales numero his, quæ vere scimus in generali*; et sic est propositio vera.

Ad secundum principale dico, quod propositiones numero infinitæ sunt; et sic de illis non intendit Aristoteles, sed solum de quæstionibus in genere. Similiter intelligendum quod contingentium, ut contingentia sunt, proprie non est quæstio, sicut nec eorum est scientia; quia omnis quæstio est quæstio medii, sive causæ, sed contingentia, ut talia sunt, non habent causam eorum, tamen de his quæ sunt contingentia quæstiones fiunt, ut quare vadis Romam? Respondetur, ut recuperem sanitatem. De isto contingenti fit quæstio, propter hoc quod habet quamdam causam ordinatam, quæ est intenta a vadente; et isto modo contingens quæri potest, et etiam sciri per talem causam; sed talis scientia non pertinet ad demonstrationem.

Ad aliud dico quod illud quod quæritur, dubium est, quantum est de se. Cum hoc tamen stat quod æquales sunt quæstiones his quæ vere scimus; quia eædem numero propositiones quæ prius fuerunt dubiæ, posterius fiunt certæ per propositiones notas.

Ad aliud sicut dicebatur.

Ad illud contra hoc; dico quod non oportet addiscentem credere conclusionem, antequam per demonstrationes per se concludant, sed præmissas credere debet, quia sunt per se notæ, vel quando ex præmissis determinato modo applicatis infertur conclusio, tunc addiscens credit conclusionem, sed prius non oportet, nec intendit Aristoteles.

QUÆSTIO II

An Si est *sit quæstio*

Aristot. *loco cit. hujus.* Averroës, D. Thom. et Paulus Venetus *ibid.* Tartaret. *supra.* Joan. de Magistr. *quæst.* 1. *hujus, dub.* 1.

Quod non videtur; omnis quæstio aliquid præsupponit; sed quæstio *si est*, nihil præsupponit; ergo *si est*, non est quæstio. Probo minorem. Si, *si est* aliquid præsupponit, tunc præsupponeret *quid est*. Sed *quid est* non præsupponitur, quia præsupponit *si est*, ergo non præsupponitur a *si est*. 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Item, illud quod præcognoscitur ante demonstrationem, non est quæribile; quia omne quæribile est scibile. Sed *si est* præsupponitur ante demonstrationem, quia de subjecto præcognoscitur *si est*, et *quid est*.

Item, si *esse* quæritur de aliquo; quæro an quæratur idem de seipso, an aliud de alio; si idem de seipso, tunc non est quæstio, quia per Aristotelem, *Quærens quare homo est homo, nihil est quærere.* Si quæritur aliud de alio; tunc quæstio talis non est simplex, sed composita; quia *Quæstio simplex est, quando illud, quod quæritur non est alterius essentiæ*, sicut dicit Linconiensis.

Item, si hic quæritur aliud de alio; tunc *esse* posset demonstrari, quia *esse* haberet in subjecto causam quare inseparabiliter ei inest, et est secundum se aliud ab eo cujus est, ergo est demonstrabile.

Ad oppositum est Aristoteles.

2. *…clusio.* Ad quæstionem dicitur, quod *si est* quæstio est; quod patet ex intentione Aristotelis, dicit enim quod *si est*, est quæstio simplex, ex hoc sequitur quod *si est*, est quæstio simplex, et est quæstio simplex, sicut dicit Thomas propter hoc, quia non prædicatur *esse tertium*; sed secundum Linconiensem dicitur quæstio simplex, quia ratio formæ, et ratio rei subjectæ, et ratio, et forma rei prædicatæ non sunt duæ, sed una; et quæstio composita est cum forma, et ratio rei subjectæ prædicati sunt duæ, sicut hîc, cum quæritur, *An homo sit risibilis*.

…l quæs- …em tria …uirun- … Intelligendum tamen est, quod *ad quæstionem tria requiruntur*, et ista sufficiunt. Primum est, quod id de quo quæritur, sit dubitabile quantum est de se. Secundum est, quod quæribile aliquid præsupponat. Tertium est, quod ipsum habeat medium per quod demonstrari possit. Istæ tres conditiones includuntur in hac quæstione *si est*; quia *esse*, quantum est de se, dubium est, quia contingit scire quid significatur per hirco-cervum, et tamen dubitare *an sit*. Similiter *si est* præsupponit *quid est*, non *quid est simpliciter*, scilicet *quid est rei*, sed *quid est* quod significatur per nomen; similiter *si est* habet medium per quod possit demonstrari.

…plex est … Juxta quod est intelligendum, quod *duplex est esse*, quoddam est esse subjecti, et aliud esse passionis. Esse subjecti non habet medium, etc. nec est demonstrabile, quia de subjecto præcognoscitur *quid est*, et *quia est*, ante omnem demonstrationem. Esse autem passionis est demonstrabile; quia esse passionis est inesse, et inesse passionis subjecto demonstratur, et per definitionem subjecti tanquam per medium, et etiam per definitionem passionis; ergo *si est* est quæstio, cum habeat conditiones requisitas ad quæstionem.

3. *…l argu- …ta.* Ad primum argumentum dico, quod quæstio *si est* aliquid præsupponit. Non præsupponit tamen *quid est rei*, sed *quid est* quod significatur per nomen; *quid* enim *rei* præsupponit *si est*, ut argutum est, et ideo a *si est* non præsupponitur.

Ad aliud patet per dicta in positione, quia de subjecto præcognoscitur *si est*, et *quid est*, et ideo de subjecto non potest quæri. Esse tamen passionis potest esse quæribile.

Ad aliud dicitur, quod esse quæritur de eo cujus est, non sicut totaliter idem sibi, nec sicut totaliter diversum. Sed quæritur tanquam aliquid reducibile ad genus illius cujus est; ut si sit esse substantiæ, ad Substantiam; si quantitatis, ad Quantitatem, et sic de cæteris generibus; ita quod non prædicatur esse quod est alterius generis, et est quæstio simplex. Et prædicatur esse secundum adjacens, quod esse, sicut dicit Thomas, est reducibile ad genus illius cujus est esse.

Ad aliud patet, quod hîc non quæritur totaliter aliud; unde non est demonstrabile de eo cujus est, quia esse in subjecto præsupponit esse; et ideo esse subjecti demonstrari non potest, nec illud quæritur proprie. Si tamen quæritur, hoc non est ut fiat notum per demonstrationem, sed ut aliqua alia via notificetur; sed esse passionis quæritur, et idem demonstratur.

Videtur tamen Linconiensis aliter dicere, quod esse cujuslibet alterius a prima causa demonstrari potest de eo cujus est, excepta Substantia, quod est generalissimum; ipsa enim Substantia non habet definitionem, quia non habet genus superius; et ideo de Substantia quæ est generalissimum non demonstratur esse, nec de prima causa, eadem ratione; quia prima causa non est in genere, quia ejus esse est ejus essentia, et sic esse subjecti, et esse passionis quæribile est, et etiam scibile, exceptis his, quæ dicta sunt.

Ad rationem dico, quod esse simpliciter subjecti demonstratur per definitionem subjecti de subjecto, tamen esse subjecti incomplete ante demonstrationem præcognoscitur, et præsupponitur. Tunc enim præcognoscitur esse subjecti incomplete, quando ipsum cognoscitur per aliqua accidentia, sive per descriptionem; et tale esse præcognoscitur antequam cognoscatur *quid*

rei. Et cum hoc convenit Aristoteles 7. Metaph. et primo de Anima, et secundo hujus. Dicit enim quod *Accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendum quod quid rei*; esse tamen complete subjecti per definitionem subjecti acquiritur, et sic patet quod alio modo esse præcognoscitur, et præsupponitur, et alio modo quæritur. Sic ergo patet per ipsum, quia quando quæritur, *An hoc est*, non quæritur aliqua forma de alia, et ideo est quæstio simplex,nec totaliter idem ut dictum est, quia tunc non esset quæstio.

QUÆSTIO III

An quid est *sit quæstio*

Vide Auctores cit. *duabus quæst. præcedent.*

1. *Argumenta pro parte negativa.* Quod non videtur, quia omne quod quæritur, est scibile per *quid est*, quia illud quod scitur, scitur per definitionem indicantem *quid est*, et illud quod quæritur etiam scitur. Sed *quid est* non scitur per medium quod est *quod quid est*,quia eadem ratione illud *quod quid est*, sciretur per aliud *quod quid est*, et sic esset processus in infinitum.

Item, esse quæribile est scibile, *quid* non est scibile, ergo nec quæribile. Probo minorem : si *quid* esset scibile, sciretur per causam; sed nihil est intimius rei quam suum *quod quid est*, ergo *quod quid est* non habet causam intrinsecam per quam possit sciri.

Hîc dicitur, quod aliud est *quod quid est* subjecti, et aliud *quod quid est* passionis. *Quod quid est* subjecti quæri non potest, quia nec sciri; quia de subjecto præcognoscitur *quid est*, et *si est* per Aristotelem. *Quid* tamen passionis quæritur, et illud scitur per definitionem subjecti.

Contra istud. Primo ostendo quod *quid est* subjecti quæri potest, et etiam sciri, quia contingit aliquem cognoscere esse,et dubitare de principiis indicantibus *quid*,et postea contingit cognoscere principia indicantia *quid*, sicut puer cognoscit bovem esse, et tamen principia bovis essentialia ignorat; et postea principia indicantia *quid* cognoscit, sed illud quod est primo ignotum, et postea notum, est quæribile, et etiam scibile; ergo *quid est* subjecti, est quæribile, et etiam scibile; quia tunc *quid* subjecti sic notum per *quid* notius; ergo scibile est.

Item,quod *quid* passionis non possit sciri videtur, quia per Aristotelem, *quod quid est* non potest demonstrari, quia sic fieret petitio principii; ergo *quod quid* passionis demonstrari non potest, 2.

Item, omnis quæstio est quæstio medii; sive causæ, per Aristotelem. Sed *quod quid* non est quæstio medii,quia ipsius *quid* non est medium, sive causa; ergo *quid est* non est quæstio.

Item, *quid est* præsupponit *si est*, ut est quæstio; sed *quid est* idem est quod essentia, vel ipsam præsupponit,quia tunc nulla rosa existente non posset cognosci quid est rosa; ergo *quid est* non est quæstio,ut *quid* veram essentiam rei notificat.

Item, quæstio differt a suppositione, et petitione in hoc, quod in quæstione non oportet addiscentem consentire parti opponentis quam intendit opponens; sed potest esse contrariæ opinionis; sed in eo *quod quid est*, non possunt opponens, et respondens esse contrariæ opinionis, ergo *quid est* non est quæstio. Minor patet; quia quæstio *quid est* non est quæstio Dialectica; ergo in quæstione *quid est*, non possunt esse opiniones contrariæ, sed tantum erit una pars sustinenda.

Item, si *quid est* esset quæstio, idem esset dubitabile et præsuppositum; consequens est falsum; ergo et antecedens. Probatio consequentiæ; quia *quid est* præsupponit *si est*, si igitur dicis,quod *quid est* est quæstio, tunc *quid est* præsupponitur a *si est*; quia esse, vel est essentia, vel immediate consequens quidditatem, sed quod sequitur quidditatem, ipsam præsupponit, ergo esse præsupponit quidditatem.Si ergo

dicas, quod *quid est* sit quæstio, idem erit dubitatum et præsuppositum.

3\. Hîc dicitur, quod non sequitur; quia est aliud *quid est,* quod est dubitatum, et quod est præsuppositum a *si est*; quia *quid est verum* est dubitatum, sed *quid est verum* non præsupponitur a *si est. Si est* enim solum præsupponit *quid est,* quod significatur per nomen, et ita aliud præsupponitur, et aliud quæritur.

Contra. Illud non solvit, quia esse, vel est quidditas, vel immediate consequitur quidditatem veram; ergo esse præsupponit quidditatem veram, et non solum præsupponit quod significatur per nomen.

Item, esse distinctum consequitur esse distinctum; ergo esse præsupponit entitatem distinctam, et hoc non est quidditatis significatæ per nomen tantum, sed *quid rei,* ergo præsupponit veram quidditatem rei; ergo *si est* præsupponit *quid est.*

Aliter dicit Linconiensis quod *quid est* præsupponit *si est* cognitum per accidentia. *Quid est* tamen præsupponitur a *si est,* secundum quod *quid est* cognoscitur per principia essentialia; unde esse dupliciter cognoscitur. Uno modo per accidentia. Alio modo per principia essentialia. Unde per hoc ad formam argumenti dici potest, quod *quid est* dubitatur secundum quod præsupponit esse cognitum per principia accidentalia, et ipsum est præsuppositum ab esse complete cognito per principia essentialia, et quod idem sit præsuppositum, et dubitatum non est inconveniens.

...se dupliciter ...nosci-

Contra, si esse cognitum complete præsupponit *quid est,* tunc esse per *quid est* potest demonstrari de eo cujus est; sed hoc est falsum per Aristotelem, quia de subjecto præcognoscitur *quid est,* et *si est,* et quod præcognoscitur ante demonstrationem, demonstrari non potest.

Ad oppositum est Aristoteles.

4\. *...clusio.* Ad quæstionem dicitur, quod *quid est* est quæstio, sicut dicit Linconiensis, et hoc ideo est, quia *quid* dubitari potest, et quia ejus cognitio acquiri potest; (docet enim Aristoteles venari *quod quid est*;) ergo, etc. Dicunt quidam, quod *quid est* subjecti non quæritur, quia de subjecto tanquam de fundamento in demonstratione præcognoscitur *quid est,* et *si est,* ut dicit Aristoteles; *quid est* tantum passionis quæri potest, et ipsum potest sciri de subjecto per definitionem subjecti.

Quid contractum sub ratione qua quid non quæritur.

Intelligendum tamen est, quod *quid est* contractum sub ratione qua est *quid,* sic non quæritur; ita quod sub illa ratione sciatur tanquam conclusum in demonstratione, quia sic esset petitio principii, ut dicit Aristoteles, *quid est* tantum quæritur, ut per aliquam aliam viam fiat notum, ut per viam divisivam, sicut docet Aristoteles, et innotescit tanquam medium, non tamen tanquam conclusio in demonstratione, illud tamen quod est *quid* non acceptum sub illa ratione ut *quid,* sed materiale, potest demonstrari per *quid* formale, ita quod hoc demonstratur inesse illi cujus est, sed non sub ratione qua est *quid.*

5\. *Ad argumenta.*

Ad primum argumentum dico quod *quid* sub ratione qua est *quid* non quæritur per medium, nec demonstratur; quia sic esset processus in infinitum.

Ad aliud dico, quod *quid* subjecti non requiritur, nec scitur per demonstrationem sub ea ratione qua est *quid.*

Rationes quæ probant quod *quid est* potest demonstrari, postea solventur.

Ad aliud principale; dicitur quod omnis quæstio est quæstio medii, non ita quod ipsum demonstretur per medium; dictum enim est, quod *quid est,* sub ratione qua *quid est* quæritur, non ita quod ipsum sciatur per demonstrationem tanquam conclusio sed aliqua alia via, ut dictum est in positione.

Ad aliud dico, quod *quid est,* ut est vera quidditas rei, præsupponit *si est,* sed non esse actuale distinctum contra *fuisse,* vel *fore,* sicut argutum est, sed præsupponit esse aliud, sicut postea videbitur. Ad aliud dicit Linconiensis.

Ad rationes contra hoc dicitur secundum sententiam ejus; quod *quid est* potest de-

monstrari de subjecto per aliud quod *quid est*, quia potest dubitari, si continetur sub alia specie.

Ad auctoritatem Aristotelis dicitur quod de subjecto præcognoscitur *quid est*, et *si est*, non complete, sed præcognoscitur esse notum per principia accidentalia ; et esse isto modo non demonstratur esse, sed demonstratur esse notum per principia accidentalia secundum ipsum.

Aliter dicitur, quod *quid est* præsupponit esse confusum,sed ipsum *quid* præsupponit esse distinctum.Et ita aliud esse præsupponitur, et aliud esse consequitur, licet illud forte sit idem cum priori.

QUÆSTIO IV

Utrum esse existere sit de essentia

D. Thom. *de Ente et essen. c.* 5. *et ibid.* Cajet. *q.* 11. *et secundo contra Gentes c.* 52. Ferrar. *ibid.* Ægid. 2. *d.* 3. D. Bonav. *ibid. art.* 1. *quæst.* 1. Capreol. 1. *d.* 8. *quæst.* 1. *art.* 2. Henric. *quodl.* 1. *q.* 2. Durand. 1. *dist.* 8. *q.* 2. Gregor. *q.* 3, *art.* 1. Suar. *tom.* 2. *Met. disput.* 31. Meuris *lib.* 1. *Met. q.* 21. Vide Doct. 3. *d.* 6. *q.* 1. *Bassol. ibid.*

1. *Argumenta pro parte negativa.* Quod sic videtur. Auctor de causis dicit, quod prima rerum causatarum est esse : sed quod est primum in rebus causatis esse essentia.

Item, Commentator dicit, quod hoc est problema de genere, *Homo est*, sed genus est de essentia illius cujus est, ergo, etc.

Item, ratio Commentatoris est ad hoc, *Homo est*, aut ergo per se,aut per additum: si per se, habetur propositum ; si per additum, quæro de illo addito, illud additum est, aut ergo per se, aut per additum. Si per se, eadem ratione fuit standum in primo : si per additum, sic erit processus in infinitum.

Hîc dicitur, quod homo est per additionem, et illud additum est per se,et non eadem ratione standum est in primo, sicut in simili patet. Homo disgregat per albedinem, et albedo disgregat per se, et non est eadem ratione standum in primo.

Contra, si illud additum sit per se, ergo esse est de essentia illius additi ; et sic haberem propositum, quod esse est de essentia illius cujus est.

Item, quæro de illo addito ; aut est essentialiter ipsum esse,aut participans esse. Si sit ipsum esse ; tunc homo est per se, quia non per medium : si sit participans esse, cum omne participans esse sit compositum distinctum numero contra alterum, sequitur quod homo est aliud compositum distinctum numero ab homine : sed hoc est impossibile, quia homo non est per entitatem alterius compositum numero : sicut Socrates non est albus per albedinem Platonis.

Aliter dicitur ad rationem, quod homo est per additum. Et cum dicitur, quod illud additum est, dicitur quod non ; quia illud additum non est, sed est illud quo aliquid aliud est, sicut forma non est, sed est principium essendi compositum. 2.

Contra, illud additum non potest esse pure nihil ; quia tunc homo esset pure nihil : ergo illud additum aliquo modo est ens, et quoties dicitur ens, toties dicitur esse, per Aristotelem ; ergo illud additum est.

Item, *quantum* denominative prædicatur de re proprii generis, bene enim dicitur, *Linea est quanta*, ergo eadem ratione esse potest prædicari de quocumque, quod aliquo modo est ens ; ergo idem additum quo homo est, licet non sit entitate compositi, tamen aliquo modo est, sicut forma est entitate principii.

Item, ad principale ; *Ens est de cujuslibet essentia*,per Aristotelem,et ens et esse idem significant ; ergo esse est de essentia cujuslibet.

Hîc dicitur,quod *ens* est duplex ; ens Nomen, et ens Participium. *Ens* Nomen est de essentia cujuslibet,sed *ens* Participium non. Primo modo non est verum quod *ens* et *esse* significant idem, sed bene secundo modo. *Ens duplex.*

Contra illud ; *ens* Nomen, et *ens* Participium significant idem, licet differant in modo significandi ; sed *ens* Participium et *esse* idem significant, ut concessum est ;

ergo *ens* Nomen et *esse* idem significant.

3. Hîc dicitur, quod *ens* Nomen et *ens* Participium significant sub distincto modo, et ille modus facit, quod *ens*, et *esse* significent idem, ut *ens* est Participium ; quia utrumque significat rem, ut mensuratam tempore ; tamen *ens* Nomen et *esse* non significant idem, quia *ens* Nomen non significat rem, ut tempore mensuratam. Sed *ens* Participium et *esse* significant, ut mensuratam tempore ; et ideo non sunt de essentia.

Contra illud : si *ens* Participium non sit de essentia, quia mensuratur tempore; tunc non esset hæc necessaria, *Homo est ens animal* ; quia hîc ponitur *ens animal*, ut tempore mensuratur de homine, et ut sic non est de essentia per te.

Item, ad principale ; generatio terminatur ad substantiam solum, tanquam ad per se terminum: et generatio per se terminatur ad esse, et esse est substantia rei.

Hîc dicitur, quod generatio non terminatur ad esse, sed ad substantiam sub *esse*.

Contra illud : *Generatio est a non esse ad esse*, per Aristotelem, ergo generatio per se terminatur ad esse.

Item, si generatio terminetur ad substantiam sub *esse*, et per te esse est aliud ab essentia : ergo generatio terminatur ad ens per accidens : ergo ens per accidens per se generatur, quod est impossibile.

Item ad principale ; si esse non sit essentia rei, tunc cum esse sit in essentia, essentia erit in potentia respectu cujuslibet quod est in ea, quod est alterum a sua essentia : sed consequens est falsum ; ergo et antecedens. Falsitas consequentis patet ; quia si essentia sit in potentia ad esse, aut ergo in potentia activa, vel passiva. Si activa, tunc essentia haberet esse antequam esset, quia quod est in potentia activa respectu alterius, esse habet respectu illius. Si in potentia passiva : tunc essentia manens posset esse et non esse, quia potentia passiva est potentia contradictionis.

Item, si esse sit aliud ab essentia, cum immediate consequatur essentiam : ergo esse de essentia potest demonstrari, consequens est falsum : ergo et antecedens. Consequentis falsitas patet, quia in demonstratione præsupponitur *quid est*, et *si est*, et quod præsupponitur non demonstratur, ergo esse non demonstratur, quia prædicatum est de per se intellectu subjecti.

Ad oppositum, si esse esset de essentia rei, hæc esset necessaria, *homo est* ; consequens est falsum : ergo et antecedens.

Item, si sic, tunc intelligens te non esse, vel hominem non esse, intelligeret incompossibilia.

Item, essentia abstrahit ab *esse*, *fuisse*, et *fore* : ergo esse de essentia non est, quia illud a quo aliquid abstrahit non est de ejus essentia.

Ad quæstionem dicitur, quod esse existere non est de essentia, quia de illo esse est dubitatio. Sed de esse essentiæ non est dubitatio. Ratio hujus est ista, illud quod potest intelligi sine altero, non includit illud in sua essentia, essentia potest intelligi non intelligendo esse, ergo, etc. Hæc patet similiter, quia essentia abstrahitur ab *esse*, *fuisse*, et *fore* ; sicut ergo *fuisse*, et *fore* non sunt de essentia, ita nec *esse*. *4. Concluiso.*

Intelligendum tamen est propter rationes, quod esse existere non consequitur essentiam primo, sed primo consequitur individuum. Individuum enim per se, et primo existit : essentia non nisi per accidens. *Esse existere primo consequitur individuum, non essentiam.*

Ad primum argumentum dico ; quod auctor de Causis intelligit per se actum primum, et non existere. Unde intellectus est, quod prima rerum creatarum est esse, hoc est, prima rerum creatarum est actus, sicut patet de intellectu, et non loquitur hîc de esse, quod est existere. *5. Ad argumenta.*

Ad aliam auctoritatem, quod Commentator intendit, quod hoc est prædicatum generale, *Homo est*. Unde per problema de genere, intendit prædicatum generale, cujusmodi est prædicatum transcendens.

Ad aliud, quod homo est per se, ita quod non per medium habens esse, et similiter est per additum, ut per esse, quia esse est tanquam illud, quo aliquid est ; tamen illud esse non est, ita quod sit habens esse.

Unde tunc ista simul stant, quod homo sit per se ita, et non per medium habens esse, et tamen homo est per additum, tanquam per aliquod, quo aliquid est, et non per additum, quod est, ita quod sit habens esse, sed per additum quod est principium essendi.

Ad rationes contra hoc, primæ rationes contra principale probant, quod illud esse non est tanquam habens esse, sed tanquam principium, quo compositum est.

Ad aliud sicut dicebatur, hoc est concessum.

Rationes contra secundam responsionem probant; quod esse illud, per quod homo est, est aliquo modo, et hoc est concessum simpliciter,quia illud esse est,non tanquam habens esse, sed tanquam principium quo compositum est.

Ad aliud sicut dicebatur.

Ad rationem contra hoc sicut prius.

Et ad aliud contra hoc dicitur quod sic dicendo, *Homo est ens animal*, ens specificatur per animal, et ideo quodammodo stat secundum exigentiam animalis; et ideo non est hæc contingens, *Homo est ens animal* : hæc tamen est contingens, *Homo est animal ens*,quia in ista *animal* specificatur per *ens*, et ita quodammodo secundum esse temporale mensuratur, et ideo hæc est contingens : homo enim potest esse animal existens, et non existens.

6 *Nomen, et ens participium non significant puram entitatem rei.*

Aliter potest dici, et melius, quod *ens* Nomen, et *ens* Participium non significant puram entitatem rei, sive quidditatem,sed *ens* Participium significat rei existentiam, quæ est extra essentiam, et illi essentialiter accidit. Per hoc ad formam principalis rationis, sicut prius quod *ens* Participium et *esse* idem significant; sed tamen *ens* Nomen et *esse* non significant idem, sicut nec *ens* Nomen, et *ens* Participium significant idem ; et ideo licet *ens* Nomen sit de essentia, tamen esse non est de essentia,nec *ens* Participium.

Ad aliud sicut dicebatur.

Ad rationem contra hoc dicitur, quod licet generatio terminetur ad substantiam sub *esse*, non tamen terminatur ad ens per accidens ; quia esse non est res alterius generis ab essentia, sicut album est alterius generis ab homine. Esse enim est in eodem genere cum eo cujus est, per reductionem. Unde esse non est habens esse, ideo non est in genere per se, et substantia sub *esse* non facit ens per accidens, sicut homo albus.

Ad aliud cum dicitur, quod *generatio est a non esse in esse*, iste est intellectus, quod generatio est a substantia non ente, ad substantiam sub *esse*.

Ad aliud principale, quod essentia est in potentia ad esse. Est enim in potentia passiva, quia potest existere, et non existere. Accidit enim sibi existere.Et cum dicitur, ergo essentia manens potest non esse ; dicitur, quod non oportet quod essentia manens possit non esse, quia essentia manens existit, et dum existit, est. Sed tamen essentia manens essentia potest esse, vel non esse.

Ad aliud cum dicitur, quod esse est essentia, posterius essentia, conceditur. Et cum infertur ; ergo esse præsupponit essentiam: dicitur quod esse existere præsupponit essentiam secundum aliquem gradum essendi, non tamen præsupponit essentiam existere.

Ad aliud, quod licet esse non sit de essentia, non tamen potest demonstrari de essentia. Ad hujus probationem, dicitur quod non sequitur essentiam, nisi per accidens. Primo enim sequitur individuum cujus est per se existere. Et quia non sequitur essentiam secundum se, et primo, ideo de essentia demonstrari non potest.Similiter non est res alterius generis,nec per se ens in genere, ideo non potest demonstrari.

QUÆSTIO V

Utrum quæstio quid est *præsupponat* si est

Aristoteles *loco citat. et cap.* 4. *text.* 7. D. Thom. *hic lect.* 6. Joan. de Magistris *hic quæst.* 1. *dub.* 2. Tartar. *in Comment.* 3. *cap. hujus.* Paul. Venetus *in locum Philosophi citat.*

1. *Argumenta pro parte negativa.* Quod non videtur, quia de rosa, et nive possumus scire quid sunt, nulla rosa existente : ergo quæstio *quid est*, non præsupponit *si est.*

Hîc dicitur, quod ista bene concludit, quod quæstio *quid est* non præsupponit esse existere, præsupponit tamen aliud esse.

Contra, quæro de illo esse quod præsupponitur; aut est esse essentiæ, aut esse existere, aut aliquod tertium. Non esse essentiæ; quia si *quid est* præsupponeret esse essentiæ, præsupponeret seipsum, quod est inconveniens. Nec præsupponit esse tertium; quia non est tale,ut videtur; solum ergo præsupponit esse existere.

Item, ad principale, esse distinctum consequitur distinctam entitatem, quia ab unitate distincta causatur : ergo esse præsupponit quidditatem ; ergo *quid est* non præsupponit esse, quia tunc in præsuppositionibus esset circulus.

Item, esse est posterius essentia ; ergo esse essentiam, sive *quid est* præsupponit ; non ergo e contra.

Item, *quid est* non præsupponit illud quod sibi accidit; sed quidditati accidit esse sicut *fuisse* et *fore* : ergo *quid est* non præsupponit esse, ergo etc.

Ad oppositum est Aristoteles, dicit enim quod *Quærentes quid est ignorantes si est, nihil quærunt* ; *quia quod non est,nemo scit quid est,* sicut patet de tragelapho.

2. *Conclusio.* Ad quæstionem dicitur, quod quæstio *quid est*,præsupponit *si est,* sicut dicit Aristoteles, quia *de non ente nullus scit quod est.* Nullus enim scit quid est tragelaphus, sed solum quid significatur per nomen : ergo antequam sciatur *quid est,* oportet quod præcognoscatur *si est,* licet non esse quod est actualiter entis, cum non sit de essentia,verumtamen sine essentia non potest esse,ergo, etc.

Intelligendum tamen propter rationes, quod *quid est* non præsupponit esse essentiæ, quia tunc idem præsupponeret seipsum : nec præsupponit esse existere, quia esse existere est primo ipsius singularis, et tale accidit ipsi *quid,* quia quæstio *quid est,* est quæstio medii, et etiam quæstio *si est* : sed medium in demonstratione est universale : ergo *quid est,* et etiam *si est* sunt primo universalis, et non ipsius singularis. Et esse existere est ipsius singularis primo ; ergo *quid est* non præsupponit esse existere primo, sed *quid est* præsupponit tertium esse, quod est actualiter entis ; et illud esse quod est actualiter entis, nihil aliud est, nisi quidam gradus essendi unius essentiæ,distinctus contra alium gradum alterius essentiæ, quem gradum habet essentia cum est. Unde iste gradus essendi præsupponitur de omni quod est *quid,* et illud esse est quodammodo non esse prohibitum in rerum natura, sive esse in habitu (sicut dicit quidam) et non esse existere, et propter hæc dicit quod de tragelapho nullus scit *quid,* quia non licet esse sic in habitu, id est, aliquem gradum essendi in rebus.

Aliud esse intelligendum propter secundum argumentum, quod *esse dupliciter cognoscitur.* Uno modo per medium accidentale, sicut nos cognoscimus cœlum per accidentalia, et per effectus. Alio modo cognoscitur esse per medium essentiale, ut quando cognoscitur per *quod quid est* : isto secundo modo esse cognoscitur distincte, et præsupponit *quid est,* a quo capit distintionem. Primo modo esse cognoscitur confuso modo et incomplete, et isto primo modo *quid est* præsupponit esse cognitum modo confuso. Sed secundo modo esse acceptum præsupponit *quid est* : et loquendo esse, quod est actualiter entis, sive gradus essendi, et non de esse, quod est existere. 3. *Esse dupliciter cognoscitur.*

4. *Ad argumenta.* Ad rationes, patet per hoc.

Ad primam, patet quid est illud esse quod præsupponitur : et per hoc patet ad rationem contra hoc ; et sic ad duas primas : præsupponit enim aliquod tertium esse, quod nec est esse essentiæ, nec esse existere quod mensuratur tempore.

Ad aliud principale patet in positione, quod esse distincte cognitum præsupponit *quid est*, cum hoc tamen stat quod *quid est* præsupponat *si est*, indistincte cognitum.

Ad aliud, quod esse posterius essentia, sive quidditate ; et ideo completum esse, et complete cognitum, *quid est* præsupponit : esse tamen cognitum indistincte non præsupponit in cognoscendo *quid est.*

Ad aliud, quod esse existere accidit essentiæ, et illud non præsupponitur ; esse tamen quod est actualiter proprietas entis, non accidit essentiæ, ita quod possit essentia esse, et illud sibi non inesse, imo semper essentiam consequitur, sicut postea patebit.

Contra ; esse quod est actualiter essentiæ, est posterius essentia ; sed prius non dependet a posteriori ; ergo essentia potest esse, et non esse, loquendo de isto esse.

Ad istud dicitur, quod licet esse, quod est actuale, sit posterius, tamen ipsum est illud, sub quo essentia est. Est enim posterius, sicut modus essendi est posterius eo cujus est modus. Unde neganda est hæc consequentia, *Esse est posterius essentia, sicut modus determinatus rei, ergo res potest esse, et non esse* ; quia est modus determinatus, sine quo res non potest esse, sive intelligi.

Contra dictum in positione arguitur : dictum est enim in positione, quod esse scitur per medium accidentale ; et tale esse est quod præsupponitur a quæstione *quid est.*

Contra illud ; si esse cognoscitur per medium accidentale ; aut ergo cognoscitur per medium accidentale, quod est commune, aut per proprium : non per medium accidentale commune, quia accidens commune non magis hoc subjectum denominat quam illud ; ergo per accidens commune non potest sciri hoc subjectum esse : nec per accidens proprium, quia accidens proprium præsupponit subjectum esse ; ergo per accidens proprium non scitur subjectum esse.

Hic dicitur, quod esse scitur per accidens proprium, et etiam per accidens commune, maxime quia accidens commune est notum apud sensum ; et omnis cognitio ortum habet a sensu, sive a cognitione sensitiva. Verumtamen per accidentia non scitur esse distinctum, sed esse confusum, quia ad esse confusum alicujus cognoscendum, sufficiunt accidentia communia, licet non sufficiant ad cognoscendum esse distinctum. Similiter per accidens proprium cognoscitur esse confusum tantum, et per quidditatem subjecti cognoscitur esse distinctum.

QUÆSTIO VI

An esse quod est actualiter essentiæ sit de essentia

Vide citatos Auctores *quæst. 4. supra.*

Quod sic videtur ; quia *ens* Nomen, et *esse* quod est actualiter essentiæ, significant idem, sed *ens* Nomen est de essentia : ergo *esse* quod est actualiter essentiæ, licet esse existere non sit de essentia. 1. *Argumenta pro parte affirmativa.*

Item, ratio Commentatoris prius allegata est ad hoc ; quia homo est, aut ergo per se, aut per additum : si per se, habetur propositum : si per additum, processus erit in infinitum.

Item, si esse non sit de essentia, tunc essentia est in potentia ad esse, quia essentia est in potentia ad quodlibet, quod est in ea præter essentiam ; sed consequens est falsum ; quia aut est in potentia activa, vel passiva. Si in potentia activa, tunc essentia esset antequam esset ; si in potentia passiva, tunc essentia posset esse, et non esse, loquendo de esse quod est actualiter entis, quia potentia passiva est potentia contradictionis.

Item, si esse non sit de essentia, ergo est aliud; ergo demonstrari potest.

Item, si sic; tunc esset accidens, et per consequens præsupponeret subjectum esse.

Item, si sic; tunc esse posset intelligi sine actualitate. Ad oppositum est Boetius dicens, quod *In omni quod est citra primum, aliud est* quod est, et quo est, ergo *quod est* est essentia; quo est esse, ergo esse est aliud ab essentia.

2. *Conclusio.* Ad quæstionem dicitur, quod esse, quod est actualiter entis, non est de essentia. Hujus potest esse duplex ratio. Prima quia esse est modus essentiæ. Modus autem rei non est de essentia.

Item, si esse esset actus intrinsecus essentiæ, et etiam ipsius essentiæ est unus actus essentialis, ut forma substantialis; tunc unius compositi essent duo actus substantiales completi: sed duo actus substantiales completi faciunt duo composita: ergo unum compositum esset duo composita, quod est inconveniens. Patet ergo quod esse, quod est actualiter entis, non est de essentia, sicut nec esse existere. Ista tamen duo esse sunt distincta; quia esse, quod est actualiter entis, primo consequitur essentiam, et est proprium esse ipsius essentiæ; sed esse existere primo consequitur ipsum individuum. Et licet unum non possit esse sine reliquo, potest tamen intelligi sine reliquo. Nec oportet quod sint unum in reliquo, cum non ita sit proprium esse ipsius individui, etc. apparet tamen quod illa duo esse sint unum, propter hoc quod in re sunt conjuncta.

3. *Ad argumenta.* *Esse triplex.* Ad primam rationem; videtur quod ens, et esse quod est actuale esse, non significant idem. Unde intelligendum est, quod *triplex est esse.* Esse essentiæ, et esse quod est actualiter essentiæ, et esse existere. Esse primo modo, et ens Nomen, idem significant; secundo modo et tertio non significant idem. Ad aliud Commentatoris, sicut prius, quod homo est per se; quia non per aliud additum, quod est habens esse: unde non est medium inter esse, et hominem, qui est habens esse: sicut nec inter illud quod est illud, quo aliquid habet esse. Sic ergo patet qualiter est per se, sed non sequitur ulterius, ergo esse est de essentia. Quia esse nec prædicatur de essentia primo modo, quia non est de essentia (quia non est definitio, nec pars definitionis, nec aliquid essentiæ.) Nec secundo modo; quia sic prædicatur per se aliquod accidens de subjecto, quod in subjecto præsupponit esse; sed esse non est accidens, quia non est ens proprie, sed modus essendi; et ideo est in eodem genere, in quo est essentia, per reductionem, et non est in genere per se. Unde hæc est per se, *Homo est*, sed non sicut pertinet ad demonstratorem.

Ad aliud, quod essentia, est in potentia passiva. Et cum dicitur quod potentia passiva est potentia contradictionis, dico quod *duplex est potentia passiva.* Una est individui, et illa est contradictionis. Vult enim Aristoteles in 7 quod materia partis ad individuum est principium, quo aliquid potest esse, et non esse. Quia pro illa materia est sub quanto et quali, et qualitates sunt principium corruptionis. Potentia tamen partis ad species non est potentia contradictionis, quia materia partis ad speciem non est principium, quo aliquid potest esse, et non esse. *Potentia passiva duplex.*

Ad aliud, quod licet esse sit aliud ab essentia; tamen demonstrari non potest, quia non est accidens completum in genere: et ideo non est passio demonstrabilis, non enim est habens esse, sed quo aliud esse habet.

Ad aliud; quod si sit aliud ab essentia, non tamen est accidens: non enim est habens esse, ideo nec substantia, nec accidens.

Ad aliud, quod licet esse non sit de essentia, tamen essentia non potest intelligi, nisi sub *esse.* Contingit tamen intelligere substantiam non intelligendo esse: sed tamen essentia semper intelligitur sub *esse.* Sicut contingit intelligere materiam, non intelligendo formam: quia distincti conceptus sunt, et diversæ res. Materia tamen non potest intelligi, nisi sub habitudine ad formam. Et causa quare essentia intelligi

non potest, nisi sub *esse*,est ista : quia esse est modus essentiæ, sine quo essentia non potest intelligi,non tamen est de ejus essentia,etc.Sed quia determinatus est modus ipsius essentiæ, ideo sine illo intelligi non potest.

QUÆSTIO VII

An omnis quæstio sit quæstio medii

Aristoteles. 2. *Post. cap. et text.* 1. D. Thom. et Paul.Venetus *ibid.* Joan.de Magistris *in secundum Post. quæst.* 2. Tartar. *ibid. dub.* 1.

1. *Argumenta pro parte negativa.* Quod non videtur.Si omnis quæstio quærat medium, erit processus in infinitum; quia cum quæro utrum hoc sit, quæro an sit medium; et ulterius cum quæro an sit medium, quæro ulterius medium. Si igitur omnis quæstio sit quæstio medii, sic erit processus in infinitum.

Item,si omnis quæstio sit quæstio medii, quæro an omnis quæstio quærat medium de seipso, aut medium de alio, aut aliud de medio. Non primo modo, quia quærere idem de seipso nihil est quærere. Nec medium de alio; quia quærens definitionem de definito, adhuc est quærens idem de seipso; et medium et definitio sunt eadem, nec est quærere aliud de medio, propter eamdem rationem. Similiter propter aliam rationem; quia definitio quæ est medium in demonstratione, demonstrari non possunt : ergo non est quæribile, quia quæribile, et scibile, sunt eadem in numero.

Item,si omnis quæstio sit quæstio medii, tunc quæstio *si est,* esset quæstio medii. Et per consequens, *esse* posset demonstrari; quia si *esse* haberet medium, per illud posset demonstrari.

Item, illud quod præsupponitur, non est quæribile; sed medium præsupponitur in qualibet quæstione : ergo medium non est quæribile, ergo, etc.

2. *Conclusio.* Ad oppositum est Aristoteles.

Ad quæstionem dicitur, quod omnis quæstio est quæstio medii. Hujus ratio est, quia quæstio quærit aliquid quod est dubium, et postea scibile certificatum per medium; sed quod est certificatum per medium, medium præsupponit per quod certificatur, ergo, etc.

Item, Aristoteles probat hoc inductive, quia omnis quæstio est quæstio causæ; et causa et medium idem sunt, ergo, etc. Minor patet per inductionem Aristotelis, quia quæstio *si est,* et quæstio *quia est,* quærunt utrum sit aliquod medium; quia si quæram utrum Luna eclipsetur, quæro an eclipsis habeat aliquod medium. Similiter *propter quid,* quærit causam, ut manifestum est ex modo quærendi, sed *quid est,* et *propter quid* sunt eadem ; (non enim differunt nisi in modo quærendi. Idem enim quærunt secundum rem) sed quæstio *propter quid,* quærit medium et causam : ergo quæstio *quid est*; ergo simpliciter omnis quæstio quærit medium et causam,

Intelligendum tamen est, quod quæstio 3.
propter quid, alio modo quærit medium, quam quæstio *si est,* quia quæstio *si est,* vel *quia est,* quærunt an sit aliquod medium, non ex modo quærendi, sed concomitanter, sed quæstio *propter quid,* quærit medium ex modo quærendi. Similiter in alio est differentia; quia quæstio *si est,* vel *quia est,* quærunt absolute de medio; sed quæstio *propter quid,* præsupponit medium esse, et quærit discretionem medii.

Ad primum argumentum dicitur, quod omnis quæstio est quæstio medii; ut per medium fiat nota de eo quod quæritur. Non tamen quærit de medio tanquam de subjecto, hoc est quod medium esset subjectum de quo medium quæritur. Per hoc ad formam. Si quæram an Luna éclipsetur, quæro an sit medium, id est,ego quæro an sit medium per quod fiat notitia de illo quæsito; sed non quæro an medium sit, tanquam quærens medium esse de medio, tanquam de subjecto; et ideo non est processus in infinitum. *Ad argumenta.*

Ad aliud, quod quæstio nec quærit medium de seipso, nec aliud de medio, nec medium de alio. Non enim quærit aliud de

medio quæsito, tanquam de subjecto quæsito; et ideo nullo istorum modorum quærit, sed quærit medium, tanquam per illud fiat notitia passionis de subjecto.

Ad aliud dicitur, quod quæstio *si est*, est quæstio medii, et tamen demonstrari non potest per illud medium; quia non est ens habens esse in aliquo genere; sed est illud quo aliud est, unde non quæritur, ut demonstretur, sed quæritur ut aliqua alia via fiat notum. Linconiensis tamen vult dicere, quod esse demonstretur per definitionem rei.

Ad aliud, quod omnis quæstio præsupponit medium: et ideo sequitur quod nulla quæstio quærit medium; ita quod illud medium demonstretur; sed quæstio dicitur quærere medium, ut per illud medium fiat dubitabile prius notum. Per hoc ad formam dicitur, quod hæc consequentia non valet, *Omnis quæstio præsupponit medium; ergo nulla qnæstio quærit medium*, sub hoc intellectu, ut per idem medium fiat notitia; unde quæstio *propter quid* aliquod medium præsupponit.

Tu dicis, quod quæstio *quia est*, quærit utrum sit medium, et ita quomodo nihil præsupponit. Dicendum quod præsupponit medium, saltem esse secundum aptitudinem quia quærit utrum sit aliquod medium in actu, sed quæstio *propter quid* discretionem medii quærit, et actualitatem medii præsupponit.

QUÆSTIO VIII

An quod quid *possit demonstrare*

Aristotel. *cap. et text.* **1.** *hujus, et cap.* **3.** *hujus text.* **3. Averroes, Paul. Venetus** *ibid.* **D. Thom.** *hic lect.* **3. Joan. de Mag.** *q.* **3. Tartaret.** *hic q.* **2.**

1. *Argumenta pro parte affirmativa.* Quod sic videtur, per Aristotelem, quia *quod quid* secundum materiam, demonstratur per *quod quid* secundum speciem, ergo, etc.

Item, innotescit nobis per demonstrationem, ergo potest demonstrari. Antecedens patet per Aristotelem, quia in cognoscendo *si est*, non innotescit *quid est*, ergo *quid est* innotescit per demonstrationem.

Item, omne dubitabile est demonstrabile et scibile; quia quæstiones sunt æquales numero, etc. sed *quid est*, est dubitabile, ergo, etc. Minor patet, quia illud est dubitabile quod prius est ignotum, et postea fit scitum, sive notum, *quod quid* est prius nobis ignotum, ut patet in pueris, et postea fit notum per medium notius: ergo est dubitabile.

Item, *quod quid* de ignoto fit notum per medium notius; ergo est dubitabile.

Item, quod de ignoto fit notum per medium notius, potest demonstrari, sed *quod quid est* de ignoto fit notum per aliquod medium notius, ergo, quid etc. Minorem probo, quia *quod quid est* de ignoto fit notum, hoc est manifestum; sed non per seipsum, quia nihil seipsum producit in actum de potentia; ergo per aliquid aliud medium, quod oportet esse notius, quia aliter non faceret notitiam.

Item, nos quærimus quid est homo, ut sciamus *quod quid est* hominis, ergo *quod quid est* sciri potest. 2.

Item, si *quod quid est*, non posset demonstrari, hujus non est aliqua ratio, nisi, quia est immediatum illi cujus est. Sed hæc ratio nulla est, quia per hanc rationem *quod quid materiale*, non demonstraretur per *quod quid est formale*; quod tamen non est verum, sicut patet per Aristotelem. Consequentia patet; quia ita immediatum est *quod quid materiale* illi cujus est, sicut *quod quid formale*, quia ita materia immediate se tenet ex parte rei, sicut forma.

Item, *quod quid* potest sic demonstrari ut videtur. Omne compositum ex genere et differentia alicujus cum illo convertibile, est *quod quid* ejus. Sed animal rationale est compositum ex genere et differentia hominis, et est convertibile cum homine: ergo est *quod quid* hominis.

Item, Aristoteles, *quod quid* passionis potest ostendi per *quod quid* subjecti, ergo, etc.

Item, Aristoteles 8. Physic. ostendit *quod quid* primæ causæ, per hoc quod motus est æternus: ex æternitate enim motus concludit æternitatem motoris, et æternitas primæ causæ est *quod quid* primæ causæ, ergo *quod quid* demonstrari potest. Similiter hoc patet in toto processu Philosophiæ naturalis, ubi per passionem demonstrantur substantiæ, ergo, etc.

Ad oppositum est Aristoteles.

2. *Conclusio. Quod quid est potest accipi dupliciter.* Ad quæstionem respondetur sicut dicit expositor; *qnod quid* potest accipi dupliciter; vel sub ratione, qua est *quod quid*; vel absolute, non cum illa ratione. Primo modo *quod quid* demonstrari non potest; innotescit tamen nobis per demonstrationem. Primum patet, quia si *quod quid*, sub ratione qua *quod quid*, demonstretur de aliquo subjecto, prius peteretur de aliquo subjecto *quod quid* antequam demonstraretur. Hoc probat Aristoteles* sic; *Si A debeat demonstrari de C, in eo quod quid est, oportet in eo quod quid est prædicari de B; et B oportet prædicari de C in eo quod quid est, antequam A in eo quod quid est prædicari concludatur de C.* Sed in tali syllogismo prius in minori ponitur *B* esse *quod quid* est ipsius *C*, antequam concludatur *A* in eo *quod quid* est de se, prius ergo petitur *quod quid est* ipsius *C* quam concludatur. *Quod quid* ergo, sub ratione qua est *quod quid*, non potest demonstrari.

* text, com. 20.

Item, *quod quid*, sub ratione qua est *quod quid*, in omni demonstratione præsupponitur ante demonstrationem et non natum est demonstrari, ergo *quod quid* sub ratione qua *quod quid*, etc.

Secundum patet per Aristotelem in illo paragrapho. Quo autem modo conveniens sit, quod cum *si est*, per medium dicens *propter quid*, tunc innotescit nobis *quid est* sed non tanquam conclusum in demonstratione, ut ostensum est, sed solum innotescit nobis *quod quid est* sub ratione, qua *quod quid est*, tanquam medium in demonstratione.

Si *quod quid* accipitur secundo modo absolute, et non sub tali reduplicatione; tunc distinguendum est ulterius, quia aut accipitur *quod quid* materiale, aut *quod quid* formale sive *finale*. Si *quod quid*, materiale, tunc potest demonstrari demonstratione *propter quid*, et demonstratione, *quia est*. Demonstratione *propter quid* potest demonstrari, ut per *quod quid* formale, sive finale. *Quod quid* enim formale est causa *quod quid* materialis, sive forma est causa materiæ, et similiter finis est causa formæ, et etiam materiæ, et ideo *quod quid* materiale demonstrari potest per utrumque, quia forma et finis sunt causæ materiæ. Hoc patet. Talis enim est materia, qualem requirit forma, et forma inducitur in materia propter finem, et illud patet ex inductione Aristotelis in 2. Physicorum ubi textus incipit, *Similiter inest quorumdam quidem altera causa.*

Sic ergo patet, quod materia potest demonstrari per *quod quid* formale, tanquam per medium dicens *propter quid*. Similiter hoc declarat expositor per exemplum. *Omne cooperiens nos a pluvia, et tempestatibus, est compositum ex lapidibus et lignis, domus est hujusmodi, ergo*, etc. et ideo dicit Aristoteles quod quædam definitio est conclusio in demonstratione, et quædam principium demonstrationis, quædam vero est demonstratio sola positione differens. *Quod quid* etiam materiale, potest demonstrari demonstratione *quia*, arguimus enim quod hoc compositum habet materiam, quia est corruptibile: sed si accipitur *quod quid* formale, sive finale, tale demonstrari potest demonstratione *quia est*, sed non demonstratione *propter quid*, universaliter enim possum demonstrare quod homo est animal rationale, per effectus, sive operationes, sive accidentia. Ex hoc enim quod homo sentit, demonstratur quod non est animal; et per hoc quod homo est ratiocinatur, demonstratur quod homo est rationalis et ita per accidentia, cognitione, et demonstratione *quia*, deveniemus in cognitionem *quod quid est*. Sic ergo patet *quod quid* sub ratione, qua *quod quid*, demonstrari non potest, innotescit tamen nobis tanquam me- 4.

dium in demonstratione; *quod quid* tamen universaliter accipiendo, non sub ratione, qua *quod quid est*, demonstrari potest demonstratione *quia est*, aliquando *quod quid* demonstrari potest demonstratione *propter quid*, et aliquando non.

5. *Ad argumenta.* Ad primam rationem dicitur, quod *quod quid* materiale demonstrari potest per *quod quid* formale, quod concessum est, non tamen sub ratione qua *quod quid*.

Ad aliud patet *quod quid* est dubitabile et etiam demonstrabile, hoc est demonstratione, *quia*, et non *propter quid*, sed per effectus, sive a posteriori.

Ad aliud dicitur, quod *quod quid* fit notum de ignoto per aliquod notius. Sed *notius* potest esse duplex, vel tanquam causa, vel tanquam notius quoad nos, ut per se effectus, non tamen oportet quod omne *quod quid* fiat notius per aliquod notius simpliciter.

Notius duplex.

Ad aliud dicitur, quod possumus scire, quid est homo, per effectus, et sic potest demonstrari. Ad aliud quod ratio quare *quod quid* non demonstratur sub ratione, qua est *quod quid*, est ne fiat petitio, et non totaliter propter immediationem.

[illegible] Aliter potest dici, quod hoc est propter immediationem. Et ad probationem, quod aliquid esse immediatius, potest esse dupliciter. Uno modo in ratione causæ; et illo modo *quod quid* materiale non est ita immediatum, sicut formale. Definitio enim formalis, vel est causa excludendi, vel essendi definitionem materialem de subjecto. Alio modo dicitur causa immediata immediatione subjecti; et illo modo *quod quid* materiale est immediatum illius cujus est. Quia non est aliquod definibile medium, cui primo inest hæc definitio materialis, quam suo proprio definito; causa immediata primo modo est ratio quare definitio demonstrari non potest.

Ad aliud, quod in illa propositione est petitio, quia idem est dicere quod est compositum ex genere, et differentia hujus, et convertibile cum illo; et dicere quod est definitio hujus, et ita petitur.

Ad aliud dicitur, quod *quod quid* passionis ostenditur de subjecto non ratione, qua *quod quid*, sed sub ratione inhærentis; et ideo non sequitur quod *quod quid*, sub ratione qua *quod quid* demonstretur.

Ad aliud, ut patet in positione, concessum est quod in demonstratione *quia est*, *quod quid* demonstrari potest per effectum, et hoc concludit ratio, etc.

QUÆSTIO IX

An medium in demonstratione sit definitio subjecti, vel passionis

Averroes 1. *Post. com.* 11. D. Thom. *hic lect.* 1. *et opusc.* 38. Doctor *in prologo q. de subjecto, et cap.* Ægid. *hic q. de med. demonstr.* Zabarell. *lib.* 1. *de demonstr.* Conimbr. *lib.* 2. *Post. q. unic. per totam.* Balduin. *in q. med. demonst.* Faber *Theorem.* 13. *per totum, et Theor.* 14. Aversa *q.* 28. *Log. sect.* 6.

Quod passionis videtur. Aristoteles dicit, 1.
quod *Definitio primi termini est medium in demonstratione*; primus terminus in demonstratione, est illud quod maxime prædicatur, hujusmodi est passio, ergo definitio passionis est medium in demonstratione. Hoc patet similiter per exemplum Aristotelis; dicit enim quod folia fluere de vite, demonstratur per hoc medium, *Succum condensari in contractu foliorum ad ramos*, sed hîc definitio est definitio passionis, ergo definitio passionis est medium. *Argumenta principalia.*

Item, Aristoteles primo hujus, dicit quod *extrema, et medium debent esse ejusdem generis*, sed si definitio subjecti esset medium in demonstratione, tunc medium et extrema non essent ejusdem generis, sed medium esset alterius generis a passione.

Item, demonstratio debet esse ex immediatis; sed si definitio subjecti esset medium, demonstratio non esset ex immediatis, sed semper minor esset mediata; quia passio definitionis subjecti inest mediante definitione propria.

Item, si definitio subjecti esset medium, tunc esset petitio in omni demonstratione;

consequens est falsum ; ergo et antecedens. Probatio consequentiæ. In demonstratione, in majori passio prædicatur de definitione subjecti, si definitio subjecti sit medium, et in conclusione prædicatur de subjecto ; sed definitio subjecti, et subjectum sunt una et eadem res : ergo concluditur, quod quia passio verificatur de hac re, erit et vera de eadem re, et per consequens fit petitio. Hîc dicitur, quod licet definitio, et definitum sint eadem, tamen definitio est notior quam definitum. Definitio enim causa innotescendi datur per Aristotelem, et ideo passio inest notius definitioni quam definito, et ideo non petitur.

Contra, definitum et definitio sunt una res, ut concessum est ; sed passio demonstratur de re ratione rei, et non ratione alicujus intentionis ; ergo passio demonstratur de definito, per hoc quod inest definitioni ; ergo per petitionem.

Item 8. Topicorum. Unus modus petitionis est, quando probatur definitum per definitionem, et e contra ; hîc ergo erit petitio.

Item, demonstratio est ex primis, sed quando accipitur definitio subjecti, non arguitur ex primis : ergo definitio subjecti non est medium. Minor patet ; quia subjectum ultimum est in demonstratione.

Ad oppositum. Ad oppositum, illud est principium in demonstratione, quod est maxime causa ; definitio subjecti est causa passionis, et etiam est causa definitionis passionis : ergo definitio subjecti medium est in demonstratione. Patet minor per Aristotelem in fine secundi hujus in illo textu, *Principium enim est quod magis proximum.* Dicit etiam alibi, quod si aliqua passio debeat demonstrari de subjecto, potius debet demonstrari per C, quod est definitio subjecti, quam per B, quod est definitio passionis, et dicit causam, quia C, quod est definitio subjecti, est causa ipsius A passionis, et etiam ipsius B, quod est definitio passionis.

Item, illud non est medium in demonstratione, quo cognito contingit quærere *propter quid* ; sed cognita passione de subjecto per definitionem passionis, contingit quærere *propter quid* inest subjecto; ergo definitio passionis non est medium in demonstratione.

Item, definitio illius est medium in demonstratione, ex cujus principiis cognoscitur *quid est* passio, et *quia est*, et etiam causatur. Sed ex principiis subjecti causatur *quid* passionis, et etiam esse ; ergo *quid* passionis non est medium in demonstratione.

Item, demonstratio est ex necessariis ; sed syllogismus in quo concluditur passio de subjecto, per definitionem subjecti, est ex necessariis ; ergo talis syllogismus est demonstratio.

Item, syllogismus in quo concluditur passio de subjecto per definitionem, est bonus, aut ergo Dialecticus, aut demonstrativus. Non Dialecticus, quia Dialecticus non est ex necessariis, sed tantum ex probabilibus : ergo tunc syllogismus est demonstrativus.

Ad quæstionem dicitur, quod definitio passionis est medium in demonstratione potissima, et hujus ratio est. Demonstratio debet esse ex immediatis ; sed si definitio subjecti esset medium in demonstratione, minor non esset immediata, sed mediata, quia passio immediate inest propriæ definitioni, et mediante illa inest definitioni subjecti, ergo mediate inest definitioni subjecti. Definitio ergo subjecti non est medium in demonstratione. 3. *Prima opinio.*

Contra illud, per illam rationem, probo quod definitio passionis non est medium in demonstratione ; quia tunc minor esset mediata in tali demonstratione, in qua prædicatur definitio passionis de subjecto ; quia definitio passionis immediatius inest definitioni subjecti, quam subjecto, sicut passio per se immediatius inest propriæ definitioni, quam definitioni subjecti ; qua ergo ratione tu ponis quod definitio subjecti non est medium in demonstratione, quia tunc minor esset mediata ; eadem ratione arguo tibi quod definitio passionis non est medium in demonstratione, quia minor esset mediata. *Refutat.*

Item, quod definitio passionis non est medium in demonstratione potissima. Patet per duas rationes prædictas; tum quia adhuc contingit quærere *propter quid* facta tali demonstratione; tum quia definitio subjecti est causa tam passionis, quam suæ definitionis, et etiam totius quod est in definitione.

Item, ratio istorum non ligat, quia non sequitur quod minor esset mediata, si definitio subjecti esset medium.

Ad probationem dicitur, quod non ligat; quia tam passio, quam definitio passionis insunt subjecto.

Item, passio et definitio insunt subjecto immediate immediatione subjecti. Similiter utrumque inest definitioni subjecti immediatione causæ.

Tu dicis, quod passio immediate inest subjecto, et etiam definitioni subjecti. Quæ ergo est ratio quare passio magis demonstratur de subjecto per definitionem subjecti, quam e contra? Non enim videtur aliqua ratio.

Hic dicitur, quod licet passio immediate insit definitioni subjecti, et definito; tamen major ratio est quare demonstratur de subjecto per definitionem subjecti, quam e contra; quia passio inest definitioni subjecti immediatione causæ; inest etiam subjecto immediatione subjecti, non immediatione causæ, et ideo alia causa, et ratio immediationis est.

Contra illud; definitio et definitum sunt eadem realiter. Cum ergo passio insit definito immediatione subjecti, tanquam proprio susceptivo; ergo inest definitioni, tanquam proprio susceptivo.

Hic dicitur, quod licet definitio et definitum sint eadem realiter, verumtamen diversa sunt secundum rationem; quia definitio exprimit causam explicite, quæ includitur in definito implicite; et ideo dicitur definitio habere rationem causæ magis, quam subjectum dicatur habere rationem susceptivi, non tamen potest prohiberi, quin illud quod per definitionem significatur, sit subjectum passionis, specialius tamen dicitur habere rationem causæ; quia principia passionis, quæ sunt principia illius subjecti, exprimit definitio: passio enim a principiis subjecti causatur, et illa principia exprimit definitio.

4. *Opinio Doct.*

Ad quæstionem ergo dicitur aliter propter ista, quod definitio subjecti est medium in demonstratione potissima, et non definitio passionis. Ratio primi est, illud quod demonstratur est accidens, non accidens commune, quia illud prius consequitur singulare. Sed accidens quod demonstratur, primo consequitur subjectum universale; quia per Aristotelem, *Principium demonstrationis universale dicitur esse*: ergo subjectum erit universale, aliter non esset demonstratio ex universalibus. Accidens ergo quod demonstratur, cum non sit commune, oportet quod sit proprium: sed accidens proprium causatur a principiis speciei; ejus ergo notitia causatur a notitia principiorum speciei: sed principia speciei per definitionem speciei, sive subjecti exprimuntur: ergo notitia passionis est notitia definitionis speciei quæ est subjectum. Definitio ergo subjecti est medium in demonstratione potissima.

Secundo ostendo: illud quod est medium in demonstratione potissima facit simpliciter notitiam, ita quod ipsum in esse, sive in cognitione ab alio non dependeat: sed definitio passionis dependet in esse, et in cognitione a subjecto, et a principiis subjecti causatur illa definitio passionis; ergo definitio passionis non potest esse medium in demonstratione potissima, et illæ sunt rationes Thomæ expositoris.

Intelligendum tamen quod licet definitio passionis non sit medium in demonstratione potissima, est tamen medium in aliqua demonstratione, sicut patet ex processu Aristotelis, et ideo dicit Aristoteles, quod *Ratio primi termini est medium in demonstratione*, et utrumque est intelligendum de ratione passionis, sicut dicit expositor. Passio enim uno modo dicitur primus terminus: alio modo ultimus, considerando ad ordinem prædicatorum se-

cundum quod illud dicitur prius, quod est probabilius ; sic passio est primus terminus, quia passio prædicatur in demonstratione, et nunquam subjicitur. Considerando tamen ad ordinem naturæ, sic passio est ultimus terminus, quia passio posterior est secundum naturam subjecto, et etiam principiis subjecti, quia passio subjectum consequitur ratione principiorum subjecti.

5. *Ad argumenta.* Ad primum argumentum dicitur, quod illud concludit quod definitio passionis est medium in demonstratione, et hoc est concessum ; non tamen conceditur quod sit medium in demonstratione potissima.

Ad aliam auctoritatem, per idem quod idem concludit.

Ad aliud quod medium, et extrema sunt ejusdem generis, non ita quod sint ejusdem generis Logici : sed propositio est sic intelligenda, quod medium et extrema, sunt eadem principio generanti, quia causans subjectum, in hoc quod causat subjectum, causat similiter principia subjecti, et etiam ipsam passionem ex consequenti ; causans enim hominem, ex consequenti causat risibile, et ita sunt ab eodem causante, sive generante.

Ad aliud, quod demonstratio, quæ demonstratur per definitionem subjecti, est ex immediatis. Et ad probationem, cum dicitur, quod passio inest subjecto mediate, quia definitio passionis immediate inest subjecto, et passio per illam, dicitur quod tam definitio passionis, quam ipsa passio insunt subjecto immediate : licet tamen definitio passionis notius insit.

Ad aliud, sicut dicebatur.

Ad rationem contra hoc. Ad primam, quod licet demonstratio non sit per medium intentionale, sed reale, scilicet propter intentionem causæ, cum medium habeat rationem causæ ; tamen definitio subjecti potest esse medium in demonstratione, demonstrando passionem de subjecto propter aliquam intentionem secundam additam. Nec propter rem absolute ; sed quia rem subjecti exprimit explicite, et contracte, quæ significatur per subjectum modo confuso ; et ideo non est petitio, quia arguitur per notitiam distinctam naturæ alicujus, quod in se est confusum ; et ita a notiori arguitur.

Ad aliud, quod Aristoteles in 8. Topicorum, intendit quod petitio est quando arguitur a definitione ; si ita sit, quod prædicatum notius insit definito, quam definitioni, tunc enim est petitio. Sed propria passio, et similiter quodlibet prædicatum essentiale, prius, et notius inest definitioni, quam definito ; et ideo concludendo passionem de subjecto per definitionem subjecti, non est petitio. Unde intelligendum est quod quando ostenditur prædicatum de definito per definitionem, quod notius inest definito, tunc est locus Sophisticus. Sed si illud prædicatum notius insit definitioni, tunc est locus Dialecticus. 6.

Ad aliud principale dicitur, quod demonstratio est ex primis, ubi accipitur definitio subjecti, hoc est ex præmissis per se notis : quod autem subjectum sit primum, vel ultimum, quantum ad hoc, non est cura.

Adhuc potest argui ad principale. In demonstratione, conclusio et minor non debent esse per se secundum eumdem modum dicendi per se : sed si passio concluditur per se de subjecto per definitionem subjecti, tunc minor, et conclusio essent per se in eodem modo dicendi per se, puta, secundo modo, sicut enim passio inest subjecto per se, ita videtur quod per se insit definitioni subjecti, et in eodem modo, ex quo sunt realiter eadem.

Hic dicitur, quod licet subjectum, et definitio subjecti sint idem realiter, non tamen oportet quod passio insit definitioni subjecti, et subjecto per eumdem modum dicendi per se ; quia definitio exprimit causam, et ideo minor ubi prædicatur passio de definitione subjecti, est per se quarto modo ; quia definitio subjecti est per se causa efficiens passionis ; sed conclusio ubi prædicatur passio de subjecto, est per se secundo modo, et ibi accipitur subjectum in ratione causæ materialis.

Contra illud, impossibile est quod idem realiter sit causa efficiens, et materialis, respectu ejusdem ; quia per Aristotelem in 2. Physic. *Efficiens, et materia non coincidunt*, sed definitio subjecti, et subjectum sunt idem realiter ; ergo impossibile est subjectum habere rationem causæ materialis, et definitionem habere rationem causæ efficientis.

Hîc potest dici, quod major solum veritatem habet in transmutationibus,et hoc intendit Aristoteles in 2. Physic. sed definitio subjecti non est causa efficiens respectu passionis per transmutationem, sed per quamdam emanationem : et isto modo illud idem potest esse causa materialis, et efficiens.

7. Aliter dicitur ad principalem rationem, quod conclusio, et minor possunt esse per se eodem modo dicendi per se, sicut hæc est per se, *Omnis triangulus habet tres*,etc. et hæc similiter, *Isosceles habet tres*, etc. hoc eodem modo, quia secundo modo ; et tamen prima potest demonstrare hanc secundam, eodem modo in proposito, passio potest inesse subjecto, potest etiam inesse definitioni subjecti penes secundum modum dicendi per se ; et tamen passio potest demonstrari de subjecto per hoc, quod inest definitioni subjecti ; quia tam subjectum, quam definitio subjecti sunt causæ passionis : tamen definitioni inest notius, et simplicius, et ideo in alio gradu quam definito, quia notius inest definitioni subjecti ; unde non est inconveniens in eodem modo dicendi per se plures esse gradus, quorum quidam sunt notiores, et quidam ignotiores, etc.

QUÆSTIO X

An contingat demonstrare per omnes causas

Arist. *hic c.* 6. *text.* 11. *et* 2. *Phys.* 6. Averroes, et Paul. Ven. *loco cit. hujus.* D. Thom. *hic lect.* 9. Joan. de Mag. *q.* 4. *hujus.* Tartaret. *hic q. penult. dub.* 2. Conimbr. *in c.* 2. *primi Post. q.* 3. *per totam.*

Quod non videtur ; primo, quod non per causam finalem ; quia medium in demonstratione debet esse prius effectu ; causa finalis non est prior, sed posterior effectu ; ergo, etc. *1. Argumenta pro parte negativa.*

Dicitur quod causa finalis est prior effectu secundum intentionem, licet sit posterior in executione, et hoc sufficit.

Contra, causa realiter debet præcedere effectum ; ergo non sufficit quod causa finalis sit prior intentione, ad hoc quod sit causa, et medium, sed oportet quod sit prior in executione.

Item, quod causa efficiens non sit medium videtur ; quia medium in demonstratione est, quo posito ponitur et effectus, et quo remoto removetur et effectus ; sed posita causa sic efficiente, potest effectus non poni ; ut posito ædificatore, non est necessarium domum esse ; ergo causa efficiens non est medium in demonstratione.

Item, causa dicitur esse intrinseca, quæ est medium in demonstratione ; quia demonstratio est ex propriis, et propria sunt intrinseca ; sed causa efficiens non est intrinseca, sicut nec causa finalis ; ergo neutrum est medium in demonstratione.

Item, quod causa formalis non sit medium videtur. Formalis causa indicat totum esse rei ; ergo arguendo per causam formalem ad illud cujus est forma, est arguere ab eodem ad idem ; et per consequens petitur principium.

Item, quod causa materialis non potest esse medium, videtur per tres rationes. Primo, quia medium in demonstratione debet esse necessarium, respectu passionis: sed causa materialis non est necessaria : est enim, per Aristotelem, materia qua res potest esse, et non esse, ergo, etc. Item, illud est medium in demonstratione, a quo egreditur passio ; sed a composito egreditur passio ratione formæ, et non ratione materiæ ; ergo causa compositi est medium in demonstratione, et non causa materialis. Tertio, patet hoc idem sic : illud quod est conclusio, non potest esse medium in demonstratione, cujus probatio est ; quia

conclusio in demonstratione debet esse mediata : sed medium est immediatum : causa materialis est conclusa per causam formalem in demonstratione. Dicit enim Aristoteles quod definitio materialis demonstratur per formalem, ergo, etc.

Ad oppositum est Aristoteles in isto capitulò, *Quoniam autem scire opinamur.*

2. *Conclusio.* Ad quæstionem dicitur, quod contingit demonstrare per quodlibet genus causæ. Cujus ratio est, quia causa, et medium sunt eadem : sed contingit demonstrare per quodlibet medium demonstrationis : ergo per quodlibet genus causæ. Similiter hoc ostendit Aristoteles inductive. Contingit enim demonstrare per causam materialem; ut si ostenditur, quod compositum est corruptibile, quia habet materiam. Similiter si sic arguitur : *Omne medium duorum angulorum rectorum est angulus rectus ; sed angulus trianguli constituti intra diametrum circuli, est medium duorum angulorum rectorum ; ergo ille angulus est angulus rectus* ; hic demonstratur quodammodo per causam materialem, sicut dicit expositor ; quia arguitur a partibus ad totum ; et partes sunt materialia respectu totius. Arguitur etiam quodammodo per causam formalem ; quia per definitionem passionis, et per definitionem anguli recti. Angulus enim rectus est medium duorum angulorum. Contingit etiam demonstrare per causam efficientem, sicut declarat Philosophus, ut si arguatur, *Athenienses debellandi sunt a Medis, propter hoc quod commiserunt bellum in Sardenses, qui fuerunt subjecti Regi Medorum* ; tunc arguitur per causam efficientem. Contingit etiam demonstrare per causam finalem, ut si arguatur ; quod *Bonum est deambulare post cœnam, quia est sanativum* ; sic ergo patet, quod contingit demonstrare per omnes causas.

Propter rationes intelligendum est, quod licet causa materialis posset demonstrari per causam formalem, vel finalem, propter hoc quod est imperfectior causa formali (est enim finis causa efficientis per Aristotelem, et efficiens causa formæ, et forma causa materiæ :) verumtamen causa materialis potest esse medium respectu passionis consequentis compositum ratione materiæ : licet enim sit posterior causa formali, est tamen prior respectu passionis. Et similiter si ostendatur quod compositum sit corruptibile, quia est habens materiam.

3. *Ad argumenta* Ad primum argumentum, sicut dicebatur ; et ad rationem contra hoc, quod non oportet, quod causa realiter præcedat effectum, sed sufficit quod res præcedat effectum in intentione, quæ tamen intentio finis non est causa respectu effectus, sed res ipsius finis sub intentione, et hoc sufficit ad hoc quod effectum realiter causet.

Ad aliud, quod efficiens est talis causa quod ipsa posita ponitur effectus, et ita minor est falsa. Et ad probationem dicitur, quod ædificator non est causa domus ; sed est causa *fieri*, et causa domus in potentia. Sed ædificans actualiter est causa actualis domus, et ideo non sequitur : *Ædificator est, ergo domus est* ; quia ædificator non est causa esse domus, nec fieri actualiter ; sed fieri potentialiter. Sequitur tamen, *Ædificans est, ergo domus fit*, sed non sequitur, *ergo domus est.* Efficiens enim solum causa *fieri*, et non *esse*, nisi per accidens, quia ad *fieri* aliquando consequitur *esse*.

Causarum quædam sunt esse rei, quædam fieri rei. Ad aliud ; quod medium in demonstratione non oportet esse intrinsecum rei, sed potest esse causa extrinseca. Juxta quod intelligendum est, quod quædam sunt causæ *esse* rei, et quædam sunt causæ *fieri*. Forma et materia sunt causæ *esse* rei. Finis et efficiens sunt causæ *fieri* rei, et sicut formalis, et materialis concludunt necessario *esse* rei ; ita finalis et efficiens necessario demonstrant *fieri* per se. Duæ sunt causæ intrinsecæ. Aliæ duæ sunt causæ extrinsecæ ; et per hoc patet, quod non oportet medium in demonstratione esse causam intrinsecam rei.

Ad probationem neganda est hæc consequentia : *Demonstratio est ex propriis, et*

intrinsecis, quia hoc medium est falsum, scilicet, *Omnia propria sunt intrinseca*.

Ad aliud, quod causa formalis non est totum esse rei ; licet sit perfectio totius esse, quia *quod quid est* in se non includit solum formam, sed etiam formam et materiam, non quamcumque ; sed materiam pertinentem ad speciem.

Materia duplex. Ad aliud, quod duplex est materia ; materia pertinens ad individuum, et materia pertinens ad speciem, per Aristotelem in 7. Materia pertinens ad individuum non est medium in demonstratione, sed materia pertinens ad speciem, et ista necessaria est.

Ad aliud, quod passio propriissime dicta cognoscitur in composito ratione formæ, et non ratione materiæ. Aliqua tamen passio cognoscitur de composito ratione materiæ ; sed illa non debet dici passio ita propriissime.

Ad aliud, quod definitio materialis demonstrari potest per definitionem formalem, et respectu illius posterior est, et mediata mediatione causæ ; quia non ita prima, nec perfecta ; respectu tamen alicujus passionis potest esse causa immediata, et prima. Unde quod sit prius, et posterius respectu diversorum, non est inconveniens.

QUÆSTIO XI

An quælibet pars definitionis sit in plus quam definitum

Arist. *hîc c.* 8. *text.* 17. Averroes, et Paul Ven. *ibid.* D. Thom. *hîc lect.* 13. Joan. de Mag. *hîc q.* 5.

1. *Argumenta pro parte negativa.* Quod non videtur, Aristoteles dicit in 7. Metaphys. quod definitio debet dari ex Genere et ultima differentia. Sed ultima differentia datur ab ultima forma, sive ab ultimo gradu, quæ non excedit speciem ; ergo differentia ultima convertibilis est cum specie : aliqua ergo pars definitionis non est in plus.

Item, tota definitio est convertibilis cum definito ; sed nisi aliqua pars ejus converteretur cum definito, non esset aliqua causa quare tota definitio convertatur : ergo oportet quod aliqua pars non sit in plus.

Hîc dicitur, quod tota definitio est convertibilis, et tamen non oportet quod aliqua pars sit convertibilis ; et hujus ratio ostenditur per exemplum Aristotelis. Ternarius sic definitur: *Ternarius est numerus impar primus utroque modo*. Sed quælibet pars est in plus quam ternarius, totum tamen convertibile.

Et si quæritur qualiter ex his fit unum, ex quo quælibet pars excedit ?

Dicitur, quod ex hoc quod unum additur alteri, et sic unum per alterum determinatur.

Contra illud, nihil additum alteri ipsum determinat ad aliquod quod est inferius eo ; verbi gratia, sensibile additum corpori, non determinat corpus ad hominem, cum sit inferius ad sensibile, sed Species specialissima est inferior, quam differentia per te, qui dicis, quod quælibet pars definitionis est in plus ; ergo per additionem unius partis ad aliam, non potest fieri determinatio ad intellectum speciei.

Item, ad principale, Aristoteles in 7. Metaph. dicit, quod sufficit definire ex primo genere, et ultima differentia, quia ultima differentia includit totam substantiam definiti ; ergo cum definito convertitur ; ergo aliqua pars definitionis non est in plus.

Item, definitio datur ex genere et ultima differentia, et specifica ; sed talis differentia convertitur cum specie ; ergo, etc.

Ad oppositum est Aristoteles dicens, quod quælibet pars definitionis est in plus, sed totum convertibile. *Conclusio.*

Ad quæstionem dicitur, quod possumus intelligere differentiam esse in plus, quam definitum, dupliciter. Uno modo, quod excedat definitum quantum ad supposita, et isto modo differentia ultima non est in plus, et per consequens non quælibet pars definitionis est in plus. Alio modo potest intelligi differentiam esse in plus, quia simplicius ; et isto modo differentia, et ge- 2. *Differentiam esse in plus quam definitum dupliciter intelligitur.*

nus, et quælibet pars definitionis est in plus, quam definitum. Primum patet, quia differentia ultima accipitur ab ultima forma (si ponantur esse plures) vel ab ultimo gradu unius formæ ; sed sive ponatur ultima forma, sive ultimus gradus, illa non excedunt speciem ; ergo eadem differentia, quæ ab his accipitur, non excedit speciem quoad supposita, et per consequens quoad supposita non est in plus.

Secundum patet ; quia species definienda componitur ex genere, et differentia in suo conceptu, sicut statua componitur ex ære tanquam materiale, et ex figura tanquam ex forma, per Porphyrium. Sed componentia sunt simpliciora, quam compositum, quælibet ergo pars definitionis simplicior est, quam definitum ; et isto modo est in plus.

Differentiæ quædam sunt per se, quædam per accidens. Intelligendum tamen propter auctoritates Aristotelis, quod quædam sunt differentiæ per se, et speciales : quædam vero per accidens, sive accidentales. Accipiendo differentias primo modo, ultima convertibilis est, et hoc est quod Aristoteles dicit in 7. Metaph. quod *ultima differentia includit totam substantiam.* Verumtamen accipiendo differentias secundo modo, ultima differentia, et quælibet alia est in plus, et Aristoteles loquens ut Logicus, docet definire per tales differentias, eo quod tales differentiæ substantiales sunt nobis ignotæ, et loco differentiarum substantialium accipimus accidentales, sicut patet in hac definitione, *Ternarius est numerus impar primus utroque modo.* Impar enim non est differentia per se, sed est accidens numeri, et ita accidens commune respectu ternarii. Convenit enim ternario, et novenario. Similiter, *primo utroque modo* convenit dualitati, et ternario : et isto modo quælibet pars definitionis, vel differentia est in plus quoad supposita ; totum autem est convertibile cum definito. Per hoc ad rationes.

Ad primam patet quid dicendum est.

3. Ad argumenta. Ad illam auctoritatem dico, quod intellexit Aristoteles sic, quod illud quod definitur ex genere, et differentia ultima, accipiendo differentiam per se, et illa, convertibile est cum specie quoad supposita, licet sit in plus quoad simplicitatem.

Ad aliud, sicut dicebatur. Ad rationem contra hoc, quod nihil determinat alterum ad aliquid, quod est inferius eo absolute, et sufficienter de se, sed tamen vicissim est determinatio, ut si dico, *Numerus impar, primus utroque modo.* Hoc accidens *impar* non est de se sufficiens ad determinandum hoc quod est *primus utroque modo* , sed ex hoc quod *impar* determinet hanc differentiam *primus utroque modo*, quod est indifferens ad dualitatem : quia numerus binarius non integratur ab aliquo numero, ut patet, sicut nec ternarius : et ternarium ipsum comprehendo ad numeros impares, et e contra. Hæc particula *primus utroque modo*, determinat numerum imparem, qui est indifferens ad numerum ternarium, et novenarium, et alios impares numeros ; ipsum comprehendo ad numerum primum utroque modo. Ex hoc patet, quod ex tali mutua contradictione fit totum convertibile, quod ideo conceditur illud quod ratio probat. Probat enim quod una differentia quæ communis est, non potest ipsum comprehendere ad suum inferius sufficienter, et hoc concedo : tamen ex mutua contractione fit intellectus determinatior, quam aliqua pars descriptionis secundum se.

Ad alias duas rationes patet in positione. Probant enim quod differentiæ per se, et substantiales ultimæ, convertibiles sunt cum suis speciebus, hoc est concessum, sunt tamen in plus quoad simplicitatem.

QUÆSTIO XII

An differentiæ essentiales possint nobis innotescere per accidentia communia sicut dicit Aristoteles

Arist. 7. *Met. cap.* 3. 4. 5. *et* 12. *text.* 33. *item* 2. *hujus cap.*9. *text.* 21. *et* 1. *Top. cap.* 4. *et* 5. Averroes. D. Thom. Paul. Ven. cum ipso *loco cit. hujus.* Fons. *lib.* 5. *Instit. cap.* 3. *et* 4. Vide Tartaret. *supra notab.* 4.

1. *Argumenta pro parte negativa* Quod non videtur, illud quod est commune, et indeterminatum, non ducit in cognitionem alicujus determinati; sed accidentia communia sunt indifferentia, et indeterminata ad multas species; ergo non ducunt in cognitionem unius speciei.

Item, accidens si inducit in cognitionem alicujus ducit in cognitionem proprii subjecti; sed subjectum ad quod primo consequitur accidens commune, est individuum: ergo primo inducit in cognitionem individui, et non in cognitionem differentiæ specificæ.

Item, nihil agit ultra suam speciem, accidens et substantiæ sunt diversæ species; ergo accidens non ducit in cognitionem substantiæ. Item si sic; tunc species substantiæ relucerent in speciebus accidentium, quia effectus relucet in sua causa; sed hoc est falsum; ergo substantia non cognoscitur per accidentia.

Hic dicitur, quod consequens est verum. Contra, si accidens ducat in cognitionem substantiæ, accidens non est causa cognitionis substantiæ, nisi æquivoce. Sed in causis, et effectibus æquivocis non oportet quod effectus reluceat in sua causa, sed in univocis.

Item, ad principale; accidens commune non ducit in cognitionem substantiæ nisi ratione subjecti ex hoc, quod cognoscimus, quod accidens non potest esse nisi in subjecto; nos cognoscimus subjectum sub ratione subjecti. Sed quod illa substantia sit hoc subjectum, vel illud, hoc non scimus. Accidens ergo commune ducit in confusam cognitionem substantiæ. Sed differentia specifica est principium cognoscendi substantiam sub determinata ratione, et non confusa; quia per istam distinguitur una species ab alia; ergo accidens commune non ducit in cognitionem differentiæ specificæ.

2. *Ad oppositum.* Ad oppositum est Aristoteles: dicit enim, differentias cognoscimus per communia principia, in illa parte: *Alius est modus*, etc. Item, hoc patet ratione; differentiæ substantiales sunt magis nobis occultæ quam propria accidentia: sed accidentia propria sunt nobis magis occulta, quam accidentia communia, et nostra cognitio est a magis notis nobis, ad minus nota, et magis occulta; ergo nostra cognitio est primo incipienda ab accidentibus communibus, et sic deveniendo in propria accidentia, et postea in demonstrationem.

Ad quæstionem dicitur, quod differentiæ substantiales innotescunt nobis per accidentia communia: cujus ratio est; quia omnis nostra cognitio est a magis notis nobis ad minus nota; quia omnis nostra cognitio ortum habet a sensu. Sed accidentia communia sunt nobis magis nota, quam accidentia propria, quia ad sensum sunt manifesta; propter quod cognitio nostra ortum habet a cognitione accidentium, et per illa fiunt differentiæ substantiales nobis notæ. 3. *Conclusio.*

Intelligendum tamen est propter rationes, quod accidentia communia non sunt sufficiens principium ducendi in cognitionem substantiæ, ut probant quædam rationes; quia commune secundum, quod tale non ducit in cognitionem alicujus proprii, sub propria ratione. Propter quod accidens commune non est immediatum principium ducendi in cognitionem differentiæ substantialis; verumtamen accidens commune est principium præparativum et coadjuvans ad cognitionem substantiarum. Cognitio igitur substantiæ oritur a cognitione accidentis, tanquam a juvante, licet non a principio sufficiente. Unde accidentia communia maximam partem conferunt ad cognoscendum *quod quid est* per Aristotelem in primo de Anima. Ducunt enim in cognitionem confusam substantiæ, licet non indistinctam, sive determinatam. *Accidentia communia non sufficiunt ad cognitionem substantiæ*

Aliud intelligendum, quod accidens ducit in cognitionem subjecti sub tali ordine; quia ex perceptione multorum accidentium communium simul virtute intellectus discurrentis, nos devenimus in cognitionem alicujus accidentis proprii; et sic ulterius in cognitionem differentiæ substantialis, tanquam ab effectu ad causam; et ita a cognitione confusa devenimus in cognitionem

determinatam, sicut patet in exemplo; per hoc quod homo percipit aliquid in multum remotis, de ipso percipit, quod sit animal, et postea devenit in cognitionem magis specialem.

4. *Ad argumenta.* Ad rationes; primæ rationes ostendunt, quod accidentia communia non sunt principium sufficiens, et immediatum ducendi in cognitionem substantiæ, quia commune non est principium sufficiens deveniendi in cognitionem substantiæ determinatæ. Similiter si esset principium, tunc substantia reluceret in specie accidentis.

Ad auctoritates ad oppositum, ostendunt quod accidentia sunt præparativa cognitionis ipsius substantiæ. Vel aliter posset dici, quod multa accidentia simul accepta sunt principium sufficiens, et secundum hoc patet ad primam rationem.

Ad secundum similiter patet, quod ex uno accidente non devenimus in cognitionem individui, tamen ex multis devenimus, et sic in naturam speciei.

Ad aliud patet, quod non oportet substantiam relucere in specie accidentis, licet per speciem accidentis deveniamus in cognitionem substantiæ. Accidens enim virtute propria non ducit in cognitionem substantiæ, nisi virtute substantiarum in quibus sunt. Accidentia enim virtute substantiæ, in qua sunt, gignunt speciem in intellectu simul cum adjutorio intellectus agentis; et per illas species accidentium generatas in intellectu, intellectus discurrit apprehendendo substantiam sub propria ratione, sive specie; et sic ponitur quod substantia facit speciem in intellectu, et tamen nullam sub sensu.

Et si dicatur, quod tunc accidens esset primum objectum intellectus; hic dicunt quod primum objectum est duplex, generatione, et perfectione. Accidens est primum objectum generatione, substantia vero perfectione,

QUÆSTIO XIII

An definientem necesse sit scire omnia

Aristot. *hîc cap.* 8. *text.* 20. Averr. et Paul. Ven. *ibid.* D. Thom. *hic lect.* 15. Joan. de Mag. 2. *Post. q.* 5. *dub.* 2.

Quod sic videtur; quia si aliquis definiat hominem, oportet quod cognoscat rationale homini inesse, ita quod non asino, nec alicui alteri; sed ad hoc quod cognoscat rationale non inesse asino, oportet quod cognoscat asinum, et quodlibet aliud cui cognoscit rationale non inesse; et sic oportet eum omnia cognoscere. 1. *Argumenta pro parte affirmativa.*

Item, hoc patet per Aristotelem in littera. Cognoscens differentiam aliquorum, cognoscit illud quod differt, et illud a quo differt. Sed definientem oportet cognoscere differentiam definiti, qua differt a quolibet alio; ergo cognoscit definitum, et quodlibet aliud cognoscit; ergo, omnia.

Item, definitio est distincta cognitio definiti: ergo cognoscens aliquid per definitionem, cognoscit per distinctam cognitionem a quolibet alio; sed distinctam cognitionem non habet definiti, nisi quodlibet aliud cognoscat; ergo, etc.

Ad quæstionem dicitur, quod oportet definientem cognoscere omnia in universali, non tamen in particulari. Primum patet; quia definiens hominem, habet cognoscere rationale inesse homini; ita quod cognoscat rationale nulli alteri inesse; sed hoc non potest cognoscere nisi cognoscat in universali omnia; ergo, etc. Assumptum patet, quia nisi cognoscat rationale nulli alteri inesse, non cognosceret animal rationale, et mortale, esse definitionem hominis, quia tunc non cognosceret hoc esse convertibile cum homine. Secundum patet; quia si definientem oportet omnia cognoscere, tunc impossibile est aliquid scire. Probatio consequentiæ; quia cognoscere omnia sub propria ratione, impossibile est utrumque. Si tunc oportet cognoscere om- 2. *Conclusio*

nia sub propria ratione, impossibile est ipsam definitionem habere, sive definire; sed non habens definitionem, non habet scientiam, quia definitio est medium in demonstratione per Aristotelem; ergo sequitur quod impossibile est aliquid habere scientiam.

3. *Ad argumenta.* Ad primam rationem dicitur, quod illa probat nullum posse definire, nisi omnia cognoscat in universali; et hoc est concessum.

Ad aliud non oportet cognoscentem differentiam aliquorum ad invicem, cognoscere utrumque sub propria ratione, sed sufficit quod cognoscat utrumque in universali, sive in particulari.

Ad aliud patet per idem, quod distincta cognitio alicujus potest haberi, si proprium in se cognoscitur sub determinata ratione; licet alia non cognoscantur, nisi tantum in universali, etc.

QUÆSTIONUM LIBRI SECUNDI POSTERIORUM FINIS

F. JOANNIS
DUNS SCOTI
DOCTORIS SUBTILIS
IN VIII LIBROS PHYSICORUM ARISTOTELIS QUÆSTIONES
CUM ANNOTATIONIBUS R. P. F. FRANCISCI PITIGIANI ARRETINI

CENSURA R. P. F. LUCÆ WADDINGI HIBERNI

*Scotum in libros Physicorum scripsisse, testes sunt Henricus Willottus, Joannes Pitseus, Antonius Possevinus, et ipse Scotus lib. 5. Metaphys. quæst. 9. et lib. 9. quæst. 14. Prodierunt nuper sub ejus nomine hæc Commentaria a Francisco Pitigiano Arretino castigata, notis illustrata. Supposititia tamen esse multa persuadent, si non convincunt. Neque tempus, neque locus, quibus scripta esse dicuntur, neque doctrina ipsa cohærent. In calce operis signatur annus M.CCC. et in epistola præliminari suspicatur Arretinus Scotum adhuc adolescentem hæc scripsisse in sæculo. Sub finem expositionis textus, et ultimæ quœstionis bis dicitur ea lecta fuisse Parisiis. Quomodo ergo Scoti esse possunt, qui sub illum annum adhuc hærebat Oxonii, et non nisi tertio post anno pervenit Lutetiam, quod alias ex ipsius scriptis monstravimus**? *Ante illud tempus legerat Oxonii absolutissimum, et notissimum Commentarium in quatuor libros Sententiarum, inde* scriptum Oxoniense *nuncupatum ; qui fieri potuit ut antequam Minoribus nomen daret, Lutetiæ has scripserit Quæstiones? Octavo post anno mortuus est Coloniæ : non ergo in sæculo existens istos potuit legere Commentarios.*

* *In annal. Minorum anno* 1304. *n.* 29.

Præter stylum faciliorem, et methodum clariorem, quam quæ Scoti soleat esse, doctrina ipsa discordat, et disserendi modus longe inferior est nervoso acumine Doctoris Subtilis. Libro 1. quæst. 9. asserit totum Physicum non distingui realiter a suis partibus simul sumptis et unitis. *quæst. 12.* Impossibile esse dari motum cœli velociorem, quam qui nunc est : *etsi lib. 2. quæst. 4. sui immemor dicat :* Intelligentiam movere orbes voluntarie, ea qua vult velocitate, Deumque posse movere cœlos velocius et tardius. *quæst. 18. dicit* transmutationem esse ipsam materiam, quæ transmutatur ; et privationem nihil aliud esse, quam ipsam materiam privatam. *quæst. 20.* Implicare contradictionem, materiam separari a forma, vel e contra. *Lib. 2. quæst. 4.* Cœlum non componi ex materia et forma. *Libro 3. quæst. 8.* Actionem et passionem non distingui inter se, neque a re producta. *quæst. 15.* Tempus esse ipsum mobile, quod movetur. *Libro 4. quæst. 1.* Impossibile esse plura corpora esse simul in eodem loco. *quæst. 9.* Non posse fieri motum successivum levium et gravium in vacuo. *Libro 6. quæst.* 2. De facto dari maximam magnitudinem, quæ possit esse. *quæst. 3.* Punctum materiæ primæ posse dividi in duo puncta, vel etiam in duas portiones divisibiles. *quæst. 6.* Quatuor revolutiones cœli posse fieri in eodem instanti, ita ut nulla aliam præcedat. *Libro 7. quæst. 1.* Nullam intelligentiam moveri, nisi assumpto aliquo corpore, ita ut sit in toto, et in qualibet parte ipsius. *quæst. 3.* Non dari actionem in distans. *Et alia plura hujusmodi, Scoti doctrinæ, communiter receptæ, omnino contraria, et Nominalibus, a quibus Scotus dissidebat, valde consentanea.*

Adde alia Scoto magis adversa, utpote fidei principiis parum consona. Ex libro 1. quæst. 7. ubi impossibile esse, *imo et* implicare contradictionem *asserit,* ut accidens separetur a suo subjecto; et propterea infert accidentia in Eucharistia jam non esse accidentia, sed mutari in naturam substantiæ, ac si mutaretur *(inquit minus religiose)* natura humana in naturam asininam; et consequenter in his mutari nomen, et definitionem accidentium. *Deinde textu 39. ejusdem libri consequenter, ait :* Impossibile esse ut sit albedo, et non sit album. *Libro 4. textu 60.* Impossibile esse ut accidens sit separatum a subjecto. *quæst. 13. §. Tertio sequeretur :* apud cognoscentem *esse* accidentis implicare contradictionem accidens esse sine subjecto.

Demum, quod omnium potissimum est, libro 8. quæst. 1. §. Ideo aliter respondetur *ipse Scotus citatur his verbis.* Vide Scotum in 2. distinct 1.quæst. 3. ad 2. principale. *Ex quo sequitur, neque Scotum juniori ætate in sæculo hæc scripsisse (quippe jam præcesserat scriptum Oxoniense in quatuor libros Sententiarum, quod hic citatur) neque omnino scripsisse.*

Circa hæc hærentem, et dubia ista explicantem monuerunt quidam viri docti opus hoc Scoti nostri non esse, sed Joannis Scoti cognomento Majoris, *et inde deceptum P. Arretinum quod fortassis in illis duobus exemplaribus MSS. quæ se invenisse prænarravit, hujus Joannis Scoti nomen fecerit præfixum. Sed his obstat :*

Primo, quod sub nomine Joannis Majoris, *non* Joannis Scoti *hic auctor semper audierit.*

Secundo, quod nullus recenseat istum in libros Physicorum scripsisse, neque Gesnerus, neque Possevinus, neque Thomas Demsterus, neque impurus ille Balæus (qui circa scriptores Britannicos reliquis facem prætulit) neque alius quispiam, quem ego viderim.

Tertio, quod in Commentariis, quos scripsit Sententiarum, ille supra narratis adversetur doctrinis, ultimæ præsertim circa metamorphosim accidentium sacramentalium in Eucharistia ; *uti videre est lib.* 4. *distinct. 12. quæst. 1. ubi latissime docet posse accidentia existere sine subjecto.*

Non hunc itaque, neque nostrum Joannem Scotum cognomento Subtilem, hujus operis putem esse auctorem, sed alium Joanne Majore vetustiorem, et Doctori Subtili coævum. Præterquam enim, quod veterum Scholasticorum hic præferat stylum, et antiquorum Nominalium doctrinam, duos invenio, uti alias monui, Joannes Scotos, qui Parisiis arti parvæ Raymundi Lulli, mensibus aliquot post Doctoris Subtilis decessum, subscripserunt, unus ita subscripsit :* Joannes Scotus in Artibus Magister, anno 1309, die Martis post octavam festi Purificationis. *Consentiunt itaque tempus, et locus, et nomen, iis, quæ haberi in fine hujus operis testatur Arretinus* : Expliciunt quæstiones libri Physicorum, lectæ a Reverendo Magistro Joanne Scoto Ordinis Minorum, Parisiis, anno millesimo trecentesimo. *Huic ergo probabiliter videtur hoc opus esse adscribendum.*

* *In Anna. tom.* 3. *anno* 1308 *num.* 33.

Bartholomæus Amicus, tractatu quinto in Physica, quæstione quarta, dub. 3. articulo secundo, monet se in vetusto codice Bibliothecæ Sancti Laurentii Ordinis Minorum Convent. in urbe Neapolitana legisse opus hoc adscribi Marsilio Ingen. quem Possevinus vixisse refert anno 1494. et ultra Dialecticam, plures scripsisse in Aristotelis opera Commentarios. Ego curavi librum hunc perquiri in prædicta Bibliotheca, nec potuit inveniri. Eidem Marsilio opus istud tribuit etiam, in præfatione ad libros Antonius Roccus de surcula Marsorum, Scoticæ disciplinæ tenax sectator.

Erit tamen fortassis, qui protervire velit,et Doctorem Subtilem auctorem esse contendat. Id per me liceat, dummodo ab his se expediat difficultatibus. Effugium illud fortassis obtendet, quod ad modum aliorum, etiam classicorum Doctorum, Scotus mutarit aliquando opiniones : quod error sit in notis, sive calculis annorum ad finem subscriptis; quod juniori scripsit ætate, quæ seniori correxit : quod citatio illa libri secundi Sententiarum irrepserit ex margine in textum. Isthæc mihi planæ evasiones sunt, quibus tamen placue-

rint, opus permitto, quod multis Scotistis arrisisse video, et passim citari, atque obinde inter reliqua opera Scoti edendum curavi. Spurium puto; genuinum ipsum opus, si aliquando occurrerit, hoc amoto substituetur (1).

Vide Cavell. lib. 5. Metaphys. quæst. 9. scholio 4.

(1) *In physicam Aristotelis 8. libris* Scotum scripsisse testatur Salvator Bartoluccius in *Vita Scoti* 4 Senten. libris ejusdem Doctoris præfixa edit. Venet. 1580., et Damianus Giner Hispanus in vita ejusdem Scoti anno 1593. præmissa comment. in 4. Senten. Scoti, et 1598. Valentiæ vulgata to. 1. Præterea *Jo. Scoti Physica, seu de naturæ divisione* habetur ms. in Biblioth. Monasterii S. Michaelis in Periculo Maris ex Catalogo Montfaucon to. 2. pag. 1360. n. 197. Biblioth. mss. In *censura* tamen Waddingi Operi in *Physicam Aristotelis* apposita in edit. Lugdunen. an. 1639. dicitur inventum hoc Opus Neapoli in Biblioth. S. Laurentii Min. Conv. sub nomine *Marsilii Inguen;* quod se vidisse scribit et Bartholomæus Amicus Phys. Tractatu 5. q. 4. dub. 3.; etiam Antonius Roccus Marsus in præfat. ad 8. libros Physicorum Venet. an. 1623. editos perhibet, *quæstiones in 8 libros Physic.*, quæ sub Scoti nomine nuper vulgatæ fuerant, esse *Marsilii Inguen Nominalis;* cujus opus jam Lugduni fuerat impressum an. 1513. a Joan. Marion; Mastrius denique de Generat., et corrupt. disput. 4. quæst. 3. numero 20. affirmat, hanc *Physicam* sub nomine *Marsilii Inguen* extare apud nostros et Neapoli, et Bononiæ. Verum ea, quam ego Bononiæ vidi apud nostros excusam Venetiis anno 1521. in fol. per HH. Octaviani Scoti sub nomine *Marsilii Inguen* cura Augustini Montefalconii Erem. S. Augustini, incip. *Divina favente misericordia* etc.: quæ vero edita est anno 1617. in 4. Venetiis per Guerilium cum *Comment.* Francisci Pitigiani Minoritæ, et postea Lugduni. 1639. incipit *Utrum de rebus naturalibus sit scientia*: nisi forte huic desit prologus; nam utramque conferre mihi non licuit. Marsilium autem hunc floruisse an. 1494. Heidelbergen. Gymnasio instituto, auctor est Possevinus in appar. sac.; tamen idem Possevinus in ipso appar. an. 1602. completo V. *Jo. Duns Scotus* tradit hunc scripsisse *Comment. in 8. libris Physic.*; idque antequam typis ederetur sub ejusdem Scoti nomine: quare non est facile definire, an per errorem huic magis, quam illi sit Opus vendicatum.

(Supplementum et castigatio ad Scriptores Trium Ordinum S. Francisci a Waddingo, aliisve descriptos; cum adnotationibus ad Syllabum Martyrum eorumdem Ordinum.

Opus posthumum F. *Jo. Hyacinthi Sbaraleæ* Minor. Conventual. Sac. Theol. Mag.).

F. JOANNIS

DUNS SCOTI

DOCTORIS SUBTILIS

ORDINIS MINORUM, DILUCIDISSIMA EXPOSITIO ET QUÆSTIONES

IN OCTO LIBROS PHYSICORUM ARISTOTELIS

LIBER PRIMUS

QUÆSTIO I

Utrum de rebus naturalibus sit scientia tanquam de subjecto

Arist. 3. *Physic. cap.* 4. *text.* 24. 1. *de partibus Animal. cap.* 1. *Metaph. cap.* 3. *text.* 3. *lib.* 4. *cap.* 5. *text.* 23. D. Thom. *lect.* 7. *in lib.* 1. *Phys. et opusc.* 70. Albert. Magn. 1. *Phys. tract.* 1. *cap.* 2. Mayron. *qu.* 1. *in lib. Phys.* Conimbr. *qu.* 2. *procem. in Physic.* Complut. *dist.* 1. *proœm. qu.* 2. Ruvius *in proœm. num.* 3. Fuentes *in proœm. difficult.* 2. Aversa *tom.* 1. *Philos. quæst.* 1. *sect.* 4.

1. Arguitur quod non, quia quælibet conclusio scientiæ naturalis, saltem pro majori parte, est cum formidine ad oppositum; ergo nulla talis est scientia. Antecedens patet, quia de qualibet aliqui tenent unam partem, et aliqui aliam; quod non esset si aliqua esset perfecte scientia. Tenet consequentia, quia scientia est habitus certus.

Secundo, quia de illis non est scientia naturalis tanquam de subjecto, sub quo non comprehenduntur omnia, de quibus determinat scientia naturalis: sed sic est de rebus naturalibus; ergo, etc. Probatur major, quia subjectum debet esse commune. Minor patet, quia in scientia naturali determinatur de materia, de forma, de infinito, de loco, de vacuo, et primo Motore, quorum nullum est res naturalis, quia non habet in se principium motus, et quietis.

Tertio, quia de rebus naturalibus est scientia libri Physicorum; ergo non tota scientia naturalis. Tenet consequentia, quia idem non est subjectum totius, et partis. Antecedens patet per totum processum hujus libri.

Quarto, Metaphysica determinat de rebus naturalibus, ergo non scientia naturalis. Tenet consequentia, eo quod sunt habitus distincti, ut patet 6. Metaph. text. 2. et antecedens apparet; quia Metaphysica considerat substantiam, et accidens; unum et multa; idem et diversum, quæ dicuntur de omnibus rebus.

Quinto, vel scientia naturalis habetur per causam, vel per effectum: non per causam, quia effectus sunt notiores nobis in naturalibus suis causis; nec per effectus, quia in omni ordine doctrinæ procedendum est ab universalioribus ad minus universalia, ut patet primo hujus, et 6. Metaph. text. 2. modo causæ sunt universaliores suis effectibus.

Oppositum videtur per totum processum scientiæ naturalis: nam ipsa considerat proprietates, et passiones rerum naturalium. 2.

In quæstione primo determinabitur, qualiter de aliquo sit scientia. Secundo, quæ *Divi[sio] quæsti[o]nis.*

sit scientia naturalis, et de quibus sit. Tertio, de ordine ipsius ad scientias speculativas; et Quarto de ordine librorum naturalium ad invicem.

Scientia [p]otest esse [de] aliquo [d]upliciter.

Quantum ad primum notandum, quod de aliquo potest esse scientia dupliciter. Uno modo tanquam de illo, quo scitur, et sic de conclusione demonstrata, vel de significato per terminos conclusionis est scientia; et sic intelligitur Arist. 6. Met. text. 4. quod *de ente per accidens non est scientia*, id est, de conclusione, quæ est per accidens, vera non est scientia; sic similiter intelligitur illud 2. Phys. text. com. 53. quod *de casuali, et fortuito non est scientia*; similiter illud 1. Posteriorum, text. 21. *scientia debet esse ex perpetuis*, id est, ex propositionibus perpetuæ veritatis cum proponuntur. Secundo modo de aliquo est scientia tanquam de illo, de quo aliud scitur, et hoc tripliciter. Primo modo tanquam de rebus significatis per causas conclusionis scitæ; et sic dicit Commentator in 2. de Anima, quod *de rebus extra animam, bene est scientia*; similiter Aristoteles dicit, quod *in propositione universali infinita sciuntur.* Secundo modo tanquam de subjecto conclusionis demonstratæ, et sic dicitur 2. Physic. text. com. 75. et 1. Post. quod *passio scitur de subjecto.* Tertio modo tanquam de subjecto alicujus scientiæ totalis, ut scientiæ naturalis, vel Metaphysicæ, et tale vocatur subjectum in ordine ad passiones.

3\. *[S]ubjectum [s]cientiæ [d]ebet habere quatuor conditiones.*

Cujus sunt aliquæ conditiones. Prima, quod debet esse ens. Secunda, quod sit primo notum ad istum intellectum, quod primo debet occurrere intellectui in consideratione illorum, de quibus tractatur in scientia: sicut in consideratione scientiæ naturalis primo occurrit istud commune ens mobile, vel res naturalis. Tertia, quod sit adæquatum; et Quarta, quod subjiciatur respectu passionum principalium illius scientiæ; nec oportet, quod in qualibet conclusione subjiciatur respectu passionis, sed sufficit, quod sit prædicabile de subjecto illius conclusionis in recto, vel in obliquo, et hæc de primo.

4\. *Quatuor modis aliquid potest esse de consideratione scientiæ naturalis.*

Quantum ad secundum, dico, quod aliqua conclusio potest dici scientia naturalis, vel de scientia naturali, altera quatuor causarum. Primo modo, quod ejus termini significent aliquod esse motum, vel mobile, et hoc differt scientia naturalis a Metaphysica, et Mathematica; nam termini Metaphysicæ significant rem esse substantiam, vel accidens, idem vel diversum, et sic de aliis; similiter termini Mathematicæ significant rem esse mensurabilem, et non motam, vel mobilem. Secundo, quia licet termini conclusionis non exprimant aliquod esse motum, vel mobile; attamen ipsa est scientia naturalis, eo quod probatur per principium naturale; verbi gratia, ista conclusio, *Terra est sphærica*, est naturalis, cum probetur per hoc medium, quod scilicet hoc quod *grave descendit ad angulos æquales*, quia descendere notat motum; sed cum probatur per hoc medium, quod *accidentibus ad Septentrionem accidit quasdam stellas super horizontem fieri sempiternæ apparitionis, quæ prius fuerunt occultæ*, tunc illa conclusio est Mathematica. Tertio, eo quod universalis propositio, vel conclusio vera est per experientiam: nam experimentum fit per mutationem sensus a sensibili, quia mutatio est quidam motus, et sic multa principia sunt de scientia naturali, licet non exprimant aliquod esse motum, vel mobile. Quarto, eo quod in tali propositione, vel conclusione ponuntur termini significantes actiones primarum qualitatum, et sic conclusiones in quibus ponuntur isti termini, *odor*, *sapor*, et hujusmodi, sunt de scientia naturali.

5\. *Scientia naturalis est de omnibus rebus.*

Ex his ponuntur conclusiones. Prima est quod scientia naturalis est de omnibus rebus. Probatur, quia de quolibet mobili, vel immobili, divisibili, vel indivisibili, est scientia naturalis; sed quælibet res est alterum istorum; ergo, etc. Probatur major: quia aliquod esse mobile, vel immobile, ostenditur per scientiam naturalem; ergo, etc.

Scientia naturalis

Secunda conclusio, de re naturali, seu mobili est scientia naturalis tanquam de

est de re mobili. subjecto. Probatur, quia ad quæstionem quærentem de subjecto scientiæ naturalis, convenienter respondetur per alterum istorum, ens mobile, vel res naturalis, et hoc patet ex conditionibus subjecti prius positis.

6. Dubitatur primo de definitione scientiæ naturalis,quia Aristoteles in 1. hujus, text. 13. et seqq. probat istam conclusionem, *plura sunt entia,* quæ est conclusio pure Metaphysicalis, nec concernit aliquam prædictarum quatuor causarum. Ad istud dicitur, quod in qualibet scientia, excepta Mathematica, quæ est pure demonstrativa, propositiones unius scientiæ bene possunt adduci in alia scientia ad declarationem alicujus principii, vel conclusionis in illa scientia ; et ita fecit Aristoteles.

7. *Omnis res mundi altero trium modorum concipitur.* Secundo dubitatur, quare præcise sunt tres scientiæ speculativæ, quod tactum fuit in notabili. Respondetur ex prædictis, quod nulla res mundi potest concipi, nisi altero trium modorum concipiendi, scilicet per modum substantiæ, vel accidentis, vel alterius conditionis ad suam quidditatem pertinentis ; vel sub conceptu moti, vel mobilis affirmative, vel negative ; aut sub conceptu mensurabilis, vel numerabilis. Primo modo est Metaphysica. Secundo modo scientia naturalis ; et Tertio modo Mathematica; et ideo non sunt plures.

8. Tertio dubitatur de secunda conclusione; quia mobile determinatur in ista scientia per modum passionis, et per consequens non per modum subjecti. Antecedens patet primo Cœli, text. 5. ubi declaratur, quod omne ens naturale est naturaliter mobile. *Subjectum alicujus scientiæ, potest in scientia demonstrari per modum passionis.* Respondetur quod non obstat, quod subjectum alicujus scientiæ demonstretur de aliquo per modum passionis in eadem scientia, licet tale subjectum non possit demonstrari esse, ut patet primo Post., vel diceretur quod in 1. Cœli. sup. cit. demonstratur ista passio naturabiliter mobile.

9. Quarto dubitatur, quia omne mobile est quiescibile ; igitur qua ratione mobile est subjectum, eadem ratione quiescibile. Respondetur negando consequentiam, quia mobile se habet per modum habitus, quies autem per modum privationis, modo habitus notior est privatione ; quia privatio per habitum cognoscitur, et ideo cum subjectum debeat esse primo notum, potius accipitur ab habitu, quam a privatione, et hæc de secundo.

Quantum ad tertium, scilicet de ordine scientiæ naturalis ad alias scientias speculativas, et non practicas, sit prima conclusio ista, quod scientia naturalis præsupponit Metaphysicam,quantum ad aliquam partem sui, tanquam priorem via doctrinæ. Probatur, inquirendo enim de aliquo, an sit activum, vel passibile ; motum, vel mobile, oportet præsupponere, quod sit ens, substantia, vel accidens, et hoc inquiritur per Metaphysicam. Secundo patet exemplariter per Aristotelem in isto 1. text. 35. et seqq. ubi per Metaphysicam, declarat sua principia. Patet etiam in 2. de Anima, text. 5. et seqq. ubi per quasdam conclusiones Metaphysicales inquiritur quid sit anima. Dixi vero notanter in conclusione, quantum ad aliquam partem Metaphysicæ : quia pars illa Metaphysicæ, quæ est de substantiis separatis, præsupponit scientiam naturalem via doctrinæ, eo quod per principia naturalia devenimus in cognitionem ipsarum. 10. *Scienti[a] naturalis præsupponit Metaphysicam.*

Secunda conclusio est, quod scientia naturalis quantum ad aliquam partem sui, præsupponit Mathematicam via doctrinæ. Probatur de parte Physicæ,quæ est de halo, de Iride, de velocitate motuum, de motibus Planetarum, de proportione elementorum, et hujusmodi. 11 *Scien[tia] natural[is] quoad a[li]quam pa[r]tem su[i] præsu[p]ponit M[a]themat[i]cam.*

Tertia conclusio est, quod scientia pure Mathematica, scilicet Geometria, est impertinens quasi aliis partibus Philosophiæ naturalis, et etiam Metaphysicæ, patet per processum istarum scientiarum. Sic igitur patet de ordine scientiæ naturalis ad alias scientias speculativas, et hoc de tertio.

Quantum ad quartum sciendum,quod tota scientia naturalis determinat de ente (a) mobili, cujus sunt octo partes principales. Prima pars est libri Physicorum ; cujus expositio ad præsens intenditur, in quo de- 12

Divisio totius Philosophiæ naturalis. terminatur de ente mobili inquantum mobile, ut ly *inquantum* denotat rationem (b) generalem considerandi. Secunda pars est libri Cœli, et mundi ; in quo determinatur de ente mobili magis specialiter, scilicet de ente mobili ad Ubi. Tertia pars est libri de Generatione, quæ determinat de ente mobili ad formam in generali. Quarta pars est libri Meteororum, quæ determinat de ente mobili ad formam mixti imperfecti. Quinta est libri de Mineralibus, quæ determinat de ente mobili ad formam mixti perfecti inanimati. Sexta est libri de Anima, in quo determinatur de ente mobili ad formam mixti perfecti animati in generali, et quantum ad tertium ejus librum specialiter de animato anima intellectiva. Septima est libri de Vegetabilibus, et plantis, in quo determinatur de ente mobili ad formam mixti perfecti animati anima vegetativa. Octava et ultima est libri de Animalibus,in quo determinatur de ente mobili ad formam mixti perfecti animati anima sensitiva ; et sic parvi libri naturales sunt in supplementum aliorum librorum naturalium, et hæc de quarto.

13. Ad rationes. Ad primam, Quælibet conclusio, etc. dico quod in scientia naturali non oportet semper habere tantam certitudinem, quantam in Mathematicis : quia illam scientia naturalis non compatitur ; sed sufficit quod præbeat assensum illis, quæ verisimilius, et immediatius deducuntur ex effectibus ; et ita potest negari antecedens.

Ad secundum de materia, et forma dico, quod subjectum prædicatur de eis in obliquo, ut dicendo : materia est pars mobilis, et ita de forma. De infinito dico, quod illa conclusio probatur per principia naturalia, et ex eo dicit Naturalis, nullum mobile esse infinitum. Et de vacuo dico, quod per eamdem conclusionem intelligit istam, *Nullus locus est sine mobili*, et ita de aliis.

14. Ad tertium dico, (c) quod in tota scientia naturali consideratur de ente mobili, tam secundum rationes generales, quam etiam secundum speciales ; sed in libris Physicorum consideratur de ipso, quantum ad rationes generales tantum. Per idem respondetur ad quartum de Metaphysica : quia licet naturalis, et Metaphysica de eisdem rebus considerent, hoc tamen est secundum diversas rationes considerandi.

Ad quintum dicitur, quod utroque modo procedit ; sed hoc est diversimode, quia procedendo ab effectu ad causam, est processus *Quia* ; sed procedendo e contra, est processus *Propter quid*.

ANNOTATIONES

(a) *Scientia naturalis determinat de ente mobili*, etc. Nota,quod Scotus in hac quæstione cum dicit, quod tota scientia naturalis tractat de ente mobili, sequitur communem opinionem. Nam ipsemet 6. Metaph. q. 1. tenet corpus naturale esse totius Philosophiæ naturalis subjectum. Unde observandum est, quod ens naturale est corpus de prædicamento Substantiæ, et quidquid sub eo essentialiter continetur : dicitur enim ens naturale, quia habet materiam, et formam, quæ sunt naturæ ; unde sequitur, quod idem est ens naturale, quod corpus naturale : quia corpus de prædicamento Substantiæ est illud ens, cui primo competit esse compositum ex materia et forma ; materia autem et forma sunt principia motus: unde fit, quod omne corpus de prædicamento Substantiæ sit mobile, vel potens moveri, et quod mobilitas, seu non repugnantia ad motum, est passio corporis de prædicamento Substantiæ. 15. *Ens naturale quid sit.*

(b) *Ut ly* inquantum *denotat rationem generaliter considerandi*. Nota, quod mobile sumitur dupliciter respectu corporis de prædicamento Substantiæ, uno modo ut est differentia ejus, quo modo non significat potentiam, seu non repugnantiam ad motum ; sed differentiam ultimam constitutivam corporis, sic ut idem sit mobile, ac corporeum. Alio modo accipitur ut est ipsa potentia, seu non repugnantia ad motum, quæ fluit, et emanat a natura corporis.Nam sicut animali competit posse sentire, sic omni corpori posse moveri aliquo motu ; ex quo sequitur, quod corpus mobile, si mobile accipiatur, ut ejus differentia, est præcise corpus de prædicamento Substantiæ, quod ut sic dicit compositum ex materia, et forma, quæ sunt naturæ, atque ideo tale corpus dicitur ens naturale ; si vero accipiatur, ut mobile dicit passionem, tunc dicit ens per accidens, compositum videlicet ex subjecto, et passione,et sic non sumitur mobile in hac quæst. 16. *Mobile bifariam sumitur.*

17. *Conciliatio opinionum de subjecto naturalis Philosophiæ.* Ex hoc sequitur, quod licet sint diversæ opiniones de subjecto Philosophiæ naturalis, sunt potius nomine, quam re ipsa differentes. Nam dicentes corpus mobile esse subjectum, non sumunt mobile, ut dicit passionem : quia tunc subjectum tale esset ens per accidens ; sed sumunt mobile pro differentia constitutiva corporis, prout idem est quod habens principium motus, vel corporeum, sive naturale ; et eadem ratione idem est dicendum de iis, qui ponunt ens mobile esse subjectum, nam per ens intelligunt substantiam, genus scilicet summum, quam restringit differentia, scilicet mobile ad esse corporis, quasi dictum sit substantia mobilis, hoc est corpus mobile, sumendo mobile pro differentia et non pro passione, et idem est judicium de iis, qui ponunt ens naturale esse subjectum, quia per naturale non intelligunt naturas, quæ sunt principia ex quibus constat ens naturale : quia ut sic non dicitur tantum subjectum, sed etiam medium, per quod de subjecto proprietates demonstrantur, sed per ens naturale intelligunt corpus naturale.

18. *Subjectum adæquatum scientiæ dupliciter se habet ad scientiam.* (c) *Dico quod in tota scientia naturali*, etc. Nota, quod subjectum adæquatum alicujus scientiæ dupliciter se habet ad scientiam ; primo modo ut principium in tali scientia, continens adæquate quæcumque in tali scientia traduntur secundum ejus rationem. Secundo modo ut est unum ex numero cognitorum in tali scientia per rationem propriam, quæ sibi primo, et per se competit, et per ipsum aliis ; priori modo est subjectum totius scientiæ : secundo modo exposcit de ipso peculiarem habere tractatum, in quo de ipso demonstrentur per sua principia propriæ passiones immediate ipsum consequentes. Hoc notabile desumptum est ex doctrina Alberti 1. Priorum, et Scoti ibidem. Ubi dicunt Syllogismum simpliciter esse subjectum illorum librorum, ita ut Syllogismus sumptus non universaliter, sed simpliciter, id est, solum ut Syllogismus est, et sub ratione communi consideratus sit subjectum libri Priorum ; tamen universaliter sumptus, ut comprehendit omnes suas species, est totius Logicæ subjectum. Ita in proposito possumus dicere, quod sive ens mobile, sive corpus mobile secundum alias oopinines, sive corpus naturale, quod ponimus totius Physicæ subjectum universaliter sumptum, idipsum præcise sumptum sub illa ratione communi tantum ponitur subjectum horum librorum.

EXPOSITIO TEXTUS

19. *Text. 1.* *Quoniam autem* (1) *intelligere et scire contingit*, etc. Iste liber Physicorum est primus in ordine librorum naturalium, in quo determinatur de proprietatibus, et passionibus generalibus, et proprietatibus passionum entis mobilis ; et dividitur in tres partes. In prima determinatur de principiis generalibus entis mobilis. In secunda de passionibus ipsius, et in tertia de proprietatibus passionum. Secunda pars incipit in principio tertii libri, et tertia pars in principio quinti. *Divisio octo librorum Physicorum.*

Vel sic dividitur iste liber in octo libros partiales. In primo determinatur de principiis intrinsecis rei naturalis. In secundo de principiis extrinsecis et intrinsecis simul. In tertio de passionibus intrinsecis rei naturalis, ut sunt motus et infinitum. In quarto de passionibus extrinsecis, quæ sunt locus, vacuum, et tempus. In quinto determinatur de motu quantum ad partes ejus subjectivas. In sexto de motu quantum ad partes ejus integrales. In septimo de comparatione motuum ad motores, et motuum ad se invicem. In octavo determinatur de duratione motus. 20.

Primus liber continet quatuor tractatus. In primo ponit intentionem suam, et ordinem procedendi. In secundo determinat de principiis rerum naturalium secundum opiniones antiquorum ; et in tertio determinat de eisdem secundum opinionem propriam, et hoc in generali ; in quarto determinat de eisdem in speciali. Secundus tractatus ibi : *Necesse est autem*. Tertius ibi : *Omnes igitur contrariæ*, etc. Quartus ibi : *Subjecta autem natura*, etc. In primo tractatu, qui continet unicum capitulum, primo proponit intentionem. Secundo ponit duas conclusiones de ordine procedendi. Prima ibi : *Innata est autem*. Secunda ibi : *Unde ex universalibus*, etc. 21.

Est igitur prima conclusio ista, quod oportet Philosophum naturalem tradere cognitionem principiorum, causarum, et elementorum rerum naturalium. Probatur, quia illorum habet tradere Naturalis cognitionem, sine quorum cognitione res naturales non possunt cognosci ; sed sine cognitione prædictorum res naturales non 22.

possunt cognosci; ergo, etc. Major vero probatur : quia omnium habentium causas, principia, et elementa, cognitio dependet ex illorum cognitione : quia tunc arbitramur unumquodque cognoscere, cum causas primas, et principia prima cognoscimus usque ad elementa : modo res naturales habent principia, causas, et elementa, cum sint generabiles, corruptibiles, materiales, et transmutabiles.

23. *Non idem est scire, quod intelligere.* Notandum quod Aristoteles per *intelligere*, et *scire* non intendit idem : quia per intelligere notat habitum conclusionis. Vel aliter exponitur, quod *intelligere* se habet in plus, quam *scire*; ideo contrahitur per hoc; universaliter *scire* dicit scientiam proprie dictam, quæ sit per causas a priori; et non per effectus a posteriori.

Principium, causa, et elementum differunt. Secundo sciendum, quod per principia, causas, et elementa intelligit diversa : nam per principia intelligit causas efficientes et moventes; per causas intelligit causas finales; per elementa autem intelligit causas intrinsecas, scilicet materiam, et formam.

24. Tertio sciendum, quod quando loquitur de causis primis, et principiis primis, intelligit per causas primas causas priores, sive remotiores, et per principia prima causas propinquiores. Unde dicit Commentator, quod *quæcumque sunt inter materiam primam, et ultimam formam, sunt materiæ compositæ, et formæ compositæ*; et intelligit per ultimam formam, formam completam, cujusmodi esset forma substantialis hominis, aut animalis. Et non debet intelligi forma composita ex diversis formis substantialibus; sed per compositionem ex dispositionibus qualitatis, quarum una nata est resistere inclinationi alterius, verbi gratia, inclinationi animæ, qua per dispositiones sibi convenientes inclinatur ad movendum progressive, resistit inclinatio gravis naturalis, quæ inclinat corpus ad motum deorsum.

25. *Ordo doctrinæ est processus a principiis ad principiata.* Quarto sciendum, quod Aristoteles notanter dixit, *usque ad elementa*. Nam debitus ordo doctrinæ est, ut fiat processus a principiis maxime generalibus, tradendo cognitionem eorum ad causas propinquiores, et tandem ad propinquissimas; verbi gratia, in scientia naturali primo habemus cognitionem de materia, et forma, quæ sunt principia generalia rerum naturalium; deinde habemus notitiam elementorum, quæ sunt principia magis propinqua; et tertio habemus cognitionem carnis, et ossis, et hujusmodi; quæ sunt partes, et principia immediata animalis, et hæc ponitur secunda conclusio de ordine procedendi.

QUÆSTIO II

Utrum cognitio unius rei dependeat ex cognitione alterius

Arist. 1. *Phys. text.* 1. Themist. Simplic. Averr. *ibid.* D. Thom. *lect.* 1. *et l. de causis c.* 1. Mayron. *q.* 1. Jandun. *q.* 3. Durand. *in* 1. *dist.* 35. *q.* 1. Aliacen. *ibid. q.* 3. *art.* 1. Ocham. *in* 4. *dist.* 13. Capreolus *in Prolog.* 1. *sent. q.* 1. Conimb. *lib.* 1. *q.* 1. Ruvius *ibid.* Faber *theorem.* 18. Anton. Rocc. 1. *Phys. q.* 1.

Arguitur quod non; primo, quia omnis cognitio dependet a suo objecto, igitur una non dependet ab alia. Tenet consequentia, quia in omnibus videtur, quatenus una cognitio cognoscitur, reflecti per aliam. Antecedens patet, quia ab objecto est causata notitia, et per consequens ab eo dependet. 1.

Secundo, si una res esset notitia alterius, vel hoc est per speciem propriam, vel per speciem alienam. Non per propriam, quia propria species alicujus rei est adeo determinata similitudo ejus rei, ut non alterius. Non per alienam, quia una res non causat alterius speciem, sed tantummodo suam propriam similitudinem.

Tertio, si cognitio unius rei dependeat ab alia, quæro in quo genere causæ. Non in genere causæ efficientis; quia intellectus efficit cognitiones omnes. Non materialis, quia una cognitio non recipit aliam, cum actui repugnet recipere, ut patet 3. de Anima. *text. comm.* 19. vide Comm. ibidem. Non formalis, quia non habet causam formalem. Nec finalis, quia consequitur esse rei.

Quarto, quia esse unius rei non consequitur esse alterius, igitur nec cognitio unius rei cognitionem alterius. Tenet consequentia, quia res causat suas notitias, et secundo Metaphysicæ dicitur, quod *sicut se habet res ad esse, ita ad cognosci.*

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo, ubi dicit, quod cognitio effectuum dependet ex cognitione causarum, sicut cognitio materiæ primæ dependet ex cognitione formæ, eo quod cognoscitur secundum analogiam ad formam, sicut cognitio primi motoris dependet ex cognitione motus, et per consequens ex veritate unius rei dependet veritas alterius.

Decisio quæstionis In quæstione primo videbitur qualiter ad esse unius rei, sequitur esse alterius, quod tangit ultimum argumentum : secundo videbitur, qualiter cognitio unius rei sequitur, vel dependet ex cognitione alterius. Quantum ad primum, quia illatio esse unius rei, ex esse alterius per modum consequentiæ fit ; ideo (a) sciendum quod quadruplex est consequentia ; quædam formalis, quæ tenet in omnibus terminis, stante consimili forma propositionis, et terminorum, ita ut quælibet propositio maneat talis, et tanta cum consimili ordine terminorum, et consimilibus syncategorematibus. *Consequentia est quadruplex.* Secunda est consequentia simplex, quæ tenet virtute inclusionis terminorum in significando, et ideo ad hoc quod sit evidens, sufficit declarare significata terminorum, ut homo est, ergo animal est, et ita de consimilibus. Tertia consequentia vocatur materialis, quæ non tenet formaliter, nec virtute inclusionis terminorum in significando, sed virtute alicujus propositionis necessario intellectæ, sicut sequitur, *Equus est, ergo homo est*, et tenet virtute istius intellectæ, quod *species sunt æternæ*; similiter ista consequentia est bona : *Impossibile est elementa ex invicem generari*; *igitur impossibile est ipsa alterari*, et tenet virtute istius : *Si finis in naturalibus est impossibilis, ordinata in finem sunt impossibilia.* Quarta est consequentia, ut nunc, quæ tenet virtute medii contingentis ; verbi gratia, *Joannes scribit, igitur Franciscus scribit* : et tenet virtute istius medii, *Joannes est Franciscus.*

Secundo est sciendum, quod esse quandoque dicitur de *est* secundo adjacente, et hoc vel respectu termini absoluti, vel respectu termini correlativi, et quandoque de *est* tertio adjacente. 3. **Esse** *est duplex de secundo, et tertio adjacente.*

His suppositis sit prima conclusio ista, quod ad esse unius rei de verbo *est* secundo adjacente, respectu termini absoluti, non sequitur esse alterius. Verbi gratia, non sequitur, *A est, ergo B est.* Probatur, quia semper oppositum consequentis talis consequentiæ potest stare cum antecedente.

Sed contra primo, quia sequitur, *Ignis est, ergo caliditas est*, et sequitur etiam, *Homo est, igitur equus est*; quia species sunt æternæ. Tertio, quia ista, *Deus est*, est demonstrata 8. hujus, et 12. Metaph, vel igitur est demonstrata ex esse sui ipsius ; et hoc non, quia esset petitio principii ; vel ex esse alterius, vel aliorum, et habetur intentum. Quarto, quia sequitur, *Homo est, igitur caput est.*

Ad primum respondetur, quod consequentia illa non est formalis, nec etiam simplex, nec etiam tenet virtute inclusionis terminorum in significando, sed tenet virtute propositionis necessariæ cointellectæ, et conclusio intelligitur de duobus primis modis consequentiæ. Ad secundum similiter. Ad tertium negatur, quod illa sit demonstrata infra in 8. Physicorum. Nam ibi probatur solum quod Deus est motor immobilis, et in 12. Metaph. probatur ista, quod aliqua est causa prima, vel conservans primum. Ad quartum conceditur, quod illa consequentia est bona in tertio modo consequentiæ. Secunda conclusio est, quod ab esse unius rei de est secundo adjacente respectu termini correlativi ad esse alterius est bona consequentia. Probatur, quia sequitur, *Pater est, igitur filius est*, et est bona consequentia simplex, eoque tenet virtute inclusionis terminorum in significando. 4.

Tertia conclusio est, quod ab esse unius

rei de verbo *est*, de tertio adjacente ad esse alterius, est bona consequentia. Probatur, quia ab esse principiorum, causarum, et elementorum, sequitur esse suorum effectuum; similiter ex esse motus, sequitur esse Motoris, et ita de aliis; et hoc de primo.

5. *Notitia est duplex, sensitiva, et intellectiva.* Quantum ad secundum, notandum est quod quædam est notitia sensitiva, quædam intellectiva, et differunt: quia notitia sensitiva est extensa ad extensionem organi sensitivi, ita ut determinatæ parti organi sensitivi correspondeat determinata pars cognitionis; similiter quemadmodum tota cognitio sensitiva repræsentat totum objectum, ita pars cognitionis repræsentat partem objecti. Sed notitia intellectiva est indivisibilis, et inextensa; conveniunt tamen istæ notitiæ in hoc, quod utraque habet gradus cognitionis intensive. Secundo conveniunt, quia tam sensitiva, quam intellectiva possunt esse complexa, vel incomplexa: nam ex multis operibus brutorum apparet, quod aliquando componunt, et dividunt.

6. *Notitiæ aliæ ejusdem aliæ alterius ordinis.* Secundo sciendum, quod duæ notitiæ, vel plures, quarum utraque est sensitiva, vel utraque intellectiva, dicuntur notitiæ ejusdem ordinis; sed duæ notitiæ, quarum una est sensitiva, et altera intellectiva, dicuntur notitiæ alterius ordinis.

Notitia est duplex scilicet incomplexa et complexa. Tertio sciendum est, quod quædam est notitia incomplexa primaria, verbi gratia, ut simplex apprehensio albedinis in visu, vel in intellectu actu moventis; quædam est notitia incomplexa secundaria; ut si alias cognovi Socratem, et interveniat habitus, tunc per plures discursus, et cognitiones multorum occurrit mihi tandem notitia incomplexa Socratis, quam alias habui, ut patet in libro de Memoria, et Reminiscentia.

7. *Notitia unius rei, quomodo ex notitia alterius rei dependeat.* Ex his ponuntur conclusiones. Prima est, quod notitia incomplexa unius ordinis causat notitiam incomplexam alterius. Probatur, quia de albedine actualiter movente visum habeo intellectionem simplicem, et incomplexam, et hoc non nisi per visionem ejusdem albedinis; igitur visio illa est causa illius intellectionis, modo visio, et intellectio sunt notitiæ alterius ordinis.

Secunda conclusio est, quod notitia incomplexa unius rei non dependet ex notitiis incomplexis alterius, loquendo de notitiis ejusdem ordinis. Probatur, quia notitia incomplexa unius rei est similitudo determinata illius rei, ita ut non alterius, saltem dissimilis; igitur illa non causat notitiam alicujus alterius, nec dependet ab aliqua alia.

Et dixi notanter *alicujus dissimilis*, quia similitudo unius rei bene est repræsentativa rei sibi similis, quod patet per quamdam experientiam; quia si ponatur unum ovum in aliquo foramine, quod agat similitudine sui in sensum, et tunc homo divertat se, ita ut ipso ignorante ponatur aliud ovum consimile, sicut est possibile, tunc ita bene similitudo prima causata æque repræsentabit istud ovum secundum, et primum a quo causabatur. Secundo patet conclusio, quia (b) notitia incomplexa rei se habet sicut imago causata in speculo ab ipso objecto, sed illa imago non repræsentat aliam rem, quam proprium objectum a quo causabatur, igitur nec notitia incomplexa. 8.

Tertio, quia illatio cognitionis unius rei ex cognitione alterius fit per modum consequentiæ, modo super incomplexum non potest fieri consequentia; et sic patet, quod ex una notitia incomplexa per se accepta, non sequitur cognitio alterius. 9.

Sed objicitur, quia cognitio minus universalis dependet ex cognitione universalioris, igitur illa notitia incomplexa dependet ex alia. Secundo notitia incomplexa secundaria dependet ex pluribus aliis cognitionibus, igitur dependet ex una alia cognitione.

Ad primum respondetur, quod unam cognitionem esse causam alterius potest intelligi dupliciter. Uno modo principaliter, ita ut sit principale effectivum alterius. Alio modo instrumentaliter, sicut intellectus informatus tali cognitione potest elicere, 10. *Cognitio potest ex altera bifariam causari.*

aliam cognitionem mediante tali cognitione, tanquam instrumento ; sicut dicitur, quod caliditas est instrumentum producendi formam substantialem. Secundo sciendum, quod una cognitio potest dependere ab alia dupliciter, uno modo via ordinis, et alio modo via causalitatis : tunc dico, quod cognitio incomplexa minus universalis, præsupponit cognitionem universalioris via ordinis, sed non dependet ab ea via causalitatis.

11. Ad secundum conceditur (c) de notitia secundaria isto modo, quod ad hoc, quod memoriæ reducatur, præsupponit alias cognitiones, attamen præcise dependebat a suo objecto in sua primaria cognitione.

Contra, si sit aliquid album, quod propter sui parvitatem sit invisibile, tunc addatur ei unum aliud tantæ quantitatis, ita ut totum fiat sensibile; tunc notitia incomplexa unius partis dependet ex incomplexa alterius, quia sine ipsa non fuisset. Ad hoc dico, quod illa duo quorum quodlibet est indivisibile, faciunt unam cognitionem totalem incomplexam, nec numerantur cognitiones distinctæ.

12. Tertia Conclusio. Ex notitia complexa unius rei bene sequitur notitia complexa alia ejusdem rei formaliter, et cognitio alterius rei aliis quibusdam modis. Prima pars probatur, quia ad copulativam sequitur sua pars formaliter : similiter ex disjunctiva cum opposito unius partis sequitur altera pars ; patet etiam de conversione, et æquipollentia. Secunda pars probatur, quia intellectus cum multa intellexit, potest facilius intelligere unum, igitur ex cognitione complexa unius potest facilius inferri cognitio complexa alterius, et hoc per istum modum, quia cum intellectus habuerit in se intellectiones simplices plurium rerum, potest illas ad invicem diversimode componere, et ita diversas cognitiones addiscere, et patet in exemplo ; nam habens aliquas cognitiones de triangulo, potest ex illis alias cognitiones inferre de triangulo, ut patet in Geometria, et istam conclusionem probant rationes in oppositum.

Quarta Conclusio. Omnis cognitio, quæ sequitur ex alia cognitione alterius rei ejusdem ordinis, est complexa. Probatur, quia vel sequitur ex notitia incomplexa, vel complexa; non ex incomplexa, per conclusionem præcedentem, igitur ex complexa : modo si antecedens est complexum, consequens est etiam complexum. 13.

Sed objicitur : quia ex notitia incomplexa accidentis devenitur in notitiam substantiæ tam complexam, quam incomplexam ; igitur ex incomplexa potest sequi complexa. Antecedens apparet, quia cognitio substantiæ omnino dependet ex cognitione accidentis. Respondetur, quod substantia æque incomplexe cognoscitur a sensu, vel ab intellectu, sicut accidens. Unde quando video albedinem, non solum movet me albedo illa, sed paries, et corpus movet sensum mediante albedine, et sic substantia primo concipitur a sensu conceptu tamen accidentali, verum est tamen, quod non potest percipi conceptu quidditativo, nisi per discursum, et habitis pluribus cognitionibus.

Ad rationes. Ad primam, omnis cognitio, etc. Respondetur : illa cognitio insensibilium nullo modo dependet ab objecto, sed a rebus illis, per quarum cognitionem devenimus in notitiam hujusmodi insensibilium. Sed contra, quia cognitio ipsius Dei dependet ab ipso Deo ; igitur cognitio alicujus insensibilis dependet a suo objecto. Antecedens patet, quia omnia a Deo dependent. Respondetur, quod cognitio, quam habeo de Deo, non dependet ab ipso per modum objecti moventis, licet dependeat influentia causæ universalis. 14.

Ad secundam dico, quod et per speciem propriam mediantibus aliis cognoscibilibus, et etiam per speciem alienam secundum conclusiones positas.

Ad tertiam dico, quod in genere causæ efficientis instrumentalis, ut patet in notabili.

Ad quartam. Ad esse unius, etc. negatur antecedens, quia visum est qualiter ab esse de verbo *est* secundo adjacente, respectu

termini correlativi sequitur esse alterius, et ad esse de verbo *est* tertio adjacente similiter, licet ad *esse* secundo adjacente respectu termini absoluti non sequatur esse alicujus alterius.

ANNOTATIONES

15. *...sequen... duplex, ...terialis forma-*

(a) *Sciendum est, quod quadruplex est consequentia*, etc. Nota, quod communiter dividitur consequentia in formalem, et materialem. Materialis illa est, in qua consequens ex antecedente colligitur propter solam necessariam connexionem terminorum. Termini autem illi dicuntur habere eamdem connexionem, qui ita se habent, ut si alii fuerint genus, et species, ii etiam sint genus, et species, et si alii fuerint definitum, et definitio, species et individuum, proprium denique, et subjectum ; ii simili modo se habeant, verbi gratia, *Equus est animal, ergo equus est substantia*, ista est consequentia materialis, quia consequens infertur ex antecedenti propter solam connexionem, quæ est inter prædicatum antecedentis, et prædicatum consequentis, scilicet animal, et substantia. Quod autem illud consequens sequatur propter solam connexionem necessariam terminorum patet ; quia in ea dispositione, et modo colligendi dabitur consequentia vitiosa, si nempe ponamus terminos non habentes hujusmodi connexionem, ut si dicas, Homo est animal, ergo homo currit.

16. Consequentia vero formalis est illa, in qua consequens colligitur ex antecedenti propter ordinem, et dispositionem terminorum, sive tales termini habeant connexionem, sive non. Ut si dicas, Omnis homo est substantia ; omne rationale est homo, ergo omne rationale est substantia. Item, omne lignum est homo, omnis lapis est lignum, ergo omnis lapis est homo ; dicitur consequentia formalis, quia in omni materia propositionum, sive necessaria, sive possibili, vel contingenti, sive impossibili, et remota ; sumptis quibuscumque terminis nequaquam dabitur antecedens verum, et consequens falsum.

17. Ex hoc sequitur, quod omnis, et solus syllogismus est consequentia formalis, modo syllogismi nomen tam late accipiatur, ut singulares, et hypotheticos, et qui ad hos revocantur comprehendat, ut patet ex Aristotele 1. Priorum, ubi definit syllogismum in hunc modum : *Syllogismus est oratio in qua quibusdam positis, aliud quippiam ab his, quæ posita sunt, cum hæc ipsa sint, necessario evenit.* Quasi dicat, quod conclusio ex præmissis propter formam, modumque colligendi inferatur. Quod autem solus syllogismus sit consequentia formalis, ex eo patet : quia nulla alia consequentia, quæ non habet formam syllogisticam, modum scilicet, et figuram, necessario infert consequens ex antecedenti, eo quod servata tali forma dabitur antecedens verum, et consequens falsum, si loco illius termini, qui in antecedenti ponitur, ponatur alius, quod in syllogismo haud contingit. Nam quibuscumque terminis sumptis, dummodo eadem servetur forma, quæ in syllogismo servari solet, nunquam potest dari antecedens verum, et consequens falsum.

Sequitur secundo, quod conversio propositionum, et locus dialecticus non sunt consequentiæ formales, nisi late accipiendo consequentiam formalem : sunt enim illationes, quæ inferunt suum consequens ex sola dispositione terminorum, ut Aristoteles docet 1. Priorum, cap. 2. et 3. Cæterum non sunt proprie consequentiæ formales, cujusmodi est syllogismus, qui continet medium, quod collocatur in antecedenti, et non in consequenti ; conversio autem nullum medium habet ; loci autem Dialectici possunt dici consequentiæ formales virtualiter, hoc est, virtute syllogistica : semper enim habent aliquam tacitam præmissam, qua adjuncta fiunt syllogismi, ut si dicas : Socrates est homo, ergo est animal rationale, tacite intelligitur major, scilicet, Omnis homo est animal rationale. 18. *Conversio, et locus dialecticus non sunt proprie consequentiæ formales.*

(b) *Notitia incomplexa rei se habet sicut imago*, etc. Nota quod hæc tria *facere cognoscere, repræsentare*, et *significare*, se habent sicut inferius, et superius, nimirum velut corpus, animal, et homo. Nam sicut corpus est superius ad animal, et animal ad hominem, sic etiam facere cognoscere est superius ad repræsentare, et repræsentare ad significare. Unde sicut non valet consequentia ab amplo ad non amplum affirmative, bene tamen e converso, sic non valet quidquid facit cognoscere repræsentat, quidquid repræsentat significat, bene tamen valet e converso : significat, ergo repræsentat : repræsentat, ergo facit cognoscere. 16. *Facere cognoscere repræsentare, et significare se habent sicut inferius, et superius.*

Unde observandum est, quod facere cognoscere quadrupliciter contingere potest, scilicet objective, effective, formaliter, et instrumentaliter, quæ omnia manifestissimo exemplo patefiunt. Visa enim a me imagine Salvatoris nostri : ea imago est objectum oblatum meæ potentiæ cognitivæ, quæ imago facit me venire in cognitionem ipsiusmet imaginis. Potentia vero mea cognitiva, a qua procedit notitia, facit me cognoscere effective, sive imaginem, sive rem imaginatam, illamet notitia a potentia producta formaliter facit me cognoscere, eo quod est formalis ratio cognoscendi id, 20 *Facere cognoscere quadrupliciter contingit.*

quod cognoscitur. Illamet autem imago, quia est instrumentum, quo mediante recordor Christi Domini, cujus est imago, facit intrumentaliter me cognoscere Christum, Salvatorem nostrum.

21 *Repræsentare contingit tripliciter.*

Repræsentare vero tripliciter contingere potest, objective, formaliter, et instrumentaliter. Id autem quod facit cognoscere objective, repræsentat etiam objective, scilicet imago a me visa, et quidquid facit cognoscere formaliter, repræsentat formaliter, scilicet notitia illa, qua rem cognosco, et illud quod facit cognoscere effective, non repræsentat effective, quia de ratione repræsentandi est non facere cognoscere per modum efficientis, sed tantum vel objective, vel formaliter, vel instrumentaliter. Unde intellectus meus, qui effective fecit me cognoscere rem, non mihi illam effective repræsentat.

22. *Significare bifariam contingit.*

Significare demum dupliciter contingit, nempe formaliter, et instrumentaliter : quo pacto notitia formaliter significat, et imago significat instrumentaliter rem, cujus est imago, effective autem nihil significat, neque objective : potentia enim mea cognitiva facit me cognoscere rem effective, non tamen illam repræsentat, neque significat effective, et objectum facit me cognoscere seipsum objective, et seipsum repræsentat objective, non tamen significat se objective, sequeretur enim quod quælibet res significaret se, quia quælibet res repræsentat se, quod est contra rationem signi traditam a D. August. lib. de Doctrina Christiana cap. 1. dicente : *Signum est, quod præter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire.* Ex qua definitione plane constat signum alterius rei, et non sui ipsius debere esse signum. Unde quando res, vel vox pro se accipitur, improprie se significat, et dicitur se signare naturaliter communiter.

23. *Significare instrumentaliter contingit dupliciter.*

Observandum est tamen, quod significare intrumentaliter dupliciter contingit, naturaliter, vel ad placitum : instrumentaliter naturaliter significat res, qua natura utitur tanquam instrumento ad aliquid aliud significandum, sicut fumus significat ignem naturaliter intrumentaliter. Instrumentaliter ad placitum, sicut homo significat hominem. Significare formaliter contingit uno modo, scilicet naturaliter, sicut notitia, quam habeo de homine naturaliter formaliter mihi significat hominem.

24. *Quatuor sunt quæ se tenent ex parte actus recordandi.*

(c) *Ad secundum conce litur de notitia secundaria*, etc. Nota quod quatuor sunt quæ se tenent ex parte actus recordandi. Primum est quod actus recordandi est semper post tempus, id est, actus recordandi est per aliquod tempus, postquam actus de quo recordamur fuit; est enim actus recordandi de præterito actu, facto ab illo, qui recordatur, ex quo sequitur quod non recordamur de præsentibus, vel futuris. Secundum, quod ille, qui recordatur percipiat, vel in particulari, vel in universali tempus, quod fluxit inter actum præteritum, et actum recordandi. Tertium, quod actus de quo recordamur non sit quando recordamur, quia tunc non esset recordatio ejus de præterito. Quartum quod licet actus ille non sit in se præsens, sit tamen præsens in specie intelligibili, id est, quod habemus speciem intelligibilem, de illo actu, quo recordamur.

Ex his sequitur, quod ad hoc, quod habeamus actum memorandi, qui est complexus, requiruntur multæ notitiæ simplices. Primo requiritur notitia simplex actus de quo recordamur.. Secundo objectum super quod cadit ille actus; deinde requiritur notitia, verbi gratia, Joannis, et temporis præteriti, et mediantibus istis notitiis habemus apprehensivam, qua apprehendimus totum illud objectum : notitiæ omnium rerum sunt complexæ, et abstractivæ, et illis mediantibus habemus recordationem. 25.

Et si quæras, cum notitiæ abstractivæ non habeantur, nisi mediantibus speciebus; species istæ quomodo causantur? Dico quod causantur a rebus intuitive visis, verbi gratia, video Petrum, hoc videre est præsens. Sed quomodo possum ipsius videre recordari? Dico quod potentia, ut illius recordetur, oportet quod habeat notitiam intuitivam illius. Unde nota quod duplex est objectum memoriæ, scilicet propinquum, et remotum : objectum propinquum, est actus humanus; objectum remotum est totum illud, super quod transit actus humanus. Ut recordor me vidisse Pontificem sacris Pontificalibus indutum vestibus: primum objectum, est hoc totum, *recordor me vidisse*, secundum et remotum est, *Pontifex in habitu Pontificali.* 26.

Object… memor… est dup…

Et nota quod primum objectum est semper præteriti, ut præteriti, secundum vero non. Ut possum recordari me vidisse Joannem. Primum objectum, scilicet me vidisse, est semper præteriti. Joannes vero potest esse præsens, et adhuc vivere. Quod intelligas de memoria intellectiva, de qua loquitur Doctor in hac quæstione. Quia de memoria sensitiva est secus, ipsa enim, ut docet Aristoteles lib. de Memoria,et Remin. est præteriti, ut præteritum est, et quoad primarium, et quoad secundarium objectum. Cujus ratio esse potest, quia sensus non cognoscit objectum, nisi secundum aliquam dispositionem, quam habet, quando præcise sentitur, atque adeo post actum jam dispositio illa periit, ergo si debeat recordari, oportet quod recordetur de actu, ut præteritus est, et de illa dispositione, ut præterita est. Aristoteles, lib. 7. Metaph, cap. 35. inquit, abeuntibus sensibilibus a sensu, non est palam utrum sint, an non. 27

Ideo non potest habere recordationem actus sui ut præteriti, quin etiam habeat objecti sensati, ut præteriti.

QUÆSTIO III

Utrum perfecta cognitio causati dependeat ex cognitione omnium suarum causarum

Vide auctores citatos *in quæst. præcedenti.*

Arguitur quod non, quia tunc sequeretur, quod nulla res posset cognosci, nisi Deus cognosceretur, consequens est falsum, quia multæ res sunt faciles ad cognoscendum. Deus autem est difficile cognoscibilis, ut patet 2. Metaph. ubi dicitur, quod sicut oculus noctuæ non potest videre claritatem Solis de die; ita nec intellectus noster substantias separatas ; et patet consequentia, quia omnium rerum Deus est causa.

Secundo sequeretur, quod nulla res posset cognosci, nisi infinita cognoscerentur ; consequens est impossibile : quia cognoscere infinita qualibet cognitione distincta, est impossibile ; et patet consequentia, quia unius rei sunt infinitæ causæ, ut patet secundo hujus.

Tertio, quia cognitio definitiva, et demonstrata, est cognitio perfecta ; sed de aliqua re potest haberi cognitio demonstrata, et etiam definitiva per unam solam causam, igitur ad perfectam cognitionem unius rei non requiritur cognitio omnium suarum causarum. Major patet : nam cognitio demonstrata est perfectissima, eo quod determinat intellectum ad assentiendum : et etiam minor, quia per quodlibet genus causæ potest fieri demonstratio, ut patet 2. Post. Similiter definitio fit per unam solam causam, scilicet formalem ; ergo, etc.

Quarto sequeretur, quod ad cognitionem ignis oporteret cognoscere lumen, et motum, et alium ignem : consequens est falsum, ut patet per experientiam. Patet consequentia, quia ignis natus est produci a quolibet eorum tanquam a causa.

Quinto, quia scientia Mathematica et Metaphysica sunt scientiæ perfectæ, et tamen non dant cognitionem per omnes causas, igitur non cujuslibet rei perfecta cognitio datur per omnes causas. Antecedens patet per Commentatorem in isto 1. ubi dicit quod Mathematicus demonstrat solum per causam formalem, Metaphysicus autem per tres causas : scilicet per efficientem, formam, et finem.

Sexto sequitur, quod in cognitionibus esset circulatio, consequens est falsum, et patet 1. Post. Consequentia patet, quia perfecta cognitio causati dependet ex cognitione causarum; et e contra cognitio causarum dependet ex cognitione effectuum, eo quod effectus in naturalibus sunt notiores suis causis.

Septimo sequeretur, quod Intelligentiæ nullo modo possent cognosci, quod est falsum. Probatur consequentia, quia si sic, hoc esset ex cognitione suarum causarum : modo Intelligentiæ non habent causam nisi Deum, igitur cum Deus sit parum vel difficulter notus, non potest ducere in notitiam Intelligentiarum.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo, text. 1. ubi dicit, quod cujuslibet habentis causas, principia, et elementa, cognitio dependet ex cognitione illorum, et hoc usque ad elementa, et per hoc denotat cognitionem omnium causarum. 3.

In quæstione primo videndum est, quid sit notititia perfecta, et qualiter aliquid perfecte sciatur. Secundo videbitur de quæsito. *Divisio quæstionis*

Quantum ad primum, supponenda est distinctio posita in prima quæstione, videlicet, quod aliquid scitur dupliciter, uno modo, ut conclusio, et sunt isti modi, *scitum, opinatum, creditum* ; et hujusmodi sunt determinationes propositionis, vel conclusionis. Et tunc dico, quod conclusio perfecte scitur, quando determinatur intellectus ad assentiendum conclusioni firmi-

ter, et evidenter, ita ut dissentire non possit. Alio modo aliquid scitur, ut res significata per terminos conclusionis, ut verbi gratia, habemus scientiam de Deo, de hominibus, et de elementis ; et tunc dico (a) quod res naturalis perfecte scitur, vel cognoscitur, secundum omnem modum considerandi, quo possibile est rem illam considerare, et secundum omnes proprietates, et conditiones convenientes sibi, et possibiles convenire; secundum aliquem dictorum modorum considerandi, et cum hoc sciatur, quod pluribus non potest haberi consideratio de illa re, nec quod plures proprietates insunt sibi, nec possunt inesse aliquo dictorum modorum.

4. *De conclusione potest haberi perfecta scientia.*

Ex hoc ponuntur conclusiones. Prima est, quod de conclusione potest haberi perfecta scientia. Probatur, quia de conclusione potest haberi notitia determinans intellectum ad assentiendum firmiter, et evidenter illi conclusioni, sic ut dissentire non possit, igitur de ipsa habetur notitia perfecta. Tenet consequentia per definitionem cognitionis perfectæ : et antecedens apparet de conclusione demonstrata. Unde adeo determinatur intellectus meus ad assentiendum isti conclusioni : *Omnis angulus rectilineus est divisibilis per æqualia*, quod nullo modo potest dissentire, imo nec potest duci ad firmiorem assensum.

Sed objicitur : quia si non potest haberi firmior assensus, tunc sequitur, quod plura media non deberent adduci ad probationem ejusdem conclusionis. Patet consequentia, ex quo unum medium tantum determinat intellectum ad assentiendum, quemadmodum et omnia.

Respondetur, quod media diversa, quæ adducuntur ad probandam aliquam conclusionem, vel sunt determinata, vel non : si sunt determinata, tunc dico quod omnia non faciunt majorem evidentiam, quam unum eorum, et tunc media adducuntur ad istum finem, quod si homo non potest faciliter duci in cognitionem conclusionis per unum eorum mediorum, quod tunc ducatur per aliud ; si autem media non sunt determinata, tunc dico, quod quodlibet illorum affirmat sensum ; et ideo in Mathematicis sufficit unicum medium, in naturalibus autem requiruntur diversa.

Secunda conclusio, quod de nulla re significata per terminos conclusionis potest haberi notitia perfecta per humanum intellectum : et hoc dico propter Deum, quia cognoscit perfecte omnes res, quantum cognoscibiles sunt ; et intelligitur conclusio, ubi per ipsius conclusionis significata fuit aliqua conclusio demonstrabilis, de qua dictum est. Probatur conclusio, quia dato, quod cognoscam aliquas proprietates de una re, attamen impossibile est cognoscere perfecte, an habeat plures proprietates inexpertas, quæ tamen requiruntur ad perfectam cognitionem ex descriptione perfectæ cognitionis. Verbi gratia, licet de adamante cognoscam, quod attrahit ferrum, non possum scire, quomodo insit sibi aliqua proprietas quam ignoravi. 5 *De nu... signi... per te... nos p... haber... fecta... nitio.*

Quantum ad secundum notandum, quod aliqua cognitio, vel scientia potest dici perfecta dupliciter. Uno modo simpliciter, et de tali jam dictum est ; alio modo secundum genus determinatum, ut puta secundum considerationem naturalem. Item quædam est notitia complexa, quædam incomplexa. Item duplices sunt causæ, quædam per se, sine quibus effectus non possunt produci in esse ; aliæ per accidens, quæ concurrunt ad productionem effectus, sed sine illis potest effectus produci, sicut Socrates est causa domus. *Cogn... aliqu... test... perf... dupl...*

Nunc est prima conclusio, De aliqua re possum habere cognitionem incomplexam perfectam sine cognitione omnium suarum causarum. Probatur, quia visio, qua video albedinem, scilicet simplex apprehensio albedinis per visum, est cognitio perfecta incomplexa, et per illam non cognosco omnes causas albedinis, ergo, etc. Major patet quia illa visio albedinis est adeo perfecta cognitio incomplexa, sicut possibile est illam esse : et minor probatur, quia non plus cognosco modo per visionem illam, quam si albedo illa fuisset ab æterno : quia

non plus dependet visio mea ab ipsa nunc, quam dependeret si esset æterna ; sed si albedo esset æterna, non cognovissem causam efficientem albedinis per istam visionem.

7. Secunda conclusio. Ad(b)perfectam cognitionem causati requiritur notitia confusa omnium suarum causarum, et ideo dico notabiliter confusam : quia ad hoc, quod cognoscam hominem, non oportet cognoscere determinate, quod generabatur a Socrate, nec oportet cognoscere distincte omnes partes ejusdem rationis, sed sufficit cognoscere omnes partes, et causas specie distinctas sub nomine specifico. Probatur conclusio : quia de causato non habetur perfecte scientia, donec cesset omnis quæstio dubitabilis, quæ est scibilis de eodem ; sed hoc non fit, nisi per cognitionem omnium causarum.

8. *ot re- rantur perfec- m rei nitio-*

Secundo, quia ad cognitionem istius effectus, oportet cognoscere causam aliquam, et causa illa cognoscitur per suam causam, et sic cum causæ sint sibi invicem causæ, oportebit omnes causas cognoscere. Ex conclusione sequitur exemplificando de aliqua re naturali, sicut de homine ; primo quoad perfectam cognitionem hominis, requiritur cognitio materiæ primæ, et formæ, suarum proprietatum, et conditionum. Secundo oportet cognoscere quatuor elementa, operationes, et modos agendi ipsorum. Tertio oportet cognoscere omnes partes heterogeneas, ut carnem, ossa, venas, sanguinem, et hujusmodi, et conditiones, et proprietates ipsarum partium. Quarto oportet cognoscere quatuor humores in corpore, et conditiones ipsorum. Quinto quod sit compositus ex anima intellectiva, cum corpore, cognoscendo operationes, objecta, et modum cognoscendi ipsius animæ intellectivæ, et potentiarum ipsius. Sexto quod genitus est a sibi simili secundum speciem, cum adjutorio influentiarum, Dei, Cœli, et Solis. Unde Aristoteles in secundo hujus dicit, quod homo generat hominem, et Sol. Septimo oportet cognoscere, quod homo generetur ad felicitatem tanquam ad finem, quæ felicitas ultimate consistit in Deo. Et dato, quod homo cognoscat omnia ista, tamen illa cognitio non est simpliciter perfecta, eo quod dubium est an sint plures proprietates, et conditiones inexpertæ.

Tertia conclusio. Ad perfectam (c) cognitionem Mathematicam, vel Metaphysicam 9.
saltem de substantiis separatis, non requiritur cognitio omnium causarum. Probatur, quia Mathematicus solum demonstrat per definitionem quid nominis, quæ a Commentatore vocatur causa formalis in isto primo. Similiter Metaphysicus solum demonstrat per tres, scilicet per efficientem, formam, et finem, ut dicit Commentator. Ideo patet secundum, qualiter in diversis scientiis diversimode requiritur cognitio causarum ; et hoc de secundo.

Ad rationes. Ad primam concedo, quod 10.
nullus habet perfectam scientiam naturalem de aliqua re, nisi habeat cognitionem de Deo, non sub isto conceptu *Deus*, sed sub isto, *primum agens*, aut *primum movens*, quatenus de ipso determinatur in scientia naturali ; de multis tamen habemus cognitionem naturalem minus perfectam sine cognitione Dei, et ideo sicut cognitio de Deo est difficilis, ita cognitio perfecta de aliqua re naturali, est valde difficilis.

Ad secundam negatur, quod oporteat in- 11.
finita cognoscere: quia sufficit (d) cognoscere causas per se, et non causas per accidens. Vel sic, et melius, quod sufficit cognoscere causas sub conceptu confuso specifico, et non quamlibet distincte per cognitionem sibi propriam.

Ad tertiam dico, quod facit pro prima conclusione, in qua conceditur, quod conclusio potest perfecte sciri ex definitione data : quia definitio naturalis non est bona, nisi exprimat confuse saltem omnes causas rei.

Ad quartam, Sequeretur, etc. Concedo, quod ad perfectam cognitionem de igne oportet cognoscere confuso modo sic, quod ignis producibilis est a qualibet illarum causarum, sed non oportet cognoscere in speciali an genitus sit a lumine, vel a ca-

lore, sicut de Platone non oportet cognoscere, an genitus sit a Socrate, vel a Ruberto.

12. Ad quintam dico, quod in illis scientiis non requiritur cognitio omnium causarum ad cognitionem causati, sed aliquarum tantum, ut patet ex conclusione tertia.

Ad sextam de (e) circulatione dico, quod non est inconveniens arguere circulariter in diversis generibus sciendi, sicut in proposito; nam arguendo a causis ad effectum est processus *propter quid*; et e contra est processus *quia*.

Ad septimam de Intelligentiis, concedo, quod ad perfectam cognitionem Intelligentiæ oportet habere cognitionem Dei; licet per illum non deveniamus in notitiam Intelligentiæ, sed per ejus opera, et effectus, quæ sunt nobis notiora.

ANNOTATIONES

13. *Cognitio perfecta est duplex*

(a) *Et tunc dico quod res naturalis perfecte scitur*, etc. Nota perfectam rei cognitionem duplicem esse: quædam namque est simpliciter perfecta, qua scilicet cognoscitur res, quantum ex se cognoscibilis est, quoad omnia, quæ ex ea cognosci possunt, ita ut penetretur essentia quoad omnes partes, si eas habeat; et inspiciantur omnia, quæ ab ea fluunt, et quæ sunt aliquo modo in potentia ejus, tum etiam omnia a quibus dependet in quocumque genere causæ, et denique ut cognitio talis rei adæquetur ipsius cognoscibilitati. Hæc cognitio appellari solet comprehensiva, qua cognitione Deus Opt. Max. a se solo cognoscibilis est: quia cum sit infinite cognoscibilis, sola infinita cognitione comprehendi potest, quam ipse solus habet; homo autem in hac vita neque Deum, neque aliquam creaturam hac cognitione cognoscere valet.

14. Alia est cognitio perfecta non simpliciter, sed aliquo genere, quando res non cognoscitur secundum quod cognoscibilis est; sed quoad aliqua solum, verbi gratia, in genere cognitionis, quæ habetur per causas intrinsecas; illa dicitur cognitio perfecta, qua res cognoscitur per omnes causas internas, et ita intelligendum est in omni genere causarum. Dicitur etiam cognitio perfecta sub aliquo genere scientiæ, si cognoscantur omnes causæ, quæ sub tali scientia cadunt. Verbi gratia, cognitio, quæ habetur de rebus naturalibus per causas rerum naturalium, dicitur perfecta cognitio, quæ in naturali Philosophia haberi potest, quamvis non cognoscantur omnia, quæ conveniunt rebus naturalibus, quatenus entia sunt; quia talis cognitio ad Metaphysicum potius quam ad Physicum spectat; et similiter cognitio, quæ habetur per principia Mathematica de rebus Mathematicis dicitur perfecta in genere cognitionis Mathematicæ; et denique cognitio cujuscumque scientiæ de suis subjectis dicitur perfecta, quia est cognitio per causas ad talem scientiam pertinentes, licet non cognoscantur in illis scientiis omnes omnino causæ, et affectiones rerum consideratarum. Aristoteles autem non loquitur de cognitione perfecta simpliciter; sed de perfecta in unoquoque genere scientiæ, quod patet ex ejus instituto: omnia enim quæ hoc loco docuit eo pertinent, ut intelligamus quomodo cognitio in unaquaque scientia, præsertim in Philos. naturali tradenda sit.

(b) *Ad perfectam cognitionem causati*, etc. Nota quod ad perfectam rei cognitionem, quæ in quavis scientia tradi potest, requiritur cognitio omnium causarum per se tam internarum, quam externarum, quæ sub tali scientia cadunt. Nam multo perfectius rem cognoscimus sive definitive, sive demonstrative, cognitis omnibus ejus causis, tam internis, quam externis: quam cognitis solis internis, vel solis externis; quare non erit hujusmodi cognitio undequaque perfecta, sine causarum internarum, et externarum cognitione. Adde quod aliæ causæ requiruntur ad Metaphysicam, aliæ ad Mathematicam, aliæ ad Physicum, et aliæ ad moralem Philosophum. Metaphysica enim probat de homine, quod sit ens, substantia, et ea quæ ab his procedunt. Mathematica quantitatem et dimensionem; Physicus naturæ partes, et ea quæ ab eis dimanant. Philosophus vero moralis virtutes, et actus humanos; atque adeo horum quilibet exposcit cognitionem omnium per se causarum rei, de qua tractat.

(c) *Ad perfectam cognitionem*, etc. Nota quod Mathematicus frequenter per formam procedit, probando videlicet passiones per ipsas formas subjectorum; præcipue enim figuras considerat, et per ipsas probat: interdum etiam per materiam suam, a qua non abstrahit, scilicet intelligibilem, nempe quantitatem; considerat enim Mathematicus figuras, et formas, non ut abstractas a quantitate, sed ut in quantitate fiunt; quamvis abstrahat a materia sensibili, quæ est substantia induta qualitatibus sensibilibus; agit enim de triangulo, sive triangulus sit in ligno, sive in ære, sive in ferro. Metaphysicus vero probat per causas formales, finales, et agentes, non tamen per efficientes. Nam Metaphysicus abstrahit a materia, atque adeo probat per causas, quæ a materia abstrahunt, tales autem sunt for-

usam efficientem. males, finales et, agentes. Quod autem non per efficientem, patet, quia causa efficiens efficit per motum. Metaphysicus vero abstrahit a motu sicut a materia. Physicus autem a toto genere utitur quatuor generibus causarum, quamvis non singulas Physicas conclusiones per omnia causarum genera probet. Primum patet, quia Physica a nulla materia nisi a singulari abstrahit. Secundum probatur, quia non oportet, quod semper per omnem causam probet. Sat est enim, ut quasdam conclusiones per hanc, quasdam vero per illam causam demonstret.

17. (d) *Sufficit cognoscere causas per se, non causas per accidens.* Nota quod ad perfectam rei cognitionem sive definitivam, sive demonstrativam, de qua loquitur Aristoteles, non requiritur cognitio causarum per accidens : quia ad definitiones, et demonstrationes conficiendas non assumuntur causæ per accidens ; tum quia ad rei perfectam cognitionem exposcitur causarum cognitio, quia ab illis res dependet in suo esse, at non dependet a causis per accidens, quare, etc.

demonstratione plex est culus. (e) *Dico quod non est inconveniens arguere circulariter*, etc. Nota circulum in demonstratione duplicem esse, videlicet perfectum, et imperfectum. Circulus perfectus est, quando ab omnino eodem regredimur ad omnino idem, quod tunc fieret in syllogismo, si conclusiones cognosceremus per præmissas, et non per aliquod aliud, ipsas vero per conclusionem cognosceremus, et non per aliquid aliud. Circulus imperfectus est, quando non est ab omnino eodem ad idem, qui fieri potest duobus modis. Primo modo quando in uno progressu est demonstratio *quia*, seu *quid est*, in alio vero *propter quid*. Secundo modo fit imperfectus circulus, quando semper procedimus per causam non solum quoad cognosci, sed etiam quoad esse, quamvis in alio genere causæ.

18. Primo modo demonstratio circularis perfecta est impossibilis ut dicit Aristoteles 1. Post. text. 20, quia si cognoscimus conclusiones per præmissas, oportet quod præmissæ sint nobis notiores sua conclusione. Impossibile autem est, ut id quod est nobis notius, cognoscamus per id, quod est ignotius. In demonstratione autem *propter quid* tunc fieret circulus perfectus, si præmissæ demonstrarent *propter quid* conclusionem, et conclusio quatenus est demonstrata *propter quid*, id est, quatenus est effectus præmissarum, demonstraret *propter quid* ipsas præmissas, hoc autem est impossibile, quia fieri nequit ut id, quod est effectus, quatenus effectus est, sit causa suæ causæ, atque adeo circulus perfectus nulla ratione dari potest.

Circulus autem imperfectus primo et secundo modo est dabilis, et quidem primo modo patet : quia in hujusmodi circulo demonstratur effectus per causam demonstratione *propter quid* ; rursus demonstratur causa per effectum, non ut procedens ab effectu, sed ut ad quam reducitur effectus, hoc autem fieri potest, et ab Aristotele et cæteris Philosophis factum est, quia hæc secunda demonstratio non est *propter quid*, sed *quia*. Ut autem perficiatur hujusmodi circulus hoc modo procedendum est, nempe ab effectu cognito per experientiam, aut per aliquid simile debemus ascendere, demonstratione *quia*, seu quod est ad causam, et confirmati in cognitione causæ, et certiores facti de ea, poterimus descendere demonstratione *propter quid* a causa ad effectum. Verbi gratia, video Planetas non scintillare, inde colligo per demonstrationem *quia* illud, quod est causa quare non scintillent, nempe quod sint prope nos. Deinde ex hoc quod Planetæ sunt prope nos, quod cognosco esse causam, quare non scintillent, facio demonstrationem *propter quid*, in qua demonstro per causam Planetas non scintillare. Hoc modo Philosophi naturales ex effectibus cognitis per experientiam, aut aliquo simili modo, colligunt causas, et confirmati aliis argumentis in cognitione istarum causarum descendunt ad effectus, demonstrando eos *propter quid*, et in hujusmodi circulo imperfecto, effectus nunquam sumitur pro causa, et sic optime fieri potest. 19.

Sicut etiam fieri potest circulus imperfectus secundo modo: quia causæ sunt sibi invicem causæ, secundo hujus, cap. 3. In hujusmodi autem circulo, quamvis procedatur a causa ad effectum, et rursus ab illo effectu ad causam, ut a causa ad effectum, tamen talis effectus est causa suæ naturæ in alio genere causæ, atque adeo in hujusmodi circulo semper proceditur a nobis notioribus, quamvis alia via, quam ante in primo discursu, procedamus, et etiam a notioribus secundum naturam, quia quælibet causa, eo quod talis est, notior est secundum se, suo effectu, ut sic causato. Quod dictum est, explicatur exemplo. Deambulatio est causa sanitatis effectiva, quatenus sanitas est effectus ejus, et deambulatio est effectus sanitatis, quatenus sanitas est causa finalis deambulationis. 20.

Fit autem hujusmodi circulus, ut non solum conclusionem, sed etiam præmissas cognoscamus per causam, hoc pacto : Per causam efficientem demonstramus suum effectum, et per istum effectum, non quidem sumptum ut effectus est, sed ut est causa finalis, demonstramus illud, quod ante sumebamus pro causa efficienti. Hoc 21

etiam pacto possumus demonstrare corpus illud, quod substantia proxime collocatur, habere in sua essentia materiam per causam formalem, nempe quia habet formam, et habere formam per causam materialem, scilicet quia habet materiam; possumus etiam demonstrare tam materialem, quam formalem causam extrinsece per efficientem, et efficientem per finalem, et tandem vice versa illud, quod est causa finalis, potest demonstrari per causam efficientem. Et nota quod Cajetan. 1. Post. vocat hanc circularem demonstrationem *propter quid*, eo quod semper proceditur a causa. Cæterum non est potissima demonstratio, quæ communiter dicitur, *quid est*. Potissima enim demonstratio est, quæ procedit per causam formalem metaphysicam, id est, per definitionem constantem ex genere, et differentia.

EXPOSITIO TEXTUS

22. *Text. 2. Text. 3. Text. 4.* *Innata* (1) *autem est*, etc. Hîc ponitur secunda conclusio de ordine procedendi, scilicet quod in naturalibus procedendum est a causatis compositis ad causas componentes. Probatur, quia (2) in omni ordine doctrinæ procedendum est a notioribus nobis ad ignotiora, sed composita sunt notiora nobis simplicibus componentibus; ergo, etc. Major et minor apparent, quia tota composita sunt notiora nobis, et minus nota naturæ, sed causæ componentes e converso; et patet, quia confusa sunt magis manifesta, et illud totum est nobis notius, et per notitiam ipsius devenimus in notitiam elementorum. Sed contra objicitur, ista conclusio contradicit primæ, ergo, etc. Respondetur, quod non, quia ista conclusio ponitur de processu, qui est ab effectu ad causam, sed conclusio prima loquitur de notitia *propter quid*, quæ est a causa ad effectum, et hoc patebit in quæstione.

Vide contra actionem Zimaræ.

QUÆSTIO IV

Utrum eadem sint notiora nobis, et notiora naturæ

Arist. *hîc. text.* 1. Averroes *comm.* 2. Albert. 1. *Phys. tract.* 1. *cap.* 6. Mayron *quæst.* 1. Conimbr. *quæst.* 2. Ruvius *qu.* 4. Roccus *quæst.* 2.

1. Arguitur quod sic, quia omnis scientia perfecta procedit per causas, et a priori; sed scientia naturalis est scientia perfecta, igitur ipsa procedit per causas, at ipsa procedit ex notioribus nobis, igitur causæ sunt notiores nobis, sed causæ sunt notiora naturæ, ut patet primo hujus, igitur eadem sunt notiora nobis, et notiora naturæ.

Secundo, quia vel per naturam intelligitur natura non cognoscens, et sic nihil est sibi notius, vel ignotius: vel intelligitur natura cognoscens, et tunc vel intelligentia separata, et hoc non; quia intelligentiæ separatæ non sunt diversæ notitiæ, quarum una sit potior altera, cum ipsa intelligat per suam simplicissimam essentiam. Si per naturam intelligatur anima nostra; tunc cum eadem sint notiora nobis, et animæ nostræ, sequitur, quod eadem erunt notiora nobis, et naturæ.

Tertio, ubi ita esset, hoc esset pro tanto, quia compositum est notius nobis, et suæ causæ sunt notiores naturæ, ita ut universaliter effectus sint notiores nobis suis causis, hoc est falsum; quia adamas est notior nobis, quam sit virtus ipsius, mediante qua attrahit ferrum, et tamen virtus illa est effectus adamantis.

Quarto, nisi eadem essent notiora nobis, et naturæ, sequeretur quod idem esset notius, et ignotius respectu ejusdem, quod est impossibile, et probatur consequentia: quia agens, et finis sunt sibi invicem causæ, igitur cum causa sit notior naturæ, sequitur quod agens est notius naturæ, quam finis, et quia finis est causa agentis, tunc sequitur quod finis est notior agente, et sic agens est notius, et minus notum fine, quod est impossibile.

Quinto, quia anima nostra est notior nobis, eo quod experimur ipsam, et cum hoc est notior naturæ, eo quod est causa compositi, igitur idem est notius nobis, et naturæ.

Sexto, quia principia Mathematicæ sunt notiora nobis, et etiam naturæ, quam sint conclusiones inde sequentes, igitur eadem sunt notiora nobis et naturæ. Antecedens apparet, nam istud principium. *Omne to-*

tum est majus sua parte, est notius cuilibet cognoscenti, quam sit aliqua conclusio sequens ex illo principio.

3. Oppositum arguitur per Aristotelem in 1. hujus, text. 4. et 5. ubi per hoc probat, quod in scientia naturali procedendum est a totis compositis ad partes componentes.

Divisio quæstionis. In quæstione primo videbimus quæ sunt notiora nobis. Secundo quæ sunt notiora naturæ.

Quantum ad primum, notandum quod aliquid potest dici notius dupliciter, uno modo intensive, sicut illud quod habet plures gradus cognitionis. Alio modo dicitur notius, quia prius notum, et hoc intelligitur dupliciter;(a)uno modo,quia prius tempore, et sic major prius tempore cognoscitur conclusione ; alio modo prius natura, et sic minor prius cognoscitur quam conclusio.

Secundo notandum, quod omnis notitia intellectiva originatur altero duorum modorum, scilicet, aut ex sensu, aut ex naturali inclinatione intellectus, et ideo duplicia sunt principia, quædam quæ habentur per sensum, et experientiam ; et alia, quæ habentur ex inclusione terminorum in significando, vel ex non repugnantia, quibus intellectus assentit ex sua inclinatione naturali, habita significatione terminorum, sine aliqua ratione determinante ipsum intellectum, et talia sunt principia Metaphysicæ, ut *quodlibet est, vel non est* ; *omne totum est majus sua parte*,et hujusmodi.

4. Tertio sciendum, ex quo omnis notitia intellectiva originatur ex principiis acceptis per sensum, aut per naturalem inclinationem intellectus, quod illa conclusio quæ facilius et evidentius deducitur ex istis principiis, est notior aliis, quæ minus evidenter deducuntur ex illis, et ideo si de aliquibus duobus principiis, vel conclusionibus scire velimus, quod sit notius alio, debemus attendere, quod istorum facilius deducatur ex sensatis, aut quod est facilius reducibile in primum principium acceptum ex inclinatione intellectus.

5. Ex hoc sit prima conclusio ista : Semper principium, per quod probatur aliqua conclusio, notius est illa conclusione, et hoc intensive. Probatur, quia principium est causa effectiva saltem instrumentalis notitiæ conclusionis, igitur notitia conclusionis non est tanta intensive, quanta est notitia principii. Tenet consequentia, quia agens aliquem effectum sine adjutorio alterius, non potest producere effectum sibi æqualem, ut corpus luminosum non potest causare tantum lumen in medio, quantum habet in seipso : similiter caliditas non potest producere in aliud subjectum caliditatem sibi æqualem sine adjutorio caliditatis productæ sibi coagente, etc.

Secundo, quia illud est notius intensive, quod propinquius, et evidentius reducitur ad primum principium, sed principium, per quod probatur illa conclusio propinquius et evidentius reducitur ad primum principium, vel ad principium expertum, quam illa conclusio ; ergo, etc. Major probatur per prænotata, et minor apparet,quia in ordine reducendi ad primum principium, prius probatur principium, quam conclusio per ipsum probata. 6

Tertio, quia difficilius obliviscitur notitia principii, quam conclusionis dependentis ex illo principio, igitur notitia principii est intensior, et hoc est verum, quando illa notitia solum est per illud principium.

Contra conclusionem objicitur, et probatur quod notitia principii et conclusionis pariformiter remittantur,stante evidentia primi principii ad conclusionem. Tunc si ita esset, sequeretur quod aliquis haberet notitiam principii, et non haberet notitiam conclusionis, et cum hoc sciret consequentiam esse bonam, et quod cum hoc sciat consequens ; et patet consequentia, quia ex quo notitia conclusionis est minor, tunc ipsa esset tota remissa ad unum gradum, quando adhuc stabit aliquod de principio, et tamen tenet consequentia, et est evidens; sequitur propositum. 7.

Respondetur quod impossibile est, notitiam conclusionis et principii æqualiter remitti ad unum gradum,sicut consequentiæ

remittantur æqualiter de utroque vero, unde semper oportet plus remitti de notitia principii, quam conclusionis.

8. *Sensibiliora sunt nobis notiora.* Secunda conclusio : universaliter sensibiliora sunt notiora nobis minus sensibilibus. Probatur, quia ex quo cognitio nostra originatur ex sensu, oportet illa esse notiora, quæ sunt sensibiliora. Ex quo patet, cæteris paribus, quod illud quod sentitur pluribus sensibus, notius est, quam illud, quod sentitur uno tantum.

Effectus sunt nobis notiores suis causis Tertia conclusio : ut in pluribus effectus sunt nobis notiores, quam suæ causæ : probatur. Nam compositum naturale est notius, quam sit ejus materia, vel forma, et ita inducendo in aliis ; et dico notabiliter ut in pluribus, quia aliquando contingit oppositum. Unde cœlum est nobis notius, quam sit influentia causata a motu, et lumine, per quam agit in istis inferioribus, similiter de adamante, ut supra dictum fuit. Patet igitur quæ sunt notiora nobis, quia principium suis conclusionibus et sensibiliora minus sensibilibus, et hæc de primo.

9. *Quid intelligatur per naturam quando dicitur, Non sunt eadem notiora nobis, et naturæ.* Quoad secundum, notandum, quod quantum ad notitiam naturæ, potest intelligi dupliciter, uno modo de substantia separata, quæ est Deus, vel Intelligentia, et talis cognoscit unica intellectione æterna, quæ est sua essentia, et hoc est simpliciter verum de Deo; tamen Theologi non concedunt simpliciter de Intelligentiis. Unde probatur, quod Intelligentia possit habere cognitionem novam simpliciter ; quia Intelligentia non habet cognitionem de quolibet futuro contingenti, quia si illam haberet, cognosceret æque perfecte omnia sicut Deus, et tunc arguitur sic, capiendo unum futurum contingens, quod cognoscat Intelligentia, postea illud futurum ponatur in esse, et sit Antichristus, tunc arguitur : Intelligentia nunc cognoscit Antichristum, et prius non cognovit ipsum, quia prius erat futurum contingens, igitur Intelligentia mutata est per novam cognitionem ; verum est tamen, quod (b) Intelligentia habet aliquam cognitionem æternam, et hoc differt ab intellectu nostro, cujus omnis cognitio est nova. Alio modo intelligitur de natura particulari, ut de isto igne, vel aqua non categorematice, quod aliquid sit sibi notum, sed hypothetice si cognosceret, quæ essent sibi notiora.

Tunc sit ista conclusio, quod naturæ notiores sunt causæ suis effectibus. Probatur, quia sicut est in artificialibus, ita in naturalibus, cum natura sit artifex rerum naturalium ; sed in artificialibus causæ operis sunt notiores artificio, ut patet, quia factor domus prius cognoscit lapides, et ligna, quam domum, igitur ita est in naturalibus. 10.

Secundo, quia causæ sunt priores suis effectibus, igitur et prius notæ a natura, tenet consequentia, quia natura cognoscit res sicuti sunt.

Contra conclusionem arguitur, quia illud est notius naturæ, quod est magis perfectum, et majoris entitatis, quia de perfectioribus natura magis est sollicita; modo totum compositum perfectius est suis partibus, cum includat perfectionem suarum partium; ergo, etc.

Secundo, illud est notius naturæ, quod magis intenditur a natura, et cujus similitudo esset fortius impressa naturæ, si natura cognosceret; modo similitudo totius compositi esset fortius impressa naturæ, si natura cognosceret, eo quod compositum magis intenditur a natura; ergo, etc.

Respondetur, quod compositum (c) potest dici notius dupliciter; uno modo, quia est perfectius cognoscibile secundum naturam, et sic dicit Aristoteles, quod Deus est in natura notissimus ; unde 2. Metaph. dicit, quod sicut oculus noctuæ se habet ad lumen Solis in meridie, ita intellectus noster ad manifestissima in natura. Alio modo aliquid dicitur notius naturæ, eo quod magis intenditur a natura, et species ejus esset magis impressa naturæ, si natura cognosceret. Alio modo non, quia species sua esset fortius impressa, sed quia esset prior in motu illo, quo producitur res fienda. Verbi gratia, scribens litteram habet intentionem totius litteræ fortius impressam 11. *Compositum [...] dici [...] dupliciter*

menti suæ, quam habeat intentionem partis litteræ; attamen intentio partis litteræ naturaliter procedit in motu protractionis litteræ. Tunc dico, quod causæ non sunt notiores naturæ, eo quod sint perfectiora cognoscibilia secundum naturam : et per hoc solvitur prima objectio, nec causa dicitur notior ex eo, quod ejus similitudo esset fortius impressa naturæ ; nam sic totum compositum est notius naturæ partibus componentibus : sed illo modo causa est notior naturæ, id est, naturæ in motu faciendi rem ex suis causis, prius occurrit intentio causæ, quam causati, ut declaratum fuit in exemplo de littera. Patet igitur quæ sunt notiora naturæ.

...usæ quomodo dicuntur notiores.

12. De tertio sit prima conclusio : ut in pluribus non sunt eadem notiora nobis, et notiora naturæ. Probatur, quia ut in pluribus effectus sunt notiores nobis, et semper causæ sunt notiores naturæ, etc.

...terdum eadem ...nt nobis ...tiora et ...turæ.

Secunda conclusio, aliquando eadem sunt notiora nobis, et notiora naturæ. Probatur, quia aliquando causæ sunt notiores nobis ; igitur aliquando eadem sunt notiora nobis, et naturæ. Tenet consequentia, quia semper causæ sunt notiores naturæ. Antecedens apparet, quia cœlum est notius sua influentia : similiter homo quam actus suus intelligendi, et hoc totum quod dictum est, est verum in scientia naturali, et ideo de aliis scientiis sit ista conclusio : In aliis scientiis universaliter eadem sunt notiora nobis, et notiora naturæ ; excepta parte Metaphysicæ, quæ determinat de substantiis separatis : nam illa procedit ab effectibus ad causas. Probatur conclusio : nam principia Mathematicæ sunt simpliciter notiora et naturæ, et nobis : similiter in Metaphysica notiora sunt principia conclusionibus. Item in Grammatica, litteræ et syllabæ sunt notiores nobis, quæ sunt causæ orationum, et per consequens sunt notiores naturæ. Similiter in Logica termini sunt notiores nobis, quam argumentationes compositæ ex terminis. Similiter in moralibus actus humani, sunt notiores nobis, quam virtutes generatæ ex illis actibus. Patet igitur inductive, qualiter in aliis scientiis a scientia naturali idem est notius nobis, et naturæ.

Et si objiciatur, ex quo effectus sunt nobis simpliciter notiores, sequitur quod nunquam potest fieri regressus a cognitione causarum ad cognitionem effectuum ; et sic in scientia naturali nunquam haberemus notitiam *propter quid.* Probatur consequentia, quia *propter quod unumquodque tale, et ipsum magis* ; igitur cum causæ cognoscantur per effectum, sequitur quod effectus semper sunt notiores, et per consequens regressus ille ad causas petit principium. Respondetur negando consequentiam. Ad propositionem, *propter quod unumquodque*, etc. intelligitur de causa sufficienti. Modo dico, quod cognitio effectuum non est sufficiens ad cognitionem causarum, et ideo intellectus cum habuerit aliquas notitias de causis per effectus mediante discursu et inclinatione intellectus, inquirit ulteriorem cognitionem de causis, qua habita fit regressus ad cognitionem effectuum per suas causas, et talis est scientia *propter quid.* 13.

Ad secundam dico, quod intelligitur de utraque, de natura non cognoscente conditionaliter sic, ut si cognosceret prius cognosceret causas, similiter intelligitur de natura cognoscente, ut Intelligentia, et non obstante, quod in Intelligentia non sint diversæ cognitiones, attamen potest cognoscere unam rem prius altera, saltem naturaliter, licet non tempore, cum omnia cognoscat ab æterno. Et cum arguitur de anima nostra, dico, quod in effectibus, qui sunt a nobis, anima prius cognoscit causas, ut patet in artificialibus. 14.

Ad tertiam concessum est aliquibus causis, quod sunt notiores nobis, quam effectus.

Ad quartam negatur consequentia ; quia istud intelligitur de causis, ex quibus aliqua res fit ; quod illæ cognoscuntur per prius a natura, quam res illæ factæ ex eis, et e contra de nobis.

Ad quintam dico, quod anima est notior naturæ, et non nobis. Et cum dicitur, nos

experimur animam, verum est per ejus effectus, et opera, et ideo illi effectus sunt notiores.

Ad sextam concessum est in ultima conclusione, quod in aliis scientiis a naturali, idem est notius nobis, et naturæ.

ANNOTATIONES

15. (a) *Uno modo quia prius tempore*, etc. Nota quod Arist. 1. Post. t. 3, docet quo ordine intelligantur præmissæ ante conclusionem, et quomodo conclusio intelligatur post præmissas; dicitque quod major propositio universalis potest prius tempore cognosci, quam conclusio, minor vero cognita majori non potest cognosci prius tempore, sed solum prius natura, quam conclusio; verbi gratia, *Omne sensibile habet sensum tactus, omne animal est sensibile, ergo omne animal habet sensum tactus*. Major hujus demonstrationis potest cognosci per tempus absque conclusione, si tamen cognoscitur minor, simul tempore cognoscitur et conclusio. Vult ergo Arist. quod prius natura utraque præmissa cognoscitur conclusione: quoniam cognitio utriusque præmissæ est causa cognitionis conclusionis, si vero loquamur de prioritate temporis, tunc cognitio majoris est prior tempore cognitione conclusionis; quoniam cognita majori adhuc superest cognoscenda alia propositio, nempe minor, antequam conclusio cognoscatur formaliter, et proprio conceptu; at vero si cognita majori cognoscas etiam minorem, tunc simul cum minori simultate temporis cognosces formaliter, et proprio conceptu conclusionem.

Præmissæ quomodo prius conclusione cognoscantur.

Dixi notabiliter *formaliter, et proprio conceptu*, quia demonstrationis conclusio bifariam intelligi potest, primo formaliter, et conceptu proprio ipsius conclusionis, qui terminatur ad ipsam conclusionem. Secundo virtualiter, et in universali, ut quando non formamus conceptum ipsius conclusionis, sed solum formamus conceptum de ea re, ex qua conclusio potest colligi, vel in qua conclusio continetur, quasi in quodam universali. Cognitio primo modo est simpliciter cognitio; sed cognitio secundo modo est cognitio secundum quid, nempe virtualiter, et in alio. De hac secunda cognitione loquens Aristoteles ubi sup. text. 4. dicit conclusionem cognosci simul cum præmissis, et quod majus est, simul cum ipsa majori: nam cognita majori simpliciter, simul cognitione secundum quid, et virtualiter cognosco conclusionem; non quod tunc temporis producam diversos actus cognoscendi: solum enim produco cognitionem majoris: sed quoniam conclusio continetur virtualiter sub majori, quasi sub quodam universali, et cognita majori possumus ex ea devenire in cognitionem conclusionis; tunc enim dicimur cognoscere aliquam rem virtualiter; et in universali, quando cognoscimus formaliter illud sub quo res illa continetur, et ex quo possumus devenire in cognitionem illius rei. Verbi gratia, cognita hac majori cognitione propria, et formali, *Omne animal rationale est risibile*, cognoscimus virtualiter, et in universali hanc conclusionem, *Omnis homo est risibilis*, quoniam hæc conclusio continetur sub illa majori tanquam sub suo universali: major enim significat rem omnem, quæ est animal rationale, esse risibilem, et sub ista quodammodo continetur hæc alia, *Omnis homo est risibilis*.

Conclusio demonstrationis bifariam potest cognosci.

(b) *Verum est tamen, quod Intelligentia habet aliquam cognitionem æternam* etc. Nota quod hoc verum est juxta principia Aristotelis. Cæterum secundum Theologos et veritatem, cum Intelligentia sit creata in tempore, nullam habet cognitionem æternam, atque adeo sumitur hîc *æternum* pro coævo, ita ut sit sensus, quod Intelligentia habet aliquam cognitionem coævam. 17.

(c) *Compositum potest dici notius dupliciter* etc. Nota quod notius natura est idem quod notius secundum se, id est, quod spectata rei entitate, est magis cognoscibile, et cum cognoscibilitas rei sit ratione entitatis, id erit magis cognoscibile secundum se, quod magis habet de entitate; quapropter hoc quod minus habet de entitate, est minus cognoscibile incipientibus dicere, eo quod cognitio addiscentium est imperfecta, atque ita prius cognoscunt id, quod imperfectius, et quod secundum se est minus cognoscibile. Quod comprobat Aristoteles 7. Metaphys. text. 4. dicens, *Quæ singulis nota, et priora sunt, sæpenumero parum nota sunt, et parum, aut nihil habent veritatis, qui illorum cognitione sunt præditi*. Secus est de doctis viris: his enim quæ natura sunt notiora, id est, quæ secundum se cognoscibilia sunt, etiam sunt magis nota, veluti principia, et causæ. Unde sic habet Aristoteles: *Principia vero, et causas rerum cognoscere paucis contingit, atque illis doctis*.

Sensus ergo verborum Aristotelis, Non sunt eadem nobis nota, et naturæ, est, quod illa quæ sunt perfectiora non sunt nobis primo distincte cognita, sed potius imperfectiora. Nam cognitionem nostram distinctam speciei, præcedit distincta cognitio superiorum, hæc autem superiora sunt minus perfecta, quam species, quæ natura, id est, secundum se est magis nota, id est, magis perfecta; atque adeo cognitione distincta, et scientifica imperfectiora sunt magis nota nobis, naturæ vero magis perfecta, et per 18

Explicatur ... Arist. Non ... eadem ... bis n... natur...

consequens non eadem sunt nobis nota, et naturæ. Et hunc ordinem servavit Aristoteles in docendo hanc scientiam, quia prius tractat de materia, et forma, et rursus de causis entis mobilis, et deinceps prosequitur alia de ente mobili. Insuper in consideratione principiorum prius inquirit in universali quot sint, et postea de quolibet illorum. Ex hoc sequitur, sensum Aristotelis illis verbis ab universalioribus, et nobis notioribus, naturæque minus notis, ad naturæ notiora nobisque minus nota esse progrediendum, esse tradere modum nostræ cognitionis in qualibet scientia, ita ut semper quælibet cognitio scientiæ in addiscentibus incipiat ab universalioribus conceptibus præsupponendis in illa scientia.

19. Secundo sequitur: In scientia physica non omnes conceptus universaliores esse comprehendendos ad subjecti sufficientem cognitionem, sed ea tantum communia, et universalia, quæ satis sunt ad Physicam notitiam habendam : qualia sunt, quæ Aristoteles inquirit, videlicet an sint plura principia, vel unum ; an sint contraria, etc. Ita sentit Scotus in 3. distinctione 24. ubi sic ait. ***Scientia naturalis prout præcedit Metaphysicam habet suos terminos confuse notos, sed Metaphysica mediante definitione exprimit distincte notitiam illorum, et tunc est perfectior, quando est cum Metaphysica.***

Tertio sequitur, quod quando Aristoteles exemplificat in toto, loquens de nobis notioribus, loquitur de magis noto nobis cognitione confusa. Nam totum quia est magis perfectum, est cognitione distincta naturæ magis notum. Cæterum cognitione confusa est nobis magis notum quam naturæ, eaque nos prius tale perfectum, et totum confuse cognoscimus : natura vero ipsum prius distincte cognoscit.

20. Et si dicas : Aristoteles docet incipiendum esse a notioribus nobis, et naturæ minus notis, et in prima conclusione dixit; incipiendum esse a principiis, et causis, quare principia, et causæ erunt nobis magis nota. Dico, quod Aristoteles loquendo de ordine ex parte rerum dixit in prima conclusione esse incipiendum a principiis, quia principiata nequeunt distincte cognosci sine principiis; quando vero dixit in secunda conclusione a notioribus nobis esse incipiendum, et non eadem esse nota nobis, et naturæ, voluit dicere, quod in cognitione talium principiorum ab illis universalioribus rationibus incipiendum est, quæ nobis notiores sunt, quam naturæ : quia hîc magis notum natura intelligit magis intentum, quales non sunt illæ universales rationes a quibus incipiendum est.

EXPOSITIO TEXTUS

Unde ex (1.) *universalioribus*, etc. Hîc ponit tertiam conclusionem, scilicet, quod ad cognitionem principiorum, causarum, et elementorum procedendum est ex universalibus ad singularia, id est, minus universalia. Probatur primo, quia sicut se habet totum integrale ad sensum, ita totum universale ad intellectum ; sed totum integrale notius est secundum sensum, igitur et totum universale notius est secundum intellectum. Major patet per convenientiam istorum ad invicem : quia sicut totum integrale continet multas partes sensibiles ; ita totum universale continet multas partes subjectivas . Secundo probatur idem, quia ab illis est procedendum, quæ sunt magis confusa, ad illa quæ sunt minus confusa et determinata ; sed universale est confusum, et indeterminatum, et minus universale est magis determinatum, ergo etc. Major patet, quia confusa sunt nobis notiora, ut patet in exemplo : quia definitum significat confuse illud idem, quod definitio significat determinate, et distincte; modo res notior est sub conceptu definiti, quam sub conceptu definitionis, ut si dicatur juveni, affer circulum, bene intelliget quod dicitur ; sed si dicatur , affer figuram planam, cujus circumferentia, etc. non intelliget. Tertio probatur per signum, quia pueri in principio appellant omnes homines patres, et mulieres matres, sed posterius in processu temporis determinant sibi patrem, et matrem. Et ista conclusio est sic intelligenda, quod facilius est rem cognoscere, sub conceptu universaliori, quam sub conceptu minus universali, licet in illis, quæ consueta sunt nobis sine differentia sensibili temporis, occurrant nobis res sub utroque conceptu. 21. *Text.* 5.

QUÆSTIO V

Utrum magis universalia sint notiora minus universalibus

Aristot. 1. *Phys. text.* 4. D. Thom. *lect.* 1. Themist. Simpl. Averr. *ibid.* Albert. 1. *Phys. tract.* 1. c. 6. Mayron. *q.* 1. Canonic. *q.* 2. Conimb *quæst.* 3. Ruvius *quæst.* 3. Roccus *quæst.* 2.

1. Istius quæstionis multiplex est sensus et ne (a) procedam in æquivoco, primus sensus est, *Utrum universalia*, id est causæ universales sint notiores minus universalibus. Et de isto certum est, quod non : quia tales causæ universales, scilicet substantiæ separatæ sunt valde difficulter cognoscibiles, ut patet secundo Metaphys. text. 1. Secundus (b) sensus potest esse: Utrum universalia secundum existentiam sint notiora singularibus; et certum est quod non. Tertius sensus, Utrum terminus universalis sit notior termino minus universali, et hoc non est ad propositum, quia tales termini (c) non cognoscuntur nisi reflexe. Quartus sensus : Utrum propositio universalis sit notior propositione minus universali. Et tunc de hoc est distinguendum, quia quædam sunt principia, acquisita in nobis per experientiam, et in talibus oportet cognoscere aliquas singulares, priusquam cognoscatur propositio universalis; sed non oportet omnes præcognoscere, quia prius cognosco quod omnis ignis est calidus, quam cognoscam de isto igne, quod est calidus.

2. Alia sunt principia acquisita in nobis ex naturali inclinatione intellectus ad verum. Et in illis præcognoscitur universalis. Unde prius cognosco, quod omnis linea est divisibilis per æqualia, quam cognoscam de ista linea, quod sit divisibilis per æqualia; et eodem modo est de quibusdam sequentibus ex principiis, quod prius cognoscitur conclusio universalis, quam particularis; verbi gratia, ex isto principio, *Omnis lactuca sanat febrem calidam*, cum uno alio sibi adjuncto, scilicet quod *contraria contrariis curantur*, infertur ista, quod *omnis lactuca est frigida*, quæ prius cognoscitur, quam aliqua sua singularis. Quintus sensus, Utrum propositio facta de terminis communioribus, cæteris paribus sit notior propositione facta de terminis minus communibus. Et Commentator videtur dicere, quod sic, super isto primo; et ideo dicit, quod liber Physicorum præcedit alios libros naturales, eo quod propositiones illius libri sunt notiores, eo quod sunt factæ de terminis communioribus; verbi gratia, notius est, quod omnis motus est de contrario in contrarium, quam quod omnis alteratio est de una qualitate contraria in aliam contrariam. Sed istud non est universaliter verum : quia de terminis valde notis possunt formari propositiones multum dubiæ, et inevidentes.

Sextus sensus est, utrum res prius cognoscatur sub conceptu universaliori, quam sub conceptu minus universali; et in isto sensu intelligit Aristoteles. Et ideo arguitur quod non; quia omne agens naturale non impeditum in passum sufficienter dispositum producit prius suum effectum perfectissimum, quia non apparet, quare impediatur. Sed objectum extra est agens naturale non impeditum, et ejus effectus perfectissimus est conceptus speciei, vel conceptus singularis, et passum, scilicet sensus, vel intellectus, est sufficienter dispositum ad recipiendum ; igitur primo producit conceptum speciei, vel conceptum singularis, qui est perfectior, eo quod continet omnes alios conceptus.

Secundo sequitur, quod quando primo videbimus Socratem, vel aliud objectum, quod magnum tempus esset, priusquam conciperem ipsum sub conceptu speciei specialissimæ, vel sub conceptu singularis, ex quo oporteret procedere per omnes conceptus, a generalissimo usque ad singularem, secundum proprietatem temporis; sed consequens est falsum. Probo, quia non experimur. Similiter non apparet, quod inventus sit talis ordo conceptuum. Similiter de

visibilibus consuetis istud non est verum ; imo apparet nobis oppositum.

4. Tertio, quia res percipitur a sensu, prius sub conceptu singulari, quam universali ; igitur non prius concipitur sub universali. Tenet consequentia, quia conceptus universalis non causatur in intellectu, nisi præhabita cognitione, quam habuit sensus : quia solum intelligit universale abstrahendo conceptum universalem a circumstantiis singularibus : et antecedens apparet, quia sensus solum cognoscit singulare, ut patet 1. Post. text. 49. et 2. de Anima, text. 60.

Quarto sequitur, quod Metaphysica esset prior aliis scientiis via doctrinæ : consequens est falsum, per Avicennam in 1. suæ Metaphysicæ. Probatur consequentia, quia Metaphysica determinat de rebus sub conceptibus universalissimis, igitur cum illi sint notiores, sequitur quod Metaphysica est scientia notissima, et per consequens prior aliis via doctrinæ.

Quinto, quia res est notior sub conceptu definiti, quam sub conceptu minus universali. Tenet consequentia, quia definitio, vel saltem pars definitionis, est universalior, quam sit definitum : imo dicit Linconiensis 2. Posterior. quod aliqua est definitio, cujus quælibet pars se habet in plus, quam definitum, sed tota definitio se habet æqualiter.

5. Sexto, ponatur quod Socrates sit prope me, ita ut cognoscam ipsum sub conceptu singulari, correspondente isti termino *Socrates*, deinde elongetur Socrates continue, donec propter distantiam non appareat bene, an sit homo, vel brutum, et ita continue elongetur usquequo non appareat. Tunc in isto casu accidit totum contrarium conclusioni : nam Socrates prius concipitur conceptu singulari, deinde conceptu specifico, et ita consequenter usque ad conceptum substantiæ, vel ad conceptum transcendentis devenitur.

6. Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo, text. 4. Notandum, quod duplex (d) est conceptus universalis, quidam cum circumstantia particulari sibi appropriata ut hoc ens, hoc corpus, et hujusmodi. Alius est sine tali circumstantia, ut homo, animal, et hujusmodi ; et differunt isti conceptus ab invicem, primo quoad hoc (e) quod intellectus habet actualiter conceptum universalium cum circumstantia particulari, aut cum pluribus circumstantiis particularibus, oportet, quod actualiter respiciat, et intendat ad phantasmata causata ab illo cujus est ille conceptus : sed ad hoc, quod habeat conceptum universalem sine hujusmodi circumstantia, non requiritur, quod actu intendat ad phantasmata, sed requiritur, quod alias respexerit ad illa, et intenderit.

Conceptus universalis est duplex.

Secundo differunt sicut causa, et causatum. Nam conceptus universalis cum circumstantia particulari est causa effectiva instrumentalis conceptus universalis sine tali circumstantia. Unde cum sensus, vel intellectus percipit objectum prius sub hoc conceptu, *hoc ens*, deinde sub isto, *hoc corpus*, et sic consequenter usque ad conceptum individui ; verbi gratia, Socratis, tunc intellectus habito hoc conceptu, *hoc ens*, de Socrate, abstrahit circumstantias particulares eliciendo simplicem conceptum, scilicet ens, et sicut dictum est de isto conceptu, ita proportionabiliter de aliis suo modo. 7.

Tertio differunt, quia brutis, et pueris non utentibus ratione, bene insunt conceptus cum circumstantiis particularibus : sed alii conceptus nequaquam, quia tales habentur per rationem, et discursum intellectus.

Secundo sciendum, quod isti conceptus conveniunt ad invicem. Primo, quia neuter illorum potest causari ab aliqua re futura, sed quilibet requirit in sua generatione objectum actu movens sensum, vel intellectum ; tamen illi conceptus licet non causentur a rebus futuris, tamen sunt significativi rerum futurarum. Secundo conveniunt ; quia sicut in ordine conceptuum simplicium sine circumstantiis particularibus, unus conceptus est universalior alio, ut puta animal, quam homo ; ita in ordi- 8.

ne conceptuum cum illis circumstantiis est unus universalior alio, ut puta *hoc ens*, huam *hoc corpus*, et ita consequenter, et hujusmodi circumstantiæ particulares solebant vocari ab antiquis conditiones individuales. Tertio conveniunt, quia in neutro illorum ordinum potest esse aliquis conceptus simpliciter simplex: imo quilibet ad minus esset repræsentans diversorum similium, sicut declaratum fuit de duobus ovis in quæstione alia.

9. *Conceptuum ordo.* Tunc ponuntur conclusiones. Prima est, quod(f) in ordine conceptuum universalium cum circumstantiis singularibus, semper prius concipitur res sub conceptu universaliori, quam sub minus universali. Probatur, quia quando aliqua duo, puta A, et B, sic se habent, ut quælibet causa sufficiens producere alterum illorum, ut puta B, sufficiat etiam producere reliquum, et non e contra, prius dicitur producere ipsum A, quam ipsum B: sed sic se habent conceptus universalior, et conceptus minus universalis, quod a quocumque potest produci conceptus minus universalis, ab eodem potest produci conceptus universalior, et non e contra; igitur semper quodlibet objectum quod sufficiens est producere utrumque, prius producit conceptum universaliorem, quam minus universalem.

10. Ex isto sequitur, quod alicui communitati potest esse notus conceptus universalis, et tamen nullis duobus illius communitatis nota essent aliqua singularia illius; patet, si quilibet illorum de communitate deveniat in notitiam illius universalis per aliud, et aliud singulare, v. g. si unus deveniat in notitiam animalis sub isto conceptu animalis causato a leone, et alius sub eodem causato a bove, et tertius sub eodem causato ab homine, et sic de aliis; tunc toti communitati notus est ille conceptus, et tamen nullum singulare ipsius notum esset pluribus.

Secundo probatur conclusio, quia semper confusa sunt notiora nobis, quam magis distincta: modo universaliora sunt magis confusa, et minus universalia magis distincta; igitur res prius concipitur sub conceptu universaliori, quam sub conceptu magis distincto; et hoc patet exemplariter de pueris, qui in principio appellant omnes homines patres, et omnes mulieres matres, sed postea habita cognitione perfectiori, determinant sibi patrem et matrem.

Secunda conclusio. In ordine conceptuum 11.
universalium simplicium sine circumstantiis particularibus, semper res est notior sub conceptu universaliori, quam sub minus universali. Probatur, quia intellectus elicit hujusmodi conceptus universales simplices abstrahendo circumstantias particulares, mediantibus quibus recipiebantur in sensu, et in phantasia; igitur primo ordine, quo conceptus illi cum circumstantiis recipiebantur in sensu a phantasia, eodem ordine et intellectus abstrahit hujusmodi circumstantias; sed prius tempore res concipitur sub conceptu universaliori cum tali circumstantia; igitur prius tempore intellectus abstrahit circumstantiam particularem a conceptu universaliori, quam minus universali, et per consequens res prius cognoscitur sub tali conceptu, quam sub minus universali.

Tertia conclusio. Tempus perceptionis 12.
hujusmodi conceptuum judicatur per assuefactionem cognitionis cognoscibilium. Patet, quia a visibilibus consuetis videtur tempus illud esse adeo modicum, ut non experiatur, sed in illis quæ non sunt consueta videri bene apparet successio; ut si aliquis videat valde a remotis, prius percipitur quod sit corpus, deinde cum fuerit aliqualiter magis propinquum, ut possit percipi motus, vel figura, aut hujusmodi dispositio, percipitur quod sit animal; deinde magis appropinquando cum percipitur rectitudo staturæ, et hujusmodi, concipitur quod sit homo, et ita tandem quod sit Socrates.

Ex quo sequitur, quod res percipitur sub hujusmodi conceptu universaliori, vel minus universali per comparationem ad alias res alias cognitas. Ex quo patet, quod si nunquam vidissem nisi unicam rem, de illa

solum haberem unum conceptum quidditativum; et si cognovissem solum duas res, tunc de qualibet illarum haberem duas cognitiones, scilicet unam communem, et aliam specialem.

Ex quo sequitur secundo, quod de qualibet re habet tot conceptus quidditativos diversos, quot differentias essentiales percipit illius ad aliquam aliam rem.

Patet igitur qualiter in duobus ordinibus prædictis conceptuum, semper conceptus de primo ordine, est prior conceptu sibi correspondente in alio ordine. Secundo patet, qualiter in utroque ordine res prius concipitur sub conceptu universaliori, quam sub minus universali.

13. Ad rationes. Ad primam negatur major : nam ignis est effectus perfectissimus producibilis ab igne, et tamen ignis applicatus ad stupam sufficienter dispositam ad susceptionem suæ actionis non agit primo ignem in illam stupam, sed prius agit calorem : quia per illum producitur ignis in stupa. Similiter effectus perfectissimus producibilis a Sole, est vermis in istis inferioribus; et tamen in materia disposita, non primo producit animam, sed primo producit lumen, influentiam et calorem, a quibus producitur vermis. Similiter volitio est actus perfectissimus intellectus, et tamen non primo producitur ab intellectu ; quia intellectus primo producit cognitionem, mediante qua elicit volitionem.

[A]ccipitur [hi]c intel[le]ctus pro [an]ima in[te]llectiva.

Ad secundam, sequitur, quod magnum tempus, etc. concedo, quod in visibilibus inconsuetis videtur tempus esse satis magnum, et sensibile ; sed in aliis, quæ consueta sunt videri, successio est insensibilis. Et cum dicitur de brutis, dico, quod brutis insunt conceptus universales cum circumstantiis singularibus, et eo ordine, quo nobis.

14. Ad tertiam, Quia sensus sentit singulare. Dico, quod sensus sentit rem sub conceptu universali cum circumstantia particulari, et prius percipitur res, sub hoc conceptu, *hoc ens*, *hoc corpus*, *hoc finitum*, vel *in hoc loco*, quam sub isto conceptu, *hoc animal* ; et ideo sensus solum sentit singulare, eo quod solum sentit sub conceptibus mediantibus istis circumstantiis, qui omnes dicuntur conceptus singulares respectu conceptuum universalium simplicium eis correspondentium, et intellectus non solum sentit singulare sub hujusmodi conceptibus, sed etiam universaliter sub conceptibus universalibus simplicibus.

Ad quartam negatur consequentia : quia sicut dictum fuit, ex terminis valde notis possunt fieri propositiones incertæ, et multum inevidentes, ut isti termini sunt noti, *Astrum*, et *Par* ; et tamen de ipsis formatur propositio dubia valde, ut *astra sunt paria*. 15.

Ad quintam concedo, quod res est notior sub conceptu definiti, quam sub conceptu definitionis ; et concedo ulterius, quod possibile est, quod quælibet pars definitionis sit universalior definito, et ideo res illa esset notior, sub qualibet parte definitionis, quam sub conceptu definiti ; non tamen ita est de definitione, quia complexio illa terminorum, vel ordo ille est minus notus.

Ad sextam dico, quod adhuc in illo casu Socrates prius concipitur conceptu universaliori, quam sub conceptu minus universali, attamen prius obliviscitur conceptus speciei, quam conceptus generis, ut probat argumentum.

ANNOTATIONES

(a) *Et ne procedam in æquivoco*, etc. Nota quod omne æquivocum est necessario distinguendum. Universale autem multiplex est. Uno enim modo sumitur complexe, cujusmodi est propositio, cujus veritas ex singularium multorum per se veritate dependet, ut hæc propositio, *Omnis homo est albus*, hujus universalis meminit Aristoteles 1. Posterior. cap. 7. dicens, *Universale est principium scientiæ*, quia notitia scientifica est habita ex præmissis. 16. *Universale multiplex.*

Secundo modo sumitur universale incomplexe ; et sic est aliquod unum ens simplex ad plura habens ordinem, et secundum multiplicem ordinem, quem habere potest, multiplex est hujusmodi universale. Si enim habet ordinem causæ efficientis ad plures effectus producendos, dicitur causa universalis effectiva ; quemadmodum cæli

dicuntur a Philosophis causæ universales; et Deus Optimus Maximus est omnium universalissima causa. Si tamen habet ordinem ad effectus, ut finis propter quem sunt producti, dicitur etiam causa universalis finalis, quo pacto ipsum bonum dicitur causa universalis: quia effectus propter bonum operati sunt, et Deus similiter hoc modo est causa omnium effectuum, a se productorum: quia *universa propter semetipsum operatus est Deus*, Proverb. 16. Materia etiam prima in genere causæ materialis est causa universalis omnium corporalium, quia est primum subjectum ex quo omnia fiunt, hujusmodi universalia dicuntur universalia in causando.

17. Tertio modo dicitur universale illud, quod cum sit unum existens, multorum est substantia; quo pacto maledictus Averroes falso putabat unum esse intellectum omnibus hominibus. Et divinus Plato non bene dixit, ideas esse separatas quarumlibet naturarum, a quibus particulares naturæ accipiebant esse, scilicet quod erat humanitas universalis, et equinitas, et sic de cæteris naturis, quæ erant independentes a tempore, et loco realiter existentes, a quibus plures homines, et equi accipiebant esse hominis, et equi; sicut illi imponit Aristoteles. Hujusmodi universale dicitur universale in essendo, cæterum tale universale est quid fictitium, et fabulosum; neque intelligi potest, ut late probat Aristoteles in libris Posteriorum, et Metaphysicæ, hanc Platonis sententiam improbans.

Quarto modo dicitur universale in repræsentando, cujusmodi est species intelligibilis, et actus intelligendi; species siquidem intelligibiles repræsentant rem in communi in quantum habet esse intelligibile; actus vero intelligendi repræsentat rem in esse cognito.

18. Quinto modo dicitur universale in cognoscendo, quo pacto anima ab Aristotele 3. de Anima, text. 37. dicitur esse omnia, et posse cognoscere: cujus verba sunt ista: *omnia quæ sunt quodammodo est anima*, ratio est, quia per sensum, et intellectum cognoscuntur sensibilia, et intelligibilia; sed in anima est sensus, et intellectus, ergo anima cognoscere potest omnia sensibilia, et intelligibilia: ergo anima in cognoscendo est omnia.

Sexto modo dicitur universale in significando quo pacto una vox univoca multa significat, ut homo, vel animal. Tandem septimo est universale in prædicando, id scilicet quod dicitur de multis divisim, et vere, de quo est hîc sermo.

19. *Universale prædicando quadrupliciter sumitur.*

(b) *Utrum universalia secundum existentiam*, etc. Nota quod universale in prædicando quadrupliciter potest accipi. Primo modo pro natura communi apta secundum se pluribus communicari, et hoc appellant universale Metaphysicum, et fundamentum remotum universalitatis, quod in ipsis singularibus realiter existit: nam universalia, ut probat Aristoteles 7. Metaphysicæ, text. 57. contra Platonem, non sunt a rebus singularibus separata. Nullum enim universalium, ut ibi dicit Aristoteles, existit præter singularia separatim, et 10. Metaph. text. 6. dicit, universale debet esse in ipsis singularibus, de quibus prædicatur.

Secundo modo ut talis natura habet esse cognitum actuale, quod est esse objective in intellectu, quando scilicet intellectus eam intelligit, secundum quod talis est.

Tertio modo in quantum accipitur, ut stat sub secunda intentione, a qua dicitur universale in actu, eo quod tunc competit ei definitio universalis in actu, et est in potentia propinqua, ut prædicetur de quolibet inferiori.

Quarto modo accipitur pro ipsa secunda intentione, quæ dicitur universalitas, seu ratio universalitatis, quia est quæ denominat naturam universalem. Patet igitur, quod universalia non sunt notiora secundum existentiam, cum non existant nisi in singularibus.

(c) *Quia tales termini non cognoscuntur nisi reflexe.* Nota quod terminus significativus tam primæ, quam secundæ notionis, 20.
cum aliquid ultra seipsum repræsentet, non potest actu recto intelligi, quia tunc primo seipsum repræsentaret, et non aliud, tantum ergo reflexe intelligitur, quemadmodum etiam secundæ notiones reflexe intelliguntur. Vide Mauritium quæst. 5. Universalium.

(d) *Duplex est conceptus universalis*, etc. 21.
Nota quod universalia, prout docet Scotus in 4. distinctione 8. quæstione 2. conclusione 9. prius descendunt ad sua particularia individua, quam ad species, et per consequens a talibus individuis prior erit abstractio specifici conceptus; qui conceptus specifici, cum quidam sint universaliores, quidam minus universales, quidam specialissimi, ut quando individua formantur sub ratione entis, vel corporis, vel viventis, vel animalis, vel hominis; ut hoc ens, hoc corpus, hoc vivens, hoc animal, hic homo; dubium est qui hominis specifici conceptus sint primo cogniti, an communiores, an minus communes, et modo in hac quæstione dicit Scotus, quod conceptus communior. Verba Scoti in 4. loco supra relato sunt ista: *In singularibus est ordo, secundum ordinem universalium: prius enim unumquodque universale potest intelligi descendere in proprium singulare, quam contrahatur per differentiam aliquam ad aliquod inferius tanquam ad speciem, ut sic habeamus ordinem istorum singularium, hoc ens,*

hæc substantia, hoc corpus, et sic deinceps usque ad Socratem. Hoc patet per Avicennam 1. *Physicæ suæ*; *quod prius videmus a remotis corpus, quam animal, et animal, quam hominem; quod non est intelligendum de universali : quia visus non vidət universale, sed singulare universalioris.* Hæc Scotus ibi : hujusmodi autem singulare hîc Scotus appellat universale cum circumstantia singulari.

22. *Potentia ognoscitiva percipit uum objectum recepta prius jus similitudine.*

(e) *Ad hoc, quod intellectus habeat actualiter conceptum*, etc. Nota, quod quælibet potentia cognoscitiva, sive sensitiva, sive intellectiva percipit suum objectum recepta prius similitudine ejus, quæ similitudo vocatur species. Hæc species solum repræsentat potentiæ, quod ab ipsa percipitur; ut species pomi, quam visus recipit, repræsentat visui colorem pomi; species pomi, quam visus recipit, repræsentat visui colorem pomi; species autem, quam recipit gustus, repræsentat saporem, et non colorem. Hujusmodi species in sensu exteriori producitur ab objecto exteriori; in oculo scilicet, a re colorata, in olfactu a re odorifera. In sensu autem interiori producitur species, non immediate ab objecto exteriori, sed ab illa specie sensibili, quam produxit objectum exterius, talis species cum sit similis priori, idem objectum repræsentat, et dicitur phantasma; ex isto phantasmate virtute intellectus agentis producitur alia species, quæ recipitur in intellectu possibili; qui intellectus per talem speciem intelligit rem repræsentatam.

23. Ex diversitate istarum specierum dignoscitur diversa abstractio, species enim quæ in sensu exteriori recipiuntur, quia repræsentant rem præsentem ratione alicujus qualitatis sensibilis, solum abstrahunt ab aliqua qualitate, non tamen a præsentia rei; sic visus cognoscit colorem sine sapore, non tamen colorem non existentem; sed hunc, et in hoc loco, et tempore; et idem de aliis sensibus exterioribus. Species tamen sensus interioris abstrahit a præsentia rei; quia non repræsentat rem actu existentem. Unde imaginamur et præsentia, et absentia sensu interiori, scilicet imaginativa. At species intellectus repræsentat rem absque singularitate cum qua erat : verbi gratia, species hominis repræsentat hominem, non hunc particularem, sed abstrahendo ab hoc, et a loco, et tempore, et omnibus rationibus singularibus; et intellectus considerans naturam ut sic, dicitur intelligere universale simpliciter, id est, sine circumstantia singulari, et talis natura est universale, quod solet dici universale Metaphysicum, et abstractum a phantasmatibus, eo quod abstrahit a specie illa existente in sensu interiori, quæ species dicitur phantasma. Cæterum intellectus, quando intelligit universale cum circumstantia singulari sibi appropriata, necesse est quod actualiter respiciat, et intendat phantasma, quod naturam cum conditionibus singularibus repræsentat, id quod non facit species intelligibilis.

(f) *In ordine conceptuum universalium*, etc. 24.
Pro intelligentia primarum duarum conclusionum quas ponit Doctor in hac quæst. nota primo ex Scoto in 1. distinct. 3. quæst. 2. quod triplex est ordo intelligibilium; alter est ordo originis, alter vero ordo perfectionis; tertius autem est ordo adæquationis, qui exposcit quodnam sit objectum adæquatum nostri intellectus, quod quidem est ens, in quantum ens. Ordo perfectionis postulat, quod sit objectum perfectiori modo cognitum, vel quod sit objectum perfectius ex his, quæ cognoscuntur; de hoc secundo dicit, quod Deus Opt. Max. est perfectissimum objectum ex his, quæ intellectus potest cognoscere, et post ipsum species specialissimas, deinde genus proximum abstractum a specialissima, et sic deinceps per genera abstracta a perfectioribus speciebus. De objecto perfectiori modo cognito dicit, quod perfectiora sensibilia, et sensus efficacius moventia sunt perfectius cognoscibilia, quia magis de illis cognoscimus. De his autem duobus ordinibus intelligibilium non loquitur Scotus in hac quæstione, sed de tertio ordine, qui est originis, et quærit, quodnam sit illud, quod primo nostræ cognitioni se offert cognoscendum.

Ordo intelligibilium est triplex.

Partitur autem hic ordo tripliciter; est enim ordo originis cognitionis actualis, habitualis, et virtualis. Est autem habitualis notitia, quando objectum sic est præsens intellectui in specie intelligibili, ut intellectus possit statim habere actum elicitum circa illud objectum. Notitia vero virtualis est, quando aliquid intelligitur ut pars intellecti primi, nam ut primum intellectum, sive ut totale terminans intellectionem, verbi gratia, cum intelligo hominem, illa cognitio confusa virtualiter continet notitiam animalis, atque ita dicitur formalis hominis, et virtualis animalis. 25.

Ordo originis in cognoscendo est triplex.

In his duobus ordinibus originis habitualis, et virtualis cognitionis dicit Scotus, quod communiora sunt prius cognita via generationis, quia sicut diversæ formæ perficientes idem perfectibile mediatius, et immediatius natæ sunt perficere illud : ut si forma substantiæ, corporis animati, et animalis essent diversæ, prius informaretur homo forma substantiæ, deinde corporis, et ultimo forma hominis, ita similiter si una forma includat virtualiter perfectionem illarum, prius informat sub ratione substantiæ, quam corporis, et prius sub ratione corporis, quam animalis, quia in via generationis est processus ab imperfecto ad perfectum; ergo sicut plures conceptus com- 26.

muniores, et minus communes habituales, et virtuales nati sunt perficere intellectum via generationis, ita, ut imperfectior semper sit prior, sic unus conceptus continens omnes, sive habitualiter, sive virtualiter, per prius informat sub ratione communioris, quam particularis, et huc videntur tendere conclusiones, et rationes Scoti in hac quæstione.

27. *Cognitio est duplex.* Cæterum loquendo de ordine originis cognitionis actualis, nota secundo, quod cum duplex sit cognitio, confusa, et distincta, potest ordo originis intelligi comparando totam cognitionem confusam ad totam distinctam, vel talem confusam ad talem distinctam, vel distinctas inter se, vel confusas inter se. Et ut certa ab incertis separemus :

Primo certum est, quod si comparemus totum ordinem confuse concipiendi ad totum ordinem distincte concipiendi, totus ordo confuse concipiendi est prior via originis, ita Scotus ubi supra: quia processus naturalis est ab imperfecto ad perfectum per medium, sed confuse cognoscere est quasi medium inter ignorare, et distincte cognoscere, atque adeo confuse cognoscere, est ante quodcumque distincte cognoscere.

28. Secundo certum est, quod comparando ordinem confuse cognoscendi aliquod totum actuale, ad ordinem distincte concipiendi ipsum totum, ordo confuse concipiendi est prior via originis ordine distincte concipiendi ipsum totum actuale, et similiter comparando ordinem confuse concipiendi totum potentiale cum ordine concipiendi distincte ipsum totum potentiale, prior est ordo concipiendi totum potentiale confuse, quam distincte.

Tertio certum est, quod comparando cognitiones distinctas inter se, prior est cognitio distincta actualis, quam distincta potentialis : quia cum distincta potentiali non potest stare confusa actualis : nam quando devenitur ad distinctam potentialem, jam est distincta actualis, atque adeo ipsam distinctam potentialem præcedit distinctio actualis. Cum distincta tamen actuali bene potest stare confusa potentialis. Simul enim ignorare possum animal in suis specibus, et cognoscere quid sit animal in eo quod totum definibile.

29. Quarto certum est, quod cognitio confusa actualis est prior confusa potentiali. Ex his certis sequitur primo ordo harum cognitionum. Prima est cognitio actualis confusa, secunda potentialis confusa, tertia actualis distincta, et quarta potentialis distincta. Secundo sequitur, quod id, quod est primo cognitum cognitione confusa actuali, est simpliciter primo cognitum via originis.

Totum est duplex, actuale, et potentiale Nota tertio, quod duplex est totum, nimirum actuale, seu definibile, et totum potentiale. Totum actuale est respectu partium essentialium, materiæ scilicet, et formæ : vel generis et differentiæ, quæ dicuntur partes actuales. Totum potentiale est superius respectu inferiorum, quæ dicuntur partes potentiales, et subjectivæ.

Nota quarto, quod hujusmodi totum sicut habet duplicem totalitatem, ita habet 30. duplicem cognitionem, confusam scilicet, et distinctam; et quælibet harum duplex est. Confusa enim si est totius potentialis, dicitur confusa potentialis, si vero est totius actualis, dicitur confusa actualis. Simili modo dicatur de notitia distincta, verbi gratia, quando cognoscitur homo secundum quod est totum actuale, seu definibile, potest cognosci confuse, et distincte; confuse, si non cognoscantur ejus partes actuales; distincte vero, quando cognoscitur cognitis ejus partibus essentialibus, scilicet genere, et differentia, et dicitur cognitio distincta actualis, sicut altera dicitur actualis confusa. Similiter quando cognoscitur animal non secundum quod est totum actuale et definibile, sed secundum quod est totum potentiale continens sub se species, cognosci potest confuse, et distincte : cognoscitur distincte, si cognoscantur omnes ejus partes subjectivæ, diciturque cognitio distincta potentialis : cognoscitur autem confuse non cognitis ejus partibus subjectivis, et dicitur cognitio confusa potentialis.

Ex hoc infert Scotus, ubi supra, aliud esse confuse cognoscere, aliud confusum 31. cognoscere, et similiter aliud esse distincte, aliud vero distinctum cognoscere. Cognoscere confusum, sive indistinctum est cognoscere totum, sive actuale, sive potentiale, ut totum quoddam est. Cognoscere vero distincte, est cognoscere aliquid horum totorum resolvendo ipsum in suas partes. Cognoscere autem confuse, est cognoscere aliquod illorum sine partibus, cognoscere tandem distinctum, est cognoscere aliquam partem totius.

Intellect[us] nostri d[u]plex e[st] status. Ex his inquit Scotus ubi supra, quod cognitione confusa actuali primum cognitum est species specialissima. Pro cujus intelligentia observandum est, duplicem esse statum nostri intellectus, alter est naturalis, cum privatus est omni scientia, et per sensum incipit intelligere. Alter est status perfectus quando jam scientiam acquisivit. Scotus loquitur de primo statu.

Secundo observandum est, quod cum intellectus non intelligat, nisi ministrante 32. phantasmate sensibili, illud erit primo cognitum, cujus phantasmata magis sensata sunt, cujus videlicet accidentia magis sensum movent, unde tota difficultas eo provenit, ut inveniatur, quæ accidentia magis sint sensum moventia, ut sic etiam indagare possimus, quid sit primo cognitum, utrum scilicet magis moveant accidentia generis, ut animalis, aut speciei, ut hominis.

Quid intelligat Scotus per conceptum specificum. Tertio observandum est, quod per conceptum specificum non debet intelligi conceptus speciei specialissimæ, sed quicumque abstractus ab individuis immediate, sive sit species, sive genus : nam ut supra ex Scoto annotavimus, universalia prius descendunt ad sua particularia individua, quam ad species ; et per consequens a talibus individuis prius erit abstractio specifici conceptus, et ille conceptus specificus erit primo cognitum, cujus singulare fortius movet sensum. Non enim dixit Scotus absolute conceptum speciei specialissimæ esse primum cognitum, sed dixit, nisi sit impedimentum, hoc est, si non desit debita sensibilium applicatio. Tunc autem erit debita sensibilium applicatio, quando omnia accidentia talium sensibilium sentiri possunt.

33. *Qualis sit ordo inter potentiam superiorem, et inferiorem.* Quarto observandum est, quod talis est ordo inter potentiam superiorem et inferiorem, quod quando inferior efficacius movetur ab aliquo objecto, superior etiam efficacius movetur propter ordinem potentiarum : si enim aliqua albedo efficaciter movet potentiam visivam, causando speciem sensibilem, efficaciter movetur virtus phantastica recipiendo phantasma albedinis : et illud phantasma efficaciter movet intellectum causando speciem intelligibilem albedinis, et stante efficaci motione alicujus singularis respectu potentiæ sensitivæ, communiter stant aliæ superiores motiones.

34. *Distantia debita quid sit.* Quinto observandum est, quod debita distantia non est idem, quod æqualis, quoniam una distantia sufficit respectu unius agentis, quæ non sufficit respectu alterius. Ignis enim minorem distantiam requirit, ut debeat ignire, quam ut debeat calefacere : si tamen sint agens, et patiens debite approximata, et disposita, semper perfectius agens aget prius suum effectum, quam imperfectius, in tantum, quod si ignis esset sufficienter approximatus alicui combustibili summe disposito, non habenti contrarium formæ ignis, prius saltem natura igniret, quam calefaceret ; et quod nunc prius calefaciat, est propter formam contrariam in passo, resistentem formæ introducendæ. Et ex hoc intelligitur, quare a remotis causatur conceptus imperfectior : *Quare a remotis causetur conceptus imperfectior.* quia ad conceptum perfectiorem requiritur major approximatio, atque ideo nil mirum, si species illa eadem prius causat notitiam superioris, quam inferioris, si non sit debita substantia. Singulare enim speciei specialissimæ movet ad conceptum entis, substantiæ, corporis, viventis, animalis, et hominis, secundum proportionem, et debitam distantiam, ita videlicet, ut debita distantia, ut moveat ad ens, est remotior, quam potest haberi, et quanto perfectior debet produci conceptus, tanto majorem approximationem requirit, et illa erit debita distantia.

Ex hoc sequitur, quod si sit imperfecta applicatio, primo occurrit conceptus specificus superior, et quo magis imperfecta applicatio, magis superior conceptus : quia individua diversarum specierum minus tunc distinguuntur, et unius apparent rationis. Cæterum incipiendo a perfectissima applicatione, primum universale cognitum est species specialissima, et juxta hunc sensum locutus est Scotus in distinctione 3. quæstione 2. Incipiendo vero a minus perfecta, est genus proximum ; postea in minus perfecta applicatione erit superior conceptus, atque ita usque ad supremum. Incipiendo autem ab imperfectissima applicatione, primus conceptus est specificus supremus, et sic descendendo usque ad speciem; quia ordo horum conceptuum actualium confusorum sumitur ex parte applicationis individuorum ad sensum. Verum quia ut plurimum sunt imperfectæ applicationes, ac minus discernuntur inter se individua via originis, sequitur quod conceptus universalissimus primus, est primum cognitum, et hoc voluit Scotus in hac quæstione. 35.

Unde resolutorie ex dictis procedendo, dico quod via originis in cognitione confusa actuali, si objectum sit in debita applicatione, primus conceptus est speciei specialissimæ, sin minus erit conceptus specificus, cujus singulare fortius movet sensum secundum debitam applicationem. In cognitione vero distincta actuali, quæ in scientiis utilis est, ab universalioribus ad minus universalia procedendum est, scilicet ab ente usque ad infimam speciem : quoniam nulla res actualiter distincte cognoscitur, nisi quando cognoscuntur omnia, quæ includuntur in ratione ejus essentiali : ens autem quidditative includitur in omnibus conceptibus quidditativis inferioribus; igitur nullus conceptus inferior dictincte cognoscitur, nisi concepto ente distincte, atque adeo ens est primus conceptus distincte conceptibilis, et post ens quæ sunt illi propinquiora usque ad conceptum speciei. In cognitione insuper confusa potentiali ab universalioribus incipitur ad minus universale : quia in cognitione confusa alicujus totius, prior est cognitio talis totius, quam cognitio suarum partium, sed ipsum totum est universalius suis partibus, quare in cognitione confusa potentiali ab universali ad particulare est progressus. Tandem in cognitione distincta potentiali, a minus universalibus ad universaliora progrediendum est. Nam nullum totum potest distincte cognosci, secundum quod totum est, nisi ejus, ut sic, partes cognoscantur, at in cognitione distincta potentiali, cognoscitur totum potentiale ; igitur non potest cognosci nisi cognitis suis partibus. Tunc ultra *36. Quid sit primum cognitum.*

suæ partes sunt ejus inferiora ; ergo in cognitione distincta potentiali, ab inferiori ad superius incipiendum est.

EXPOSITIO TEXTUS

37. Text. 6. *Necesse* (1) *autem*, etc. Iste est secundus tractatus hujus primi, in quo Philosophus determinat de principiis intrinsecis rerum naturalium secundum opiniones antiquorum, et continet duo capitula : Primum est secundum opiniones non naturaliter loquentium. Secundum est de opinionibus illorum, qui loquebantur. Secundum ibi : *Sicut autem Physici*. Primum capitulum dividitur, quia primo enumerat opiniones antiquorum non naturaliter loquentium per modum divisionis. Secundo, ostendit quod ipsas improbare non pertinet ad Philosophum naturalem ; et tertio improbat ipsas per Metaphysicam. Secundum ibi : *Id quidem igitur*. Tertium ibi ; *Et quoniam de natura*. Primo dicit (a) quod necesse est principium esse unum, vel plura. Si unum, aut est immobile, sicut dixit Parmenides, et Melissus ; aut mobile motum, sicut dixerunt Philosophi naturales.

38. Text. 7. Si vero ponatur principium esse unum : tunc quidam dixerunt esse aerem, aut aquam ; aut aliquod aliorum corporum. Si vero (2) plura, aut sunt finita, vel infinita si finita, aut sunt duo, vel tria ; vel in aliquo certo numero, si sunt infinita ; vel igitur sicut dixit Democritus, qui dixit, quod essent infinita corpora atoma, quorum quodlibet haberet diversam figuram ab alio ; quorum aliqua essent calida, et aliqua frigida, et ideo differebant specie, et eodem modo sicut quærunt de principiis, ita quærunt de entibus, aut sunt unum ens, vel plura, vel finita, aut infinita, et sic utuntur quasi pro eodem istis terminis *principium*, et *ens*.

ANNOTATIO

39. *Septuplex antiquorum opinio* (a) *Necesse est principium esse unum, vel plura*, etc. Nota quod Philosophi antiqui, qui ponebant unum principium, partiti erant in septem opiniones. Prima fuit Melissi, ponentis unum principium immobile, et infinitum, neque quod esse explicavit. *de principiis rerum naturalium.* Secunda fuit Parmenidis, ponentis unum principium immobile, et finitum, at quod esset etiam non explicavit. Tertia sententia fuit Thaletis ponentis aquam esse omnium principium : quia humido videbat maxime viventia consistere. Quarta fuit Diogenis, et Anaximenis, hi posuerunt aerem omnium esse principium. Quinta fuit Heracliti, qui posuit ignem. Sexta Hesiodi, qui fecit terram omnium principium. Septima fuit quorumdam, qui medium inter aerem, et aquam, et vaporem principium posuerunt, hanc sententiam tribuit Simplicius Anaximandro.

EXPOSITIO TEXTUS

Id quidem (1) *igitur*. Ostendit quod ad Philosophum naturalem non pertinet istas opi- 40. Text. 8.
niones improbare, et ponit duas conclusiones. Prima est, ad Philosophum naturalem non spectat improbare istas opiniones : quia ad naturalem non spectat improbare illos, qui negant principia naturalia, sed isti negant, ergo, etc. Major patet per simile : nam Geometer non habet amplius rationem contra negantem sua principia ; sed hoc potius est alterius scientiæ communis, ut Dialecticæ, vel Metaphysicæ : et minor apparet, quia isti negant principia esse, quia ponunt unum solum esse, et si sic, cum ad principium sequatur principiatum, sequitur quod unum est principiatum ; et similiter ponunt illud unum immobile, quæ tamen non est positio naturalis : cum appareat inductione multa esse mobilia. Secundo (2) quia simile est intendere ad im- Text. 9
pugnandum istam opinionem, sicut et illam Heracliti, qui posuit, quod omnia sunt unus homo : nam fatuum est improbare istam, igitur et illam.

At vero (3) *neque*. Hic ponitur secunda 41
conclusio, quod ad naturalem non perti- Text.
net solvere rationes Parmenidis, et Melissi. Probatur, quia nullam rationem peccantem in materia, et forma, pertinet ad Naturalem solvere, sed rationes ipsorum sunt hujusmodi, ergo. etc. Major patet, quia hoc potius est de consideratione Dia-

lectici, quam Naturalis : et minor apparebit postea. Et subdit Aristoteles, quod ratio Melissi est magis onerosa, attamen nulla earum valet, sed uno inconvenienti dato, multa contingunt, et hoc non est difficile. Secundo(4)quia Naturalis non debet solvere aliquam rationem, nisi per quam aliquis convinceretur suppositis principiis naturalibus : modo isti negant principia naturalia, ergo, etc. Major probatur per simile, quia Geometer habet solvere rationem probantem quadraturam circuli per sectionem, eo quod procedebat per principia Geometriæ, sed non habet solvere rationem Antiphontis, eo quod non arguebat Geometrice ; et minor patet, quia oportet, quod supponamus, quod naturaliter omnia, aut quædam moventur, ut patet inductione, quod tamen ipsi negabant, et dicit Philosophus *quædam* forte propter totam terram, quæ est immobilis.

Uno inconvenienti dato multa sequuntur. Text. 11.

QUÆSTIO VI

Utrum Naturalis possit demonstrare sua principia

Arist. *hic text.* 8. Simplicius *comm.*8. Averroes *comm.*9 Themistius *n.*2. Albertus *tract.* 2. *cap.*1. D. Thom. *lect.*2. Faber *theorem.*20. Aversa *d.* 1. *sect.*4. Complut. *disp.*1. *Proœm.q.* 2. Ruvius *in proœm. num.*3.

1. Arguitur quod sic, quia plura entia esse, motum esse, primum motorem esse, et materiam primam esse, sunt principia scientiæ naturalis : sed ista demonstrantur per Naturalem ; igitur Naturalis potest demonstrare sua principia. Major patet quantum ad duas primas partes in primo hujus, text. 13. et aliæ duæ patent in secundo hujus, ubi dicitur, quod materia, et efficiens sunt causæ et principia rerum naturalium ; et minor apparet, quia in primo hujus, text. 28. et 29. demonstratur, quod plura sunt entia, et quod motus est, et quod materia prima est ; et in 8. hujus, text. 51. et inde, demonstratur primum motorem esse.

Secundo, quia vel principia naturalia habent probari per scientiam naturalem, et habetur propositum : vel per aliam scientiam communem, ut puta per Metaphysicam, et hoc non, quia fieret descensus de genere in genus, quem prohibet Aristoteles 1. Poster. text. 56.

Tertio, quia consimiliter se habet Metaphysicus ad sua principia, sicut Naturalis ad ejus principia : sed Metaphysicus potest probare principia Metaphysicæ ; igitu Naturalis potest probare principia scientiæ naturalis. Major patet, quia sicut naturalis scientia non habet aliquid notius suis principiis, per quod possint probari, ita nec Metaphysicus habet aliquod notius suis principiis, cum sua principia sint notissima ; et minor apparet, quia hoc est de ratione scientiæ communis, quod possit probare sua principia, si negentur. 2.

Quarto, quia principia scientiæ naturalis sunt inevidentia, igitur possunt demonstrari. Tenet consequentia, quia aliter conclusiones sequentes ex eis non essent evidentes ; et antecedens apparet ; quia multi Auctores negaverunt principia scientiæ naturalis, quod non esset, nisi propter eorum inevidentiam.

Oppositum arguitur per Aristotelem tractatu 2. cap. 1. text. 8. In quæstione primo videbitur in generali si Naturalis potest demonstrare sua principia ; secundo videbitur specialiter de illis duobus principiis, scilicet motu, et pluralitate entium, quæ tangit Aristoteles cap. prænominato.

Divisio quæstionis

Quantum ad primum, quæstio sic intelligitur, utrum Naturalis per scientiam naturalem possit probare principia illius scientiæ. Ubi notandum est, quod quædam sunt principia essendi, ut materia, et forma, et primus Motor, et hujusmodi, et de istis non quærit quæstio, quia de illis demonstrantur multæ passiones. Aut sunt principia (a) cognoscendi, quæ sunt in triplici differentia; quædam enim sunt definitiones, ut materia prima est primum subjectum uniuscujusque, ex quo fit aliud cum insit ; et in quod si resolvatur habe- 3.

Principia sunt in duplici differentia.

Principia cognoscendi sunt tria. bit ultimum ; aut sunt petitiones, ut in Mathematica petitur, quod *a quolibet puncto ad quodlibet punctum possit protrahi linea recta*, et in scientia naturali petitur, quod *unumquodque arbitramur cognoscere, cum causas ejus cognoscimus, et principia usque ad elementa.* Aut sunt communes animi conceptiones, ut in mathematica, *omne totum est majus sua parte*, et in scientia naturali, quod *natura semper agit de possibilibus, quod melius est*, et quod *natura nihil facit frustra.*

4. *Propositio demonstrabilis quid sit.* Secundo sciendum, quod propositio demonstrabilis est propositio (b) necessaria dubitabilis nata fieri evidens per præmissas in forma syllogistica ad invicem applicatas. Unde per hoc quod dicitur *necessaria*, differt a propositionibus contingentibus, quæ sunt evidentes, ut evidens est mihi, quod tu sedes. Per hoc quod dicitur *dubitabilis*, excluditur principium per se notum, de quo non potest dubitari ; per hoc quod dicitur *nata fieri evidens*, excluditur propositio necessario dubia, quæ nulla via potest declarari ; verbi gratia, certum est, quod altera istarum duarum est necessaria ; *Astra sunt paria, Astra sunt imparia*; et tamen quæcumque illarum per nullam viam poterit declarari. Per hoc quod dicitur *per præmissas in syllogismo applicatas*, excluditur principium acceptum per experientiam, et de quo aliquando est dubitabile ; verbi gratia, dubium est inexperto, an omnis ignis sit calidus, et tamen illud est necessarium datum fieri evidens, et est dubitabile, et tamen non est demonstrabile, quia non est natum fieri evidens per præmissas applicatas in syllogismo, sed per experientiam tantum.

5. Tunc ponuntur conclusiones. Prima est : Plura entia esse, et motum esse, sunt principia scientiæ naturalis. Probatur, quia illa sunt principia scientiæ naturalis, quæ sunt accepta per sensum, et experientiam ; sed plura entia esse, et motum esse, notum est per experientiam, ergo, etc. Major patet, quia omnis notitia nostra in scientia naturali fundatur super experientiam : imo etiam scientia Mathematica. Unde nunquam cognoscerem, quod omne totum esset majus sua parte, nisi prius sensissem totum, et partem. Et ideo dicit Commentator in 8. hujus, quod quærere rationem, ubi habetur aliquod dignius ratione, scilicet experimentum, infirmitas quædam intellectus est : et minor apparet, quilibet enim experitur, quod plura sunt entia, et quod aliquod movetur .

Secunda conclusio : Naturalis non potest demonstrare sua principia, et loquor 6
de principiis cognoscendi. Probatur, quia illa propositio non est demonstrabilis per scientiam naturalem, qua non est aliqua notior in scientia naturali, per quam possit probari : sed principiis scientiæ naturalis non est aliqua propositio notior in scientia naturali : ergo, etc. Major patet per definitionem propositionis demonstrabilis, et minor apparet, quia in qualibet scientia principia sunt notiora, quam quæcumque alia determinata in illa scientia.

Tertia conclusio. Scientia communis, ut 7.
Metaphysica, vel Dialectica potest probare principia alterius scientiæ, et etiam sui ipsius. Probatur, quia adeo generaliter scientia communis considerat de omnibus, quod potest probare principia aliarum scientiarum, et etiam sui ipsius, si negentur. Si quæratur, quæ sit causa diversitatis istarum duarum conclusionum ? dicatur, quod sit ista, quia negans principia alicujus scientiæ non specialis, non potest illud negare, nisi dicto, vel facto, et ex illo dicto, vel facto scientia communis probabit illud principium : sed scientia specialis non sic potest. Unde nisi aliqua fuerint præconcessa, vel prænegata a respondente negante principium alicujus scientiæ specialis, per illam scientiam, nunquam potest probare aliquod illorum principiorum, nisi tantum ex illis præconcessis, vel prænegatis, et hæc de primo.

Quantum ad secundum notandum, quod 8
Hæc d... tant... quid ...ciat. Aristoteles in isto primo, text. 13. negat istam, *tantum unum est*, quam Parmenides nitebatur probare, et ideo circa istud,

notandum, quod ista dictio *tantum*, quæ est exclusio, sive exclusiva, facit propositionem, in qua ponitur æquipollere uni hypotheticæ copulativæ, ut ista, *Tantum animal est homo*, æquipollet isti; *animal est homo, et nihil aliud ab animali est homo*. Unde quinque casibus redditur propositio impossibilis, in qua ponitur ista dictio *tantum*. Primus casus est, quando additur termino distributivo mediante signo universali, ut dicendo, *Tantum omnis homo est*, quia sequitur, *igitur omnis homo est, et nihil aliud ab omni homine est*, quod est impossibile; quia si omnis homo est, aliquis homo est, et aliquis homo est alius ab omni homine, igitur aliud ab omni homine est.

9. Secundus casus est, quando dictio exclusiva additur alicui toti integrali respectu prædicati convenientis tam toti, quam parti, ut dicendo, *Tantum Petrus est*, vel *tantum Petrus est hîc mecum*, quia si Petrus est hîc mecum, pars Petri est hîc mecum, quæ est aliud a Petro.

Tertius casus est, quando dictio exclusiva additur termino numerali, ut dicendo, *Tantum tres sunt in domo*, quia si tres sunt in domo, unus est in domo, et unus est aliud a tribus.

Quartus casus est, quando dictio exclusiva additur termino relativo, et sic intelligit Aristoteles in isto primo, quod ista est falsa, *Tantum principium est*, quia si principium est, principiatum est, et principiatum est aliud a principio, cum idem non sit principium sui ipsius; ergo, etc.

Quintus casus, quando alicui termino, qui non est transcendens, additur ista dictio *tantum* respectu hujus verbi *est*, et sic dicit Aristoteles in isto primo, text. 15. quod ista est falsa, *Tantum substantia est*, et similiter ista, *Tantum accidens est*; imo de quacumque re mundi demonstrata falsum est, quod ipsa tantum sit.

Ex isto patet, quod ista propositio, (c) *Tantum unum est*, est vera, quia ambæ exponentes sunt veræ, et universalis sibi correspondens de terminis transpositis est vera; sed ipsa non est vera ad intentionem Parmenidis, qui voluit, quod tantum unum esset per plurium entium exclusionem, et hoc de isto principio, *Tantum unum est*.

Nunc de motu probatur, quod motum esse possit demonstrari; quia motum inesse mobili potest demonstrari; igitur motum esse potest demonstrari. Tenet consequentia, quia accidentis esse est alteri inesse, ut patet 4. Metaphys. et antecedens patet, quia motus est passio mobilis, et habet causam in mobili, modo effectus potest demonstrari per suam causam. Respondetur negando antecedens. Ad probationem quod effectus potest demonstrari per causam, dico, quod hoc non sufficit, sed oportet, quod effectus esse sit dubitabile, ut patet per definitionem propositionis demonstrabilis: modo motum esse, non est dubitabile. 10. *Motum esse demonstrari potest*

Aliter dicitur, quod non est inconveniens, quod propositio aliqua supponatur in aliqua scientia tanquam principium, et postea demonstretur in eadem scientia, licet diversimode: verbi gratia, investigantes naturam, et modum eclipsis, prîmo experti fuerunt eclipsim esse, et tunc supposuerunt eclipsim esse tanquam principium, et postea habita cognitione causarum eclipsis, demonstrarunt eclipsim esse per causas a priori, quod prius supposuerunt tanquam principium.

Nunc ad rationes. Ad primam de istis principiis, plura sunt, et motus est; dico quod non demonstrantur per scientiam naturalem, sed per Metaphysicam. De aliis duobus, scilicet de materia prima, et Motore primo, dico, quod ista sunt principia essendi, de quibus possunt fieri multæ demonstrationes, ut concessum fuit supra. 11.

Ad secundam dico, quod per aliam scientiam communem: et est sensus, quod de uno genere scientiæ ad aliud genus, quod est scientia contraria, non est descensus.

Ad tertiam dico, quod non; quia Metaphysica propter sui communitatem, potest probare sua principia, si negans ipsa faceret aliquid, vel loqueretur; sed scientia naturalis non posset nisi in casu, in quo

respondens præconcessisset aliqua, ex quibus sequitur principium negatum.

Ad quartum. Negatur antecedens; ad probationem: quod multi negaverunt, etc. dico, quod hoc vel fuit propter curiositatem causa disputationis, vel propter ineptitudinem ipsorum.

ANNOTATIONES

12. *Causa conclusionis tripliciter* (a) *Principia cognoscendi sunt in triplici differentia* etc. Nota primo causam conclusionis tripliciter accipi posse. Primo pro causa essendi tantum. Secundo pro causa cognoscendi tantum. Tertio pro causa essendi, et cognoscendi simul. Prima est quæ causat effectum, non tamen per illam cognoscimus effectum, eo quod ipsam ignoramus: quo pacto causa, quare magnes attrahat ad se ferrum, est causa essendi tantum; quoniam ita causat attractionem ferri, ut per istam causam, quia nobis ignota est, attractionem ferri non cognoscamus. Ea vocatur causa cognoscendi tantum, per quam devenimus in cognitionem alterius, cum tamen revera non causet ipsum; quo pacto eclipsis solis erit causa cognoscendi interpositionem lunæ, si per eclipsim solis cognoscas lunam interponi inter solem, et nos; ea tandem vocatur causa essendi, et cognoscendi simul, quæ revera causat aliquem effectum, et mediante causa cognoscimus illum effectum, quo pacto animal rationale est causa discursivi in demonstratione concludente hominem esse discursivum, per hoc, quod est *animal rationale*: nam animal rationale est causa discursivi, et per animal rationale cognoscimus ipsum discursivum competere homini. Cum ergo omnis demonstratio procedat solum per causam secundo, aut tertio modo sumptam, ita scilicet, ut si procedat per causam secundo modo sumptam, constetque ex propositionibus necessariis, erit demonstratio *quia*: si vero procedat per causam tertio modo sumptam, essendi scilicet, et cognoscendi, habeatque alia requisita, erit demonstratio *propter quid*; non negat Scotus in hac quæstione principia cognoscendi non esse interdum etiam principia essendi.

13. *Principiorum divisio.* Nota secundo, quod Aristoteles 1. Post. text. 16. dividit principium in positionem, et dignitatem, seu maximam; et dicit quod positio est propositio indemonstrabilis, quam non est necesse, ut præcognoscat is, qui ad aliquam scientiam accedit, ut *Homo est animal rationale.* Dignitas vero, seu maxima est propositio indemonstrabilis, qua necesse est, ut præcognoscat is, qui accedit ad aliquam scientiam perdiscendam, ut *Omne totum est majus sua parte*; *Nihil potest simul esse, vel non esse.* Ratio vero quare positiones non sunt necessario præcognoscendæ est, quoniam positiones constant ex terminis propriis, et peculiaribus alicujus scientiæ, atque adeo indigent declaratione, unde in principio cujuscumque scientiæ explicari solent hujusmodi principia, ut in Mathematicis.

Cæterum etsi non oporteat, ut istæ positiones præcognoscantur ab eo, qui accedit ad discendam scientiam totalem, aut integram, oportet tamen, ut præcognoscantur antequam acquirat scientiam particularem alicujus conclusionis, principia enim præcognoscenda sunt ante conclusionem. Scientiam autem totalem appello aggregatam ex principiis et conclusionibus, quæ in aliqua scientia explicantur. Dignitates vero idcirco sunt præcognoscendæ, antequam accedamus ad istas scientias speciales, quoniam constant terminis communissimis notissimisque, atque ita opus est, ut præcognoscantur ab unoquoque sine magistro: sunt enim tales, quod solo lumine intellectus cognoscuntur esse vera sine arte, et ideo dicuntur *dignitates*, vel *maximæ*, sive communes animi conceptiones. Differunt etiam *positiones*, et *dignitates*, quia *dignitates* nunquam demonstrari possunt; *positiones* vero, etsi non demonstrentur in illa scientia, cujus sunt positiones, tamen aliquæ illarum possunt demonstrari in alia scientia superiori. Tertio differunt, quod *dignitates* sunt communes pluribus artibus, *positiones* vero sunt ex materia peculiari illius artis. 14. *Scien totali quæ sit* *Posit dignit differu*

Deinde dividit Aristoteles positionem in suppositionem, et definitionem. *Suppositio* est propositio, quæ significat rem esse, aut non esse; *definitio* autem est quæ non significat rem esse, aut non esse, et hoc accipiendo definitionem sejunctam a definito.

(b) *Propositio demonstrabilis*, etc. Nota inter hæc tria, scilicet, *enuntiationem*, *propositionem*, et *quæstionem* esse aliquod discrimen; *enuntiatio* enim dicitur oratio, verum vel falsum significans; *propositio* dicitur, ut est præmissa, seu principium, ex quo aliquid probatur. *Quæstio* vero est enunciatio per modum interrogationis proposita, et hæc probata dicitur *conclusio*. Quare cum quæstio sit dubitabilis propositio, sequitur propositionem demonstrabilem necessario esse dubitabilem. 15 *Enu tio, pr sitio quæ differ*

(c) *Ista propositio, Tantum unum est*, etc. Nota, quod dictio exclusiva affirmativa posita a parte subjecti excludit prædicatum ab omni eo, quod non est subjectum, vel de quo non formaliter prædicatur subjec- *Dic excli*

tum, ut *Tantum homo currit*, excludit omne id, quod non est homo, ut sit sensus, quod non est homo non currit. Dictio vero exclusiva affirmativa posita a parte prædicati, excludit a subjecto quidquid non prædicatur de prædicato formaliter. Verbi gratia, *Petrus est tantum homo*, excludit a Petro quidquid formaliter non prædicatur de homine. Unde ad propositum dico, quod aliud est dicere : *Tantum unum est ens*, et dicere : *Ens est unum tantum* ; prima enim facit hunc sensum, ens est unum, et quod non est ens, non est unum ; secunda vero facit hunc sensum, ens est unum numero, et nullum numerum habet præter unitatem.

16. Nota secundo, quod exponentes hujus propositionis, *tantum unum est*, sunt istæ, ens est unum, et quod non est unum, non est ens, et utraque est vera ; universalis autem sibi correspondens de terminis transpositis, (dicuntur autem termini transponi, quando fit de subjecto prædicatum, et e contra) est ista, *Omne ens est unum*, quæ etiam est vera ; quare et hæc propositio *tantum unum est*, erit vera. Sed non ad sensum Parmenidis, ut dicit hîc Scotus.

EXPOSITIO TEXTUS

7. *Et quoniam de natura quidem.* etc. Hîc
ct. 12. improbat opiniones Parmenidis, et Melissi, et primo contradicit conclusionibus eorum, secundo, quibusdam sequacibus eorum, et tertio contradicit eorum rationibus. Secundum ibi : *Conturbati.* Tertium ibi : *Et ex quibus.* Primo probat, quod non tantum unum est, dicitque primo, principium maximum omnium proprium, (supple disputandi contra Parmenidem, et Melissum) esse, quoniam multipliciter dicitur id quod est. Deinde probat, quod non tantum unum est per exclusionem pluralitatis entium, per duas rationes. Prima est, quia vel illud unum est substantia, vel quantitas, vel qualitas, aut aliquod aliorum : si dicatur quod sit quantitas, vel qualitas, hoc est impossibile ; quia nullum aliorum Prædicamentorum separabile est a substantia : nam omnia actu insunt substantiæ. Si dicatur, quod sit substantia, hoc est impossibile ; quia Melissus dicit illud ens esse infinitum : modo substantia seipsa nec est finita, nec infinita, quia infiniti ratio quantitati congruit, et non substantiæ, nec quantitati ; igitur si sit substantia, habet quantitatem, et sic plura erunt, videlicet substantia, et quantitas. Ex ista littera capitur, quod quantitas sit res distincta a substantia, sed quid de hoc debeat dici, videbitur in quæstione.

ide Zi- ram in . lit. c. l. 119. . 4.

QUÆSTIO VII

Utrum ens dicatur univoce de substantia, et accidente

Arist. *hic. text.* 19. Simplicius *comm.* 13. Themistius *num.* 13. D. Thom. *lect.* 3. Albert. *tract.* 1. *cap.* 2. *text.* 19. [illegible] *quæst.* 1. [illegible] *quæst.* 1 Capreolus *in* 1. *dist.* 2. *quæst.* 1. Suarez *tom.* 1. *Metaph. disp.* 2. Fonseca [illegible] *cap.* 2. *quæst.* 2. Javell. *ibid. quæst.* 1. Sotus *in prædic. cap.* 4. *quæst.* 1.

Arguitur quod sic, quia aliter sequeretur, 1.
quod primum principium non esset per se notum, et immediatum ; consequens est falsum, ut patet 4. Met. text. 8. Consequentia tenet, quia primum principium esset distinguendum, cum in eo ponatur hoc nomen *ens*, quod per se non est univocum.

Secundo. Quia antiqui dubitaverunt de luce, utrum esset substantia, vel accidens, et tamen non dubitaverunt utrum esset ens ; igitur hoc nomen *ens* est univocum ad substantiam, et accidens.

Tertio. Quia quibus est unus modus essendi, potest esse unum nomen commune univocum impositum secundum illum modum essendi ; sed substantiæ, et accidenti est idem modus essendi ; ergo, etc. Major patet, quia scientiæ, albedini, et figuræ est unum nomen commune univocum, puta *qualitas* eo quod eis est unus modus essendi, puta alteri inhærere qualificando : et minor apparet, quia substantiæ et accidenti convenit esse formaliter. Unde licet accidens sit subjective per substantiam, tamen formaliter est ex seipso.

Quarto. Quoniam si substantiæ, et accidenti non esset unus conceptus communis, hoc esset pro tanto, quia accidens inhæret substantiæ, et dependet a substantia, sed

istud non impedit. Probo, quia forma inhæret materiæ : et tamen tam formæ, quam materiæ est unus communis conceptus, puta substantia.

Quinto. Homo dependet a Deo inseparabilius, quam accidens a subjecto, quia Deus non potest facere hominem non dependere a se, et tamen potest facere accidens non dependere a subjecto, modo, hoc non obstante, Deo, et homini est unus conceptus communis, scilicet iste conceptus *substantia*.

2. Sexto. Quia ista est vera, Substantia est prius ens accidente. Tunc igitur, vel isti termino *ens* correspondet conceptus communis substantiæ, et accidenti ; et habetur propositum ; vel correspondet sibi conceptus substantiæ tantum, et tunc nihil est dicere, nisi quod substantia, est prius substantia, quam accidens, quod est falsum : quia accidens non est substantia ; vel correspondet sibi conceptus accidentis, et tunc esset dictum quod substantia est prius accidens, quam accidens, quod est impossibile ; igitur oportet, quod intelligatur primo modo.

Septimo sequeretur, quod altera istarum duarum esset concedenda, nullum ens est substantia, nullum ens est accidens, consequens est falsum, ut notum est. Probatur consequentia, quia vel isti termino *ens* correspondet conceptus proprius substantiæ tantum, et tunc secunda propositio est vera ; vel corresponderet conceptus proprius accidentis et tunc prima est vera ; vel correspondet conceptus communis utrique, et habetur intentum.

Octavo, Substantiæ, et accidenti sunt aliqui conceptus communes, igitur et conceptus entis est eis communis. Tenet consequentia, quia conceptus entis est communior aliis. Antecedens patet, quia substantiæ, et accidenti sunt isti termini communes, scilicet, significabile, incomplexum, applicabile, intelligibile ; quia secundum eamdem rationem dicuntur de substantia, et accidente, scilicet secundum istam, quæ est movere intellectum. Secundo patet antecedens, de istis terminis *extensum*, *binarius*, *ternarius*, et hujusmodi.

Nono, quia unitati scientiæ, et etiam potentiæ cognoscitivæ correspondet unitas objecti : sed Metaphysica est unica scientia, et intellectus est una potentia cognoscitiva, quarum objectum est ens in sua tota communitate, igitur ens in sua communitate est univocum : et per consequens sibi correspondebit conceptus communis, substantiæ, et accidenti.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo text. 19. ubi dicit, quod principium maximum, ex quo antiqui possunt impugnari, est, quod multipliciter dicitur *quod est*, id est, quod ens dicatur multipliciter : modo terminus multiplex est æquivocus. 3.

Secundo per Aristotelem 4. Metaph. tex. 2. ubi dicit, quod simile est de ente, sicut de sano, quod dicitur de animali, et urina : modo certum est, quod iste terminus *sanum* dicitur æquivoce de animali, et urina, igitur et iste terminus *ens* dicitur æquivoce de substantia, et accidente ; et hoc idem patet per Porphyrium cap. de Specie.

In quæstione primo videbitur qualiter terminus dicatur æquivocus, et de esse accidentium. Secundo respondebitur ad quæsitum. *D[...] quæst[...]*

Quoad primum ; notandum, quod res illæ dicuntur æquivoce significari, quarum est unum nomen, et secundum illud nomen correspondent sibi conceptus in mente diversi ; et tunc illi conceptus vel habent aliquem ordinem inter se, vel non ; si non, tunc dicitur æquivocum a casu ; vel habent aliquem ordinem, et hoc dupliciter. Uno modo, quod ordo ille proveniat ex media similitudine ; et tunc ordo ille conceptuum correspondet termino, qui vocatur æquivocum a consilio, et tertio conceptus illi possunt habere dependentiam, attributionem, et ordinem inter se : et tunc terminus dicitur analogus, cui correspondent illi conceptus. Unde analogia est ordo conceptuum correspondentium uni termino ha- *Qua[...] res [...] æqu[...] signi[...] tur.* *An[...] quid[...]*

bentium inter se dependentiam, et attributionem, causatas non ex voluntaria impositione, sed ex natura rerum objectarum ; et sic iste terminus *sanum* dicitur analogice de animali, et de urina. Unde primo, et principaliter dicitur de animali, et consequenter dicitur de urina, non per impositionem novam, sed quia sequitur quasi naturaliter ex prima impositione.

5. Secundo notandum, sicut dicit Commentator in 2. de Anima, com. 3. quod solum compositum proprie est substantia, et ideo forma est actus, vel dispositio materiæ, secundum quam compositum dicitur substantia, et hoc aliquid. Ita similiter dicitur de accidentibus, quod accidentia sunt dispositiones, seu modi se habendi, quibus res taliter, vel aliter se habent, ut albedo, quæ secundum Aristotelem idem est, quod esse album, est dispositio, seu modus se habendi, secundum quem res dicitur alba.

6. *…possibi- …st acci- …s a sub- …o sepa- …i.* Nunc ponitur ista conclusio(a) quod impossibile est accidens separari a suo subjecto. Probatur, quia illud est impossibile, quod implicat contradictionem ; sed accidens separari a suo subjecto implicat contradictionem, quia impossibile est esse album, et quod non sit album ; at separata albedine non est album, et si albedo est, album est: quia impossibile est, quod sit albedo, et quod non sit album; ergo separata albedine erit album, et non erit album, et sicut arguitur de albedine, ita potest argui de quolibet alio accidente.

…te lege

7. Secundo, quia impossibile est imaginari, vel cognoscere accidens separatum a suo subjecto, igitur hoc est impossibile. Tenet consequentia, quia quibuscumque convenit esse, convenit etiam cognosci, et imaginari ; et antecedens patet, quia in conceptu accidentis includitur conceptus substantiæ; igitur impossibile est cognoscere accidens, nisi simul cognoscendo substantiam. Antecedens patet per Aristotelem 4. Metaph. text. 2. ubi dicit, quod accidentis esse est alteri inesse, scilicet substantiæ. Similiter dicit in isto primo, text. 26. quod in definitione accidentis debet poni subjectum, sicut in definitione simi debet poni nasus; igitur impossibile est cognoscere accidens, nisi cognoscendo illud alterum, cui inest, sicut impossibile est cognoscere simum non cognoscendo nasum.

Ex conclusione sequitur, quod omnis conceptus est complexus, per quem concipitur accidens ; patet, quia in omni tali includitur conceptus substantiæ.

Contra corollarium objicitur : quia tunc sequeretur, quod nullus conceptus accidentis esset incomplexus, consequens est contra Aristotelem in Prædicamentis in illa parte textus, *Secundum nullam complexionem*, etc. Respondetur, concedendo consequens. Ad Aristotelem dico, quod aliquid dicitur complexum dupliciter : uno modo, quia sibi correspondet oratio perfecta, et sic intelligitur illa divisio Aristotelis. Alio modo, de oratione imperfecta, et sic sunt termini incomplexi de Prædicamentis accidentium, sicut *album*, *nigrum*, sunt complexi, eo quod eis correspondet conceptus complexus. 8. *Complexum est duplex.*

Secundo, quia accidens est sensibile per se, ut patet secundo de Anima, text. 63. igitur potest solitarie concipi sine conceptu substantiæ, et patet hoc : quia substantia potest percipi conceptu incomplexo ; aliter nullus esset conceptus incomplexus ; igitur multo fortius et accidens, cum substantia sit sensibilis per accidens. Respondetur, quod accidens non est sensibile per se, sic ut solitarie percipiatur, imo substantia est sensibilis per se, sub conceptu tamen accidentali. Unde video parietem, licet non videam ipsum esse parietem, sed esse album. 9.

Tertio sequitur, quod non esset differentia inter concretum, et abstractum, ex quo abstractum significat subjectum, sicut et concretum. Respondetur negando consequentiam : quia concretum importat subjectum in recto, et qualitatem in obliquo, ut album dicit habens albedinem ; sed abstractum importat qualitatem in recto, et subjectum in obliquo, ut albedo alicujus 10.

entis albedo, et istud habetur ex quarto Metaphys. [illegible] 2.

Quarto sequitur quod substantia, et accidens dicuntur ad invicem relative, et sic sequitur, quod nullum accidens esset absolutum. Respondetur negando consequentiam : quia termini relativi, sic se debent habere, quod sicut unum eorum includit alium, seu conceptum alterius, ita et e converso ; sed sic non est hic : quia licet conceptus accidentis includat conceptum substantiæ, non tamen e converso conceptus quidditativus substantiæ includit conceptum accidentis.

11. Quinto, quia Mathematicus considerat accidens sine cognitione substantiæ : nam in definitionibus accidentium non ponit sua subjecta, igitur possumus.cognoscere accidens sine cognitione substantiæ. Respondetur, quod Mathematicus non habet verum conceptum de accidente : quia imaginatur de iis, ac si essent res per se existentes : modo hoc est falsum, et ideo dicit Commentator quod propositiones Mathematicæ, sunt in capitulo propositionum imaginabilium.

Sexto, quia in Sacramento altaris sunt accidentia actualiter existentia sine subjecto, et cognoscuntur sine cognitione substantiæ ; igitur totum quod dicitur est falsum.Respondetur, quod (b) per tale miraculum mutatur natura accidentis, igitur mutatur nomen, et definitio ipsius ; nam accidenti sic separato competunt conditiones substantiæ, ut quod potest nutrire, augmentare, ex ipso potest effici aliud, et ita de aliis, et ita mutatur natura accidentis, ac si natura humana mutaretur in naturam asininam.

Caute lege

12. Secunda conclusio. Terminus communis ad aliqua duo, quorum unum est magis perfectum, et aliud minus, non dicitur analogice de istis duobus propter hoc, quod alterum est perfectius : ita ut de perfectiori non dicatur per prius, et de minus perfecto per posterius. Probatur quia tunc Deo, et homini, et asino nullus esset conceptus communis univocus.

Quantum ad secundum notandum, quod prædicatio quidditativa dicitur ab esse : ut ista est quidditativa *Homo est animal* : quia esse hominem, est esse animal ; similiter ista, *Albedo est co'or* : quia esse album est esse coloratum : sed ista non ; *Homo est albus* : quia esse hominem non est esse coloratum.

Præ tio qu tativ citu esse.

Nunc ponuntur conclusiones, prima est, Iste (c) terminus *ens* non dicitur univoce de substantia, et accidente. Probatur, quia si diceretur univoce, tunc æqualiter diceretur de substantia, et accidente : modo consequens est falsum : quia de substantia dicitur, simpliciter loquendo, quod sit ens, sed de accidente dicitur non vere, sed quasi, ut dicit Aristoteles 4. et 7. Metaph. text. 2. et 15. accidens non dicitur ens, nisi quia entis.

Secundo, si ita esset, sequeretur quod hoc nomen *ens* esset genus ad decem Prædicamenta, consequens est contra Aristotelem 7. Metaph. text. 15. et contra Porphyrium, capit. de Specie. Probatur consequentia per definitionem Generis. Et si dicatur, adhuc aliud obstaret, quia non esset genus, eo quod accidens inhæret substantiæ, et dependet a substantia ; istud non valet, quia homo dependet a Deo, et tamen Deo, et homini est conceptus communis univocus. Similiter materiæ, et formæ, quarum una inhæret alteri, ut patuit arguendo.

Tertio, quia ens non prædicatur quidditative æqualiter de istis : nam esse album, non est esse ens, vel aliud, sed est esse aliquale, vel esse dispositum.

Ex quo patet, quod hoc nomen *ens* dicitur analogice de substantia, et accidente : quia per prius dicitur de substantia, et secundario dicitur de accidente, in attributione ad substantiam.

Secundo sequitur, quod hoc nomen *ens* est æquivocum ad diversa Prædicamenta accidentium ; patet, quia sicut dicitur de substantia, et accidente secundum conceptus diversos, ita etiam de Prædicamentis accidentium.

Secunda conclusio. Substantia, et acci-

dens possunt concipi uno conceptu univoco denominative. Probatur, quia istud nomen extensum dicitur de substantia, et accidente secundum eamdem rationem, igitur est univocum ad illa. Tenet consequentia, per definitionem univoci: et antecedens apparet, quia dicitur de utrisque secundum rationem, quæ est habere partem extra partem.

15. Secundo patet de istis terminis significabile, intelligibile, duo, tria, et hujusmodi, de quibus argutum fuit ante oppositum, et causa hujus conclusionis est, quia conceptus denominans sumitur a proportione, vel habitudine alicujus modi se habendi, et ideo in quibuscumque reperitur consimilis proportio, et modus habendi, omnibus illis convenit nomen sumptum ab illa proportione, sub habitudine : verbi gratia, istud nomen *idem*, sumitur ab habitudine, quam res habet ad seipsam, secundum quam hæc est vera, *Tu es tu*, et quia consimilis habitudo reperitur in qualibet re mundi, igitur de qualibet re mundi dicitur hoc nomen *idem*. Patet igitur qualiter hoc nomen *ens*, aut *res*, et hujusmodi nomina transcendentia naturam connotantia, dicuntur analogice de substantia, et accidente.

16. *Vide Scotum q. 4. Prædicamentorum ad 13.* Ad rationes ad primam. Sequeretur quod primum principium, etc. negatur consequentia, quia potest determinate concipi in altero illorum principium, et in quocumque illorum accipiatur semper est verum.

Ad secundam dico, quod antiqui habuerunt conceptum disjunctum de lumine, ut puta quod esset substantia, vel accidens ; determinate tamen investigaverunt an esset substantia, vel accidens.

Ad tertiam negatur minor, quia modus essendi accidentis est alteri inesse, et substantiæ non.

Ad quartam dico, quod hoc est, quia accidentis esse est inesse alteri, scilicet substantiæ, et quando dicitur de forma, et materia, potest concedi, quod forma (simpliciter loquendo) non est substantia, sed secundum quid, scilicet quia est actus, quo compositum est substantia.

Ad quintam, de dependentia hominis a Deo, dico quod non est similis dependentia accidentis a substantia.

Ad sextam : Quia substantia, etc. concedo istam, quod substantia est prior accidente: quia iste terminus *prior*, est terminus connotativus ; modo verum est quod possibile est terminum connotativum esse univocum ad substantiam, et accidens. 17.

Ad septimam dico secundum Aristotelem, quod quælibet illarum esset distinguenda secundum modum fallaciæ æquivocationis : quia vel capitur ibi *ens* pro suo principali significato, et primo, et tunc concedendum est, quod omne ens est substantia ; vel capitur pro suo significato secundario, et tunc concedendum est, quod omne ens est accidens.

Ad octavam de terminis connotativis, seu denominativis est concessum.

Ad nonam concedo, quod objectum tale habeat unam rationem, vel saltem si habeat plures, quod omnes habent attributionem ad primam rationem ipsius, et ideo licet ens habeat rationem substantiæ, et accidentis, tamen ratio accidentis habet ordinem, dependentiam, et attributionem ad rationem substantiæ, quæ est prior ratio entis. *Vide Scotum ubi supr. ad 14.*

ANNOTATIONES

(a) *Impossibile est accidens separari a suo subjecto*, etc. Nota, ex Scoto in 4. sent. d. 12. quæst. 1. quod accidens potest sumi dupliciter; uno modo pro per se significato, id est pro illo, quod in primo intellectu hujus nominis *accidens* intelligitur, pro eo videlicet, quod est esse alteri inhærens. Secundo modo pro denominato, hoc est, pro illo, quod ab inhærentia denominatur inhærens ; verbi gratia, pro quantitate, vel qualitate : accidens enim cum sit nomen concretum, significat aliquam formam, puta accidentiam, seu inhærentiam, sicut suum principale significatum. 18. *Accidens bifariam sumi potest.*

Nota secundo, quod tale accidens pro denominato est duplex, scilicet absolutum, sicut quantitas, et qualitas ; et respectivum, sicut similitudo, paternitas, filiatio, et æqualitas, et similia.

Nota tertio, quod aliud est esse de essentia alicujus, aliud est esse illi idem essentialiter ; primo modo illud est de essentia 19. *Aliud est esse de es-*

sentia : aliud est esseidem essentialiter. alicujus, quod est idem illi quidditative, et in primo modo dicendi per se. Esse idem essentialiter est convenire in eadem natura existente et singulari, et hoc modo passio est idem essentialiter cum suo subjecto. Istæ duæ identitates sic se habent ad invicem, quod quidquid est de essentia alicujus, est illi idem essentialiter, sed non e converso : nam subjectum et propria passio sunt idem essentialiter, quia habent unam naturam contractam ad existentiam, et singularitatem, penes quam neutrum istorum est ab alio separabile, et tamen neutrum est de essentia alterius.

20. *Inhærentia est duplex.* Nota quarto, quod inhærentia est duplex, quædam actualis, quæ est ipsa unio actualis accidentis, existentis in subjecto existente, ut actus quidam, et perfectio cum potentiali perfectibili. Quædam vero est inhærentia aptitudinalis, quæ est dependentia, seu essentialis ordo accidentis secundum quidditatem suam ad subjectum. Et inter has inhærentias differentia extat non parva ; ea namque quæ actualis est, circumscribitur a demonstratione, cum demonstratio abstrahat ab existentia, et a conditionibus existentiæ. Secunda vero inhærentia, scilicet aptitudinalis, quæ est passio, demonstratur. Prima inhærentia est conditio existentiæ, nec semper accidenti inest. Secunda vero semper inest, subjecto existente, sive non.

21. Nota quinto, quod sicut non inhærere, et non posse inhærere non est ratio substantiæ, ut substantia est genus, ita inhærere non est ratio accidentis, vel alicujus generis accidentis, ut docet Avicenna 2. suæ Metaph. et Scotus in Quodlib. Sed substantia est illud substratum, cui convenit non inhærere, vel cui repugnat inhærere, et accidens ut quantitas, vel qualitas, est natura cui convenit inhærere, ut etiam docet D. Thom. Quodlib. 8. quæst. 3. et 1. p. q. 3 art. 5. ad 1. Ubi ait, quod substantia non significat hoc, quod est esse per se, sed significat talem naturam, cui competit hoc, quod est esse per se, quod tamen esse per se non est ipsa ejus essentia. Quare idem possumus dicere de accidente, quod significat talem naturam, cui competit hoc, quod est esse in alio, quod tamen esse in alio non est ejus essentia, atque adeo cum dicitur substantia est, quæ per se est ; vel accidens est, quod est in alio, non est definitio, sed circumlocutio veræ descriptionis, quæ ita intelligitur ; substantia est res, cujus naturæ debetur non esse in alio, et accidens est res, cujus naturæ debetur esse in alio. Unde patet, quod etsi miraculose accidens sit sine subjecto, non egreditur tamen definitionem accidentis, quia esse in subjecto naturæ ejus debetur, et adhuc manet ejus natura, cui debetur esse in alio.

Ex his dico primo, quod inhærentia aptitudinalis, aut actualis non est de essentia alicujus accidentis, sive absoluti, sive respectivi. Dico secundo, quod accidens absolutum est idem essentialiter cum inhærentia aptitudinali, non tamen cum actuali. Dico tertio, quod accidens respectivum est idem realiter cum utraque inhærentia scilicet aptitudinali, et actuali. Hæc asserta sufficienter probata, videre potes in Commentariis nostris super 4 sent. Scoti, Tomo 1. dist. 12. quæst. 1. art. 1. 2. et 3. 22. *Inhærentia non est de essentia accidentis*

Ex quibus sequitur primo, quod accidens pro per se significato, seu pro formali separari nequit a suo subjecto, ita ut contradictionem involvat accidentiam, seu inhærentiam esse sine suo subjecto.

Secundo sequitur, quod separatio accidentis respectivi a subjecto extendendo nomen subjecti ad fundamentum implicat contradictionem.

Tertio sequitur quod omne accidens absolutum, quodcumque sit illud, potest separari a suo subjecto, et esse sine illo, et hoc sive subjectum maneat, sive non maneat in re, et in effectu ; et hoc loquendo absolute, et virtute divina, et hæc tria corollaria sufficienter probata reperies, ubi supra, art. 4. et 5. 23.

Ex quibus sequitur quarto, quod Scotus in hac quæstione loquitur ut merus, et simplex Philosophus naturalis : nam Philosophus naturalis existimat separationem accidentis a subjecto cum constantia ipsius esse impossibilem, non quia in conceptu accidentis includatur quidditative conceptus substantiæ, ut videtur dicere hic Doctor Subtilis, sed quia Philosophus ponit ordinem causarum simpliciter necessarium, ut docet Scotus in 4. loco supra relato, et nos ibi explicavimus art. 5.

(b) *Respondetur, quod per tale miraculum mutatur natura accidentis.* Nota quod accidens separatum in Sacramento altaris privatur positivo reali, et intrinseco modo, quem in subjecto habet, qui appellatur actualis inhærentia. Secundo tale accidens privatur speciali conservatione, qua in esse conservabatur a subjecto. Patet, quia cum jam subjectum destructum sit, non potest amplius accidens conservare, et in hoc conveniunt omnes Theologi. Sed dubium est an accidens separatum mutetur positive recipiendo modum essendi actuali inhærentiæ repugnantem. De qua re fuit quorumdam opinio, quod quando Deus separat accidens a subjecto, tribuit accidenti novum esse existentiæ, eo quod accidens in subjecto existens non habet proprium esse existentiæ, atque adeo quando separatur a subjecto, debet illi tribui novum esse, per quod existat. Hanc sententiam aliqui tribuunt D. Thomæ 3. par. q. 77. art. 1. in responsione ad 4. quam videtur sequi 24. *An accidens separatum mutetur positive recipiendo modum substantiæ*

Scotus hîc : imo latius loquitur cum dicit, quod per tale miraculum mutatur natura accidentis, ac si natura humana mutaretur in naturam asininam, ex quo videtur sequi quod post transubstantiationem panis, accidens non remaneat accidens, sed versum sit in substantiam, quod est falsum, et contra fidem, quæ determinat vere accidentia post consecrationem sine subjecto remanere, at si mutarentur in naturam substantiæ, jam non remanerent accidentia. Ideo hanc sententiam subtiliter impugnat Scotus in quarto, loco supracitato, et nos ibidem artic. 7.

Cajetanus vero, 3. par. quæst. 77. art. 1.
25. et Suarez Tomo 3. quæst. 77. disp. 56. sectione 8. etsi non eodem modo id explicent, dicunt, quod quantitas a subjecto separata, licet non acquirat novum esse existentiæ, acquirit tamen novum esse subsistentiæ, quale habebat substantia, quam sententiam nos impugnavimus, et rejecimus ubi supra, art. 8. et cum Doctore Subtili diximus nihil novi addi accidentibus, ut existant sine subjecto, sed ea ratione tantum sine subjecto existere ; quatenus Deus qui conservabat in accidentibus duo, scilicet existere in subjecto, (licet enim ista duo, saltem ratione distinguere) jam conservat, prius sine posteriori, quæ opinio verissima est. Non loquitur ergo hîc Scotus secundum propriam sententiam.

(c) *Iste terminus* ens *non dicitur univoce,*
26. etc. Nota, quod Scotus 1. sent. d. 3. quæst. 1. et 2. et d. 8. quæst. 3. et in 4. Metaph. tenet ens esse univocum Deo, et creaturæ, substantiæ, et accidenti; hîc autem dicit ens æquivocum esse ad substantiam, et accidens. Unde observandum est primo duplicem esse conceptum, formalem qui attenditur ex parte intellectus, et est ipsa notitia : et objectivum, qui se tenet ex parte objecti, et est ipsum objectum conceptum. Hujusmodi conceptus objectivus duplex est, univocus, qui habet nominis, et rationis unitatem : et æquivocus, qui habet unitatem nominis, et non rationis.

[C]onceptus [es]t duplex.

Secundo observandum est, quod concep-
27. tus objectivus dicitur univocus tribus modis, scilicet Physice, Metaphysice, et Logice. Primo modo dicit unitatem nominis, cui correspondet unitas rei, quæ non est divisibilis in plura alterius, et alterius rationis, cujusmodi est natura specifica, et in ipsa re sic univoca non latent æquivocationes, quæ latent in genere, ut ait Aristoteles 7. hujus. Secundo modo est aliqua unitas realis alicujus primæ intentionis abstrahibilis a pluribus, quæ ipsam participant seclusa quacumque intentione Logica. Tertio modo est realitas primæ intentionis sub aliqua secunda intentione generis, aut speciei, vel alterius prædicabilis.

[C]onceptus [ob]jectivus [tr]ibus mo[d]is dicitur [u]nivocus.

28. Tertio observandum est, quod quadruplex est gradus univocationis. Primus habet unitatem rationis, communis modi essendi, ordinis essentialis et gradus perfectionis : hoc pacto sola species infima est univoca, quia habet unicam rationem suis inferioribus communem : habet etiam in ipsis eumdem essendi modum, descenditque in ea inferiora, secundum eumdem ordinem, et non secundum prius et posterius essentialiter ; quia individua ejusdem speciei non ordinantur essentialiter, id est, non habent inter se ordinem essentialem, estque natura specifica in omnibus inferioribus secundum eumdem perfectionis essentialis gradum ; non est essentialiter perfectior in uno individuo, quam in alio.

Univocationis quadruplex est gradus.

Secundus gradus univocationis habet 29.
unitatem rationis communis modi essendi, et ordinis essentialis : deficit tamen in ultima unitate, videlicet in gradu perfectionis, quia res, quæ sic est univoca, est essentialiter perfectior in uno, quam in alio, quod provenit ex re sibi adjuncta : hujusmodi sunt genera, quæ ex differentiis sibi adjunctis sunt essentialiter perfectiora in una specie, quam in alia, sicut animal perfectius est in homine, quam in equo, quia in homine adjungitur differentiæ essentiali perfectiori, quam in equo.

Tertius gradus habet unitatem rationis
communis multis, et etiam unitatem modi 30.
essendi, quia secundum eumdem essendi modum est in suis inferioribus ; cæterum non habet unitatem ordinis essentialis, sicut ens, quod per prius descendit in substantiam, quam in accidens, et numerus descendit prius in binarium, quam in ternarium secundum realem existentiam, neque habet unitatem gradus perfectionis essentialis, sicut accidit in omnibus generibus.

Quartus gradus est, qui solum habet unitatem rationis communis multis, non tamen habet unitatem modi essendi, neque ordinis essentialis, neque gradus perfectionis ; sic se habet ens respectu Dei, et creaturæ. Nam licet dicat unitatem rationis communis Deo, et creaturæ ; non tamen habet eumdem essendi modum in Deo, et creatura ; quia in Deo est independens, in creatura vero dependens ; neque unitatem ordinis essentialis, quia ratio entis prius est in Deo essentialiter, quam in creatura ; neque habet unitatem gradus perfectionis : quia in Deo est perfectissimum ens, in creatura vero imperfectum.

Ex his dico primo. Ens non est univocum substantiæ, et accidenti univocatione 31.
Physica : tum quia univocatio Physica in sola specie ultima reperitur, quæ in plura alterius rationis dividi non potest ; tum etiam quia nullum genus, etiam ultimis speciebus proximum est ista univocatione univo-

cum, ex Aristotele 7. Physicorum tex. 31. dicente, quod *in genere latent æquivocationes*; quare multo minus erit tali univocatione ens univocum, cum sit remotissimum a specie infima.

Dico secundo, ens non est univocum substantiæ, et accidenti univocatione Logica, quia ens cum sit transcendens, non potest concipi sub aliqua intentione Logica generis, vel speciei, cum hujusmodi intentiones solum applicentur limitatis, ut docet Scotus in Universalibus.

32. Dico tertio, quod ens non est univocum substantiæ, et accidenti in primo, nec in secundo gradu univocationis ex quatuor, quos notabili tertio posuimus; patet quia non in primo gradu, eo quod talis est univocationis Physicæ, quam non convenire enti jam diximus : nec in secundo, tum quia ratio entis in substantia, et accidente non habet unitatem ordinis essentialis, quia per prius descendit in substantiam essentialiter, quam in accidens; tum etiam quia ista est univocatio Logica, quam ab ente negavimus, et in hunc sensum loquitur Scotus in hac quæstione, quando negat ens esse univocum substantiæ, et accidenti.

33. Dico quarto, quod ens est univocum substantiæ, et accidenti, in tertio, et quarto gradibus univocationis, quæ est univocatio Metaphysica, patet ; quia ad talem univocationem sufficit unitas conceptus objectivi, communis suis inferioribus, in quarto gradu; et tertius ultra hanc unitatem requirit unitatem modi essendi, etsi unitas ordinis essentialis, atque gradus perfectionis deficiat ; sed ens respectu substantiæ, et accidentis habet has duas unitates, quare est eis univocum, et in hunc sensum locutus est Scotus in primo Sententiarum locis citatis.

34. Neque contra hanc univocationem obstant auctoritates Aristotelis, et Porphyrii : nam quando Aristoteles dixit, 1. Phys. text. 12. quod principium maximum, etc. loquitur de multiplicitate suppositorum, et non conceptuum ; et quando 4. Metaph. text. 2. dixit quod ens significat accidentia per attributionem ad substantiam, sicut sanum significat urinam, etc. dico quod sicut sanum dicitur de sanis secundum majorem, et minorem perfectionem ; ita ens dicitur de entibus, non tamen pure analogice, cum non detur analogia sine univocatione, vel æquivocatione, et Aristoteles ibidem negat ens dici æquivoce : et quando 11. Metaph. cap. 3. dixit, neque æquivoce dicitur ens de substantia, et accidente neque univoce, sed medio modo, debet intelligi, quod non dicitur univoce de susbtantia, et accidente ea univocatione perfecta, qua species dicitur de suis individuis, neque æquivoce; sed medio modo, ea scilicet univocatione, quæ majorem, et minorem perfectionem in sibi univocatis admittit.

Et quando 7. Metaph. text. 2. dicit, quod quantitas, et qualitas non sunt entia, sed entis entia, intelligendus est, ac si diceret, non sunt entia per se subsistentia, bene tamen in aliis inhærentia. Et ad illud quod asserit, quod ens simpliciter dicitur de substantia, de cæteris autem prædicamentis secundum quid, text. 15. dico quod intelligit, quod ens dicitur, de substantia secundum diversum modum essendi a modo, secundum quem dicitur de accidente : est enim substantia ens per se, accidens vero ens in alio, et ideo substantia dicitur simpliciter ens, et accidens secundum quid, non quod accidens non sit vere, et formaliter ens, sed quod non simpliciter sicut substantia. Demum ad Porphyrium, *Si quis entia vocet*, etc. dico quod nullibi dixit Aristoteles ens dici æquivoce. Vel dicas, quod Porphyrius negat ens univocum Logica univocatione, cum non possit esse genus. 35.

QUÆSTIO VIII

Utrum quantitas sit res distincta a substantia, et qualitate

Aristot. 7. *divinorum*. Scotus *in* 2. *dist*. 12. *quæst*. 2. *et in* 4. *dist*. 12 *quæst*. 2. D. Thom. 1. *par*. *quæs*. 77. *art*. 2. Durand. *in* 1. *dist*. 33. *quæst*. 1. Occam *tract*. *de Eu-har*. *cap*. 28. *et in* 4 *dist*. 12. *quæst*. 7. Rubion *in* 4. *dist*. 12. *quæst*. 3. 4. *et* 5. Major *ibid*. *quæst*. 2. Gabriel *ibid*. *quæst*. 1. *art*. 1. *et in canon*. *lect*. 44. Suarez *tom*. 2. *Metaph*. *disp*. 40. *sect*. 2.

Arguitur quod non : quia substantia est divisibilis in ea, quæ insunt, quorum quodlibet natum est esse unum aliquod, et hoc aliquid, igitur substantia est quantitas. Tenet consequentia per definitionem quantitatis datam, 11. Metaph. cap. de infinito : et antecedens apparet de ligno, quod est divisibile in duas medietates, quarum quælibet est aliquid, et hoc aliquid. 1.

Secundo, quia quantitas per sui mutationem est susceptibilis contrariorum, ut patet de superficie, quæ primo est alba, et postea nigra, igitur quantitas est substantia per proprietatem substantiæ.

Tertio, si quantitas distinguatur a substantia, sequitur quod duo corpora essent simul : consequens est impossibile, ut pa-

tet 4. hujus, text. 76. Consequentia patet : quia corpus de genere substantiæ, et corpus de genere quantitatis essent simul.

Quarto, quia per Commentatorem in lib. de substantia Orbis, duplices sunt dimensiones, quædam terminatæ, et quædam interminatæ : dimensiones interminatæ sunt coæternæ ; sed dimensiones terminatæ generantur, et corrumpuntur : modo si per dimensionem interminatam intelligatur aliud quam materia, sequitur quod aliqua dispositio fuerat perpetuo in materia, quod est impossibile.

2. Quinto, si substantia non esset quantitas, sequeretur, quod divisibile reciperetur in indivisibili : consequens est falsum, quia omne quod recipitur, recipitur ad modum recipientis, et non ad modum recepti, et ideo si recipiens sit indivisibile, receptum est indivisibile. Probatur consequentia, quia quantitas, quæ est divisibilis, reciperetur in substantiam, quæ de sui natura est indivisibilis.

Sexto, si quantitas non esset substantia, sequeretur, quod si aliquod continue rarefieret, quod infinitæ quantitates generarentur, et infinitæ quantitates corrumperentur ; consequens apparet impossibile, scilicet quod res permanentes vere durent per solum instans, quod tamen oporteret fieri in rarefactione continua, ex quo continue esset alia, et alia quantitas.

Septimo, illud, quod est præsens quantitati secundum se ; et quodlibet sui, ita ut totum est præsens toti, et pars parti, illud de sui natura est quantum, sed substantia est taliter præsens quantitati, igitur substantia de sui natura est quanta, et per consequens frustra poneretur quantitas distincta.

3. Octavo : quia si quantitas sit res distincta ; tunc si per imaginationem, vel per potentiam divinam quantitas separaretur a substantia ; quæro tunc, utrum adhuc substantia haberet partem extra partem, vel non : si sic, frustra ponebatur quantitas ad extensionem substantiæ ; si non, cum possibile sit quantitatem illam, aut imaginabile subito separari, sequitur quod possibile est, vel imaginabile, substantiam illam subito moveri localiter ; quod est impossibile.

Nono, omnem rem absolutam posteriorem alia re, potest Deus destruere priore re non mutata, sed quantitas est res absoluta posterior substantia ; igitur Deus potest quantitatem destruere substantia non mutata; quo facto, quæro utrum substantia habeat partem extra partem, sic igitur substantia seipsa est quanta, et per consequens frustra superadditur quantitas ; si non, tunc sequitur, quod est mutata localiter, quod est contra positum, ponebatur enim, quod Deus servaret substantiam non mutatam.

Decimo, sequitur, quod accidens non esset sine subjecto in Sacramento altaris, quia haberet quantitatem pro subjecto.

Undecimo, quia si omnia possunt æque bene salvari non ponendo quantitatem esse rem distinctam, sicut ponendo, melius est ponere quantitatem esse rem indistinctam, sed omnia possunt, etc. ergo, etc. Major, et minor patent, quia frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora, ex primo hujus, text. 40.

Oppositum arguitur per Aristotelem in primo hujus, text. 14. ubi dicit, quod si substantia et quantitas sunt, duo sunt, quæ sunt, et non unum ; et subdit, quod si sola substantia sit, ipsa non est infinita, nec habebit magnitudinem : ex quo patet, quod substantia per se non habet magnitudinem, sed per quantitatem additam. Similiter dicit Aristoteles, quod ratio infiniti congruit quantitati, et non substantiæ, nec qualitati. 4.

Secundo, nisi sic, sequeretur, quod illa negativa non esset immediata vera ; videlicet *substantia non est quantitas*, consequens est falsum, ut patet 1. Post. text. 26. consequentia probatur : quia negativa immediata est vera, per se nota, et manifesta, modo illa esset falsa ex quo substantia esset quantitas.

Tertio sequeretur, quod substantia esset sensibile commune. Consequentia patet,

quia substantia est quantitas, quæ est sensibile commune : similiter sequeretur, quod quantitas esset sensibile per accidens, et quod quantitas esset sensibile per se ; et sequeretur, quod quantitas haberet contrarium, et quod quantitas susciperet magis, et minus. Consequentia patet, quia per te quantitas est qualitas, quæ habet contrarium, et suscipit magis, et minus.

Item sequeretur, quod non esset proprium quantitati, ut per ipsam aliquod diceretur æquale, vel inæquale. Consequens est falsum, et patet consequentia : quia substantia sibi ipsi esset æqualis, et inæqualis alteri, et sic similiter qualitas.

5. Notandum, quod de ista quæstione sunt duæ opiniones contrariæ. Una (a) probat quod quantitas non est res distincta a substantia, et qualitate; imo tam substantia, quam qualitas habet partem, extra partem et rationes hujus opinionis adductæ fuerunt ante oppositum. Secunda opinio probat, quod substantia est res distincta a quantitate, et qualitate, et ista est bipartita, quia quidam ponunt, quod superficies, linea, et punctum non sunt aliquæ res indivisibiles in quantitate, quemadmodum imaginantur Mathematici ; et secundo ponunt, quod quantitas corporea est res distincta a substantia, et qualitate. Alii (b) vero de tertia opinione probant, quod quantitas sit res distincta a substantia, et qualitate; et cum hoc quod linea, superficies, et punctum sunt res indivisibiles in continuo actualiter existentes. De istis indisivibilibus nihil ad præsens ; quia de eis diceretur in sexto. Sed de quantitate sit conclusio ista.

6. *Quantitas est res distincta a substantia et qualitate.*

Quantitas est res distincta a substantia, et qualitate. Probatur, quia nisi ita esset, sequeretur, quod homo posset aerem quemlibet condensare comprimendo. Consequens est contra experientiam ; quia vesica plena aere nullo modo potest comprimi, vel saltem non quælibet. Probatur consequentia, quia isti compressioni aeris, vel resistit materia aeris ; et hoc non ; quia materia ejus nata est esse indifferenter in quolibet loco quantumcumque modico, nec forma resistit : quia non repugnat formæ aeris stare sub minori loco, nec qualitates repugnant eodem modo : igitur tota repugnantia provenit ex parte quantitatis, et habetur propositum. Si dicatur, quod repugnantia provenit ex parte totius compositi, contra, primo, quia compositum non agit, nec resistit, nisi per determinatam dispositionem, ut puta per formam, vel qualitatem, vel per aliquam partem ejus ; ut patet de homine, qui non videt nisi per oculum ; de igne qui non agit nisi per calorem, et ita inducendo in aliis.

Secundo contra idem : quia totum compositum potest esse sub minori quantitate, 7.
igitur non repugnat sibi ratione compositi, quod possit poni sub minori quantitate. Tenet consequentia, et antecedens patet per experientiam : quia si aer idem, vel æqualis ponatur in phiala vitrea æquali prædictæ vesicæ, et ponatur collum phialæ in aqua comprimendo deorsum, immediate patebit per introitum aquæ, quod aer ille inclusus condensabitur. Et si compositum non posset condensari, ulterius ex ipso non posset generari aqua, vel terra, quod est falsum.

Secundo arguitur ad quæstionem, quia si qualitas esset quantitas, sequeretur, quod alicujus quantitatis removeretur medietas, et tamen totum maneret tantum, quantum erat prius ; consequens est impossibile, et probatur consequentia de isto lumine extenso per aerem, quod per te est quantitas, volo quod removeatur medietas intensive, et sequitur propositum.

Tertio sequitur, quod rarefactio non esset 8.
nobilior condensatione, consequens est falsum : quia est mutatio ad nobiliora elementa, scilicet ad ignem, et aerem : et patet consequentia, quia per rarefactionem non acquireretur aliquid, nec deperderetur ; et similiter per condensationem ; igitur si est verum, quod illa mutatio redditur nobilior, vere dicitur quod per rarefactionem acquiritur quantitas, et per condensationem deperditur, et tunc habetur propositum.

Secundo, quia illud, quod (c) rarefit, mu-

tatur mutatione præter hoc quod mutatur localiter, tunc igitur vel illa mutatio est acquisitiva, vel deperditiva,et quodcumque detur, non est nisi quantitas ; igitur quantitas est res distincta : quia in rarefactione non est necesse, quod acquiratur, vel deperdatur substantia, vel qualitas.

Dico igitur ex prædictis, quod quantitas est dispositio inhærens substantiæ, secundum quam partes substantiæ ab invicem distant, et sunt extra se invicem : quam (d) dispositionem esse separatam a substantia implicat contradictionem, ut deductum est in quæstione præcedenti. Nam quantitatis esse, est substantiæ inesse, igitur sequitur, quantitas est ; igitur substantiæ inest, et si sit separata, non inest, quod est contradictio.

Tunc ad rationes ad oppositum, ad pri-
9. mam dico, quod illa definitio datur de quanto, et non de quantitate. Unde Aristoteles dicit, *Quantum vero dicitur, quod est divisibile*, etc. Et ideo quantitas definitur sic, Quantitas est secundum quam aliquod est divisibile in ea, quæ insunt, etc. modo concedendum est quod substantia sit quanta, licet non sit quantitas.

Ad secundam nego antecedens. Unde dico quod superficies non dicitur primo alba, et postea nigra per mutationem superficiei, quæ est quantitas, sed per mutationem substantiæ.

Ad tertiam dico, quod non est inconveniens, quod duo corpora sint simul, quorum unum informet reliquum, sicut est de substantia, et quantitate.

Ad quartam dico, quod Commentator per dimensionem interminatam intelligit, quod semper materia prædeterminat sibi aliquam dispositionem ; indeterminata tamen non semper determinat sibi hanc, vel illam, et dimensio terminata vocatur illa, quam determinat sibi forma alicujus rei existens in materia.

Ad quintam negatur consequentia : quia substantia non est indivisibilis, imo divi-
10. sibilis, licet non seipsa, sed quantitate superaddita.

Ad sextam dico, quod non est inconveniens, quod si aliquid secundum se totum rarefiat, quod continue sit alia, et alia quantitas, nec est inconveniens, quod res permanentes vere durent per solum instans, ut patet in exemplo : nam lumen causatum a Sole propter diversitatem aspectus Solis, est continue aliud,et aliud in medio, et tamen illud de sui natura esset natum permanere, si Sol quiesceret. Aliter potest dici quod sicut in medio est unum lumen continuum successivum, ita illud, quod secundum se totum continue rarefit, est una quantitas continua successiva.

Ad septimam negatur major : quia sic sequeretur, quod albedo esset substantia, quia albedo secundum se, et quodlibet sui est præsens substantiæ, ita ut totum est præsens toti, et pars parti.

Ad octavam dico, quod impossibile est, 11.
imo implicat contradictionem, quod quantitas sit separata a substantia, ut patet ex præcedenti quæstione, sed si (e) per imaginationem, vel potentiam divinam, quantitas corrumperetur manente subjecto ; tunc dico, quod si quantitas successive corrumperetur, quod etiam substantia successive minueretur usque ad indivisibile, et si subito corrumperetur quantitas, subito substantia minueretur usque ad indivisibile, et ideo quia hoc est impossibile, ideo impossibile est quantitatem corrumpi manente substantia, et quod non sit alia quantitas generata.

Ad nonam negatur major, imo Deus non potest aliquo modo separare quantitatem ipsa remanente : quia hoc implicat contradictionem, ut dictum est, nec potest quantitatem destruere sine mutatione substantiæ.

Ad decimam conceditur, quod ille est
unus modus possibilis, quibus non repu- 12.
gnat fieri, at multa sunt quibus non repugnat fieri : quæ tamen sunt impossibilia fieri ; ut lineæ rectæ cuilibet non repugnat, quod super ipsam possit constitui triangulus æquilaterus, attamen aliqua est, super quam impossibile est hujusmodi

triangulum esse constitutum, ut patet de linea, quæ est diameter mundi. Secundo dico, quod quantitati repugnat, quod separetur, nam esse quantitatis est substantiæ inesse, nec ista consequentia valet ; hoc non est essentia ejus, nec pars, sed posterius eo, igitur ab eo potest separari, vel potest corrumpi alio non corrupto.

Ad undecimam dico, quod non omnia possunt æque bene salvari, quia in aliquibus invenitur resistentia proveniens ex parte quantitatis, et non ex parte alicujus alterius, ut declaratum fuit arguendo ad quæstionem, et hoc de quæstione.

ANNOTATIONES

13. (a)*Una probat quod quantitas non est distincta a substantia.* Hanc sententiam defendunt Nominales, et nominatim Ocham in tract. de Sacramento Eucharistiæ, cap. 28. et in 4. quæst. 7. Rubion in 4. dist. 12. quæst. 3. 4. 5. et 6. Gabriel in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 1. et in Canone lect. 44. et Major in 4. d. 12. q. 2.

(b)*Alii vero de tertia opinione probant, quod quantitas sit res distincta.* Hæc sententia est D. Thomæ 1. part. quæst. 77. art. 2. Durandi 1, sent. d. 33. quæst. 1. et Scoti hîc, et in 2. sent. d. 12. quæst. 2. et in 1. d. 2. quæst. 2. et est etiam Aristotelis 7. divinorum ubi habet hæc verba : *Longitudo, latitudo, et profunditas, quantitates quædam, sed non substantiæ sunt : quantitas enim non est substantia.* Et potest ratione probari, ad substantiam et quantitatem, sunt variæ, et distinctæ mutationes, ergo sunt naturæ inter se distinctæ. Consequentia patet, quia diversæ mutationes diversos habent terminos, et secundum rem distinctos. Antecedens probatur, quia substantia acquiritur generatione, quæ fit in instanti temporis, quantitas vero per motum successivum, qui fit in tempore.

14. *Opinio quadruplex de motu rarefactionis et condensationis.*

(c) *Illud quod rarefit mutatur*, etc. Nota quod de motu rarefactionis, et condensationis, sunt plures sententiæ : prima asserit quod rarefactio fit per juxtapositionem corporum subtilium, ita videlicet, ut rarefaciens, verbi gratia, ignis generet aliqua corpora subtilia de aliquibus partibus substantiæ rarefactibilis, et illæ partes sic se habent, quod non possunt esse omnino cum aliis partibus, qua de causa illæ partes expellunt alias de suo loco, et sic secundum quod sunt pauca, vel plura corpora subtilia, majorem, vel minorem occupant locum; et ex hoc sequitur, quod in motu rarefactionis corrumpuntur aliquæ partes substantiæ rei, quæ rarefit, et generantur corpora subtiliora ; partes autem quæ corrumpuntur, illæ sunt, quæ sunt propinquiores agenti, et prius respiciunt actionem suam. Hanc sententiam sequuntur aliqui Scotistæ putantes eam esse Scoti, quia illam Scotus refert in 4. dist. 12. quæst. 4. est tamen, ut ait Tartaretus, falsa, et improbata ab Arist. 4. Phys. cap. 9.

Secunda sententia est Marsilii, et Henrici 15.
Gandavensis, quam sequitur Veracrux. Isti asserunt, quod in rarefactione acquiritur una totalis quantitas, et corrumpitur tota præcedens. Quæ sententia dupliciter explicatur : primo modo sic, quod eadem quantitas prius est minor, et postea major in rarefactione ; et e contra in condensatione, ita scilicet quod eademmet quantitas est, quæ rarefit, et per rarefactionem acquiritur majoritas quantitatis. Unde termini rarefactionis sunt minoritas, et majoritas quantitatis, et ultra cum majus, et minus de materiali significent quantitatem, et de formali respectum, scilicet talem ordinem ad partes loci, sequitur, quod respectus ille acquiritur in rarefactione, ita videlicet, quod quantitas, quæ denominatur cubitalis, verbi gratia, propter talem ordinem partium ad partes loci, in rarefactione vocatur bicubitalis, propter alium ordinem partium ad partes loci.

Secundo modo sensum hujus opinionis ita explicat Veracrux, dicens, quod dimensio non est res, quæ extenditur, quasi dicat quod quantitas non est quanta, neque extensio est extensa ; sed est ratio extensionis in corpore. Corpus autem est quod extenditur per quantitatem, et cum in rarefactione magis extendatur corpus, acquiritur nova quantitas, et cum densatur deperditur.

Tertia sententia est Buridani, et quam 16.
aliqui dicunt esse Scoti, et certe Scotus eam sequi videtur in hac quæstione, estque hujusmodi sententia talis, quod in rarefactione acquiritur nova pars quantitatis sine corruptione præcedentis ; intelligitur autem hæc sententia sic : in tota materia adæquate augetur quantitas antiqua, ita ut non signetur pars, quæ non sit aucta, et neque fiat in parte determinata, ut non in cæteris, fere ad eumdem modum, quo augetur quantitas in augmentatione viventis, quamvis sit discrimen quoad hoc, quod in vivente augmentatio fit secundum illas partes, quas dicimus formales, non tamen secundum illas, quas materiales appellamus : at in rarefactione ita omnes particulæ augentur, ut nulla quantumvis parva detur et sit, quæ non augeatur adventu novæ quantitatis.

Quarta sententia tenet, quod per conden-
sationem, et rarefactionem, non acquiritur 17.
nisi alius, et alius ordo partium ad partes

loci : nam per condensationem partes non efficiuntur sibi propinquiores quam antea in ordine ad se invicem, quia semper sunt continuæ, sed in ordine ad locum, et similiter per rarefactionem partes efficiuntur distantiores in ordine ad locum, et non in ordine ad se. Hæc sententia est cæteris probabilior, quam esse de mente Scoti late ostendimus super 4. Scoti Tomo 1. dist. 12. quæst. 4. art. 4. aliis opinionibus reprobatis. Nam in illa quæstione loquens Scotus de figura corporis Christi in Eucharistia, inquit : *Possibile est quod maneat idem ordo penitus partium ad se invicem, et quod sit alius ordo partium ad partes loci Quoniam notum est, quod si ego faciam digitum meum curvum, tunc idem est ordo partium digiti curvi, et recti in ordine ad se invicem, sed non in ordine ad partes loci.* Si ergo quæratur, an in condensatione partes efficiantur propinquiores, quam prius, respondendum est, quod in ordine ad se invicem non sunt propinquiores, quam ante, bene tamen in ordine ad partes loci, et idem de rarefactione, quod partes rarefacti sunt distantiores in ordine ad partes loci, et non in ordine ad se. Hæc etiam opinio videtur esse S. Thomæ 2. 2. quæst. 24. art. 5. ad 1. et 1. 2. quæst. 52. dicentis, quod in rarefactione non acquiritur nova quantitas, neque in condensatione deperditur, sed acquiritur novus modus quantitatis, sicut ex eadem linea modo facimus circulum, modo angulum, qui quidem modus ille ordo partium ad partes loci videtur esse ; et confirmari potest ex Arist. 4. Phys. text. 94. dicente, quod ex raro fit densum sine augmentatione, et ex hoc habes, quid de hoc sentiendum sit juxta intentionem Scoti.

18. d) *Quam dispositionem esse separatam a substantia implicat contradictionem.* Hic Scotus loquitur naturaliter, et ut simplex Philosophus. Cum enim Aristotelis Physicam explicet, ut Physicus loquitur, atque ita ad 8. et 9. argumentum respondet eo modo, quo simplex naturalis Philosophus responderet. Nam alio modo theologice loquens respondet in 4. dist. 12. quæst. 1. et 2. ut annotavimus in præcedenti quæstione.

(e) *Si per imaginationem, vel potentiam divinam quantitas corrumperetur manente subjecto*, etc. Nota quod circa hunc casum varie sentiunt Doctores. Nam Paulus Venetus dicit, quod separata quantitate a substantia omnes partes substantiæ confluerent ad punctum, quam sententiam videtur hic docere Doctor Subtilis. Alii tenent, quod ablata quantitate substantia non potest conservari. Alii tandem dicunt, quod per divinam potentiam potest conservari substantia corporea sine quantitate, et tunc manebit substantia non quanta, nec extensa, nec divisibilis extensione, et divisibilitate quantitativa, sed quodammodo habens partes distantes entitative, sicut esset in partes entitativas divisibilis, et si dicatur, sicut non est factibile, quod substantia sit alba sine albedine, ita neque potest habere partes, neque dividi sine quantitate. Respondetur, quod ablata quantitate, non manet in substantia effectus formalis quantitatis, qui est reddere substantiam habentem partes extensas, et divisibiles quantitative, et aptam replere locum. Sed haberet substantia partem extra partem entitative, id est, haberet unam partem extra entitatem alterius partis, et in eas esset divisione entitativa divisibilis. Cæterum si Deus separaret a substantia quantitatem, nullum locum occuparet substantia, essetque in loco tantum definitive, atque adeo non damus, quod Deus suppleat vicem causæ formalis. Hanc sententiam docet Tataretus, in primo Physicorum, estque communis Scotistarum sententia.

EXPOSITIO TEXTUS

Amplius (1) *quoniam et ipsum unum multipliciter dicitur*, etc. Hic ponitur secunda ratio : quia vel illud unum est unum continuum ; vel unum indivisibile, aut unum secundum rationem ; si unum (2) continuum, tunc cum in infinitum divisibile sit continuum, sequitur quod multa erunt, scilicet multæ partes continui. Et tunc interserit Aristoteles quamdam dubitationem de toto, et partibus. Utrum totum idem sit quod suæ partes, vel non ; et videtur quod non : quia tunc partes essent eædem inter se. Unde commen. 17. dicit Comment. quod de toto et partibus est sophisma compositionis, et divisionis : quia ejus partes simul sumptæ, sunt ipsum totum, quælibet tamen per se accepta est alia a toto. Et tunc prosequitur illam rationem ; si (3.) illud unum sit indivisibile, tunc sequitur, quod non erit quantum, nec quale ; nec infinitum, sicut dixit Melissus, aut finitum, sicut dixit Parmenides, quod patet ; quia terminus indivisibilis, nec est finitus, nec infinitus. Si (4.) dicatur quod sit unum secundum rationem ; tunc non est aliud nisi, sicut dixit Heraclitus, quod omnia sunt unum vel definitione, vel ratione, si-

19. Text. 16.

Text. 18.

Text. 19.

cut indumentum et tunica. Idem erit de bono, et malo, et non bono esse et bono. Quare idem erit bonum, et non bonum ; et homo, et equus, et hujusmodi.

QUÆSTIO IX

Utrum totum sit suæ partes

Aristot. 1. *Phys. text.* 15. *et in Metaph. cap.* 14. *et lib.* 7. *c.* 17. *et* 2. *de Anima.* Avicen. 3. *Metaph. cap.* 4. Scotus 8 *Metaph. quæst.* 4. *et in* 3. *distinct.* 2. *quæst.* 2. D. Thom. *in* 3 *distinct.* 2. *quæst.* 1. *art.* 3. *quæstiuncula* 3. *ad* 3. *et in* 4. *dist.* 16. *quæst.* 1. *art.* 2. *quæst.* 3. *ad* 2. Hervæus *quodl.* 2. *quæst.* 15. Capreol. *in* 3. *distinct.* 2. *art.* 1. Cajet. 3. *part. quæst* 6. *art.* 5. *ad* 1. Ferrar. 4. *con. Gent. cap.* 81. Mayron. *distinct.* 1. *quæst.* 10. Anton. Andr. 7. *Metaph. quæst.* 18. Conimbric. 1. *Phys. cap.* 2. *quæst.* 1. Ruvius *ibid. cap.* 3. *quæst.* 1. Fuentes *ibid. quæst.* 6. *diffic.* 1. Faber *Theorem.* 21.

1. Arguitur quod non, per Aristotelem in 2. de Anima, text. 2. ubi dividit compositum in materiam et formam, quæ divisio non valeret si totum esset materia, et forma.

Secundo per Aristotelem 5. Metaph. text. 19. ubi dicit quod bis tria non sunt sex, sed semel sex sunt sex.

Tertio per Aristotelem 6. Metaph. text. 60. ubi dicit, quod compositum non est elementa, ex quibus componitur, exemplificat de syllaba *ba*, quæ non est *b*, et *a*. Nam dissolvantur *b* et *a*, tunc erunt duæ litteræ, sed non erit syllaba *ba*.

Quarto per Aristotelem 8. Metaph. text. 15. ubi dicit quod omnium habentium diversas partes, et non sicut acervus, id est, cumulus, oportet ponere aliam causam ; et non videtur alia, nisi quod totum distinguitur a suis partibus, ergo, etc.

Quinto, illa non sunt idem, de quibus verificantur contradictoria, sed sic est de toto, et partibus, ergo, etc. Major patet per primum principium; et minor apparet : quia totum componitur ex partibus, et partes, verbi gratia, materia, et forma, sunt partes totius; et tamen totum non est pars totius. Secundo, quia partes sunt priores toto, et tamen totum non est prius toto. Tertio, quia totum est notius secundum sensum, quam partes, ut patet primo hujus, text. 3. et tamen totum non est notius toto. Quarto, totum movetur per se, et tamen partes non moventur per se. Quinto, quia partes sunt minores toto, et tamen totum non est minus toto. Sexto, quia totum non est causa totius, et tamen partes sunt causæ totius. Septimo, quia totum est prius in intentione, sed posterius via generationis; sed partes per oppositum sunt primæ via generationis; igitur partes non sunt totum.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo text. 17. ubi dicit quod unum est multa, quod non esset, nisi totum esset multæ partes. 2.

Secundo per Aristotelem 4. Physic. text. 23. ubi numerat modos essendi *in*, dicit, non enim est totum præter partes.

Tertio per Aristotelem in eodem 4. ubi dicit quod plures mensuræ sunt unum mensuratum, et exemplificat Commentator ut plures numeri sunt unus numerus.

Quarto per Commentatorem in 1. hujus, comment. 17. ubi dicit quod de toto et partibus est syllogismus compositionis, et divisionis : nam omnes partes simul sumptæ sunt ipsum totum, sed quælibet pars per se sumpta est alia a toto.

Notandum est, quod hoc nomen (a) *totum* aliquando sumitur categorematice, et tunc significat idem, quod habens partes ; quemadmodum album significat habens albedinem : et sic accipitur in titulo quæstionis. Alio modo sumitur syncategorematice, et tunc additum alicui termino significanti totum integrale, distribuit pro qualibet parte illius totius integralis, quemadmodum istud signum *omnis* distribuit pro omnibus partibus subjectivis totius universalis, cui additur. Verbi gratia ista, *Totus Socrates est*; significat quod quælibet pars Socratis est, et in isto sensu solet concedi, quod totus Socrates est minor Socrate. 3. *Totum sumitur dupliciter.*

Secundo notandum est, quod istud signum *omnis* sumptum in numero plurali, quandoque sumitur distributive, ut di- *Signum omne numero plurali*

[...]riam sumitur. cendo, *Omnes homines currunt*, idest, isti homines currunt, et illi, et sic de singulis. Quandoque sumitur collective, ut dicendo, *Omnes Apostoli sunt duodecim*, et tunc est dictum, quod omnes Apostoli simul sumpti sunt duodecim, et isto modo accipitur cum dicitur, quod totum est omnes suæ partes.

Terminus pluralis [d]upliciter [s]umitur. Tertio notandum, quod terminus pluralis numeri, ut *partes*, et etiam terminus de copulato extremo, vel etiam de disjuncto extremo, potest capi dupliciter, vel in sensu composito, vel in diviso, verbi gratia, *Partes sunt totum*; si capiatur in sensu diviso, sensus est, quod pars est totum, et alia pars est totum, et hoc est impossibile; si autem capiatur in sensu composito, tunc sensus est, quod partes simul sumptæ sunt totum, et istud innuebat Commentator sub isto primo.

4. *Totum est [s]uæ partes* Nunc ponitur ista conclusio : Totum est (b) suæ partes, ita quod omnes partes simul sumptæ sunt ipsum totum. Probatur; quia si (c) totum sit aliud a suis partibus simul sumptis sint, *A* et *B* duæ medietates alicujus totius, et *C* illud totum, quod tu dicis distinctum; tunc quæro, utrum compositum ex *A* et *C*, sit unum totum, vel non; si non, tunc sequitur, quod Socrates non esset una res, imo nec aliqua res mundi, quod est falsum; si dicatur quod sic, tunc vel sunt unum totum, seipsis, vel per aliud totum distinctum : si seipsis, igitur eadem ratione *A* et *B* erant unum totum distinctum, sit illud *B*, et quæratur de composito ex illis quatuor sicut prius, et fiet processus in infinitum.

5. Secundo sequeretur, quod ab aliquo toto ponderante unam libram præcise removeretur pondus unius libræ, et tamen adhuc ponderaret tantum, quantum ante. Consequens est falsum, quia ex quo postea ponderat unam libram, et ablata est una libra, oportet quod prius ponderasset duas libras, quod est contra casum. Probatur consequentia, quia si illud est ponderans unam libram, tunc certum est, quod quælibet suarum medietatum ponderabat dimidiam libram. Deinde dividatur illud totum, tunc per te totum corrumpitur, igitur pondus totius corrumpitur, et tamen illæ medietates tantum ponderant, quantum prius, ergo, etc.

Tertio sequitur, quod (d) per solam divisionem substantia corrumpetur; consequens est falsum, quia tunc si divideretur una portio materiæ primæ, corrumperetur materia prima; quod est falsum, cum sit perpetua. Consequentia patet, quia per solam divisionem corrumpitur illud totum, quod tu ponis esse distinctum, quod totum est substantia.

Quarto sequeretur, (e) quod nulla generatio simplex esset mutatio una; consequens est falsum, ut patet in 5. hujus. Probatur consequentia, quia ad unitatem motus requiritur unitas termini ad quem : modo nulla generatio simplex haberet unum terminum, quia habet formam substantialem pro uno termino, et etiam totum; quod tu ponis distinctum a partibus. 6.

Quinto. Si totum esset alia res præter partes, sequeretur quod ita in numeris esset quemadmodum in magnitudinibus : consequens est falsum, quia in numeris non apparet, quæ res, vel qualis esset illud totum distinctum a partibus.

Sexto sequeretur, quod remota aliqua parte a toto, non remaneret idem totum, quod prius; consequens est falsum, quia nullus nostrum esset idem qui fuerat prius. Consequentia probatur; quia ad ablationem cujuscumque partis divideretur illud totum, et ad divisionem totius corrumpitur illud totum, quod tu ponis distinctum.

Contra conclusionem arguitur : quia si conclusio esset vera, sequeretur quod infinita essent finita : consequens est falsum, ut est notum, quia unum oppositorum non prædicatur de reliquo. Probatur consequentia, quia totum est infinitæ partes, et totum est duæ medietates; igitur duæ medietates sunt infinitæ partes, et per consequens finita sunt infinita, et e contra. 7.

Secundo sequeretur, quod paria essent imparia : consequens est falsum, quia sequitur, *imparia, igitur non paria* : modo


impossibile est quod paria sint non paria; et probatur consequentia, quia totum est duæ medietates, quæ sunt paria, et est tres, quæ sunt imparia, igitur paria sunt imparia.

Tertio. Si totum sit suæ partes, sive idem suis partibus, sequitur quod partes erunt eædem inter se : consequens est falsum, quia una pars non est alia : et probatur consequentia; quia quæcumque uni, et eidem sunt eadem, illa inter se sunt eadem, igitur si partes sunt idem toti, sequitur, quod erunt eædem inter se.

8 Quarto sequeretur, quod partes essentiales essent eædem cum partibus quantitativis, et integralibus. Consequens est falsum : quia partes quantitativæ, et integrales sunt compositæ ex materia, et forma, sed partes essentiales sunt simplices per privationem hujusmodi compositionis.

Quinto sequitur, quod propositio vera esset propositio falsa, quod est impossibile. Probatur consequentia capiendo istam propositionem, *Deus est*, et *Homo est asinus*; vel *Homo est animal* : nam isti termini sunt disjuncta vera, et illi iidem termini sunt copulativa falsa; igitur iidem termini sunt propositio vera, et sunt propositio falsa, et confirmatur capiendo istam propositionem mentalem, *Omnis homo est animal* : quia isti termini sunt propositio vera; et isti termini sunt propositio falsa, scilicet ista, *Animal est omnis homo*, igitur propositio vera est propositio falsa. Nec valet si dicatur, quod hoc non est inconveniens : quia aliqui termini uno modo ordinati sunt propositio vera, et alio modo ordinati sunt propositio falsa : quia in intellectu non est situs, vel ordo, cum sit omnino indivisibilis.

9. Sexto sequitur, quod aliqua duo sunt quadrata, et neutrum est quadratum : consequens videtur falsum. Probatur consequentia, ut sit unus quadrangulus divisus ex transverso per duo quadrata æqualia, quorum unum sit *a*, et reliquum *b*; deinde dividatur idem quadrangulus per diametrum sub uno angulo ad angulum sibi oppositum per duos triangulos, quorum



unus sit *c*, et reliquus *d*, tunc probatur consequentia : quia *c.* et *d.* sunt iste quadrangulus, et iste quadrangulus, sunt *a.* et *b*; igitur *c. d.* sunt *a. b.* quæ sunt duo quadrata, et tamen nec *c.* nec *d.* est quadratum, imo uterque eorum est triangulus, ergo, etc.

Septimo sequitur, quod animal esset animatum, et inanimatum : consequens est falsum; et consequentia probatur, quia animalis una pars est animata, et alia inanimata, tunc signo partem inanimatam, et totum residuum sit pars animata. Tunc sic, animal est duæ partes, et istæ duæ partes sunt animatum, et inanimatum; igitur animal est animatum, et inanimatum. 10.

Ad ista respondetur. Ad primum concedo, quod infinita divisim sumpta, sunt finita conjunctim sumpta.

Ad secundum, concedo, quod paria sunt imparia; et quando dicitur, ergo paria sunt non paria, negatur consequentia : quia sicut iste terminus par est vere affirmativus sumptus ab æqualitate partium, ita iste terminus *impar* potest dici vere affirmativus sumptus ab inæqualitate partium. Vel potest dici concedendo, quod paria sunt imparia conjunctim sumpta, sed non divisim.

Ad tertium negatur consequentia. Nam illa regula intelligitur sic, quod quotiescumque aliqua duo divisim dicuntur de eodem determinato, illa dicuntur de se invicem; modo partes divisim sumptæ non dicuntur de toto, sed conjunctim; et glossa prædictæ regulæ est vera in omnibus, exceptis in divinis, in quibus una res est eadem cuilibet diversarum rerum, scilicet una essentia 11.

cuilibet diversarum personarum.

Ad quartum concedo consequens, conjunctim sumendo, divisim nego : quia ista semper est falsa, pars essentialis, est pars quantitativa.

Ad quintum negatur consequentia. Ad probationem de vocalibus dico, quod non sunt veræ, vel falsæ nisi ratione mentalium, quæ correspondent eis; et ideo solum dicendum est de mentalibus, quod præter illos terminos ex quibus componitur propositio, requiritur alius actus intellectus, componens, et ordinans ; et ideo secundum diversam compositionem, et ordinem, alia et alia propositio, et ideo præter terminos illos, actus ille debet connumerari tanquam pars. Et cum dicitur, quod in intellectu non est ordo : dico quod imo, quia licet ibi non sit ordo situs, scilicet per partem extra partem; tamen est ibi ordo subjectionis, et prædicationis, et ideo sicut aliud dicitur prius secundum naturam alio; ita aliud potest dici ibi prius secundum ordinem, licet non sit ibi diversitas situs.

12. Ad sextum concedo, quod aliqua duo conjunctim sumpta sunt quadrata quorum tamen neutrum divisim sumptum est quadratum.

Ad septimum, concedo, quod animal est animatum, et inanimatum sumendo conjunctim prædicatum. Vel potest negari consequentia : quia si capiatur pars inanimata, impossibile est quod totum residuum sit pars animata, quod probo : quia est aliqua pars animæ informans partem inanimatam acceptam,quæ pars animæ non est animata : nam præter illam partem quæ accipitur quasi esset inanimata, et residuam partem animatam, oportet connumerare illam partem animæ.

Ad rationes. Ad primam dico, quod Aristoteles in 2. de Anima dividit compositum in materiam et formam divisim sumptas, sed materia, et forma conjunctim sumpta sunt compositum.

Ad secundam dico, quod imo bis tria sunt sex. Sed Aristoteles vult, quod secundum aliam rationem dicatur bis tria, et secundum aliam sex.

Ad tertiam dico, quod Aristoteles intelligit, quod compositum non est elementa, seu partes materiales, ex quibus componitur ; sed oportet connumerare omnes partes compositi simul sumptas ; et exemplum quod Aristoteles ponit non est verum : nam exemplorum non quæritur verificatio, ut patet secundo Priorum.

Ad quartam dico, quod intelligitur, 13.
quod præter partes materiales requiritur forma, vel aliquid aliud uniens illas partes ad invicem.

Ad quintam concedo majorem, et nego minorem ; ad probationem, Totum componitur,etc, dico, quod totum componitur ex partibus divisim sumptis, sed totum non est partes divisim sumptæ, sed conjunctim sumptæ.

Ad illam, Partes sunt priores toto, concedo, et ita potest concedi quod totum est priores toto, licet totum non sit prius toto: vel dico, quod partes divisim sumptæ sunt priores, et causæ totius ; sed conjunctim non : imo sunt ipsum totum. Et cum dicitur : partes sunt minores, concedo, quod partes divisim sumptæ sunt minores, sed conjunctim sumptæ sunt idem quod totum.

Ad aliam. Totum est notius. Concedo quod totum est notius secundum sensum, quam suæ partes divisim sumptæ, sed suæ partes conjunctim sumptæ sunt æque notæ sicut et totum. Ad illam, totum per se movetur, concedo et ita sequitur quod partes conjunctim sumptæ per se moventur, sed divisim sumptæ non : imo moventur ad motum totius. Ad aliam, partes sunt priores ; dico quod verum est de partibus divisim sumptis : quia sunt priores via generationis, sed partes conjunctim sumptæ non. Et consimiliter potest responderi ad alias.

ANNOTATIONES

(a) *Totum aliquando sumitur categorematice*, etc. Nota quod in hac quæstione quæ- 14.

rit Scotus, an in quolibet toto composito substantiali, præter omnes partes simul sumptas, sit aliqua alia entitas, quæ dicatur totum, realiter a partibus sic simul sumptis distincta, a qualibet enim seorsum sumpta certum est distingui : hujusmodi autem totum categorematice sumptum est duplex, scilicet per se, et per accidens. Totum per accidens est illud, quod componitur ex rebus diversorum generum : ut homo albus, et de hoc non est quæstio. Totum per se est compositum ex partibus ejusdem generis, et est triplex ; scilicet totum universale, quod habet partes subjectivas, de quibus prædicatur, et de hoc non est quæstio : certum est enim non distingui realiter a suis partibus. Aliud est totum integrale constans ex partibus quantitativis integrantibus, quod duplex est : homogeneum, cujus partes sunt ejusdem rationis cum toto, ut aqua et lapis ; et heterogeneum, cujus partes sunt diversæ, et alterius rationis a toto, ut in animali caput, pedes, et cætera. Tertium totum est essentiale, et est duplex : Physicum, quod materia formaque constat, et Metaphysicum, quod genere et differentia conflatur, et de hoc etiam non est quæstio. Venit ergo hæc examinanda tantum de toto Physico, et de toto integrali, tam homogeneo, quam heterogeneo.

Totum categorematice sumptum est duplex.

15. *Distinctio est triplex.*

(b) *Totum est suæ partes, ita quod omnes partes simul sumptæ sunt ipsum totum.* Nota, quod distinctio ut ad præsens spectat, est triplex, realis, formalis, et ad formam rei : distinctio realis (quia fundatur super aliam et aliam rem, in quantum illæ res existunt, ita ut immediatum fundamentum distinctionis realis sit res existens) est illa qua diversæ res existentes distinguuntur, et per oppositum realis identitas distinctioni reali opposita, fundatur super identitatem existentiæ, ita ut existentia sit immediatum fundamentum realis identitatis : atque adeo illa sunt idem realiter, quorum existentia est una.

Distinctio formalis est inter duas formalitates, quarum una non includit aliam quidditative, ut subjectum, et propria passio : et hæc distinctio formalis duplex est, mutua scilicet, et non mutua. Mutua est illa, quando sic distincta neutrum alterum includit in sua ratione et definitione ; ut intellectus, et voluntas. Non mutua est, quando conceptus unius includit conceptum alterius, et non e contra, ut inter hominem et animal contingit. Homo enim non distinguitur ab animali, quia homo includit animal in sua ratione formali et quidditativa ; tamen animal ab homine distinguitur, quia animal non includit hominem in sua definitione ; econtra identitas formalis opposita distinctioni formali est eorum, quorum unum includit aliud quidditative, et formaliter, ut ex ejus definitione tradita ab Scoto in 1 dist. 2. q. 7. colligitur, quæ talis est :

Voco autem identitatem formalem, ubi illud, quod sic est idem, includit illud, cui sic est idem in sua ratione formali, et per consequens per se primo modo : et dist. 8. quæst. 4. dicit ; *Includere formaliter est includere aliquid in sua ratione essentiali, ita quod si definitio includentis daretur, inclusum esset definitio ejus, vel pars definitionis.* Hæc autem identitas duplex est, adæquata, et inadæquata : prima est quando illa, quæ sic sunt idem, unum includit aliud adæquate, et convertibiliter : ut definitum et definitio sunt idem formaliter ; et adæquate, quia nihil includit homo quidditative, quod non includat animal rationale, et e converso. 16.

Secunda est quando inadæquate unum includit aliud, scilicet non convertibiliter, ut homo, et animal sunt idem formaliter inadæquate ; quia quamvis homo includat animal quidditative, animal tamen non includit formaliter hominem, et universaliter inferius respectu superioris est idem formaliter superiori, superius tamen non est idem illi formaliter.

Distinctio ex natura rei, quæ est minor inter omnes distinctiones præter opus intellectus est, quæ cadit inter rem, et modum rei, et hac distinctione distinguitur etiam homo ab animali. Quando enim aliqua sic se habent, quod aliquid ex natura rei competit alicui, quod alteri repugnat, et ipsa inter se sunt idem realiter, formaliter, et essentialiter : talia distinguuntur ex natura rei, homo enim et animal sunt idem realiter formaliter, et essentialiter ; et tamen absque opere intellectus competit homini, quod sit totum quidditativum, vel actuale, quod repugnat animali. Ideo distinguuntur ex natura rei. E contra identitas ex natura rei talis est, quod iis, quæ sic sunt idem, repugnat, quod aliquid ex natura rei competat uni, quod repugnet alteri. 17.

Distinc[tio] ex natu[ra] rei qu[id] sit

Nota secundo, quod distinctio realis duplex est, scilicet mutua, et non mutua. Nam cum distinctio sit relatio quædam inter aliqua, qua unum dicitur distinctum ab alio, eo quod habet aliquid, quod non habet aliud, et illud est fundamentum talis distinctionis, et relatio duplex sit, mutua videlicet, et non mutua. Mutua est, quando hoc refertur ad illud, quod etiam refertur ad ipsum, ut pater refertur ad filium relatione reali, qui filius refertur ad patrem etiam relatione reali. Non mutua est, quando unum refertur ad aliud relatione reali, et non e converso : ut creatura refertur ad Creatorem relatione reali, Creator vero solum relatione rationis refertur ad creaturam. Ista distinctio est duplex, mutua, 18.

Disti[nctio] realis duplex

et non mutua. Mutua quando unum æque distinguitur ab alio, et aliud ab illo, ut Petrus, et Joannes qui inter se æque distinguuntur. Non mutua dicitur illa, quando unum extremum distinguitur ab alio distinctione majori, aliud vero extremum distinguitur distinctione minori. Unde distinctio realis mutua est, quando aliqua sic inter se realiter distinguuntur, quod unum realiter distinguitur ab alio, et e contra; distinctio vero realis non mutua est, quando aliquid realiter distinguitur ab alio, et illud non distinguitur ab eo realiter, nisi terminative, et extrinseca denominatione, quia scilicet terminat distinctionem alterius ad ipsum.

19. *otum ysicum omodo ingua- reali- a par- s.*

Nota tertio, quod totum Physicum distinguitur realiter a partibus distinctione reali non mutua : quia licet partes realiter distinguantur a toto, totum tamen non distinguitur realiter a partibus, sed tantum ex natura rei : dicitur tamen realiter distingui extrinseca denominatione ex eo, quod distinctio est subjective in partibus, et terminatur ad totum, atque adeo pro tanto dicitur totum distingui realiter a partibus : quia partes realiter distinguuntur a toto ; ita ex mente Scoti docent præclarissimi Scotistæ Mauritius in imaginibus formalitatum, Antonius Trombetta, articul. de distinct. et identitate reali, Joan. Cano 1. Physic. quæst. 3, et Leuchetus, in secundo Sentent. distinct. 1. quæstione 5, et Bargius, et fere omnes peritiores Scotistæ. Et ex his patet, quod Scotus in hac quæstione non contradicit his, quæ scribit in 3 Sentent. distinctione 2. quæstione 2. ubi docet, quod totum distinguitur realiter a suis partibus simul sumptis : non enim est sensus, quod totum intrinsece, et formaliter, hoc est, intrinseca et formali denominatione a partibus simul sumptis realiter distinguatur ; hoc enim est falsum, cum totum sit idem formaliter partibus, cum eas quidditative includat : et hoc est quod negat Scotus in hac quæstione ; sed sensus est, quod totum distinguitur realiter a partibus, quia terminat distinctionem, qua partes etiam simul sumptæ a toto realiter distinguuntur : et hoc est, quod Scotus affirmat in 3. loco sup. relato.

20. *um in- grale omodo tingua- a par- ts.*

Sed quid dicendum est de toto integrali ? Dico, quod totum integrale heterogeneum, et homogeneum, non est suæ partes, sed aliquid ab eis distinctum. Ita docet Scotus in 3. distinctione 22. ubi dicit : si homo esset suæ partes, tunc esset unum aggregatione ; sicut neque quinarius numerus est suæ unitates, sed totum quod resultat ex unitatibus, aliter esset solum unum sicut acervus lapidum, quod est falsum.

Cæterum : quia aliquæ auctoritates, et rationes, quas hic adducit Scotus, videntur destruere positionem ejus in 3. Sentent. ideo explicandæ, et solvendæ sunt. Ad primam auctoritatem ex 1. hujus text. 17. ubi dicit, *quod continuum est multa* : dico quod Aristoteles vult, quod totum continuum est multa in potentia, id est, quod potest dividi in multas partes, non tamen inde sequitur ipsum ut totum, non esse ab illis realiter distinctum.

Ad illud de 4. Physic. cap. 3. ubi dicit, quod totum non est præter partes : dico 21.
quod potius est pro nobis. Ibi enim enumerat Aristotelis modos, quibus aliquid est in aliquo, et unus modus dicitur esse, veluti partes sunt in toto, et totum in partibus, eo quod non est totum præter partes, id est, nunquam invenitur totum sine partibus. Infra autem movens dubium, an aliquid possit esse in seipso, respondet in text. 24. quod dupliciter aliquid potest esse in seipso, uno modo primo et per se : altero modo secundum alterum, et dicit quod totum non est primo modo in se, quia cum totum sit idem sibi, quidquid esset in toto, esset ipsum totum, et quælibet pars esset totum, et partes essent totum, insuper sequeretur, quod idem respectu ejusdem esset id, quod est, et id in quo est : sed hujusmodi rationes, quod est, et in quo est, sunt diversæ : sic enim dicit Aristoteles : *Altera specie hæc sunt, et alteram naturam habet unumquodque.* Ergo totum non est in seipso, sed dicitur esse in partibus, ergo partes alteram rationem habent a toto ; et cum totum possit ab una parte denominari, dicetur totum esse in se, quia una pars est in toto : atque ita non est totum in ipso primo, et per se ; sed secundum unam partem dicitur esse in alia, eo quod talis pars est in toto.

Ad aliud, quod plures numeri sunt unus
numerus, dico quod verum est constituti- 22.
ve, sed non formaliter. Et hoc etiam modo intelligitur, quod dicit Aristoteles 2. de Anima, text. 10, nimirum, quod sicut pupilla et visus sunt oculus, sic anima, et corpus sunt animal; et 5. Metaph. text. 30, nempe, quod totum continens est contenta, et unum quod illa sunt. Nam sicut pupilla, et visus sunt oculus causaliter, ita corpus et anima sunt animal, et partes sunt aliquid unum, id est, uniuntur in toto, et ex illis perfectio totius resultat, et sic efficiunt totum. Ita etiam posset exponi auctoritas Commentatoris, quod omnes partes simul sumptæ sunt ipsum totum constitutive. Sed quid de hac re sentiat Commentator, diffuse explicavimus in formalitatibus artic. 4. Comm 11. vide ibi.

(c) *Si totum sit aliud a suis partibus simul sumptis*, etc. Dico, quod argumentum concluderet si illa entitas totius a partibus distincta esset in partibus per informationem. Cæterum entitas totius non informat partes, neque ab ipsis informatur, sed est

effectus resultans ex illarum compositione, et terminus talis compositionis ; et per idem patet responsio ad sequens argumentum. Nam illa entitas præcise sumpta non dicit partes, sed est effectus partium, sicque illas includit, quod ex illis resultat, et ab illis dependet : atque adeo illa entitas præcise sumpta non ponderat, sed cum partibus sumpta duntaxat, præterquam quod entitas illa totius non potest a partibus separari, cum sit idem realiter et formaliter cum partibus, cujus oppositum argumentum supponit.

24. (d) *Sequitur quod per solam divisionem substantia corrumperetur.* Dico quod entitas totius est indivisibilis, ut numerus quinarius : nam forma quinarii non dividitur, sed totum, acceptum cum suis partibus, dividitur in partes, at ipsum totum quod dicitur forma totius, non quod informet partes, sed quia dicit quidditatem ex partibus conflatam, est indivisibile. Nec inconveniens aliquod video, quod per divisionem corrumpatur substantia, certum est enim, quod per solam separationem animæ a corpore corrumpitur homo, qui est substantia. Et ad id, quod dicitur de materia, dico primo, quod casus est impossibilis, quia materia nec per potentiam naturalem, nec etiam per divinam potentiam (secundum aliquos) potest a forma separari ; et esto quod per potentiam divinam separaretur a forma, dico, quod si divideretur in partes, destrueretur præcise illa tertia entitas ex partibus resultans. Et cum dicis, materia est ingenerabilis, et incorruptibilis : dico quod verum est terminative, id est, non potest esse terminus generationis, neque corruptionis, cum sit utriusque subjectum. Et confirmatur responsio, quia cum aliquod totum homogeneum, ut puta hoc lignum, vel hic lapis, dividitur in in duas medietates : certum est quod ante divisionem habebat lignum, vel lapis propriam materiam unam numero ; post autem divisionem quælibet pars divisi habet propriam materiam unam numero distinctam a materia alterius partis, quod non contingeret, nisi materia ligni vel lapidis fuisset divisa.

25. (e) *Sequeretur quod nulla generatio esset simplex,* etc. Dico, quod si argumentum velit inferre, in generatione esse duos terminos : alterum ut quo, nempe formam ; alterum ut quod, ut totum compositum : concedatur ; et hoc nullum est inconveniens, imo est necessarium. Sicut enim in generatione ignis, quando in aliquo ligno generatur, dantur duo agentia, verbi gratia, forma substantialis ignis, tanquam principium *quo* ignis agit ; et ipse ignis ut *quod,* et tamen non sunt duo comburentia : ita dicendum de generatione, quoad terminos, videlicet dari duos, unum ut *quo,* et alterum, ut *quod* ; hoc tamen non est dari duos terminos totales, qui exposcant duas generationes.

QUÆSTIO X

Utrum amota aliqua parte ab aliquo toto, vel sibi addita, maneat idem totum quod prius

Arist. *hîc text.* 19. D. Thom. 1. *Physic. lect.* 3. Simplicius *ibid. comm.* 15. Themist. *num.* 19. Scotus *in* 2. *dist.* 1. *qu.* 4. *dist.* 44. *quæst.* 1. Conimbr. 1. *de Generat. cap.* 5. Ruvius *ibid.* Complut. *disp.* 6. *de composito, num.* 9. *et quæst.* 5. *de augmentatione.* Aversa *quæst.* 50. *de Anima.*

Arguitur quod non, quia amota aliqua parte, vel addita, non manerent eædem partes, igitur non maneret idem totum. Tenet consequentia, quia totum non est aliud, quam suæ partes. 1.

Secundo, sequeretur, quod aliquod totum esset idem tertiæ parti illius ; consequens est falsum, et probatur consequentia : quia illud, quod est in principio de animali, ut puta de asino, vix est tertia pars illius, quod est in medio, aut in fine ; et tamen per totum tempus vitæ est idem animal ; ergo, etc.

Tertio sequeretur, quod aliquod corruptibile, quod de novo incipit, posset perpetuari : consequens est falsum, ut patet 1. Cæli, text. 128. Probatur consequentia : posito, quod ab aliquo toto auferatur una pars modica , et addatur una alia illi consimilis, et adhuc removeatur una secunda, et addatur altera similis, et sic semper : tunc per te non obstante illa additione vel subtractione, manet idem totum, quod prius erat, igitur cum perpetuo possit fieri hujusmodi additio, vel subtractio, ut patet in fluviis, et in plantis : sequitur quod illud totum perpetuo manebit.

Quarto sequeretur, quod aliquod totum esset idem toti, et tamen nullo modo aliqua pars unius communicaret cum aliqua parte alterius. Consequens est falsum, quia non videtur unde proveniat diversitas totius, nisi ex diversitate partium. Probatur 2.

consequentia casu præsupposito, vel consimili : verbi gratia, sit unum dolium plenum aqua, quæ exeat guttatim in parte inferiori, et in parte superiori, tantum mittatur continue de aqua, quantum exit per inferiorem. Tunc per te amota una parte, et addita sibi consimili, adhuc manet idem totum ; igitur pari ratione amota una alia, et per consequens idem totum esset, quando effusa fuit quælibet pars aquæ præexistentis, et habetur consequens.

3. Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo, text. 19. qui reprehendit Heraclitum in hoc, quod posuit entia esse continue alia, et alia.

Secundo sequitur, quod isti termini *Socrates, Plato, et homo,* non essent termini distincti ; consequens est falsum, et probatur consequentia, quia supponunt pro diversis,non facta aliqua nova impositione.

Tertio sequitur,quod in motu augmentationis non esset idem, quod prius erat parvum, et postea magnum, quod est falsum, ut patet 1. de Generatione. Probatur consequentia, quia in augmentatione advenit aliqua pars, et per consequens,totum non est idem, quod erat ante.

Quarto sequitur, quod nullus nostrum habuisset patrem, nec matrem, nec quod aliquis nostrum esset baptizatus, aut Christianus; consequens est falsum, et probatur consequentia : quia quilibet nostrum est aliter, quam fuerat heri propter partes resolutas a calore.

4. *Divisio quæstio-*[nis.] Notandum, quod in proposito accipitur iste terminus *totum* categorematice, prout significat idem quod habens partes. Hoc præmisso, præmittendæ sunt quædam distinctiones, secundo conclusiones, tertio objectiones, et hoc loquendo generaliter de toto, et partibus ; quia de animatis esset specialis consideratio, pertinens ad librum de Generatione.

[Tot]um du[ple]x, homogeneum, hetero[gen]eum. Quantum ad primum, notandum quod duplex est totum : quoddam est totum homogeneum, et aliud est totum heterogeneum. Totum homogeneum est, cujus quælibet pars est ejusdem rationis cum suo toto, et habet denominationem sui totius, sicut quælibet pars aquæ denominatur aqua, et est ejusdem rationis cum tota aqua. Sed totum heterogeneum est illud, cujus non quælibet pars habet denominationem totius, nec est ejusdem rationis cum toto, sicut homo. Totum homogeneum est duplex, quoddam habens partes extensionis tantum, ut ignis, aqua ; quoddam est habens partes intensionis, et extensionis, sicut caliditas, albedo, et hujusmodi. Item, totum heterogeneum est duplex : quoddam cujus partibus est una forma communis ipsas informans,ut homo, cujus omnes partes informantur anima intellectiva et tale vocatur unum per se ; aliud est cujus partibus non est forma communis ipsas informans, sicut domus, et tale dicitur unum per accidens. *Totum homogeneum est duplex.* *Totum heterogeneum duplex est.*

5. *Res naturales sunt in triplici differentia* Secundo notandum, quod res naturales inveniuntur in triplici differentia. Aliquæ enim sunt res naturales, quæ manent semper secundum permanentiam omnium suarum partium simul, nulla facta additione, vel subtractione : sicut Sol, cælum, et partes cæli. Sed alia sunt entia, quorum partes nullo modo manent simul, sed consistunt in continua successione suarum partium ad invicem : sicut tempus, motus, et hujusmodi,cujus nulla pars manet simul cum alia. Sed tertio, sunt entia media inter ista duo, quæ scilicet manent per permanentiam aliquarum partium, et aliæ partes sibi invicem succedunt, aut per generationem et corruptionem, aut per additionem et subtractionem : ut, verbi gratia, animalia, plantæ, mixta, et elementa.

6. *Aliqua res potest dici manere tripliciter.* Tertio sciendum, quod aliquod potest dici manere tripliciter, juxta triplicem modum entium. Primo, quia manet idem secundum permanentiam omnium suarum partium simul : et sic dico, quod Sol est idem hodie, qui fuit heri. Secundo modo dicitur idem, cujus non omnes partes manent simul,sed aliquæ, et aliquæ non,ut patet de asino, cujus aliquæ partes resolvuntur, et aliquæ manent, et si pars major, aut principalior maneat eadem, tunc maxime

proprie dicitur manere idem. Tertio modo dicitur manere idem, non quia aliquæ partes ejus maneant, sed quia partes sibi invicem succedunt continue per generationem, vel per appositionem : et licet iste modus identitatis sit valde improprius, et imperfectis, attamen est valde usitatus, et per istum modum sunt imposita quædam nomina propria, ut puta pluviorum, civitatum, et villarum.

7. Quoad secundum ponuntur aiiquæ conclusiones ; prima est, quod amota aliqua parte ab aliquo toto, non manet idem totum, quod prius totaliter, et primo modo. Probatur per descriptionem illius, quod est manere idem totaliter.

Secunda conclusio. In totis homogeneis manet idem totum, quod prius ablata aliqua parte, vel addita, quæ non est major pars illius totius. Probatur, quia si propter ablationem partis minoris totum non esset idem, sequeretur, quod ignis agens in aquam continue generaret aquam. Consequens est falsum, quia nulla esset aqua, in quam agit ignis, nisi prius fuisset ante applicationem ignis, et per consequens nulla est de novo genita per ignem : et patet consequentia quia ignis continue aufert aliquam partem aquæ resolvendo, propter quam ablationem dicitur totum esse aliud, quam fuit ante.

8. Sed objicitur. Ponatur quod sit aliqua albedo, quæ sit modicum intensior, quam intentissima albedo, quæ non sufficit denominare aliquod subjectum album, et tunc per agens applicatum removeatur ille excessus, quæ est pars minor illius albedinis, tunc per te albedo est eadem quæ fuerat prius, non obstante abstractione illius partis. Sed contra ; quia illud subjectum prius erat album, et nunc non est album ; igitur non est eadem albedo, quæ prius fuerat. Respondetur concedendo casum, et negando ultimam consequentiam. Unde non sequitur: Ista albedo non sufficit nunc denominare subjectum, quod prius sufficiebat denominare ; igitur non est eadem albedo. Unde ad hoc quod ista consequentia teneat, hæc albedo prius sufficiebat denominare ; igitur adhuc sufficit, oportet addere antecedenti, quod ista albedo non sit aucta, vel diminuta, nec subjectum, sit aliunde mutatum.

Tertia conclusio. Amota aliqua parte a toto heterogeneo, vel sibi addita, adhuc manet idem totum, quod erat ante : dum tamen residuo præter illam partem conveniant nomen, et definitio illius totius. Probatur, quia nisi ita esset, sequeretur, quod quodlibet posset indifferenter generari a quolibet, quod est falsum, ut patet in isto primo, text. 37. Probatur consequentia ; quia cujuslibet totius heterogenei aliqua pars potest removeri a toto indifferenter a quolibet agente ; igitur si ex illa remotione totum sit aliud, sequitur propositum. 9.

Quarta conclusio. Amota aliqua parte ab aliquo toto, et addita una consimili, vel æquali, adhuc manet idem totum, quod prius, secundum identitatem continuationis, partium in successione. Patet, quia isto modo Sequana, vel alter fluvius manet idem, qui fuerat a centum annis, ex eo, quod continue succedit pars. Similiter isto modo plantæ continuantur per longissima tempora ; imo forte possent perpetuari, ut quod de radice antiquæ arboris pullulet novus ramus, et ita consequenter.

Ex isto (a) sequitur, quod opinio ponens augmentationem in viventibus fieri per extensionem formæ in particulari materia sit falsa. Verbi gratia, quidam ponunt, quod in augmentatione plantæ anima vegetativa, quæ præexistebat, informet materiam nutrimenti, supervenientem sine generatione alicujus partis novæ, et ideo quando diminuitur animal, vel planta, anima consimiliter se retrahit ad minorem materiam quam prius informabat. Quia si ita esset sequeretur, quod una et eadem anima vegetativa numero generata a parte ante, non augmentata, nec diminuta duraret in æternum a parte post, quod est impossibile, et contra Aristotelem 1. Cœli, text. 120. Probatur consequentia, quia plantæ per continuam successionem possunt perpetuari, 10

sicut dictum est, igitur et forma illa perpetuabitur, cum non oporteat formam corrumpi, ex quo in augmentatione dilatatur, et in diminutione contrahitur.

11. Secundo (b) sequitur, quod animal non manet idem a principio vitæ usque ad finem, ex eo, quod humidum radicale non manet idem, quemadmodum dicunt Medici. Probatur, quia tale humidum radicale est resolubile a calore, cum sit compositum ex contrariis. Secundo, quia humidum cibale, non manet idem a principio vitæ usque ad finem, ut Medici concedunt, igitur nec humidum radicale. Tenet consequentia, quia humidum radicale, vel est ex humido cibali, vel est idem quod humidum cibale, cum sit superfluum tertiæ digestionis. Tertio non apparet verisimile, quod humidum radicale, cum sit tenue, et parum compactum, et adeo extense expositum suo contrario, scilicet calori, quod duret per totum tempus vitæ non resolutum.

Ideo dico, quod animal manet idem propter continuam successionem partium sibi invicem secundum generationem et corruptionem; et hoc est verum de brutis, sed non de homine, eo quod forma hominis manet eadem, non augmentata, nec diminuta; et ideo homo perfectiori modo manet idem, quam aliquod aliud vivens.

12. Contra conclusionem objicitur primo sic: sit *A* particula conveniens per augmentationem, et *B* residuum; tunc sic, *A* et *B* non fuerunt heri: *A* et *B* sunt Socrates, igitur Socrates non fuit heri; vel sic: Socrates fuit heri, Socrates est *A*, et B, ergo A et B fuerunt heri. Secundo, sit *A* particula resoluta in diminutione, et *B* residuum, tunc sic: Socrates erit cras, Socrates est *A*, et *B*, igitur *A*, et *B* erunt cras, quod est falsum: quia *A* non erit cras. Tertio, sit *B* residuum Socratis præter partem, quæ resolvetur per diminutionem, tunc arguitur sic; *B* est Socrates, et *B* tunc non erat Socrates; igitur *B* aliquando incepit esse Socrates, et ex isto sequitur, quod *B* aliquando incepit esse, quod est falsum, quia *B* prius fuit. Item sequitur, quod *B* generatur substantialiter, ex quo nunc est Socrates, et prius non fuit Socrates. Item sequitur, quod iste terminus Socrates esset nomen connotativum: quia aliquod nunc est Socrates, quod prius non fuit Socrates, quod est falsum.

Respondetur uno modo ad duo prima argumenta, quod ex præmissis in singulari numero, non sequitur conclusio pluralis numeri, nec e contra, eo quod extrema eodem modo debent conjungi in conclusione, quo conjungebantur ad invicem in præmissis; et ideo quando arguitur, *A* et *B*, non fuerunt heri: *A* et *B* sunt Socrates; non debet inferri, igitur Socrates, non fuit heri; sed, igitur aliqua quæ sunt Socrates, non fuerunt heri, et ita ad alias duas sequentes. 13. *Ex præmissis in singulari numero, non sequitur conclusio pluralis numeri.*

Aliter dicitur negando istam, *A*, et *B* non fuerunt heri: imo *A*, et *B* fuerunt heri; sed fuerunt præcise *A*; eodem modo dicitur de diminutione.

Ad tertiam concedo, quod *B* aliquando incepit esse Socrates: quia nunc est Socrates, et prius non fuit Socrates; et negatur consequentia, igitur *B* incepit esse. Quia posito, quod alicujus scuti una medietas sit alba, et alia nigra, et tunc a parte nigra abscondatur una particula, tunc hæc est vera; *Scutum incipit esse album*, et tamen nulla albedo incipit esse, nec aliquod album, nec aliqua res: et ad illud, tunc mutaretur substantialiter, negatur consequentia; imo *B* potest esse Socrates et prius non fuit Socrates, nulla mutatione facta alia, a motu locali. 14.

Ad aliam dico, quod iste terminus Socrates non est ita pure quidditativus, si res significata per ipsum esset permanens vere secundum omnes suas partes simul; nec est ita pure connotativus sicut terminus accidentalis, eo quod est prima substantia de genere substantiæ, id est, terminus significans simpliciter individuum substantiæ, et de quo prædicatur hoc genus *substantia* in eo quod quid. Tunc ad rationes, quæ solvuntur per conclusiones. 15.

ANNOTATIONES

16. (a) *Ex isto sequitur, quod opinio ponens* etc. Nota quod formæ specificæ viventium, quæ sunt animæ, sunt in multiplici differentia: aliæ namque sunt indivisibiles, aliæ vero divisibiles secundum aliquos. Primi modi est anima rationalis, de qua non est dubium, quod sit omnino indivisibilis, et independens a materia : quare quando homo augetur, non acquiritur nova pars animæ, sed eademmet de novo informat novas partes materiæ ex nutrimento acquisitas, et similiter in diminutione non deperditur pars animæ cum parte materiæ. Aliæ sunt animæ, quæ taliter informant materiam, quod dependent ab ea in fieri et conservari, ut animæ sensitivæ et vegetativæ, et de istis sintne divisibiles an non, disputatio est ad 2. librum de Anima pertinens. Modo opinio est sancti Thomæ 1. p. q. 76. art. 8. quod animalium perfectorum, quales sunt equi, leones, et hujusmodi, animæ sunt indivisibiles; imperfectorum vero, ut anguium et lacertorum, et plantarum sunt divisibiles. Quare juxta hanc doctrinam dicere licebit, quod in augmentatione in animalibus perfectis eadem manens forma extenditur ad informandas novas partes materiæ et hanc sententiam reprobat hîc Scotus. In animalibus vero imperfectis simul cum materia acquiritur nova pars formæ, diciturque in istis etiam fieri augmentatio secundum formam manentem, quia manet idem modus, et figura ipsarum formarum, et ista permanentia sufficit ad affirmandum, quod secundum tales formas fiat augmentatio.

Formæ specificæ viventium, quæ sunt animæ sunt multiplices.

17. Cæterum Scotus, qui ponit formam corporeitatis, alia incedit via, et primo dicit, quod omnes animæ viventium sunt indivisibiles, ut supponitur ex secundo de Anima : forma autem corporeitatis, quæ et mixtionis est, et extensa , et quanta, et secundum ipsam fiunt organa ; quare in augmentatione acquiritur nova pars formæ corporeitatis cum nova parte materiæ, quia hujusmodi forma corporeitatis est divisibilis, et extensa. Secundo dicendum quod quando augentur viventia sensibilia, et vegetabilia perfecta, sive imperfecta, non acquiritur nova pars animæ cum nova parte materiæ, et hoc est quod Aristoteles dicit 1. de Generatione, quod augmentatio fit secundum formam, quæ semper manet eadem.

18. Ut autem intelligatur quomodo augmentatio fiat secundum formam, et non secundum materiam, observandum est ex Scoto in 4. distinct. 44. quæst. 1. quod forma dat esse et agere : pars ergo secundum formam dici potest quamdiu habet esse secundum formam, vel quamdiu habet agere secundum formam : rursus non potest esse pars secundum formam secundo modo, sine hoc quod sit primo modo, bene tamen e contra, quia aliquando deficit agere propter imperfectionem, sine hoc quod deficiat esse, si autem deficit esse, deficit etiam agere. Quæcumque ergo pars, quæ composita est ex materia et forma cum manet in toto, dicitur pars secundum formam primo modo, quia scilicet habet esse. Secundo vero modo non quæcumque pars dicitur pars secundum formam, sed illa tantum, quæ potest agere, quæ scilicet habet virtutem ita efficacem, ut possit sibi competere actio secundum formam, actio inquam propria, quam ut ibi existens potest habere. Ut autem hæc pars hanc virtutis efficaciam habeat ad sic agendum, requiritur determinata virtus intensiva, et extensiva. Non enim quæcumque modica pars in toto posset illo modo habere hujusmodi actionem propriam, sed tantummodo concurrere ad actionem totius.

Pars secundum formam et secundum materiam quid sit.

Requiritur ergo aliqua determinata quantitas extensiva ad illam efficaciam agendi in toto. Requiritur etiam quantitas intensiva virtutis, quia si virtus fuerit remissa, ita ut potius cedat contrario, quam vincat, non potest agere propria actione. Hoc ergo secundo modo pars secundum formam, est pars tantæ quantitatis naturalis, et tantæ virtutis activæ, quod sibi possit competere propria actio, et hoc modo in vivente possunt dari partes secundum materiam, et secundum formam. Nam illa modica pars, cui non potest competere propria actio propter defectum quantitatis extensivæ, et similiter illa, quæ non habet efficaciam virtutis, quantumcumque quantitatem extensivam habeat, est pars secundum materiam. Pars autem quantitatis sufficientis ad agendum, est pars secundum formam, si habeat virtutem ad agendum, quæ requirit quantitatem virtualem, et de parte secundum materiam modo explicato intelligit Aristoteles quod fluit, et quod non augetur, et quod solum pars secundum formam est, quæ augetur. Augmentatio ergo in viventibus fit secundum formam, et non secundum materiam in hunc modum, nempe per advenientem novam materiæ partem cum nova parte formæ corporeitatis manente eadem forma viventis, et hoc secundum illas partes quæ habent virtutem et efficaciam, et debitam quantitatem ad propriam actionem, ad convertendum scilicet in substantiam alimentum, non vero fit secundum materiam, id est secundum illas partes, quæ propter sui defectum hujusmodi actionem nequeunt habere. 19.

20. *Augmentatio quomodo fiat.* Fit autem augmentatio secundum has partes formales (ut docet Scotus ubi supra) in hunc modum, quod pars secundum formam existens in toto, habens virtutem ad convertendum cibum in sui substantiam, postquam nutrimentum fuerit deductum per quascumque depurationes, ita ut sit jam sub forma proxima formæ nutriendæ: tunc istud tale nutrimentum sub illa forma, verbi gratia, sanguinis, approximatum parti nutriendæ, et receptum in quibusdam poris dimissis ex fluxu quarumdam partium secundum materiam, quæ præfuerunt ibi, et nunc ex fluxu suo reliquerunt poros repletos aliquo humore subtiliori, ex quo ipsum totum caruit densitate in partibus requisita ad bene esse ejus ibi existens. Tunc inquam alimentum convertitur in ipsum nutriendum, ut scilicet reparetur illa densitas in toto requisita ad bene esse ejus ibi existens : ita ut in poris partis nutriendæ recipiantur partes alimenti, et ibi existentes aggenerantur partibus illius partis nutriendæ. Unde recepto nutrimento in poris, virtus viventis alterat, et resolvit vaporem, qui resultat ex concoctione, et ille vapor faciens novum porum propellit partes viventis, quæ extenduntur et dilatantur versus exteriorem locum, et tunc cibus convertitur, et alimentum fit pars viventis, et tunc vivens fit majus, et augetur, et hoc est augmentum, et novi loci occupatio : quia ubi erat nutrimentum est jam vivens.

21. *Quomodo in augmentatione maneat idem subjectum.* Et ex hoc apparet quomodo sit verum dictum Aristot. quod in augmentatione idem manet subjectum. Quamvis enim in vivente omnes partes materiales successu temporis fluant, et varientur, unde idem subjectum non potest dici manere omnino invariabile ; tamen dicitur manere idem, quia manet eadem forma specifica invariata à qua sumitur identitas. Et insuper, quia quamvis partes materiales fluant, et refluant, fluunt tamen imperceptibiliter, quasi eo modo, quo unus populus dicitur idem semper manere, aliis, aliisque hominibus succedentibus, et similiter unus fluvius, alia, et alia decurrente aqua.

22. *Humidum radicale, et calor naturalis quid sint.* (b)*Secundo sequitur, quod animal non manet idem*, etc. Nota ex Aristotele in libro de Longitudine, et brevitate vitæ, et in libro de Partibus animalium, quod vita omnium viventium consistit in quadam continua, et perpetua actione, qua calor naturalis agit in humidum radicale, qua actione deficiente, et animal deficit. Accipitur autem calor naturalis, et humidum radicale non pro duabus ex primis qualitatibus, sed pro duabus substantiis subtilibus habentibus tales proprietates, ut sint calidæ, et humidæ, sic enim loquuntur Medici de humido, et calore naturali. Et ideo dicit hic Scotus, quod humidum radicale, vel est humidum cibale, vel ex eo constat, etc.

Unde nota secundo, quod duplex est humidum, radicale, scilicet et cibale. Radicale non est in aliqua parte corporis determinata, sed est sparsum per totum corpus, estque tota illa materia corporea, in qua introducitur anima in initio generationis, in qua anima fovetur, et radicatur, cujus virtute postea reliqua efficiuntur in corpore ; et hoc humido durante, durat vita, et consumpto consumitur, et recedit anima. Humidum cibale, seu nutrimentale est, quod fit ex cibo per conversionem ejus in substantiam aliti, ad reparandum quod deperditur ex humido radicali per actionem caloris naturalis. Nam licet calor naturalis præcipue resideat in corde, quod est omnium membrorum calidissimum, ab eo tamen derivatur in cæteras partes corporis, estque sparsus per totum corpus, et immersus humido radicali, in quibus sua actione consumitur , atque adeo ne consumatur, necesse est quod continue reparetur per intus susceptionem extrinseci alimenti : quod quidam naturaliter decoquit, et disponit, ut fiat humidum nutrimentale, et pabulum caloris naturalis. 23. *Humidum est duplex, scilicet radicale et cibale.*

Et propter hujusmodi actionem, natura tribuit viventibus quatuor facultates ad disponendum alimentum. Prima est attractiva, secunda retentiva, tertia alterativa, seu assimilativa, quarta est expulsiva. Et quamvis omnes vitæ virtutes inveniantur in omnibus partibus animalium, præcipue tamen resident in quatuor locis a natura deputatis, in quibus disponantur, et decoquantur cibi. Prima decoctio, et omnium imperfectissima fit in ore, non solum quia ibi cibi conteruntur, sed quia ibi viget virtus salivarum, quæ adeo mirabilis est, ut fere transmutet cibum secundum plura accidentia. Facta hac cibi transmutatione, defertur alimentum ad ventriculum, seu stomachum virtute quadam attractiva, ubi cum sit magna virtus caloris naturalis, decoquitur et mutatur alimentum in aliam naturam, separanturque partes subtiliores, et puriores alimenti, ex quibus fit quædam massa fluida, et alba, quæ dicitur chylus ; virtute vero expulsiva dejicit stomachus fæces alimenti in ventrem, et intestina, ut inde habeant in secessum ; illa vero massa depurata, quæ similis est pituitæ, seu phlegmati, est quidam succus, ex quo fiunt omnes quatuor humores. Sequitur hæc massa naturam cibi, ex quo facta est, unde si cibus est frigidus, et humidus, similiter hæc massa. 24. *Vivens quuor habet facultates ad disponendum alimentum.*

25. Rursus hæc substantia sic pura, et a stomacho digesta defertur ad jecur, per quasdam venas, quas Medici vocant messataicas, et ibi tertio decoquitur alimentum ; sicut vinum prius exprimitur in torculari ex uvis (ut Galeni exemplo utamur) et exinde

fertur in dolium, in quo virtute quadam decoquitur, et depuratur, taliter ut fæces crassiores resideant in infima parte dolii, subtiliores vero sursum eleventur : ita similiter contingit in hac tertia decoctione, nam jecur depurat puriores partes illius massæ, et fit quædam massa rubea, quæ dicitur chymus, sive sanguinaria ; partes vero terrestriores dejicit ad infimam sui partem, scilicet ad lienem, in quo recipiuntur excrementa quædam limosa, et terrestria, quæ sunt humores melancholici ; alia vero subtiliora alimenta transmittit ad alium locum superiorem, scilicet ad vesicam fellis in qua recipiuntur humores cholerici, qui veluti supernatant ab illa decoctione.

26. In illa ergo massa rubea sanguinaria ab hepate decocta : quia (ut dicit Galenus lib. 4. de usu partium cap. 3.) officium jecoris est nutrimentum, quod accipit perficere ad sanguinis generationem, in confuso omnes quatuor continentur humores, scilicet flava bilis, qui est humor cholericus, et atra bilis, qui est melancholicus humor ; et pituita, quæ est phlegma, et sanguis, separanturque a natura provida ad nutriendum animal. Atra bilis in liene, et flava bilis in vesica fellis, manentque sanguis, et phlegma, quod est sanguis imperfecte decoctus. Et hi simul humores, qui sunt apti ad nutriendum, dimittuntur per venam quamdam magnam, quæ nascitur a parte convexa hepatis, quæ est veluti quidam sanguinis ductus, per quem derivantur aliqui rivuli, sive sanguinis venæ per totum corpus dispersæ, per quas distribuitur sanguis ad omnes partes animalis : habet autem hujusmodi sanguis admixtos quosdam humores veluti aqueos, qui virtute renum attrahuntur, et per urinam dejiciuntur, unde urina superfluum est ex digestione hepatis.

27. Quarta decoctio fit in unoquoque membro ipsius corporis, quodlibet enim convertit in suam naturam tantam alimenti partem, quanta sibi sufficit certa quadam æquitate : nobiliores enim partes animalis, ut cor, caput, nobilioribus, et purioribus sanguinibus nutriuntur : ignobiliores vero partes impuriore, et deteriore sanguine nutriuntur ; quod autem impurius est mittitur ad extremas partes nutriendas, scilicet ad ungues, pilos, et capillos. Ex hoc sequitur, quod docet Aristoteles lib. de Partibus animalium, nempe quod omnes partes animalis nutriuntur sanguine : nullus enim ex aliis humoribus aptus est ad nutriendum nisi sanguis, et phlegma, quod, ut diximus, est sanguis male coctus, quod quidem decoctum, et in sanguinem conversum nutrit, et hujus ratio est, quia cibus debet esse dulcis, et suavis, quod maxime convenit sanguini, cæteri autem humores non sic. Flava enim bilis est amara, melancholia est acida ; ac etiam phlegma, ut sic, est insipidum, quare etiam a quibusdam rejicitur a nutritione, sed id quod diximus verius est. Non est autem imaginandum illos humores sic separatos esse a sanguine, quod nihil illorum in sanguine remaneat : aliquid enim ipsi sanguini admixtum remanet.

Secundo sequitur, in nutritione animalis omnia hæc fieri excrementa, primum fit a stomacho per ventrem ; secundum ab hepate in lienem, et in vesicam fellis, et in urinam ; tertium a corde in ungues, et pilos. 28.

Tertio sequitur, quatuor fieri decoctiones alimenti priusquam in viventis substantiam convertatur ; prima est in stomacho, secunda in hepate, tertia in corde, quarta in unoquoque peculiari membro, in cujus substantiam convertitur alimentum ab eodem decoctum, sibique adaptatum.

Quarto sequitur, quod si calor naturalis plus convertat de alimento in substantiam aliti, quam consumpsit, tunc fit augmentatio : si vero tantum convertat de alimento, quantum consumpsit de carne animalis, tunc fit sola nutritio sine augmentatione, et si minus convertat, fit diminutio.

Nota postremo, quod augmentatio proprie dicta, quæ videlicet fit per intus susceptionem alimenti, non fit sine nutritione, et alicujus generatione : nam cum nutritio sit reparatio humidi radicalis consumpti a calore naturali per humidum cibale conversum in substantiam viventis, et augmentatio addat ad hoc plus reparari, quam fuerat deperditum, sequitur quod sine nutritione non fit augmentatio, et cum corruptio unius sit alterius generatio : cibus autem cum corrumpitur in stomacho, et ejus forma substantialis deperditur, et multipliciter transmutatur materia, sequitur quod in augmentatione fit generatio. Vide Scotum in 4. dist. 44. quæstione 1. ubi multa de nutritione, et augmentatione scitu dignissima docet, quæ nos hîc consulto omittimus, ne terminum annotationis transgrediamur. 29. *Augmentatio non fit sine nutritione.*

EXPOSITIO TEXTUS

Conturbati (1) *autem et posteriores quemadmodum et antiqui*, etc. In ista parte contradicit positionibus Parmenidis, et Melissi, et primo recitat. Secundo increpat, ibi : *Sed multa sunt*. Unde quidam sequaces Parmenidis, et Melissi voluerunt vitare pluralitatem entium, et quia viderunt, quod hæc copula *est*, copulat inter diversa, ideo 30. Text. 20.

nolebant istam concedere, *Homo est albus*, sed istam *Homo albus*. Alii autem videntes quod ista oratio non significabat verum, nec falsum, mutabant orationes, ita ut negabant istam, *Homo est albus*, concedentes istam, *Homo albatur*; similiter negabant istam, *Homo est ambulans*, concedentes tamen istam, *Homo ambulat*, ad evitandum ne multa sint unum, aut unum multa, aut e converso, quasi ens esset simpliciter dictum, quod est falsum. Tunc improbat, et
Text 21. probat istam conclusionem, quod (2) multa sunt unum, et e converso. Primo, quia album, et musicum sunt unum et idem; differunt tamen secundum rationem: secundo quia illud quod est unum secundum continuitatem, est multa secundum divisionem, ut patet de toto et partibus: tertio, quia illud, quod est unum in actu, est multa in potentia; igitur non est impossibile unum esse multa.

Text. 22. *Et ex quibus* (3) *ostendunt*, etc. In ista parte Aristoteles contradicit rationibus Parmenidis, et Melissi; et dividitur, quia primo contradicit rationi Melissi, secundo Parmenidis, et tertio ambabus simul. Secundum ibi: *Et ad Parmenidem autem*. Tertium ibi: *Necesse est igitur*.

31. Primo dicit, quod rationes Parmenidis, et Melissi de facili sunt solubiles; quia peccant in materia, et in forma. Sed ratio Melissi est magis onerosa, id est, minus valet; non habens dubitationem, id est, maximum habens defectum, quia nullam inducit dubitationem, quod uno inconvenienti dato multa alia sequuntur. Tunc
Text. 23. ibi: *Quod* (4) *quidem*, recitat et improbat opinionem Melissi. Unde Melissus ponebat, quod esset unum ens ingenitum, immobile, et infinitum: arguebat enim sic: Omne quod est factum habet principium; igitur quod non est factum non habet principium; sed ens non est factum, igitur non habet principium; et si non habet principium, non habet finem, igitur est infinitum, et si est infinitum sequitur quod est immobile: quia infinitum totum occupat, similiter sequitur si sit infinitum, quod sit unum solum, quia infinitum non patitur secum aliquid aliud: quod autem ens non sit factum probatur: quia si esset factum, vel esset generatum ex ente, vel ex non ente; si ex ente, tunc ens est ante sui generationem; si ex non ente, hoc est impossibile, quia ex nihilo nihil fit. Aristoteles contradicit isti rationi. Primo quia peccat in forma, arguit enim a destructione antecedentis ad destructionem consequentis, verbi gratia, Quod est factum habet principium. Factum esse est antecedens, ad habere principium, deinde infert negando antecedens, igitur quod non est factum, non habet principium, a positione consequentis ad positionem antecedentis: modo talis consequentia non valet.

Similiter ista ratio falsum assumit, quia 32.
aliud est principium temporis, et aliud principium magnitudinis: modo si ista, Quod factum est habet principium, intelligatur de principio temporis, ipsa est vera; et similiter ista, quod non est factum non habet principium: sed de principio magnitudinis ista secunda est falsa: quia Sol non est factus, et tamen habet principium magnitudinis. Modo ex hoc, quod aliquod non habet principium temporis, non sequitur, quod ipsum est infinitum: quia Sol non est infinitus, licet non habeat principium temporis. Secundo etiam non (5) se- Text. 24.
quitur, est infinitum, igitur est immobile: quia licet non esset mobile secundum se totum: tamen posset moveri secundum aliquam sui. Similiter dato, quod non moveretur localiter, attamen posset moveri motu alterationis, et adhuc esset mobile. Et subdit Aristoteles quod non est possibile, quod omnia essent unum specie; quia isto modo homo non differret specie ab equo, nec contraria a se invicem.

Et ad (6) *Parmenidem*. Hic ponit rationem
Parmenidis. Unde ratio Parmenidis erat 33. Text. 25.
ista, omne quod est præter ens, est non ens; sed ens et unum convertuntur, igitur omne quod est præter unum, est non ens; igitur ens est tantum unum. Unde conclusio istius rationis est vera, scilicet, quod tantum

unum est ens, sequitur, quod tantum ens est unum, quia sequitur omne ens est unum, igitur tantum unum est ens, per illam regulam ab exclusiva ad universalem de terminis transpositis. Sed ista conclusio non sequitur ad intellectum Parmenidis, qui voluit inferre, quod tantum unum est ens per exclusionem pluralitatis entium ; et ideo ad istum sensum Aristoteles reprobat rationem prædictam, dicens, quod dicta ratio accipit falsum : quia si omnia de mundo essent alba, tunc argueretur consimiliter, Quod est præter ens est non ens : sed omne ens est album, igitur quod est præter album, est non ens, igitur tantum album est, ita ut non plura alba : manifestum est quod conclusio est falsa : quia positum est, quod multa sunt alba. Similiter si unum sit album, oportet quod illud sit continuum, igitur habebit multas partes, et cum quælibet illarum sit alba, sequitur, quod multa alba erunt.

34. Text. 26. *Necesse* (7) *igitur est.* In ista parte contradicit conclusioni Parmenidis ; et probat, quod ens non est tantum unum, quasi sic vel esset substantia, vel accidens : non accidens, quia de natura accidentis est inesse substantiæ ; igitur si illud ens sit accidens, oportet, quod sit substantia, cui inexistat : et per consequens duo erunt, scilicet substantia, et accidens. Si dicitur quod sit sub-
Text. 27. stantia, et cum (8) substantiæ insit accidens, sequitur adhuc quod plura erunt, substan-
Text. 28. tia, et accidens. *Neque* (9) *igitur magnitudinem.* Hîc contradicit ambabus simul, et secundo ponit quamdam aliam rationem Parmenidis ibi : *Sed quod vere aliquid.* Primo igitur probat quod non sit tantum unum, sic ut non sint plura. Probatur, quia illud unum esset continuum, vel indivisibile, si continuum, igitur habet plures partes, igitur plura erunt.

35. Text. 29. Si dicatur (10) quod sit indivisibile, adhuc illud esset definibile, igitur haberet partes definitionis, sed partes definitionis sunt substantiæ, igitur adhuc plures substantiæ essent. Probat minorem de differentia essentiali, accipiendo istum terminum *bipes* loco differentiæ essentialis. Tunc vel bipes est substantia, et habetur propositum, vel est accidens ; et tunc vel est accidens homini, vel alicui alteri, non homini ; quia semper inest sibi, nec alicui alteri, quia nulli alteri convenit. Secundo probatur idem, videlicet, quod differentia essentialis sit substantia, et supponit duo. Primum est, quod in definitione accidentis inseparabilis, ponitur definitio sui subjecti, sicut in definitione simi ponitur nasus. Secundo supponit, quod illa, quæ ponuntur in ratione definitiva alicujus, illud non ponitur e converso in definitione alterius eorum : et si objiciatur, quod termini relati definiuntur per se invicem : respondetur negando, quia relativa bene cognoscuntur per se invicem, sed non definiuntur, et ideo si definiremus partem, diceremus pater est qui genuit alium sibi similem natura. Istis suppositis arguitur sic : Si bipes non sit substantia, vel igitur est accidens separabile, vel inseparabile. Non separabile : quia semper inest suo subjecto ; nec inseparabile, quia in definitione accidentis inseparabilis ponitur suum subjectum per primam suppositionem, igitur accidens inseparabile, seu differentia essentialis, ut bipes, non ponitur in definitione subjecti, cujus oppositum est acceptum.

Sed quod (11) *vere aliquid est.* In ista parte 36.
ponit aliam rationem Parmenidis, unde vo- Text. 30.
lebat probare quod ens esset indivisibile, quia si esset divisibile, tunc eadem ratione medietas medietatis esset divisibilis, et tunc vel esset processus in infinitum, vel esset devenire ad aliqua indivisibilia, quorum utrumque reputabat impossibile ; et subdit Aristoteles, quod quidam acquieverunt suis rationibus. Quidam enim dicebant concedendo primam rationem, quod non nisi ens esset unum, quod tunc sequeretur, quod idem esset ens, et non ens. Secundo concedebant, quod per divisionem continui esset devenire ad magnitudines indivisibiles, et istam secundam opinionem non improbat hîc, sed dimittit eam impugnandam in 1. de Generatione, et nunc im-

probat primam. Unde dato, quod ens significet plura, sicut de facto significat, puta substantiam, et accidens, non sequitur, quod idem sit ens, et non ens, sicut isti ponebant, sed bene sequitur, quod aliud sit ens simpliciter, et aliud non ens simpliciter, ut puta accidens, et hoc non est inconveniens.

37. *Sicut* (12) *autem Physici dicunt.* Hoc est
t. 31. secundum caput hujus tractatus, in quo Philosophum recitat opiniones antiquorum naturaliter loquentium. Et non dicuntur naturaliter loquentes, eo quod vera dicant de naturalibus, sed ex eo quod concesserunt principia naturalia, scilicet motum, et pluralitatem entium. Et dividitur, quia primo recitat opiniones antiquorum in generali. Secundo specialiter recitat opinionem, et rationes Anaxagoræ, et tertio impugnat illum. Secundum ibi : *Videtur autem*, Tertium ibi ; *si igitur infinitum.* Primo dicit, quod Philosophorum naturaliter loquentium sunt duo modi. Primus modus est, quod quidam dicunt principium materiale rerum naturalium esse unum corpus actu existens, quod est alterum trium elementorum, vel medium inter ignem, et aerem, quod scilicet est densius igne, et rarius aere, et modus generationis entium ex isto principio est secundum diversitatem in raritate, et densitate, ita ut illud quod est magis densum est terra, et quod aliqualiter est subtilius est aqua, et ita de aliis.

38. Alii dicunt, quod modus generationis entium ex isto principio est secundum magnitudinem, et parvitatem ; ita ut quando aliquod efficitur magnum generatur, et quando parvum corrumpitur. Et ista positio similis est positioni Platonis ponentis magnum, et parvum esse principia naturalia, sed unum aliud ponebat tanquam formale, scilicet ideam separatam ; sed illi alii ponebant magnum et parvum esse principia formalia, et corpus actu existens esse principium materiale.

Quidam autem alius modus antiquorum fuit, qui ponebant quoddam chaos confusum, in quo omnia entia erant congregata, et immixta, sicut ponebat Anaximander, Empedocles et Anaxagoras : differunt tamen, quia Empedocles posuit omnia entia mundi infinities congregari ad invicem per amicitiam ; et per litem, et discordiam infinities segregari, et corrumpi ; sed Anaxagoras ponebat omnia esse in chaos confusum per tempus infinitum, sed postea supervenit intellectus divinus segregans ista ab invicem.

Videtur (13) *autem Anaxagoras.* Hîc reci- 39.
tat opinionem Anaxagoræ, secundo ponit Text. 32
responsiones ipsius ad quasdam objectiones sibi factas ibi ; sed *propter parvitatem.* Dicit igitur primo, quod Anaxagoras ponebat quodlibet esse in quolibet ; supponendo quod ex nihilo nihil fit, secundum communem opinionem Philosophorum : cum igitur ignis generatur, non generatur ex non igne, quia generaretur ex non ente, quod est contra suppositum, sed ignis generatur ex aere, ut patet ad experientiam, igitur in illo aere erat ignis, et sic arguitur de quolibet alio, quod quodlibet aliud est in reliquum transmutabile saltem mediate, vel immediate. Secundo quia unum contrarium est in alio, igitur quodlibet est in quolibet. Tenet consequentia, quia minus videtur de contrariis, quam de aliquibus aliis ; et antecedens patet, quia unum contrarium fit ex reliquo, quia non fit de nihilo : nam in hac opinione convenerunt omnes, qui de natura locuti sunt, scilicet quod ex nihilo nihil fiat.

Sed propter parvitatem magnitudinum. 40.
Hîc respondet ad quædam objecta sibi, scilicet quod si quodlibet est in quolibet, quæ est ratio, quare non apparet nobis, quod in aere sit caro, sanguis, et hujusmodi ? Secundo, quia si quodlibet est in aere, quare magis denominatur aer, quam aliquod aliorum ? Ad primum respondet Anaxagoras, quod propter parvitatem partium, quæ sunt conjunctæ in aere, non possumus illa percipere. Ad secundum dicit, quod licet aer sit commixtus ex valde multis ; attamen semper debet denominari ab illo,

quod magis superabundat, et ideo licet infinita sint simul, ut puta caro, os, sanguis, et hujusmodi, tamen res illæ denominabuntur secundum naturam illius rei, de qua plus habent in ipsis.

ANNOTATIONES

41. *Sententia antiquorum multiplex de pluralitate princi-*

(a) *Nota quod ponentes plura principia erant divisi in duas sectas.* Nam quidam ponebant plura principia numero tamen finita, quidam vero plura, sed infinita assignabant. Inter ponentes plura, finitaque principia quinque fuerunt sententiæ. Prima ponebat ignem, et terram, hanc sententiam tenuit Parmenides, qui tenuit esse unum. Dicit tamen Philoponus duos composuisse libros, vulgares videlicet, et accuratiores, in his dixit unum esse principium, in illis vero duo illa. Alii dicunt posuisse duo hæc principia secundum apparentiam, quæ tamen secundum existentiam dicebat esse unum. Secunda sententia posuit tria elementa præter terram. Alii tertio, sicut Empedocles, omnia quatuor elementa. Quarta sententia fuit Platonis ponentis ideam et materiam, intelligens per parvum, et magnum materiam. Quinta fuit Pythagoræ ponentis par, et impar; per par materiam intelligens, per impar formam significans, eo quod materia sicut par divisibilis est, forma vero ut impar indivisibilis.

42. Alii qui infinita principia posuerunt in tres sunt partiti opiniones. Anaxagoras tenuit rerum principia infinitas particulas indivisibiles esse : non quia essent, ut puncta, sed quia jam ultra actuali divisione dividi non possent, quas particulas vocabat atomos, ex quibus res naturales componebantur; dividebat autem eas per singulas species, unicuique speciei infinitas tribuens, ut infinitas particulas carnis, ossis, ignis, et aliarum rerum, ex quo hujusmodi particulæ specie differebant, et secundum accidentia erant contraria : quædam enim calidæ, quædam frigidæ erant. Antequam hæc divisio per singulas fieret species, omnes (dicebat) in unum congregatæ existebant, quod vocabat chaos, a quo talem divisionem fecit Deus. Dicebat etiam in singulis compositis infinitas atomos omnium specierum contineri, unius autem solum speciei apparere, sicque fieri generationem, cum scilicet, occultæ atomi apparent, et manifestæ occultantur.

Secunda sententia fuit Anaximandri, qui in hoc solum differt ab Anaxagora, quod Anaxagoras chaos ex atomis dicebat factum, Anaximander vero e contra ex chao factas atomos affirmabat.

Tertia denique fuit Democriti, qui etiam chaos ponebat, a quo per litem, et amicitiam conjungebantur similia, et separabantur contraria.

EXPOSITIO TEXTUS

Si igitur (1) *infinitum secundum quod infinitum*, etc. Hîc improbat Anaxagoram, et ponit quinque conclusiones. Secunda ibi : *Amplius autem si necesse est*. Tertia ibi : *Ad hæc autem*. Quarta ibi : *Non recte autem*. Quinta ibi : *Melius autem est*. Prima conclusio est ista. Principia rerum naturalium non sunt infinita. Probatur, quia sequeretur, quod res naturales non possemus cognoscere : consequens est falsum, quia de illis habemus scientiam naturalem : consequentia probatur, quia tunc arbitramur unumquodque cognoscere, cum cognoscimus ex quibus partibus, et ex quot ipsum sit : igitur si principia sunt infinita, oportet illa cognoscere ad cognitionem rerum naturalium : modo hoc est impossibile, quia impossibile est infinita cognoscere qualibet cognitione distincta. 43. Text. 35 *Infinitum secundum quod infinitum est ignotum*

Amplius (2) *autem si necesse est*. Probat secundo quod totum compositum naturale, et ejus partes se invicem consequuntur, quantum ad magnitudinem, et parvitatem, et quantum ad terminationem, et interminationem, et quantum ad finitatem, et infinitatem : sed totum compositum naturale est finitum, et limitatum secundum magnitudinem; igitur similiter et partes infinitæ ipsius diversarum rationum, nec etiam ejusdem rationis, quarum quælibet possit per se actu existere : quia ex talibus resultat et compositum infinitum. Major patet, quia non contingit, quod totum augmentetur sine augmentatione partis, nec diminuatur, ut patet de viventibus : et minor probatur, quia non contingit animal, aut plantam esse, quantumcumque secundum magnitudinem, vel parvitatem, hoc enim idem apparet de partibus animalium; quia non contingit carnem vel os, vel aliquod hujusmodi esse quantumcumque in majus, aut in minus, id est, secundum magnitudinem, et parvitatem. Et ex ista littera ha- 44. Text. 3 *Non maxim minim*

betur quod entia naturalia, sunt terminata ad maximum, et ad minimum.

QUÆSTIO XI

Utrum notitia totius dependeat ex notitiis suarum partium

Aristot. *hic text.* 36. Avicen. 2. *Metaph.* Simplicius 1. *Phys. com.* 34. Themistius *ibid. num.* 4. Scotus 1. *dist.* 3. *quæst.* 2. *et* 1. *Metaph. quæst.* 10. D. Thom. *in proœm. Phys. et* 1. *Phys. lect.* 9. *et* 1. *par. quæst.* 85. *art.* 8. *cum suis.* Ruvius 1. *Phys. quæst.* 3. Conimbric. *ibid.* Aversa *quæst.* 30. *Logicæ, sect.* 3, *et* 4.

1. Arguitur quod non : quia sequeretur, quod ad notitiam totius oporteret cognoscere infinita, cum cujuslibet totius sint infinitæ partes.

Secundo sequeretur, quod in cognitione esset processus in infinitum, consequens est falsum. Probatur consequentia, quia ex quo ad cognitionem totius requiritur cognitio suarum partium, et cum quælibet illarum partium sit unum totum, sequitur, quod ad cujuslibet illarum partium cognitionem oportebit cognoscere omnes partes illius partis, et sic in infinitum.

Tertio. Partes sunt minus notæ, quam sit suum totum, igitur ad cognitionem totius non requiritur cognitio partium. Tenet consequentia, quia notitia evidentior non præsupponit minus evidentem ; et antecedens apparet per Aristotelem in 1. hujus, text. 4. ubi dicit, quod totum est notius secundum sensum, quam sint suæ partes.

Quarto. Totum est suæ partes, et ut patuit supra ; igitur ad cognitionem totius non requiritur cognitio partium: quia idem non requiritur ad seipsum.

Quinto. Quia visibile, quod actu videtur, notius est apud sensum, quam aliqua pars ejus ; igitur ad visionem hujus totius non requiritur visio partis. Antecedens notum est : imo in toto visibili sunt multæ partes, quarum quælibet propter parvitatem est invisibilis.

2. Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo, tract. 2. cap. 2. text. 36. ubi dicit, quod ad cognoscendum aliquod totum oportet cognoscere ex quibus, et quot sit, et dicit ex quibus, ad denotandum partes essentiales, et quot, ad denotandum partes integrales.

Divisio quæstionis.

In quæstione primo videbitur, qualiter sensatio partis requiritur ad sensationem totius, et qualiter non. Secundo videbitur, qualiter notitia scientifica totius dependeat ex cognitione suarum partium.

Quantum ad primum sunt dubia duo : primum est de partibus separatis a toto, utrum sit dare minimum visibile, quod propter suam parvitatem possit percipi a sensu visus. Arguitur quod sic, quia aliquod est quod propter sui parvitatem non potest videri ; igitur vel est dare maximam quantitatem, quæ non potest videri, vel minimam, quæ potest : non maximam quæ non potest : quia si sic, sit illa *A*, tunc *A* non potest videri. Tunc sit *B* unum, quod excedat *A* insensibiliter, tunc *B*, propter parvitatem non percipitur a sensu visus : quia quoad judicium sensus, *B* non est majus *A* ; igitur *A* non erat maximum, quod non potest percipi a sensu visus. Tenet consequentia, quia *B*, quod non potest percipi est majus *A*, et cum non sit dare maximum, quod non potest percipi, sequitur quod est dare minimum, quod potest percipi.

Sed contra sit illud *A*, tunc *A* videtur, igitur medietas *A* videtur, et per consequens non erat minimum, quod videbatur. Item, si *A* sit minimum, quod potest videri, igitur aliquo excessu sufficit agere speciem suam in visu, igitur unum aliud minus *A* sufficeret agere in visum cum minori excessu.

Notandum, quod omnis (a) visio fit per pyramidem, cujus basis est res visa, et conus est in oculo, qui conus debet esse determinatæ quantitatis ; ita quod non sub quacumque modica quantitate sufficit immutare visum. Ex quo patet, quod multa sunt insensibilia propter parvitatem, eo quod non possunt causare an- 3.

gulum sensibilem in oculo. Secundo patet, quod propter distantiam diversam, a qua res videtur, est differentia quoad sensibilitatem, et insensibilitatem ; nam quæ sunt remotiora, videntur sub angulo minori, et per consequens videntur minora, nisi prohibeatur distantia.

Tunc ponitur ista conclusio, quod licet sint multa talia, quorum quodlibet propter parvitatem sit insensibile ; tamen si fiat una multitudo istorum ad invicem, multitudo illa videbitur, dato quod non continuentur illa insensibilia. Probatur per experientiam de guttulis aquæ, quæ sunt in nube rorida, quarum quælibet si per se esset, esset insensibilis a tanta distantia, tamen multæ simul existentes in multitudine videntur, licet confuse.

4. *Aliqua apparere possunt æqualia uni tertio, quæ tamen non apparebunt æqualia inter se.*

Ex isto patet, quod possibile est apparere æqualia aliqua duo uni, et eidem, et tamen non apparebunt æqualia inter se. Probatur : posito quod *A* excedat *B* insensibiliter, et *B* excedat *C* insensibiliter ; sed excessus *A* super *C* sit sensibilis, scilicet compositus ex duobus insensibilibus, tunc patet corollarium, quod *A* et *C* apparent æqualia inter se invicem.

Secundo sequitur, quod ,per istum modum potest intellectus mediante visu apprehendere insensibilem excessum. Tunc dico, quod in hujusmodi insensibilibus separatis a toto, est dare maximum insensibile, quod non potest percipi a sensu visus propter parvitatem ; et quando arguitur, quod non, quia *B* et *C*, dico, quod imo, quia licet excessus insensibilis se solo deprehendi non possit ; attamen excessus insensibilis quantumcumque sit parvus additus ipsi *A* reddit aggregatum sensibile.

5. Secunda dubitatio est de partibus conjunctis in toto, scilicet, utrum visibilis, quod actu videtur, quælibet pars actu videatur. Arguitur, quod non ; quia tunc sequeretur, quod quodlibet agens quantumcumque parvum ageret ad tantam distantiam, ad quantam ageret magnum ; consequens est contra experientiam ; et patet consequentia ; et capiatur unum parvum album ; quod sufficit agere ad unam parvam distantiam, et conjungatur alicui albo magno ; tunc vel istud parvum aget ad tantam distantiam, ad quantam totum, vel non, si sic habetur consequens ; si non, igitur consequenter una alia pars illi æqualis non aget ad tantam distantiam ; et sic de tertia, quarta, quinta, et sexta, et per consequens totum aget ad aliquam distantiam, ad quam nulla pars ejus potest agere.

Notitia est duplex.

Respondetur. Pro quo notandum, quod duplex est notitia, quædam confusa, ut illa, qua percipio Socratem esse animal, alia determinata, ut illa qua percipio Socratem esse Socratem.

6. *Visibilis duplices sunt partes.*

Secundo sciendum, quod visibilis duplices sunt partes, quædam in latitudine ad visum, et aliæ in profundo. Tunc de partibus in profundo dico, quod ad hoc, quod aliquod visibile actu videatur, non oportet videre omnes partes ejus secundum profundum, ut patet ad experientiam : tamen de quolibet visibili, quod actu videtur, aliquæ partes videntur secundum profundum : cujus signum est, quod nullum corpus potest esse ita densum, nec compactum, quin aliqua pars ejus posset fieri ita tenuis, quod per ipsam bene potest fieri visio, tanquam per medium, ut patet de auro, ferro, et hujusmodi. Sed de partibus, quæ objiciuntur ad visum in latitudine sit prima conclusio ista : Multæ sunt partes visibiles, quæ actu videntur, quarum nulla determinate videtur, ita ut de nulla earum habeat visus determinatam cognitionem. Probatur, quia de illo non habet visus determinatam, et distinctam cognitionem, quod si mutaretur de albo in nigrum, vel e contra, visus non perciperet : sed multæ sunt tales partes, sicut patet de partibus insensibilibus propter parvitatem, unde si una pars insensibilis mutaretur de albo in nigrum, visus non perciperet.

Secunda conclusio ; Nulla est pars alicujus visibilis actu nisi directe objecta visui, quæ non videatur confuse, et indistincte. Probatur, quia a qualibet parte quantumcum- 7.

que modica diffunditur species in organum visus, tunc si nulla illarum videtur, sequitur quod totum visibile videtur, et tamen nulla pars ejus esset visa. Demum comparando partes ejusdem visibilis actu visi ad invicem, dico quod inter partes propinquiores, illa ad quam figitur aspectus visus, minus confuse videretur, et magis distincte quam aliæ remotiores. Patet per experientiam, et etiam quia per partem illam visibilis, ad quam figitur aspectus, maxime certificatur visus de re visibili. Secundo dico quod propter elongationem distantiæ partes conjunctæ videntur minus distinctæ. Tertio dico, quod visibile posset in tantum elongari, ut partes, quæ essent in medio, ubi figitur aspectus, viderentur, et tamen partes extremales non viderentur, imo essent invisibiles a tanta distantia cum talibus circumstantiis, et istud maxime apparet in corporibus visibilibus acutæ figuræ, quorum acuties non percipitur a remotis.

8. *...gis lu... ...um et ...is al... ...a magis ...ntur.*

Ex quo sequitur, quod unum visibile melius videtur ex hoc, quod conjungitur alteri visibili. Quarto dico, quod cæteris paribus illud quod est magis lucidum, aut magis album, videtur magis album, videtur magis distincte. Probatur, quia lux, et albedo habent disgregare visum, propter fortem immutationem eorum, et ideo faciunt rem aliquam apparere majorem visui, quam si eadem, et tanta præsentaretur visui sub nigredine ; et causa est, quia lux, et albedo, propter fortem immutationem, quam faciunt in organo, movent species visibiles quodammodo segregando, et propter illam segregationem anima judicat rem majorem.

9. *...prima ...atione ...e ar... ...llumi... ...us ap... ...reat ...rtio ...gna ...ræ.*

Ex isto redditur causa quare in prima lunatione arcus illuminatus apparet portio magnæ sphæræ, quam reliqua pars Lunæ non illuminata. Quinto dico, quod si duo contraria juxtaponantur ad invicem, ut puta album juxtaponatur nigro : quodlibet illorum magis distincte percipitur, quam si non esset juxtapositum alteri, et propter hoc trahitur pannus niger ad altare, ut distinctius videatur corpus Christi. Causa est non quod propter juxtapositionem illam aliquod illorum intensius moveat visum, quam ante movisset ; sed quia anima apprehendens ista, simul comparat ista ad invicem in intensione, et propter magnam dissimilitudinem, et repugnantiam, quam invenit in eis, judicat quodlibet esse intensius, quam si esset solitarie positum sine alio. Patet ergo qualiter per cognitionem distinctam totius, et qualiter visibilium quædam magis distincte percipiuntur, et quædam minus, et hoc de primo.

Quantum ad secundum. Notandum, quod partium quædam sunt essentiales, ut materia et forma ; aliæ quantitativæ, et tales sunt duplices, quædam homogeneæ, quæ scilicet habent eamdem denominationem, et sunt ejusdem rationis cum suo toto. Aliæ sunt heterogeneæ, quæ non habent eamdem denominationem cum suo toto ut manus, pes, caput, et hujusmodi.

10. *Partes sunt duplices, essentiales, et integrales.*

Secundo notandum, notitiam totius dependere ex notitia partium, potest intelligi dupliciter, uno modo in genere causæ efficientis instrumentalis isto modo, quod intellectus informatus notitiis partium, potest mediantibus illis devenire in notitiam totius, et istud est verum. Alio modo intelligitur, quod sicut totum continet in se diversas perfectas partes ; ita perfecta notitia de toto habeat multas partes, seu notitias partiales, quæ sunt notitiæ partium.

Notitia totius dupliciter dependere potest a notitia partium.

Nunc supponuntur aliqua, primo quod nullum totum potest perfecte cognosci, ut de homine : quantum ad omnia dicibilia de eo, sicut patuit in una quæstione prius. Secundo supponitur, quod ad perfecte cognoscendum aliquam rem secundum aliquam scientiam, sufficit illam cognoscere secundum terminos illius scientiæ. Probatur, quia ad cognoscendum aliquid in scientia naturali, sufficit illud cognoscere per terminos scientiæ naturalis, nec habet curare de sciendo rem illam per terminos mathematicos.

11. *Nullum totum potest perfecte cognosci.*

Tunc ponuntur conclusiones. Prima est : Ad cognoscendum aliquod totum perfecte

in scientia naturali non oportet cognoscere omnes partes ipsius qualibet cognitione distincta. Probatur ; nam sequeretur, quod oporteret infinita cognoscere quodlibet, scilicet cognitione propria, et distincta, quod est impossibile ; et patet consequentia, quia cujuslibet totius sunt infinitæ partes. Et dico notabiliter, quodlibet cognitione distincta ; quia infinitæ partes bene cognoscuntur cognitione confusa, et indistincta, ut, verbi gratia, in ista, *Totum habet infinitas partes*.

12. *Quid requiratur ad perfecte cognoscendum aliquod totum in scientia naturali.*

Secunda conclusio. Ad cognoscendum aliquod totum perfecte in scientia naturali, oportet cognoscere omnes partes ejus essentiales, et heterogeneas qualibet cognitione sibi propria, et distincta in processu scientiæ naturalis ; nama d perfecte cognoscendum hominem, ut factum fuit, prius oportet cognoscere manus, caput, pedes, et hujusmodi, et quod ista cognoscantur ex carne, osse, et hujusmodi, postea quod cognoscantur ex quatuor humoribus, quatuor humores ex elementis, et elementa ex materia et forma, nec istud sufficit, sed oportet quod cognoscantur complexiones, qualitates, et conditiones sequentes ex istis.

13. Ex isto sequitur, quod ad perfecte cognoscendum aliquod discretum, ut numerum, oportet cognoscere quamlibet ejus partem, conditiones, et proprietates sibi convenientes, et cum hoc habitudines omnium suarum partium ad invicem.

Secundo sequitur, quod ad perfecte cognoscendum corpus cœleste, oportet cognoscere omnes sphæras, scilicet quot sint, et quot sint motus diversi ipsarum, stellas, et alias conditiones eis convenientes.

Tertia conclusio. Si principia rerum naturalium essent infinita in multitudine, differentia secundum speciem, sicut ponit Anaxagoras, res naturales non essent cognoscibiles. Probatur, quia tunc oporteret infinita cognoscere, quodlibet cognitione distincta, et istam conclusionem intendit Aristoteles in isto capitulo allegato post oppositum.

14. Ad rationes. Primæ duæ sunt solutæ per primam conclusionem secundæ partis. Ad tertiam dico, quod Aristoteles intelligit, quod totum magis distincte cognoscitur, quam suæ partes, et cum hoc, ut in pluribus totum est notius communitati, quam aliqua pars ejus: quia ut in pluribus multi devenerunt in notitiam totius per diversas partes, ut quilibet nostrum per aliam, et aliam partem devenit in notitiam columnæ. Dico ulterius, quod licet aliquæ partes sint minus notæ ; attamen perfecta notitia totius componitur ex notitiis suarum partium, tanquam ex suis partibus. Ad aliam dictum fuit in prima parte quæstionis.

ANNOTATIONES

(a) *Omnis visio fit per pyramidem.* Nota quod ad visionem sunt hæc omnia necessaria organum potentiæ visivæ, qui oculus dicitur, et qui mira compositione a natura confectus est, ut capax sit recipiendi species, ut in ipso fiat visio. Constat autem oculus ex multis humoribus, et pelliculis : et in prima illa ubi humor crystallinus est, fit visio. Sunt enim duo nervi, qui optici dicuntur, sive visivi : hi egrediuntur a parte anteriori cerebri versus oculos tendentes. Quidam tamen dicunt, quod egreditur unus, et circa oculos dividitur in duos, et unus tendit ad unum oculum, et alter ad alterum ; sed alii dicunt, quod ab ipso cerebro egrediuntur duo, versus oculos tendentes, et in media via sit unus nervus integer, et post illam conjunctionem iterum efficiuntur duo nervi, quorum unus tendit in dexterum, et alter in sinistrum oculum, qui in summitate oculorum prope oculos sunt nimis ampli, ut facilius recipiant species visibiles, et prope cerebrum sunt valde angusti, ut species visibiles magis collectas tribuant sensui communi, et habet se ad modum fistulæ organi musici. Insuper color propter materialitatem suam vi sui non potest se ingerere : ideo producit sui speciem in aere, vel in aqua. Quando igitur objectum est in debita distantia, videtur res secundum propriam quantitatem ; si autem multum distet, debilitatur species, et apparet res minor, quam est, ut patet de stellis, quæ cum sint majores, quam terra, apparent minores, quam rota plaustri. 15. *Quæ s... ad vis... nem ne... saria.*

Fit ergo sic visio. Radius visualis, seu species rei visibilis est extensa ad modum pyramidis cujus basis est in re visa, et angulus in oculo, qui quidem angulus terminat pyramidem luminis rei luminosæ, *Vis... mod...*

seu speciei visibilis rei coloratæ in quolibet puncto medii; quapropter in quacumque parte medii oculus existat videt rem, et cum objectum est propinquius oculo, pyramis est brevior, et angulus major, et sic agit fortius, et rem secundum suam quantitatem repræsentat: si vero res sit procul, pyramis est longior, et res minor repræsentatur, ut diximus de stellis. Recepta ergo illa specie in figura illa pyramidali adveniente in pupilla oculi ubi humor crystallinus est, fit visio, et non in conjunctione nervorum, ut alii sentiunt, quia nervus ille terreus est, organum vero visus aqueum debet esse, qualis est pupilla. Est tamen illa conjunctio nervorum necessaria quædam dispositio ad efficiendam visionem, et quamvis res duobus oculis videatur, apparet nihilominus una, quia unitas cognitionis visivæ pendet ab illa conjunctione nervorum, visio tamem ipsa fit in delicatissimo organo, scilicet oculi pupilla et non in crassissimo, qualis est nervus.

17. Nota secundo, quod visio debet fieri in perfecta rectitudine oculi, et pupillæ ad rem visam, ita ut a situ, in quo res, quæ videtur, est, ad pupillæ centrum duci possit linea recta, et radius directissimus; species autem rei visibilis non observat tantam rectitudinem ab objecto usque ad potentiam: cum enim extensæ sint per medium, aliquando in oculo imprimuntur ab objecto non omnino opposito pupillæ. Ex hoc nascitur, quod quando objectum mittit species in visum, visus tamen non habet rectum suum axem ad illum situm, tunc apparet res extra locum: ut si comprimamus oculum digito extra proprium locum elevantes, tunc alibi apparet objectum, quam sit, quod objectum si alius oculus aspiceret recto axe, videret illud in proprio situ. Ideo homo habens duos oculos, quorum unum digito comprimit, et alium non, contingit, quod videat idem objectum et in proprio situ, et alibi, et sic unum objectum apparet duo. Similiter, quando objectum est in aqua per medietatem, tunc species mittuntur ab illa medietate in aquam, et ab aqua proveniunt, videturque res fracta, eo quod in superficie contigua aeris refringuntur: et quia aer est medium magis dispositum ab ipso, veniunt species magis rectæ, et sic videtur res fracta. Hinc etiam apparet, quare res magna ut turris, si aliquantum a longe prospiciatur tota videtur; si vero prope, non nisi ex parte; quia videlicet quando a longe res est, si non sit extra debitam distantiam, opponitur per rectam lineam pupillæ, et videtur per omnes partes: cum vero prope est, non opponitur recte, nisi secundum partes. Ideo etiam rem, quam manu tenemus, ut ipsam recte inspiciamus, aliquantulum a visu separamus, quia tunc magis recte opponitur pupillæ.

18. *Quare habentes oculos cavos acutius vident quam habentes oculos prominentes.*

Sed quare homines habentes oculos cavos et profundos acutius vident, quam habentes oculos prominentes, et magnos? Forte, quod in talibus virtus visiva est magis unita, et collectius recipiuntur species in oculis profundis, quam in prominentibus, in quibus virtus visiva, atque species disperguntur ad latera oculorum, et hac de causa homines constituti in fovea profunda, vel in puteo profundo die serena, conspicere possunt stellas.

Quare navigatibus videntur moveri res immobiles.

Quare navigantibus, et equitantibus videntur moveri res immobiles, ut montes, et turres? Forte quod tales homines recipiunt species cum motu, et nunquam in eodem situ, et ideo cum movetur oculus illas res aspiciens, ipsæ res moveri videntur; et similiter, qui in gyrum moventur, videntur sibi omnia circulariter moveri.

19. *Quare fabricitantibus, et ebriis res geminæ videntur.*

Sed quare febricitantibus, et ebriis res geminæ videntur? Forte quia spiritus visivi, qui descendunt a cerebro in oculum sunt puriores, et nitidiores omnibus aliis spiritibus aliorum sensuum: ideo quæcumque conturbatio facta in talibus spiritibus visivis, efficit atque producit varias, et admirandas visiones: et hac de causa homo phreneticus, vel qui tenetur maxima febri, videtur sibi videre varia phantasmata, propter conturbationem istorum spirituum factam a febri maxima, et maximo calore; et similiter ebrius videtur sibi videre multas candelas, quia a stomacho ascendunt fumi in cerebrum, in quo incrassantur ratione frigiditatis cerebri, et descendunt in oculos, et conturbant spiritus visivos, et claros, et tunc quoddam spiritu visivo ascendente, et altero descendente, fit ut una res duæ videantur.

Quare habentes claros oculos nonvident.

Quare aliqui homines habentes claros oculos nihil vident, aut parum? Forte hujus ratio est obstructio, et opilatio nervorum opticorum, quod impedimentum efficit, ut spiritus visivi transire non possint a cerebro in oculos.

QUÆSTIO XII

Utrum entia naturalia sint determinata in magnitudine

Arist. 1. *Physic. text.* 36. *et* 2. *de Anima, text.* 41. *et* 2. *de Generat. animal. cap.* 11. Averr. 6. *Physic. comm.* 91. *et* 8. *Phys. comm.* 62. Mayron. *in text. Aristot. hic.* D. Thom 1. *part. quæst.* 7. *art.* 3. Cajet. *ibid.* Scotus *in* 2. *dist.* 2. *qu.* 9. Occham *dist.* 8. Durand. *dist.* 18. *quæst.* 1. Capreol. et Hispalen. *dist.* 19. *quæst.* 1. Aversa *qu.* 38. *sect.* 1 Conimbr. 1. *Physic. cap.* 4. *quæst. unic.* Toletus *ibid. quæst.* 9. Ruvius *ibid. quæst.* 2.

1. Arguitur quod non, quia inæqualitas, dissimilitudo, acuties, et proportio, sunt entia naturalia, vel saltem dispositiones, quibus res disponuntur a natura, et istæ non terminantur in magnitudine ; ergo, etc. Major probatur, quia quodlibet, quod est inæquale alicui, est multo magis inæquale medietati, et multo magis inæquale medietati medietatis, et sic in infinitum. Similiter acuties est augmentabilis ad diminutionem superficiei in infinitum, eodem modo dissimilitudo, et proportio sunt augmentabiles per divisionem numerorum etiam in infinitum.

Secundo, quia raritas, et densitas, motus velocitas, et tarditas sunt entia naturalia ; quia a natura res sic disponuntur, et tamen non terminantur in magnitudine : nam raritas, et densitas procedunt in infinitum ; ut patet primo hujus, text. 55. et velocitas, et tarditas motus, ut patet in 6. text. 15.

2. Tertio, magnitudo, et numerus sunt res naturales, et tamen non terminantur in magnitudine : nam numerus excrescit in infinitum, ut patet 3. hujus, text. 61. et omni magnitudine data contingit dari majorem, imo est aliqua de facto infinita, ut linea gyrativa partium proportionalium continui.

In musica. Quarto, quia sonus est quædam res naturalis, et tamen non terminantur in magnitudine ; quia secundum Boetium in Musica quantum chorda est brevior, tantum sonus est acutior, sed chorda est in infinitum abbreviabilis, et per consequens sonus est acutior in infinitum.

Quinto, quia ignis est quoddam ens naturale, et tamen non terminatur in magnitudine per Aristotelem in 1. de Anima, text. 41, ubi dicit, quod ignis recipit augmentum in infinitum, quousque fuerit combustibile.

Sexto, quia animalia sunt entia naturalia, et tamen non terminantur in magnitudine ; quia si esset aliquod animal terminatum in magnitudine, sequeretur quod non posset percuti, nec impinguari, quia tunc efficeretur majus, et cum nullum sit animal quod non possit percuti, sequitur quod nullum sit, quod sit terminatum in magnitudine.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo, tract 2. cap. 2. text. 36. ubi dicit, quod impossibile est animal, aut plantam, quantacumque esse secundum parvitatem, aut magnitudinem, et subdit paucis interpositis, quod impossibile est carnem, aut aliquid aliud, quantumcumque esse aut majus, aut minus. Item, per Aristotelem 2 de Anima, text. 41. ubi dicit : Natura autem constantium omnium terminus est, et ratio est magnitudinis, et augmenti. 3.

Notandum, quod ens naturale accipitur dupliciter, uno modo pro composito naturali ex materia, et forma. Secundo modo pro omni eo, de quo verificatur hoc verbum *est* affirmative, et isto modo capitur in proposito. *Ens naturale capitur dupliciter.*

Secundo notandum, quod entia naturalia terminari in magnitudine non est idem, quod ipsa non posse esse quantacumque secundum magnitudinem et parvitatem. Ideo (a) imaginandi sunt duo termini, unus a parte augmenti, seu magnitudinis ; et alter a parte parvitatis, et tunc res naturalis, vel terminatur ad illum terminum ex parte magnitudinis inclusive, et tunc ille terminus est maximum, sub quo potest esse res naturalis ; quia sub illo potest, et sub nullo majori, sed sub quolibet minori usque ad illum, sub quo non potest esse propter parvitatem. Si vero res naturalis terminetur exclusive ad illum terminum, tunc terminus ille vocatur maximum, sub quo non potest esse ; quia sub illo non potest esse, nec sub aliquo majori, sed sub quolibet minori, usque ad illum, sub quo non potest esse propter parvitatem. Eodem modo terminus, ad quem res naturalis terminatur a parte magnitudinis propter parvitatem, vel est terminus, ad quem terminatur inclusive, et tunc est minimum sub quo potest esse, et sub nullo minori, sed sub quolibet majori usque ad illum, sub quo non potest esse propter magnitudinem ; vel ad illum terminum termi- 4. *Entia naturalia terminari in magnitudine quid sit.*

natur exclusive, et tunc est maximum sub quo non potest esse propter parvitatem; quia sub illo non potest esse, nec sub aliquo minori, sed sub quolibet majore usque ad illum, sub quo non potest esse propter magnitudinem

5. *Entium gradus sunt quatuor.* Tertio notandum, quod quatuor possunt distingui modi, seu gradus entium juxta argumenta ante oppositum. In primo gradu sunt accidentia imperfecta; quæ non sunt nisi quædam relationes entium, quæ (b) sive sint distinctæ, sive indistinctæ non est cura ad propositum, ut inæqualitas, dissimilitudo, acuties, proportio, et hujusmodi, quæ consequuntur proportionem, et æqualitatem.

In secundo gradu sunt accidentia perfecta, ut caliditas, frigiditas, albedo, sapor, et hujusmodi. In tertio gradu sunt elementa simplicia, et mixta imperfecta homogenea, ut pluvia, vapor, et hujusmodi. Sed in tertio gradu sunt mixta perfecta, plantæ, et animalia.

6. *Inæqualitas est augmentabilis in infinitum. Proportio, et dissimilitudo sunt augmentabiles in infinitum.* Quantum ad primum gradum, sit prima conclusio: Inæqualitas est augmentabilis in infinitum. Probatur, et sit *A* inæquale *B*, secundum proportionem duplam; igitur ipsius *A* ad medietatem *B*, est inæqualitas in duplo major, et sic in infinitum. Ex quo sequitur primo, quod proportio est augmentabilis in infinitum. Probatur, quia si ipsius *A* et *B*, sit aliquanta proportio, ejusdem *A* ad ejus medietatem, est proportio in duplo major, et ad ejus quartam in quadruplo, et sic in infinitum per diminutionem minoris termini. Secundo sequitur, quod dissimilitudo est augmentabilis in infinitum. Probatur, quia sit *A* qualitas dissimilis *B*, secundum intentionem, et resecetur medietas qualitatis *B*, non secundum extensionem, tunc ipsius *A* ad medietatem *B*, est duplo major dissimilitudo quam ad *B*, et sic in infinitum.

7. Secunda conclusio: Nullum istorum est augmentabile in infinitum per augmentum majoris termini. Probatur, quia impossibile est, quod major terminus crescat in infinitum secundum magnitudinem, vel secundum proportionem; ex quo sequitur primo, quod inæqualitas, proportio, et dissimilitudo si sunt augmentabiles in infinitum, hoc solum est per diminutionem termini minoris.

Secundo sequitur, quod licet ista sint augmentabilia per augmentum termini majoris, attamen hoc solum est finite, ut videtur, quia proportio quantitatis bipedalis ad pedalem potest augeri per augmentum quantitatis bipedalis, hoc tamen solum est finite, quia quantitas bipedalis non potest augmentari in infinitum.

Tertia conclusio: Acuties est augmentabilis in infinitum: quia acuties est augmentabilis secundum diminutionem superficiei: modo superficies est diminuibilis in infinitum, igitur et acuties est augmentabilis in infinitum. Unde acuties sequitur semper diminutionem anguli quantum ad augmentum, et obtusitas sequitur augmentationem anguli, ideo cum angulus non sit augmentabilis in infinitum, obtusitas non potest crescere in infinitum. 8. *Acuties est augmentabilis in infinitum.*

Quarta conclusio: tarditas est augmentabilis in infinitum, imo de facto quacumque tarditate data, est dare majorem, secundum quamlibet proportionem. Probatur de motu circulari alicujus sphæræ, videlicet corporis cœlestis motæ super polos immobiles, quia quacumque tarditate data, qua aliqua pars assignata minor in illo corpore, est dare partem propinquiorem polo, quæ in duplo tardius movetur, et unam aliam propinquiorem, quæ in quadruplo tardius, et sic in infinitum. *Tarditas est augmentabilis in infinitum.*

Quinta conclusio: Velocitas motus localis non est augmentabilis in infinitum. Probatur, quia motus cœli est ita velox, quod impossibile est esse velociorem, cum sit motus velocissimus, ergo, etc. Secundo, quia in omni motu locali alio a motu cæli est resistentia proveniens, scilicet, ex parte medii, per quod fit motus, quod quidem medium semper determinat sibi certam raritatem, et densitatem, et per consequens semper motus factus per ipsum est cum resistentia. Et lico notabiliter velocitas motus localis, quia velocitas alteratio- 9. *Velocitas motus localis non est augmentabilis in infinitum.*

nis est augmentabilis in infinitum ; eo quod in motu alterationis potest destrui totalis resistentia, sicut in visione, quæ fit per lineam longitudinis de illuminatione, intellectione, et volitione. Patet igitur, qualiter in his, quæ consequuntur magnitudinem, inæqualitatem, et proportionem, sit terminus augmenti, et qualiter non. Et si dicatur quod ista non sunt entia distincta a compositis naturalibus, vel a qualitatibus, sed solum sunt termini connotativi ; adhuc illæ conclusiones non sunt minus veræ, quia adhuc termini illi possunt denominare subjectum secundum magis, et minus in infinitum, vel finite solum secundum exigentiam prædictarum conclusionum, et hoc de primo.

10. *Nulla qualitas prima est augmentabilis in infinitum.* Quantum ad secundum gradum sit conclusio ista : Nulla (c) qualitas prima, aut consequens qualitatem primam est augmentabilis in infinitum. Probatur, quia si sic, maxime esset caliditas ; sed probo quod non : quia ignis (d) de facto habet caliditatem summam, quæ est, aut quam possibile est esse ; igitur caliditas ignis non est augmentabilis in infinitum. Tenet consequentia, et probatur antecedens,quia ignis in sua sphæra, est in loco suo naturali non impeditus ab agente extrinseco ; igitur de facto reducit se ad dispositionem convenientem sibi secundum naturam, et illa est caliditas summa ; ergo, etc. Secundo quia caliditas ignis, et frigiditas sunt contraria, ut patet 2. de Generat. text. 8. et primo hujus, igitur ab invicem maxime distant, per definitionem contrariorum datam. 5. Metaph.; sed si caliditas ignis esset augmentabilis, non distarent ab invicem, maxime, cum adhuc posset magis distare ; ergo, etc. Tertio patet inductione ; nam quodlibet ens naturale determinat sibi certum gradum hujusmodi qualitatum tam primarum, quam secundarum, ut homo determinat sibi certum gradum caliditatis, ignis majorem, scilicet summum, et ita de aliis.

11. Contra conclusionem arguitur : quia qualitas secunda, ut sapor, vel hujusmodi consequitur proportionem primarum qualitatum : sed proportio est in infinitum augmentabilis per primam partem quæstionis ; igitur hujusmodi qualitates secundæ erunt augmentabiles in infinitum. Secundo, quia si in sphæra ignis poneretur unum, vel plura specula concava ex opposito Solis directe, tunc per congregationem radiorum Solis in speculo concavo generaretur caliditas, ut patet ad experientiam ; igitur sequitur quod caliditas ignis intenderetur ; et cum per variationem speculorum in infinitum possent congregari plures, vel pauciores radii in infinitum, sequitur quod caliditas est augmentabilis in infinitum. Tertio, raritas, et densitas sunt augmentabiles in infinitum; ergo, etc.

Ad ista respondetur. Ad primum concedo, quod qualitates secundæ consequuntur proportionem ; sed nego consequentiam, quod si proportio est augmentabilis in infinitum, ergo qualitates consequenter essent augmentabiles in infinitum : quia per augmentum proportionis, quandoque corrumpitur qualitas consequens proportionem, ut patet de sanitate, quæ corrumpitur per diminutionem alterius qualitatum, quarum est proportio ad invicem. 12.

Ad secundum dico, quod caliditas ignis in sua sphæra non potest intendi per quantamcumque congregationem radiorum ; quod probo, quia concursus radiorum reverberatorum a speculo concavo non est potentior ad producendum ignem, vel calorem, quam sit unus alius ignis ; cum igni maxime competat caliditas, et tamen certum est, quod caliditas sphæræ ignis non intenditur per alium ignem ; igitur nec potest intendi per hujusmodi concursum radiorum.

Ad tertium de raritate, et densitate dico, 13. quod non repugnat quantum est ex ratione generali corporum mobilium, quod densitas, et raritas sint augmentabiles in infinitum, si esset agens, quod posset intendere, et passum quod pati ; modo cuilibet rei naturali repugnat, ut stet sub quantacumque densitate, vel raritate : sed cujuslibet rei

forma determinat sibi certum gradum, vel latitudinem, sub qua potest stare naturaliter, vel violenter.

Res naturalis determinat sibi certum gradum sub quo potest stare.

Secunda conclusio. Quælibet res naturalis determinat sibi certum gradum taliter, et cujuslibet alterius qualiter, sub quo potest stare in sua perfectissima dispositione ; et ille gradus est maximus, et minimus, sub quo potest esse in tali dispositione. Probatur, quia si imaginaretur tota latitudo qualitatis sub qua res naturalis potest esse, sive naturaliter, sive violenter, igitur terminabitur duobus terminis, uno a parte intensionis, et alio a parte remissionis, et tunc gradus medius inter istos duos terminos est sub quo potest stare in sua perfectissima dispositione, et si stet sub intensiori, vel remissiori, stabit minus perfecte.

14. *Res naturalis quomodo possit distrahi ab illo gradu, quem sibi determinat.*

Tertia conclusio. Quælibet res naturalis potest vel naturaliter, vel violenter, distrahi ab illo gradu. Probatur, nam aer potest calefieri, et frigefieri, et similiter homo, et ita de aliis.

Quarta conclusio. Non potest distrahi res naturalis quantumlibet ab illo gradu sine corruptione, et ideo a parte remissionis est imaginandus terminus, sub quo non potest stare propter remissionem, et ille est gradus maximus, sub quo non potest stare, quia sub illo non potest stare, nec sub aliquo minori ; sed sub quolibet majori usque ad illum, sub quo non potest stare propter nimiam intensionem. Et per istud solvitur ratio Commentatoris super tertio Cœli, per quam probat, quod formæ elementorum non suscipiunt magis, et minus. Similiter dico, a parte intensionis est imaginandus unus terminus, et tunc præterquam in elementis terminus intensionis est minimus gradus, sub quo non potest stare res naturalis, ut verbi gratia, est dare minimum gradum caloris, sub quo non potest stare forma hominis sine corruptione ; quia sub illo non potest, nec sub aliquo majore, sed sub quolibet minore usque ad illum, sub quo non potest esse propter nimiam remissionem. Et dixi notabiliter *præterquam in elementis* ; quia elementa determinant sibi aliquas qualitates in summo, et ideo quantum ad qualitates illas non est dare sub quo non possunt esse secundum maximum, sed sub quo possunt ; sed a parte remissionis, in elementis est dare maximum gradum, sub quo non possunt esse, quemadmodum et in mixtis, et hæc de secundo.

15. *Elementa terminari in magnitudine potest bifariam intelligi.*

Quantum ad tertium gradum. Notandum quod elementa terminari in magnitudine potest intelligi dupliciter. Uno modo quod elementis non repugnat de natura sui, quin sint augmentabilia in infinitum, si non esset aliud impedimentum. Alio modo quod de facto non possunt augmentari in infinitum ; sed determinata sunt in magnitudine, vel potest intelligi de tota massa elementorum, vel de quolibet elemento per se.

Elementum de sui natura est augmentabile in infinitum.

Tunc ponuntur conclusiones. Prima est, Quodlibet elementum (e) de sui natura est augmentabile in infinitum, si non esset impedimentum aliunde. Probatur, nam ignis si haberet locum, in quo posset extendi, et combustibilia apponerentur in infinitum, ignis in infinitum augmentaretur, ut patet secundo de Anima, text. 41. et sicut arguitur de igne, ita potest argui de quolibet alio elemento.

16. *Elementum de facto non potest augeri in infinitum.*

Secunda conclusio. Nullum elementum de facto est augmentabile in infinitum. Probatur, quia tota massa elementorum inclusa est concavo orbis Lunæ tanquam in loco determinato, ita ut in majori extendi non possit, nec in minori, quia jam relinqueretur vacuum. Igitur impossibile est, quod aliquod elementum augmentetur ultra quantitatem illius loci.

Secundo, si aliquod elementum esset augmentabile in infinitum, tunc sequeretur, quod oporteret ponere materiam infinitam ex qua posset augmentari, quod est impossibile. Ex quibus patet, quod licet nullum elementum per formam suam determinet sibi certam magnitudinem, imo quantum est de se, est augmentabile in infinitum, tamen quodlibet elementum de-

terminatur ad magnitudinem propter defectum loci, aut materiæ, aut utriusque.

17. *Elementum determinatur secundum certam magnitudinem.* Tertia conclusio. Quodlibet elementum determinatur secundum certam magnitudinem, sub qua si esset, vel posset esse, ipsum esset sub perfectissima dispositione, sub qua posset esse secundum magnitudinem. Probatur,quia si omnia,quæ sunt infra concavum orbis Lunæ, essent sine violentia,tunc quodlibet elementum esset sub quantitate, quæ conveniret sibi per naturam.

Quarta conclusio.Ab illa magnitudine sub qua elementum est in sua perfectissima dispositione, potest quodlibet elementum distrahi violenter, scilicet ad magnitudinem majorem, vel minorem. Probatur,quia quandoque regnat constellatio valde calida, quandoque frigida, quod non esset, nisi quia tunc aqua distraheretur a magnitudine perfecta, sub qua esset, si omnia essent sine violentia, quæ essent intra concavum orbis Lunæ. Secundo patet per signum : quia propter hoc quod elementa quandoque sunt majora, quandoque minora, natura ordinavit impressiones meteorologicas, elementorum observantiam in debita proportione, scilicet impressiones aqueas ; ne elementa calida nimis augmententur ; et impressiones ignitas, et ventum, et terræ motum, ne elementa frigida augmententur ultra debitam proportionem.

18. Tunc dubitatur, ex quo quodlibet elementum secundum suam totam substantiam potest distrahi violenter a quantitate, quæ sibi conveniret, si sine violentia esset quandoque ad majus, quandoque ad minus. Utrum sit dare maximam quantitatem, vel minimam a qua potest distrahi violenter ?

Secunda dubitatio est,non de tota sphæra alicujus elementi, sed de parte, utrum sit dare minimam partem sub qua forma elementi possit existere.

Tertia dubitatio, utrum sit dare minimam densitatem, vel raritatem, sub qua possit stare forma ignis, aut alterius elementi.

Ad primam respondetur primo de sphæra ignis, quod in sphæra ignis imaginandi sunt duo termini magnitudinis, 19.
unus a parte convexa, et tunc dico quod est dare maximam circumferentiam, sub qua potest stare forma ignis : quia potest stare sub circumferentia orbis Lunæ, et sub nulla majore. Sed alter terminus imaginandus est a parte concava, et inferiori. Et tunc dico, quod non est dare minimam quantitatem, sive minimam superficiem concavam, sub qua possit stare sphæra ignis a parte inferiori. Probatur, quia tunc sequeretur, quod ignis existens sub tali quantitate non posset comburere stupam sibi approximatam, consequens est falsum : quia ibi non deficit materia, cum stupa sit materia sufficienter disposita, nec deficit ibi locus, cum sphæra aeris sit ibi continua, vel contigua. Ideo dico, quod est dare maximam quantitatem, sub qua non potest stare sphæra ignis a parte inferiori. Probatur, quia ex quo non potest esse sub quantacumque modica quantitate ; et non est dare minimam, sub qua potest esse, igitur sequitur, quod est dare maximam, sub qua non potest esse, et tenet consequentia imaginando totam quantitatem, sub qua potest esse sphæra ignis naturaliter, vel violenter separatam a quantitate, sub qua non potest esse propter parvitatem. Et forte sphæra ignis numquam fuit ita magna versus deorsum, quod continuabatur versus illam distantiam exclusive,sub qua non potest esse propter parvitatem, quæ parvitas provenit non ex repugnantia ignis , sed aliorum elementorum, quæ exigunt locum proportionatum, et debitum.

Secundo dicendum est de aere. Unde dico imaginandi sunt termini sphæræ aeris, 20.
unus scilicet a parte magnitudinis versus sphæram ignis, ad quam non potest attingere naturaliter, vel violenter propter magnitudinem, et alter ab alia parte versus sphæram aquæ,sub quo non potest stare aer naturaliter, vel violenter, propter parvitatem. Et consimiliter dicendum est de aqua, quod terminatur a parte aeris minima, sub

qua non potest esse; et a parte terræ maxima sub qua non. Nec est differentia quoad hoc, sive tota aqua ponatur intercludi infra partes terræ, tanquam infra vasa: sive dicatur, quod aqua circumdat totam terram, excepta una parte, quæ vocatur facies terræ, quam inhabitamus, et qua superferimur aquæ, eo quod non est pure gravis, sed levis propter mixta, quæ sibi immiscentur.

21. De terra dico, quod terra a parte aquæ, et aeris terminatur ad minimum sub quo non potest esse propter magnitudinem, sed a parte infra nullo modo terminatur, quia quantacumque magnitudine data, contingit dare majorem, et sic in infinitum versus centrum. Item notandum quod sicut elementum posset distrahi magnitudine sub qua esset sine violentia, augmentando, ita etiam diminuendo. Verbi gratia, sicut sphæra ignis distrahatur per augmentum ignis in deorsum, ita potest distrahi per augmentum aeris in sursum, et tunc ille idem terminus, sub quo non potest esse aer propter magnitudinem, est terminus ad quem ignis potest comprimi in sursum, et sic quantitas intermedia ab uno termino usque ad concavum orbis Lunæ, est una quasi diameter, sub qua potest esse sphæra ignis.

22. Ad secundam dubitationem dico, quod non est dare minimam partem ignis; quæ possit per se seorsum existere, sed maximam, qua non potest, ut videbitur in alia quæstione.

Ad tertiam dico, quod est dare maximam densitatem, sub qua non potest stare forma ignis; verbi gratia, si ignis comprimatur continue condensando, dato quod non est dare minimam densitatem, sub qua potest stare: quia tunc si applicaretur condensans esset dare ultimum instans rei permanentis in esse. Ideo dico, quod est dare maximam, sub qua non potest stare; et sicut dicitur de igne, ita potest proportionaliter dici de quolibet aliorum elementorum, considerando prædicta.

Ignis per solam compressionem potest corrumpi. Ex isto sequitur, quod per solam compressionem ignis potest corrumpi, et hoc habet videri in lib. de Longitudine et brevitate vitæ, de suffocatione caloris. Secundo sequitur, quod si per imaginationem ignis includeretur in una sphæra lapidea in una parte, et esset una stupa ex alia parte, quod ignis non combureret stupam, nisi frangeretur illa sphæra. Tertio sequitur, quod si omnia, quæ sunt infra concavum sphæræ Lunæ per imaginationem removerentur, et totum esset repletum igne, possibile esset, quod ignis non combureret stupam, si esset sibi applicata, et hoc quia ignis determinat sibi certam raritatem, et densitatem, et ideo requirit locum in quo possit extendi, et hoc de tertio.

Quantum ad quartum gradum est prima conclusio; nullum (f) mixtum perfectum, ut animatum est augmentabile in infinitum. Probatur, quia quodlibet determinat sibi certam figuram, et certam quantitatem secundum suam formam propriam, ut dicit Commentator 3. Cœli, qui per hoc ponit differentiam inter elementa simplicia, et mixta. 23. *Nullum mixtum perfectum est augmentabile in infinitum.*

In omni specie est dare maximum individuum. Secunda conclusio. In qualibet specie, est dare maximum individuum, quod de facto est in illa specie. Probatur, quia aliter esset processus in infinitum in individuis illius speciei.

Tertia conclusio est de possibili: In nulla specie est dare aliquod individuum, ita magnum, quin possit dari aliud majus, imo quin ipsummet possit esse majus. Probatur exemplariter de animali, nam animal potest effici majus per meliorationem circumstantiarum, quæ requiruntur ad vitam, et augmentum, ut puta aeris, nutrimenti, et hujusmodi.

Quarta conclusio. In qualibet specie imaginandi sunt duo termini, unus a parte magnitudinis, et alter ex parte parvitatis exclusive, sub quorum neutro potest esse aliquod individuum illius speciei, sed sub qualibet magnitudine media inter illos terminos potest esse aliquod individuum illius speciei: verbi gratia, in specie humana est dare aliquam quantitatem, sub qua non po- 24.

test esse propter parvitatem, hujusmodi est quantitas pedalis, quæ sit *A*, tunc sunt multæ quantitates sub quarum nulla potest esse homo propter parvitatem, ut semipedalis, quarta pedalis, et ita de aliis, quarum omnium maxima est *A*. Sub *A*, parte magnitudinis sunt multæ quantitates, sub quarum nulla potest esse homo propter magnitudinem, ut sub quantitate 22. vel 30. vel 40. pedum, quarum omnium forte minima est decem pedum, quæ sit *B*. Tunc dico, quod inter *A* et *B* est medium secundum proportionem Arithmeticam, vel Geometricam, sub quo medio si aliquis homo esset, ipse haberet perfectissimam staturam, convenientem naturæ humanæ, quam (ut verisimile est) habuit Christus, et qui excedit istud medium extensive est gigas : et quid deficit ab isto medio est nimis parvus, et si notabiliter deficiat est nanus. Et nota, quod istud medium est diversum secundum diversitatem patriarum.

Christus habuit perfectissimam staturam.

25. ***Res artificiales terminatæ sunt secundum magnitudinem.***

Quinta conclusio. Non solum res naturales terminantur prædictis modis, imo etiam res artificiales, ut domus, pons, vicus, civitas, exercitus, et hujusmodi. Unde recolligendo patet, quod omnia entia, vel sunt composita sicut mixta perfecta, et animata, et talia secundum formas proprias determinant sibi certas magnitudines, et terminantur minimo, sub quo non possunt esse propter magnitudinem, et maximo sub quo non, propter parvitatem ; vel sunt simplicia elementa, et talia non determinant sibi certam magnitudinem secundum formas proprias, sed determinantur a locis, vel propter defectum materiæ, vel sunt accidentia, ut caliditas, et hujusmodi, et talia accidentia terminantur ad maximum gradum possibilem esse ; sed raritas, et densitas quantum de ratione sui sunt augmentabiles in infinitum ; sed ratione corporum, quæ sunt rara, vel densa, sunt augmentabilia solum finite. Sed inæqualitas, dissimilitudo, et hujusmodi sunt augmentabiles in infinitum per diminutionem termini minoris. De numero et magnitudine dicetur in 3. qualiter terminantur, et qualiter non.

ANNOTATIONES

26. ***Magnitudinis, et parvitatis duo sunt termini.***

(a) *Ideo imaginandi sunt duo termini*, etc. Nota duos esse terminos magnitudinis, et alios duos parvitatis : primi duo sunt *maximum quod sic*, et *minimum quod non*, quorum primus est intrinsecus ; secundus vero extrinsecus. *Maximum quod sic*, qui est intrinsecus, est terminus quantitatis sub qua forma naturalis esse potest, et sub nulla majori. *Minimum quod non*, est illa quantitas, sub qua forma naturalis esse non potest, et sub quacumque minori, quæ non sit minor minima, potest. Exemplum primi, homo potest esse sub quantitate quatuor cubitorum, et sub nulla majori potest esse. Exemplum secundi, ut si dicamus hominem non posse esse sub magnitudine sex cubitorum, et posse esse sub quavis minori, nisi sit minor minima. Termini parvitatis sunt *minimum quod sic*, *maximum quod non*. Quorum similiter primus est terminus intrinsecus, secundus vero extrinsecus. *Minimum quod sic* est terminus quantitatis, sub qua forma naturalis esse potest, et sub nulla minori, ut si dicamus, hominis formam esse posse sub quantitate unius cubiti, et sub minori esse non posse. *Maximum quod non* est quantitas, sub qua forma naturalis esse non potest, et sub quacumque majori potest, dummodo non sit major maxima : ut si dicamus hominem non posse esse sub quantitate unius palmi, posse tamen sub majori, quæ non excedat terminum magnitudinis ex his terminis duo affirmativi sunt intrinseci, negativi vero extrinseci.

27. ***Terminus inceptionis rerum est duplex.***

Nota secundo, terminum inceptionis rerum esse duplicem, intrinsecum scilicet, et extrinsecum. Primus vocatur *primum sui esse*, qui est quoddam instans rei, in quo verum est dicere ; in hoc instanti res est, et immediate ante hoc non fuit. Alter terminus, nempe extrinsecus, dicitur *ultimum sui non esse*, quod est instans, in quo verum est dicere ; nunc res non est, et immediate post hoc instans erit, quo pacto incipiunt res successivæ, ut motus ; res vero permanentes substantiales incipiunt per *primum sui esse*. Duplex similiter est terminus desitionis rerum, alter intrinsecus, et appellatur *ultimum sui esse*, qui est instans, in quo verum est dicere, nunc res est, et immediate post hoc non erit, quo pacto desinunt esse, quæ non per motum corrumpuntur. Alter est terminus extrinsecus, qui dicitur *primum sui non esse*, et est instans, in quo verum est dicere, nunc res non est, et immediate ante hoc fuit ; quo pacto desinunt res, quæ non in instanti corrumpuntur, quales sunt res successivæ.

Terminus desitionis rerum est duplex.

Ex hoc sequitur, quod terminus intrinsecus, tam inceptionis, quam desitionis vocatur *primum sui esse* ; terminus vero extrinsecus tam inceptionis, quam desitionis vocatur *ultimum sui non esse*. Terminum intrinsecum vocat hîc Scotus terminum inclusive, extrinsecum vero terminum exclusive appellat. Res igitur permanentes incipiunt per terminum intrinsecum, et desinunt per terminum intrinsecum ; successivæ vero incipiunt per terminum extrinsecum, atque etiam per terminum extrinsecum desinunt. Et ex his patet sensus quæstionis. Quærit enim Scotus, utrum res naturales, quæ per *primum sui esse* incipiunt, possint esse tantæ quantitatis, quod viribus naturæ adhuc majores, et majores esse possint, quod est carere termino magnitudinis, et quod non tam parvæ possint esse, quin possint viribus naturæ minores, et minores esse, quod est carere termino parvitatis ; an potius possint esse tam magnæ, vel tam parvæ, quod etiam per vires naturæ majores, vel minores esse nequeant, quod est habere terminos magnitudinis, et parvitatis. Primum examinatur in hac quæstione. Secundum in sequenti quæstione explicabitur.

Explicatio tituli quæstionis

28. (b) *Quæ sive sint distinctæ, sive indistinctæ*, etc. Nota quod Henricus de Gand. Quodl. 9 quæst. 3. et Quodl. 5. quæst. 6. et 7. et Quodl. 7. quæst. 1. asserit, quod omnis relatio est eadem realiter cum fundamento. Hanc sententiam sequitur Ocham in Quodl. et tota schola Nominalium, quam defendit Sotus in Prædicamentis cap. de Relation. quæst. 2. affirmans insuper relationem distingui formaliter a fundamento ; oppositam tamen sententiam tenet Scotus in 2. Sententiarum, d. 1. q. 5. ubi probat relationes, quarum fundamentum potest esse sine termino talium relationum, atque etiam sine relatione realiter distingui a suis fundamentis, ut sunt omnes relationes de Prædicamento *ad aliquid* ; relationes vero quarum fundamenta non possunt esse sine termino, et relatione, esse idem realiter cum fundamentis, quam sententiam quoad primam partem defendit Cajetanus 1. par. quæst. 28. art. 2. et eamdem affirmat esse sententiam D. Thom. ibidem ad secundum, dicentis, Id quod invenitur in creatura præter id, quod continetur sub significatione nominis relativi est alia res. In Deo autem non est alia res, etc.

29. (c) *Nulla qualitas prima, aut consequens*, etc. Nota quod qualitates terminantur ad maximum quod sic, secundum intensionem, non autem quoad minimum secundum remissionem. Prima pars patet, quia intensio est intima qualitatis perfectio, omnis autem perfectio intima est intrinsece limitata, atque adeo qualitates in intensione ad maximum terminantur. Secunda pars ex eo apparet, quia qualitates habent esse, et producuntur per motum, cujus non datur primum esse, et per consequens neque in qualitatibus datur minimum : cum itaque non detur minimum in qualitatibus secundum extensionem, ita neque secundum intensionem. Item agens naturale prius agit in partes propinquas, quam in remotas ; verbi gratia, ignis quando calefacit aerem, quanto partes aeris sunt remotiores, tanto erunt minus calidæ : modo in partibus aeris non potest dari pars tam minima, quin possit dari minor, ita non potest dari minor calor, quin minor. Hoc tamen intelligas considerando qualitates secundum se, et ratione sui, non autem secundum instantaneam productionem, qua producuntur : nam hoc modo in illis datur minimum quod sic, quia forma substantialis non generatur sub minori qualitate, vel dispositione.

Qualitates terminantur ad maximum quod sic, secundum intensionem, sed non ad minimum secundum remissionem.

30. (d) *Ignis de facto habet caliditatem summam*. Nota quod variæ sunt sententiæ, quomodo unum quodlibet elementum habeat unam qualitatem in summo, et quænam sit illa. Niphus, et quidam alii affirmant elementa utramque qualitatem in summo habere : quia si aliqua esset remissa, esset mixta cum sua contraria, et sic nisi ignis esset summe siccus, esset etiam humidus, atque ita de aliis.

Secunda sententia est dicentium unam qualitatem in elementis esse summam, aliam non summam, sed remissam, mixtam tamen sua contraria, ita ut tantum habeat de contraria, quantum deficiat de propria usque ad summum gradum. Nos autem dicimus unumquodque elementum habere unam qualitatem in summo, et aliam prope summum sine admixtione contrariæ qualitatis, quia aliter non posset esse mixtio : nam si omnes qualitates essent in summo, æque agerent contraria, nullaque ibi esset actio, ubi neque minimus datur excessus ; addas quod si aer esset summe calidus, non esset ex se temperamentum medium in animalibus, neque esset aptus respirationi, quod dicendum non est.

Elementum habet unam qualitatem in summo, et aliam prope summum.

31. Sed quænam est illa qualitas, quam in summo elementum quodlibet sibi determinat ? Quidam dicunt aerem esse summe frigidum, et nullo modo calidum, quia in media regione aeris ob nimiam frigiditatem congelantur nubes, et generatur nix, et grando. Valesius 3. Controversiarum cap. 3. asserit aerem esse summe humidum, non tamen calidum, neque frigidum, sed mediæ, et temperatæ naturæ : et ratio est, quia facile transmutatur ad utrumque extremum, scilicet a frigido in calidum, et e contra. Quidam Thomistarum sequentium Avicennam dicunt terram esse summe frigidam, quia ignis est calidissimus, qui est propinquior cœlo ; ergo, terra, quæ est a cœlo remotissima, frigi-

dissima erit. Galenus (ut nonnulli dicunt) affirmat aquam esse summe humidam, et frigidam prope summum : quia quando congelatur recipit majorem frigiditatem, quam habebat, atque adeo non erat summe frigida : quia summo non fit additio. Et quod sit summe humida patet ; quia magis humectat, quam aer, et quia aqua potest non frigefacere, sic est minus frigida, non potest autem non humectare. Nos vero dicimus, quod ignis est summe calidus, et prope summum siccus : aer summe humidus, et prope summum calidus, aqua summe frigida, et prope summum humida. Terra autem est summe sicca, et prope summum frigida. Hæc omnia probata atque improbata reperies in scriptis nostris super 2. lib. de Generatione cap. 3. quæst. 1.

Ignis est summe calidus, et prope summum siccus.

32. *Res naturalis duobus modis potest habere terminum.*

(e) *Quolibet elementum de sui natura est augmentabile in infinitum.* Nota quod dupliciter aliquid potest habere terminum, vel ex parte formæ, et sic habent terminum viventia, quia partes viventis sunt organicæ, et organum ordinatur ad certum, et determinatum opus, est autem contra rationem organi, quod sit infinitæ quantitatis, et hoc modo non habent terminum non viventia, quia non habent organa sicut ignis, quapropter non repugnat quod ignis ex parte formæ crescat in infinitum. Secundo modo terminus est ex parte materiæ, ita ut tota materia illius, quod faciendum est, consumatur in illo; sicut in cælis, tota materia cælestis consumpta est in illis, et sic habent terminum ex parte materiæ : ita ut si modo deberent crescere, necesse esset creare novam materiam cælestem. In rebus autem inferioribus materia est finita, et sic quantumvis aliqua res crescat, erit augmentum determinatum.

33. Est tamen discrimen inter hanc determinationem ex parte materiæ, et illam quæ est ex parte formæ, quod indeterminatis ex parte formæ non repugnat crescere, quia non habent organa : et si per impossibile daretur illis materia infinita, crescerent in infinitum, et hoc est quod Aristoteles fatetur de igne 2. de Anima, text. 41. quod scilicet cresceret in infinitum, si combustibilia illi applicarentur in infinitum, augmentum quidem hujusmodi in infinitum ex parte formæ est. Illis autem quibus ex parte formæ, quia sunt organica, repugnat hujusmodi augmentum in infinitum, est etiam repugnantia ex parte materiæ : quia non quælibet, et quantalibet a qualibet forma informari potest. Unde in his, et ex parte materiæ, et ex parte formæ dandus est terminus. Quod intendit Aristoteles 2. de Anima, text. 41. quando dicit, quod omnium natura constantium datur terminus magnitudinis, et augmenti, id est, quod viventia utraque ex parte terminantur, ex parte scilicet materiæ, et ex parte formæ. Ignis vero non ex parte formæ, sed materiæ, ac etiam loci, ut docet hic Scotus.

(f) *Nullum mixtum perfectum ut animatum est augmentabile in infinitum.* Nota primo, quod dupliciter potest convenire alicui viventi magnitudo, aut parvitas, primo tamquam a principio naturali intrinseco, et hæc appellatur magnitudo, et parvitas via generationis, et conservationis. Secundo potest convenire ab extrinseco, sive ab aliquo accidente corruptivo, ut si aliquis homo tumesceret per hydropem, vel morsum aspidis, vel marcescat, et fiat gracilis aliqua infirmitate, et hæc appellatur magnitudo, et parvitas via corruptionis. 34. *Viventibus dupliciter quantitas convenire potest.*

Nota secundo, quod corpora viventia via generationis terminantur intrinsece per maximum quod sic, quoad magnitudinem, et per minimum, quod sic quoad parvitatem, ita ut ad generationem, verbi gratia, hominis datur determinata quantitas in magnitudine, ultra quam forma hominis, quando generatur, nequeat informare, et etiam sit dabilis minima, quæ sufficiat ad generationem, ultra quam alia minor non sufficiat. Primum probatur, quia si non terminarentur per maximum quod sic, sed per minimum quod non, sequeretur, quod substantia vivens inciperet per ultimum sui non esse, quod est absurdum. Probatur sequela, si terminaretur per minimum quod non, daretur quantitas, quam non posset hominis forma informare in generatione, id est, in qua non posset homo generari propter suam magnitudinem, et in quacumque minori posset, sit ergo illa quantitas, in qua non, unius cubiti, incipiatque minui, cum motus ille diminutionis incipiat per ultimum non esse ; quia omnis motus hoc modo incipit, dabitur instans in quo sit verum dicere, nunc non est motus diminutionis, et immediate post hoc erit ; ergo etiam nunc nihil est diminutum hujus quantitatis, et immediate post hoc instans aliquid erit diminutum, et proinde quantitas erit minor, sed in quacumque minori quantitate homo potest generari, quia nihil deerat generationi ; ergo verum erit dicere in illo eodem instanti, nunc non est homo, et immediate post hoc erit, quod est incipere per ultimum non esse. 35. *Viventia quomodo habeant terminum magnitudinis, et parvitatis.*

Secundum probatur, scilicet quod terminentur quoad parvitatem. Pariformiter non in quantacumque pauca quantitate potest generari, ergo danda est aliqua determinata in parvitate, in qua possit. Sit verbi gratia, quantitas unius digiti, quam propter parvitatem forma non possit informare, tunc augeatur illa quantitas continue, donec veniat ad quantitatem requisitam pro introductione formæ viventis. Tunc sic, vel dabitur primum instans talis animæ in materia illa sic quanta, vel non. Secundum non 36.

potest dari, quia incipiunt hujusmodi res per primum sui esse, ergo est dandum primum, ergo in tali instanti datur minima quantitas, in qua potest generari tale vivens, et introduci talis anima, quia in nulla minori.

QUÆSTIO XIII

Utrum in qualibet specie sit dare minimum naturale

Vide auctores citatos *quæst. præcedenti. Scotus* 6. *Phys. quæst.* 10. *et* 5. *Metaphys. quæst.* 9.

1. Arguitur quod non : quia quodlibet ens naturale est indivisibile in infinitum, igitur quocumque dato est dare minus, et per consequens non est dare minimum.

Secundo, per Aristotelem in 4. Cœli, text. 27. ubi dicit, quod omni gravi est gravius ; modo si esset dare minimum grave, tunc non esset gravius aliquo alio.

Tertio, per Aristotelem in isto primo, text. 39. ubit dicit, quod Anaxagoras posuit quod non omnia possunt esse segregata ab invicem, et in hoc dicit Aristoteles, quod verum dixit propter duo; primo, quia passiones sunt inseparabiles a suis subjectis. Secundo, quia non est minima magnitudine, et quod quodlibet ens naturale sit magnitudine vel magnum, sequitur, quod nullum ens naturale sit minimum.

2. Quarto, quia vel esset dare minimum in generatione, vel in permanentia ; non in generatione, quia quantacumque materia data adhuc minor illa, si poneretur in igne, corrumperetur, et consequenter converteretur in materiam ignis. Non in permanentia, quia quocumque parvo dato, quod potest durare per tempus in aliquo medio, adhuc minus illo potest durare per minus tempus, et in medio melius disposito.

Quinto, quia vel esset dare minimum inexistens, et hoc non, cum quodlibet ens naturale sit divisibile in infinitum ; vel minimum seorsum existens, et separatum, et hoc non : quia illud successive generabatur, igitur non est minimum, quod separatum possit per se existere. Antecedens patet, quia agens naturale prius disponit partem propinquam materiæ, quam remotam. Consequentia probatur, quia si generabatur successive, tunc in prima parte successionis causat aliquod quantum, quod tunc separatum existebat.

Sexto, si esset dare minimum naturale, sit ille ignis, tunc sequitur, quod esset aliquis ignis, ex quo non posset generari aliquod aliud elementum ; consequens est falsum, quia quilibet ignis, ad quodlibet aliud elementum habet contrarietatem, et communicat in materia. Consequentia patet, quia si ex illo igne minimo generaretur aliud elementum, sit ille aer, vel ergo iste aer est minimus, et tunc per Arist. text. 25. in 2. de Generatione, ex isto poterunt generari decem minima ignis, et tamen ponebatur aer generari ex uno solo, vel aer ille est major minimo, et hoc est impossibile, vel minor minimo, et hoc est impossibile.

Septimo. Si tali minimo applicaretur destruens, vel maneret per tempus, vel corrumperetur subito : non subito, quia tunc fieret corruptio, nulla alteratione prævia præcedente, si maneret per tempus, tunc sequeretur, quod esset dare minus minimo, quod est impossibile. 3.

Octavo, quia si esset minimum, sequeretur quod esset aliquod animal, a quo nulla ejus pars posset auferri sine corruptione, consequens est falsum per experientiam, unde animal non moritur propter modicam ablationem carnis, vel cutis, et patet consequentia, si daretur minimum animal.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo, text. 38. ubi arguendo contra Anaxagoram supponit esse minimam carnem, et per hoc probat, quod non quodlibet est in quodlibet.

Secundo per Aristotelem 8. hujus, ubi dicit, quod agentia naturalia non possunt agere sub quacumque modica magnitudine, sicut millesima pars grani milii, non potest causare sonum, quod non esset nisi talia entia terminarentur ad minimum in parvitate.

Tertio per Aristotelem in lib. de Sensu, et sensato, ubi vult, quod sensibilia non possunt sentiri sub quacumque parva magnitudine, quod non esset nisi terminarentur ad minimum ex parte parvitatis.

4. *Divisio quæstionis.* In quæstione primo videbitur de corporibus simplicibus homogeneis, et de mixtis homogeneis. Secundo videbitur de heterogeneis.

In corporibus simplicibus dare minimum contingit dupliciter. Elementum potest bifariam permanere. Quantum ad primum, sunt duæ distinctiones, prima est, quod in corporibus simplicibus dare minimum intelligitur dupliciter; uno modo in generatione (a), et tunc sensus quæstionis est, utrum sit dare minimam materiam, sub qua potest aliquod elementum permanere. Secunda distinctio quod elementum potest permanere dupliciter; uno modo tendendo ad corruptionem, et hoc est quando continens elementorum dominatur super ipsum. Alio modo non tendendo ad corruptionem, puta quando elementum per suas qualitates dominatur super dispositiones continentis. Tunc ponuntur conclusiones.

5. Prima est. Non est dare minimam materiam sive magnitudinen, sub qua possit elementum, aut aliquod homogeneum generari. Probatur, quia quodlibet (b) elementum, vel homogeneum mixtum generatur successive per partem ante partem; igitur ante omnem partem materiæ datam, vel dabilem, sub qua generata est forma elementi, adhuc prius sub parte minori illa, generabatur elementum, et sub minori illa, et sic in infinitum. Tenet consequentia, quia nullius generati successive est dare primam partem; imo cujuslibet partis prius sua medietas generabatur. Et antecedens apparet, quia hujusmodi elementa, et homogenea mixta generantur ab extrinseco, cum non habeant in se ipsis principium suæ generationis, ut patet per Commentatorem secundo hujus, comm. 3. modo agens extrinsecum prius disponit partem materiæ propinquam sibi, quam remotam, et per consequens in illam prius introducit formam, quam in remotam.

6. Secunda Conclusio. Cum certis circumstantiis est dare minimum elementum, quod potest permanere non tendendo ad corruptionem, verbi gratia, quod sit in tali medio tantæ virtutis, et cum tanta applicatione : quia non est dubium, quod redacto medio ad meliorem dispositionem minus illo posset permanere. Probatur conclusio, quia aliquando medium excedit elementum, quod continetur, et aliquando contra elementum habet dominium super continens ipsum, tunc capiatur mensura materiæ, in qua virtus continentis est æqualis virtuti contenti, scilicet elementi. Tunc arguitur sic : Istud elementum cum tanta virtute, et tali applicatione potest permanere in isto medio non tendendo ad corruptionem, nec aliud minus isto potest permanere cum tanta virtute medii non tendendo corruptionem ; igitur istud est minimum elementum, quod potest permanere in tali medio cum talibus circumstantiis. Et si dicatur, ista ratio non probat, nisi quod est dare minimam virtutem, sub qua potest stare elementum non tendendo ad corruptionem, et non probat de magnitudine; dico quod imo, quia in casu prædicto, ubi elementum continens, et contentum essent æqualia in virtute, si contentum diminuatur in magnitudine, continens habebit dominium : quia magnitudo multum confert ad virtutem, et ad actionnes, et passiones rerum naturalium.

7. *Non est dare minimum elementum permanens tendendo ad corruptionem.* Tertia conclusio. Non est dare (c) minimum elementum permanens tendendo ad corruptionem : quia quodlibet elementum corrumpitur successive, igitur quantacumque parte permanente data, adhuc minor illa permanebit, et minor illa. Tenet consequentia, quia cujuslibet partis corrupta medietate manet alia medietas, et corrupta medietate illa, manet sua medietas, quæ est minor, et sic in infinitum. Et sic patet qualiter in elementis simplicibus est dare minimum, et qualiter non, et hoc de primo.

Minim[...] materi[...] dari pot[...] sub qua [...] Quantum ad secundum de heterogeneis animatis, cujusmodi sunt animalia, et plantæ, ponitur ista suppositio, quod non

...erari potest mixtum heterogeneum. ex aliqua quantacumque modica materia, potest aliquod istorum generari. Patet inductione : quia videmus semen in plantis determinatæ magnitudinis, etiam non est verisimile, quod asinus possit generari ex tanta materia, quanta est granum milii. Hoc supposito ponitur ista conclusio, quod est(d)dare minimam materiam sub qua mixtum heterogeneum generari potest. Probatur, quia est aliqua materia sub qua non potest generari per suppositionem, et est aliqua materia sub qua potest. Tunc igitur vel est dare minimam materiam sub qua potest generari, vel maximam, a sufficienti divisione ;. si minimam, habetur propositum. Si maximam sub qua non ; contra dupliciter, primo quia sub ista materia non potest introduci forma asini, sed sub qualibet majori, igitur ista materia nunc est indisposita, et pono quod materia continue augmentetur, igitur ipsa est prius, quam ista materia fuerit disposita : igitur non sub qualibet majori materia potest introduci forma asini, quod est contra positum. Secundo, si esset dare maximam sub qua non, sequeretur, quod nullius rei permanentis mixtæ posset dari primum instans sui esse. Nec est cura ad propositum, sive instans sit aliquid, sive nihil : nec ideo habet majorem efficaciam, vel minorem, ut patebit super 6. q. 3. Modo consequens est falsum, quia per hoc differt res permanens a successiva : nam in rebus successivis est dare ultimum instans non esse, et in rebus permanentibus primum instans sui esse : et probatur consequentia, quia sub ista materia non potest produci asinus, et immediate post hoc sub majori producitur, igitur hoc est ultimum instans non esse asini ; modo impossibile est, quod ejusdem rei sit dare ultimum instans non esse, et primum instans esse, quia illa instantia essent immediata.

8. *Non est dare minimam materiam sub qua mixtum heterogeneum possit permanere.* Secunda conclusio ; Non est dare minimam materiam, nec etiam dispositionem minimam sub qua mixtum heterogeneum dossit permanere. Probatur, si in primo instanti esse mixti alicujus heterogenei applicetur sibi aliquod diminuens, et tunc vel corrumperetur subito, et hoc non, quia non præcederet alteratio prævia ad corruptionem. Vel permaneret per tempus, et tunc sequitur, quod posset stare sub minori dispositione, seu sub minori quantitate, quam generabatur ; et tunc si in illis quantitatibus minoribus sit dare minimam, sub qua potest esse, sequitur quod subito corrumpetur si applicetur diminuens, similiter quod est dare ultimum instans rei permanentis esse, quæ sunt impossibilia.

Tertia conclusio, Quælibet res heterogenea, imo etiam homogenea, et simplex potest stare sub minori quantitate, quam generabatur, et sub minori dispositione sibi convenienti, quam generabatur. Probatur ex prædictis conclusionibus, quia per primam conclusionem est dare minimam materiam, sub qua corpus heterogeneum potest generari, et per secundam non est dare minimam sub qua possit permanere, igitur si in primo instanti esse illius rei sit applicatum contrarium corrumpens, vel diminuens, cum non sit dare ultimum instans esse ejus, et cum non possit manere per solum instans, sequitur, quod manebit sub minori dispositione, quam generabatur.

9. Secundo patet per experientiam, quia aer non potest generari, nisi mediante moderato calore, et tamen potest permanere sub valde intensa frigiditate, et etiam sub valde intensa caliditate. Similiter vitrum, ad cujus generationem requiritur intensa frigiditas valde, potest stare sub frigiditate remissa, imo etiam sub caliditate valde intensa.

Contra primam conclusionem arguitur : quia forma asini generatur successive, igitur non est dare minimam materiam, sub qua potest introduci. Antecedens patet, quia materia prius disponitur per unam partem, quam per alteram, et per consequens forma prius introducitur in unam partem, quam in aliam, vel materia stabit disposita sufficienter non introducta forma

quod est falsum. Consequentia probatur, quia quantacumque materia data in qua introducta est forma asini, adhuc in medietate illius introducta est forma ; et sic in infinitum, igitur nulla est minima.

Secundo, quia si materia sit disposita per qualitates statim per tempus forma non introducta, sequitur quod nunquam introduceretur : quia illa caliditas est approximata materiæ dispositæ ad receptionem formæ, igitur continue indisponit illam materiam : modo in materiam indispositam non potest introduci.

10. Tertio, quia vel respectu cujuslibet individui alterius speciei esset alia, et alia materia minima, sub qua hujusmodi forma potest introduci, vel respectu omnium individuorum ejusdem speciei esset eadem materia minima.

Quarto, per præcedentem quæstionem apparet, quod cujuslibet speciei magnitudo terminata est duobus terminis exclusive, scilicet maximo sub quo non, a parte parvitatis, et minimo sub quo non, a parte magnitudinis ; modo si sit dare minimam materiam, tunc non terminatur exclusive a parte parvitatis, sed inclusive.

Quinto, contra tertiam conclusionem. Si mixtum heterogeneum potest stare sub minori quantitate, quam generabatur, sequitur, quod senex potest naturaliter esse sub minori quantitate, quam esset tempore sui exitus de utero matris, quod est falsum, ut apparet. Consequentia probatur, quia illa est quantitas sub qua generabatur, et cum possit stare sub minori, sequitur quod potest reverti ad illam minorem.

Sexto sequitur, quod infans posset esse omnino taliter dispositus sicut embryo ante generationem, consequens est falsum, quia differunt ab invicem secundum speciem ; modo res diversas secundum speciem consequuntur dispositiones secundum speciem : et patet consequentia, posito quod statim post suam generationem applicetur agens reducens ipsum.

11 Ad ista. Ad primum conceditur antecedens, et negatur consequentia. Unde ( ) concedo, quod forma asini generatur successive per partem ante partem, et ideo dico, quod non est dare minimam materiam, nec maximam, sub qua non introducatur aliqua pars formæ asini : imo quantacumque parte data, sub qua introducitur pars formæ asini, sub minori in infinitum introducitur pars formæ asini. Sed forma asini non producitur nisi materia sit complete disposita qualitate, et quantitate simul, et tunc est minima materia, sub qua potest introduci.

Ad secundum dico, quod materia stat per tempus disposita per qualitates, quo non introducitur forma asini, eo quod deficit dispositio secundum quantitatem : sed hoc esset impossibile, nisi continue sicut partes materiæ disponuntur, partes formæ asini introducerentur, et ideo calor non indisponit, propter partes formæ introducendas.

Ad tertium potest dici, quod verisimile est, quod non est eadem una materia respectu omnium individuorum ejusdem speciei : quia non apparet verum, quod materia ex qua generatur unus magnus gigas, sit æqualis materiæ, ex qua generatur nanus.

Ad quartum dico, quod in alia quæs- 12.
tione dictum fuit, quod cujuslibet speciei latitudo magnitudinis, sub qua potest stare aliquod individuum alicujus speciei terminata est exclusive, tamen latitudo magnitudinis, sub qua potuit generari, terminata est inclusive, et ideo in hoc differentia est de generatione, et permanentia.

Ad quintum nego consequentiam, quia propter magnas alterationes, et longas in qualitatibus primis non potest reduci ad illam magnitudinem.

Ad sextum dico, quod duplices sunt qualitates, quædam primæ, et consequentes primas ; aliæ secundæ et consequentes formas substantiales, ut virtus, qua adamas attrahit ferrum, est qualitas consequens formam substantialem adamantis. Tunc dico, quod infans potest habere consimiles

qualitates primas, et consequentes primas qualitates embryonis, sed non potest habere qualitates consimiles, quæ consequuntur formam specificam.

13. Nunc ad rationes. Ad primam concedendum est, quod non est dare (f) minimam partem inexistentem. Et consimiliter ad secundam, quod non est dare (g) minimum grave, sed aliud grave inexistens minus, scilicet pars sua.

Ad tertiam concedo, quod est minima magnitudo inexistens, sed bene est minima separata, aliter in magnitudinibus separatis esset processus in infinitum.

Ad quartam dico, quod in homogeneis non est dare minimum in generatione; sed in heterogeneis tantum. De permanentia dico, quod non est dare minimum in permanentia; sed in heterogeneis bene est dare minimum permanens, quod non tendat ad corruptionem cum aliquibus circumstantiis, scilicet non est dare minimum tendens ad corruptionem.

14. Ad quintam dico, quod non est dare minimum inexistens; sed de minimo separato dico, quod in simplicibus non est dare simpliciter minimum potens manere, nisi cum certis circumstantiis. Sed in heterogeneis est dare minimum, quod potest generari, sed non minimum, quod potest permanere.

Ad sextam. Si applicetur diminuens, etc. dico quod corrumpitur successive, ideo potest manere sub minori quantitate, et priori dispositione, quam erat quantitas et dispositio sub quibus generabatur.

Ad septimam dico, quod non est dare minimum ignem inexistentem, nec minimum separatum potentem manere tendendo ad corruptionem; sed est dare minimum ignem potentem permanere in tali medio cum tanta contrarietate, et tanta applicatione, et cum aliis circumstantiis. Et cum hoc potest concedi, quod non ex quolibet seorsum accepto et separato potest generari aliud elementum; sed oporteret, quod esset continuatum cum alio igne.

Ad octavam, negatur consequentia; quia licet sit dare minimam materiam, sub qua potest permanere, et ideo dato, quod corrumpatur una pars, non corrumpitur subito; sed postea manebit.

ANNOTATIONES

(a) *Uno modo in generatione*, etc. Nota quod hic deficit primum membrum distinctionis; distinctio enim ut ex conclusionibus apparet, debet esse talis, scilicet, in corporibus simplicibus dare minimum intelligitur dupliciter. Uno modo in generatione, et tunc est sensus: utrum sit dare minimam materiam, quæ sufficiat ad generationem, sub qua scilicet possit elementum, aut aliquod homogeneum generari. Alio modo in permanentia, et tunc est sensus, utrum sit dare minimam materiam, sub qua potest aliquod elementum permanere. 15.

(b) *Quodlibet elementum, vel homogeneum mixtum generatur successive.* Nota, quod Ludovicus Lemosius super primum librum de morbis medendis Galeni quæst. 7. tenet hanc conclusionem: Generatio fit in tempore, et non in instanti, et sensus est quod forma substantialis acquiritur, aut deperditur successu temporis, habetque quosdam gradus, qui successive acquiruntur, sicut qualitates, quæ per motum acquiruntur, et probat suam sententiam nonnullis auctoritatibus Aristotelis, ex quibus infert, quod mutationes quibus disponitur materia ad formam substantialem, est generatio simpliciter, habens pro per se termino formam substantialem. Secundo infert mutationem illam instantaneam (qua forma substantialis in materiam introducitur) sive introductionem ipsius formæ dici potius ultimum generatum esse, quam generationem, sicut in fine motus dicitur mutatum esse. Cæterum opposita sententia est doctrina Peripatetica, et communis in omni schola doctissimorum virorum, scilicet quod generatio sit mutatio instantanea, et non successiva. Quomodo autem possit dici successiva, ut videtur supponere Scotus in hac quæstione, subtilissime explicat ipsemet Doct. 1. et 2. quæst. hujus quinti. Sustine ergo usque ibi. 16.

(c) *Non est dare minimum elementum permanens*, etc. Sensus est quod corpora non viventia via generationis, et conservationis non terminantur intrinsece, neque extrinsece per minimum quod sic, neque per maximum quod non, sed quovis minimo dato, potest dari minor. Hæc conclusio est contra Scotum 1. Physic., est tamen Scoti hic, et in 2. d. 2. quæst. 9. quæ sic potest confirmari: Hujusmodi corpora non habent terminum magnitudinis, ut probatum est in præcedenti quæstione, ergo neque ha- 17.

bent terminum parvitatis. Probatur sequela, ex eo quod non habent terminum in magnitudine : quia cum parte materiæ crescit pars formæ, sed in materia quanta non datur minimum ; ergo neque in forma. Minor probatur per Aristot. 5. Metaph. cap. 13. dicentem : Continuum est divisibile in partes, quarum unaquæque potest esse hoc aliquid : sed corpora non viventia sunt quædam continua ; ergo quæcumque eorum pars potest existere separata, atque ita non dabitur tam parva quantitas, in qua possit generari, aut conservari forma ignis, quod in minori non possit, et in minori usque in infinitum. Præterea non est intelligibile aliquod esse quantum, quin sit ex partibus, neque quod sit ex partibus, quin pars sit minor toto ; et ita non est intelligibile, quod aliquid sit quantum, et non divisibile, ita ut non sit aliquid in eo minus eo modo existens : neque etiam potest poni aliqua caro simpliciter indivisibilis in tota carne : quia sicut punctus separatus non faceret quantum separatum : ita neque caro punctualis, si esset cum alia faceret aliquid majus.

18. (d) *Est dare minimam materiam, sub qua mixtum heterogeneum generari potest.* Verbi gratia, hominis datur minima materia, quæ sufficit ad generationem, ultra quam alia minor non sufficeret. Probatur, quia non in quacumque parva potest generari ; ergo danda est aliqua determinata in parvitate in qua possit. Sit verbi gratia quantitas unius fabæ quam propter parvitatem forma non possit informare : augeatur tunc illa quantitas continue donec veniat ad quantitatem requisitam pro introductione formæ. Tunc sic, vel dabitur primum instans talis formæ in materia illa sic quanta, vel non. Secundum non potest dari, quia incipiunt hujusmodi res per primum sui esse, ergo est dandum primum; atque adeo in tali instanti datur minima quantitas, in qua potest generari tale vivens, et introduci talis anima, quia in nulla minori ; alias nulla quidditas est primum esse illius formæ.

19. *Generatio non eodem modo fit in homogeneis, et in heterogeneis.*

(e) *Concedo, quod forma asini generatur successive per partem ante partem.* Nota, quod alia est consideratio generationis substantiæ in homogeneis ; et aliam heterogeneis. In illis, id quod generatur tempore quo forma extenditur per materiam secundum eamdem rationem, generatum est secundum partem, et sic quando forma ignis extenditur per materiam ante quemlibet ignem genitum generabatur ignis, et ante quodlibet generare erat ignis genitus ; et hoc est, quod dicit Aristot. 6. Physic. cap. 6. ubi inquit, *ne esse est id, quod fit, factum esse, et id quod factum est, necesse est fieri prius* : et subdit, *semper enim est ipso corrumpi corruptum esse prius, ipso autem corruptum esse corrumpi.* In heterogeneis autem secus : quia secundum partes generantur. Prius enim generatur cor, quam cæteræ partes : atque ita in istis partibus cum non sint infinitæ aliqua prius generatur, antequam nulla generabatur. Sed nihilominus dicendum est, quod semper præcedit alteratio quamlibet etiam particularem generationem ; ac proinde accipiendo generationem pro prævia dispositione est divisibilis, non autem accepta pro ipsa formæ introductione. Quamvis enim intrinsece alteratio non terminetur ad substantiam, sed ad qualitatem, satis est extrinsece terminetur ad illam, ut nomine generationis potiatur. Accipit ergo hic Scotus generationem pro præviis mutationibus, et alterationibus, quæ continuantur cum generatione ; vel dicit generationem esse successivam, propter partes quantitativas subjecti, sive illius quod generatur, et non propter gradus formæ substantialis: nam cum omnis generatio sit a principio extrinseco, et etiam omnis corruptio substantiæ, sequitur quod omnis mutatio ad substantiam fit successive : quia agens extrinsecum prius disponit partem passi sibi propinquam, quam remotam ; et per consequens prius introducit formam in partem propinquam, quam remotam, quia nunquam introducitur forma nisi in subjecto disposito.

20. *Minim natur bifari conside- ri potes*

(f) *Non est dare minimam partem inexistentem.* Nota quod minimum naturale potest considerari dupliciter ; primo ut inexistens, et esset illud, quod non potest separatim existere extra totum. Secundo ut per se existens, et est illud quod si separaretur a toto, adhuc posset conservari in esse. Secundo nota, quod minimum potest adhuc bifariam considerari, uno modo, ut est quoddam ens naturale : alio modo, quatenus est quoddam quantum. Minimum inexistens tam in homogeneis quam in heterogeneis non est dabile : quia quacumque parte carnis data, illa est corpus, et per consequens habet partes, et cum pars sit minor toto, sequitur quod nulla caro, aut pars carnis potest esse minima. In heterogeneis autem minimum per se existens necesse est dare : quia in illis forma substantialis determinat sibi certam, et determinatam quantitatem, sicut et certas dispositiones in materia : secus est in homogeneis, in quibus minimum per se existens, quatenus est quoddam quantum, dari non potest, sed quatenus est ens naturale minimum per se existens, necesse est dari, et ideo dicit hic Scotus in responsione ad tertium, quod non est minima magnitudo inexistens, sed bene est minima separata, quatenus (supple) est conjuncta cum ente naturali. Vide tamen Scotum in 2. d. 2. quæst. 9. ad secundum sub littera D. ubi

sustinet non dari minimum naturale.

(g) *Non est dare minimum grave*, etc. Nota, quod omne grave subsistens seorsim, et divisim, est gravius aliquo gravi in toto inexistente, et conjuncto alteri gravi, sed non vult dicere Aristoteles quod omne grave seorsim existens sit gravius aliquo gravi seorsim existenti.

QUÆSTIO XIV

Utrum potentia activa terminetur per maximum in quod potest

Aristot. *hîc text.* 35. *et* 1. *de Cœlo text.* 116. *et* 117. Averroes *ibid.* Simplic. *comm.* 35. Alber. Nyphus, Thenen. *in* 1. *de Cœlo.* Conimbricen. *ibidem quæst.* 1. *art.* 2. Antonius Roccus *quæst.* 24. Ruvius 1. *Phys. cap.* 4. *quæst. n.* 86. Mendoza *in Phys. disp.* 8. *et* 9. *sect.* 7.

Arguitur quod sic : quia quælibet po-
1. tentia activa naturalis agit secundum ultimum sui conatus, igitur est dare maximum in quod agit. Tenet consequentia, quia si posset agere in majus, tunc ageret secundum minorem conatum, et per consequens prius non egit secundum totum conatum. Antecedens apparet : quia per hoc differt potentia activa naturalis a libera.

Secundo, quia Intelligentia movens orbem terminatur per maximum in quod potest agere, igitur et quælibet alia potentia activa. Tenet consequentia, quia Intelligentia est regula omnium aliarum potentiarum, et per consequens terminatio ipsius infert terminationem in aliis : et antecedens apparet per Commentatorem 1. Cœli, ubi dicit, quod mobile est adeo proportionatum Intelligentiæ, ut si adderetur ala unius muscæ, non posset moveri.

Tertio, accepto uno pondere, quod So-
2. crates potest portare, vel illo pondere majus Socrates potest portare, et illo majus, et sic in infinitum, vel aliquando est status. Si ad aliquod pondus sit status, tunc illud est maximum, quod potest portare, et habetur intentum. Si procedatur in infinitum, et cum per talem processum quodlibet pondus finitum potest resecari, sequitur quod quodlibet pondus finitum Socrates potest portare, quod est falsum.

Quarto, per Aristot. 1. Cœli, text. 116. et 117. et Commentatorem, qui volunt, quod potentia activa terminetur per maximum in quod potest, ut si Socrates potest portare centum libras, et non plures; tunc centum libræ erit maximum pondus, quod Socrates potest portare.

Oppositum arguitur. Quia si potentia activa agit in aliquod, igitur excedit illud, et cum excessus ille sit divisibilis, sequitur quod minori excessu possit in unum magis resistens agere, et per consequens illud datum non erat maximum, et ita argueretur de quolibet.

Potentia activa potest comparari ad sex circumstantias.

Notandum, quod potentia activa potest comparari ad sex circumstantias, scilicet ad resistentiam in qua agit, ad effectum quem producit; ad motum, vel velocitatem, qua producit; ad tempus in quo producit; ad distantiam a qua agit, ut in motu alterationis; ad spatium per quod sufficit movere, ut in motu locali.

Divisio quæstionis.

In quæstione primo videbitur generaliter 3.
de *quid nominis* quæstionis, scilicet de *potentia, maximo, et minimo.* Secundo videbitur specialiter de comparatione potentiæ activæ ad resistentiam, in quam agit; et tertio de comparatione ipsius ad alias circumstantias.

Potentia activa quia sit.

Quantum ad primum notandum, quod potentia activa est principium transmutandi alterum inquantum alterum ; sed potentia passiva est principium transmutandi ab altero, in quantum ab altero, ut patet 9. Metaph. De passiva nihil ad præsens. Sed potentia activa est duplex, quædam motiva localiter, ut gravitas, et alia activa alterius rei. Et tunc vel est activa sibi similis, ut calor producit calorem, et ignis ignem : alia dissimilis, ut lumen producit calorem.

Item quædam est potentia activa cujus effectus productus coagit sibi, ut caliditas

producta ab igne juvat ignem ad ulterius producendum : Alia est cujus effectus non juvat, ut patet de lumine.

4. *Maximum in quod potest potentia quid sit.*

Secundo notandum, quod maximum in quod potest aliqua potentia est illud, in quod potest et in nullum majus, sed in quodlibet minus ; et ideo secundum istam definitionem non terminatur distantia, a qua aliquod visibile videtur aliquo modo ; igitur oportet definiri maximum disjunctive sic : Maximum in quod aliqua potentia activa potest est illud, in quod potest, et in nullum majus ; sed in quodlibet minus, vel in quodlibet minus usque ad illud in quod non potest propter parvitatem.

Et conformiter quoad hoc, definiatur minimum in quod non, et maximum in quod non, et minimum in quod sic.

Inter potentiam activam et passivam est differentia.

Tertio notandum, quod in proposito una differentia est inter potentiam activam, et potentiam passivam : quia potentia activa si potest in aliquod, potest in quodlibet minus illo, et non in quodlibet majus ; sed e contra est de potentia passiva, si patitur ab aliquo, potest pati a quolibet majori, sed non a quolibet minori.

5. Nunc sunt aliquæ suppositiones. Prima est, quod respectu ejusdem semper minimum in quod aliqua potentia non potest, est majus maximo in quod potest. Probatur, quia minimum, in quod non potest, est adeo magnum, quod propter illius magnitudinem non potest in ipsum ; sed maximum, in quod potest, est proportionatum suæ potentiæ, scilicet quod non excedit, igitur minimum in quod non excedit potentiam activam, et maximum in quod sic, exceditur ab eadem.

Omnis excessus est divisibilis. Quilibet excessus sufficit ad motum.

Secunda suppositio, quod omnis excessus est divisibilis. Tertia, quod quilibet excessus sufficit ad motum. Probatur, quia actio, vel motus provenit secundum proportionem potentiæ motoris ad resistentiam moti : et ideo quando agens plus potest in agendo, vel movendo, quam passum in resistendo, sequitur, quod ab agente potest produci motus, vel actio.

6. Ad istud dicunt aliqui concedendo, quod quilibet excessus sufficit ad continuandum motum ; sed non quilibet sufficit ad inchoandum. Sed contra, supposito, quod non sit in infinitum difficilius inchoare motum, quam continuare, tunc probo, quod si quilibet sufficit ad continuandum, quod etiam quilibet sufficit ad inchoandum : et sit *A* unus excessus, qui non sufficit inchoare, sed sufficit continuare, et sit in centuplum difficilius inchoare motum, quam continuare ; tunc capiatur excessus minor *A*, scilicet *B*, ad quem se habeat in centupla proportione : tunc si *B* sufficiat continuare motum, quia quilibet excessus sufficit continuare, igitur *A* sufficit inchoare motum ; cujus tamen oppositum ponebatur. Et probatur consequentia, quia præcise in centuplo difficilius est inchoare motum, quam continuare, et *A* se habet in centupla proportione ad *B* ; igitur cum *B* sufficit continuare, sequitur quod *A* sufficit inchoare, et ita sicut arguitur de *A*, ita potest argui de quolibet excessu.

Nunc ponuntur conclusiones. Prima est quod respectu ejusdem potentiæ, et ejusdem circumstantiæ, ad quam comparatur, ut puta resistentiæ, impossibile est simul dare minimum in quod non potest, et maximum in quod potest. Probatur, quia per primam suppositionem, minimum in quod non potest, est majus maximo in quod potest ; et per secundam excessus ille est divisibilis. Tunc si capiatur aliquod, quod excedat maximum in quod sic, et excedatur a minimo in quod non, tunc vel potentia activa potest in illud, vel non ; si sic, tunc illud prius datum non erat maximum in quod potest ; si non, sequitur quod illud datum non erat minimum in quod non potest : quia istud minimum in quod non potest, est majus illo. 7.

Secunda conclusio : Quælibet potentia activa terminatur aliquo dictorum quatuor modorum per maximum, vel minimum affirmative, vel negative, et hoc est verum de potentia finita, quæ potest in aliquod agere, et non in quodlibet. Probatur, ex quo sufficit in aliquod agere, et non suffi- 8.

Quæli[…] potenti[…] activa t[…] minatu[…] per ma[…] mum, v[…] minimu[…]

cit in quodlibet, oportet dare vel maximum in quod potest, vel in quod non potest, vel minimum in quod potest, vel in quod non potest, ut patet inductione.

Nulla potentia activa terminatur per maximum in quod non potest, vel per minimum in quod potest.

Tertia conclusio. Nulla potentia activa terminatur per maximum in quod non potest; nec per minimum in quod potest; imo utrumque istorum est impossibile respectu potentiæ activæ. Probatur, quia quælibet potentia activa si potest in aliquod, potest in quodlibet minus illo; igitur impossibile est, quod terminetur per maximum negative, aut per minimum affirmative. Tenet consequentia ex definitionibus maximi in quod non, et minimi in quod sic: in quibus includitur, quod potest in majus, et non in minus. Antecedens patet, quia motus, et actio proveniunt secundum proportionem potentiæ motoris, ad resistentiam moti; modo eadem potentia comparata ad duas resistentias inæquales ipsius, ad majorem est proportio minor, et ad minorem major, et per consequens potius aget in minus, quam in majus.

9. *Quælibet potentia activa finita, habet maximum in quod potest, et minimum in quod non potest.*

Quarta conclusio, respectu cujuslibet potentiæ activæ finitæ est dare maximum in quod potest, vel minimum in quod non potest. Probatur, quia quælibet talis potentia, ex quo est activa, potest in aliquod, et ex quo est finita non potest in quodlibet; igitur ejus potentia imaginanda est sicut quantitas continua terminata. Et tunc illa vel potest in terminum resistentiæ imaginatæ per modum terminatæ quantitatis, vel non: si sic, tunc illa resistentia est maxima in quam potest: si non, tunc est minima in quam non potest; et sicut dicitur de resistentia, ita dicitur de aliis circumstantiis.

Secundo patet conclusio, deducendo ex præmissis conclusionibus: et quia per secundam quælibet potentia terminatur aliquo prædictorum modorum, et per tertiam potentia activa non terminatur per duo ultima, nec per aliquod illorum, et per primam non terminatur per ambo simul; igitur terminatur per alterum illorum, et habetur intentum.

10. *Potentia activa non terminatur per maximum in quod potest agere.*

Quinta conclusio, Potentia activa non terminatur per maximum in quod potest agere. Probatur, et sit illud maximum A; tunc potentia activa sufficit agere in A, igitur potentia excedit resistentiam ipsius A, quia actio provenit a proportione majoris inæqualitatis potentiæ motoris ad resistentiam mobilis; igitur per secundam suppositionem excessus ille est divisibilis, et per consequens illa potentia activa potest excedere unum majus A; igitur per tertiam suppositionem, potest agere in majus, igitur A datum, non erat maximum, in quod poterat agere.

11. *Potentia activa terminatur per minimum in quod non potest agere.*

Ex quibus sequitur conclusio sexta, quod quælibet potentia activa terminatur per minimum in quod non potest agere. Probatur: quia per quartam conclusionem, vel terminatur per maximum, in quod potest, vel per minimum, in quod non potest; et per quintam non terminatur per maximum in quod sic, igitur terminabitur per minimum in quod non potest, et habetur intentum. Et notandum est, sicut dicitur in secunda conclusione de potentia activa, potest dici de quolibet, de quo verificantur duæ mensuræ pertinentes ad istam divisionem quadrimembrem: ut verbi gratia, sicut dico, quod potentia activa terminatur ex eo, quod in aliquod potest, et non in quodlibet; ita verisimiliter dico, quod si hujus totius pars una sit calida, et alia non, vel est dare maximam partem calidam, vel minimam affirmative, vel negative.

12. Contra prædicta objicitur: quia vel est dare maximum, quod Socrates potest sustentare, vel minimum, quod non potest: quia alia duo membra sunt impossibilia; si maximum, contra, quia tunc potentia sustentativa Socratis excederet pondus illius, quod sustentatur in minori excessu, potest unum majus excedere, et per consequens sustentare majus. Si minimum quod non, tunc ponatur super caput Socratis; tunc vel subito est Socrates depressus in terram. vel ipsum, et priusquam Socrates esset depressus, non subito: quia im-

possibile est, quod motus localis sit subito; si successive, tunc sequitur, quod per illud tempus minimum Socrates sustentabat illud pondus, et per consequens non erat minimum quod Socrates non poterat sustentare.

13. Secundo, Quia per aliquod tempus Antichristus potest esse futurus, et per aliquod non : tunc vel est dare maximum tempus, per quod potest esse futurus; vel minimum pro quo non, et potest faciliter deduci, quod nullo modo terminatur : quia nullum est tempus per quod potest durare, quin per majus possit durare, et etiam per minus.

Tertio. Sit *A* unum corpus, cujus una medietas sit alba, et alia nigra, et supponatur, quod universaliter illud est album, cujus major pars est alba ; tunc hujusmodi corporis una pars est alba, et alia non, sed nigra. Tunc, vel est dare maximam partem, quæ est alba, vel minimam, quæ non est alba : quia de aliis duobus est impossibile. Unde nulla pars est alba, quin minor illa sit alba : si maximum, contra, quia nulla pars est alba, quin sit major pars alba, cujus medietas plus erit alba ; igitur nulla pars est alba, quin major pars sit alba. Consequentia probatur, quia non est dare minimam, quæ non est alba.

14. Ad ista respondetur. Ad primum dicitur, quod potentia, scilicet sustentativa dicitur proprie, quam non excedit pondus deprimens : ut quod potentia Socratis sit major ad sustentandum, quam gravitas ponderis ad deprimendum : et tunc dato, quod esset dare minimum, quod Socrates non potest portare, et esset illud, quod non sufficeret portare sine detractione, vel depressione, tunc dico, quod si accipiatur sustentare large pro quacumque successiva portatione, sive sit cum depressione, sive non, dico, quod non est dare maximum in quod sic, nec minimum in quod non, nisi illud esset infinitum.

Ad secundum dico, quod est dare minimum tempus per quod Antichristus non potest esse futurus : quia per infinitum tempus non potest esse futurus, nec per aliquod majus, sed per quodlibet minus.

Ad tertium : vel est dare maximam partem, etc. dico quod nec est dare maximam partem albam, scilicet dati, nec minimam, non albam, sed illud totum est minimum, quod non est album. Patet igitur in generali qualiter terminatur potentia activa penes minimum, in quod non potest agere, et hoc de primo.

Quantum ad secundum, scilicet comparando potentiam activam ad resistentiam, in quam agit, ponitur ista conclusio, quod est dare minimam resistentiam in quam potentia activa non sufficit agere. Probatur, quia resistentia æqualis potentiæ activæ est illa, in quam non potest agere, nec in aliquam majorem : sed in quamlibet minorem sufficit agere, igitur resistentia æqualis potentiæ activæ est minima, in quam non sufficit agere per definitionem minimi in quo non. 15. *Dabilis est minima resistentiæ, in quam potentia activa non potest.*

Et ad solvendam istam quæstionem oportet bene cavere, quod aliquando se habet per modum potentiæ activæ, et aliquando per modum potentiæ passivæ; ut verbi gratia, si unus lapis ponatur super baculum, et augmentetur continue, quousque baculus non sufficiat portare, sed frangatur, tunc gravitas lapidis se habet per modum potentiæ activæ ; et baculus habebit se per modum potentiæ passivæ, et resistentiæ ; et tunc in illo instanti, in quo virtus gravitatis est æqualis in deprimendo potentiæ baculi in resistendo, tunc gravitas lapidis est maxima, quæ non sufficit frangere baculum, et resistentia baculi est minima, quæ non potest frangi ab illa gravitate ; et hæc de secundo. De tertio videbitur in alia quæstione. *Nota.*

16. Ad rationes. Ad primam consequentiam, quia agens naturale eodem conatu, quo agit in minus, sufficit agere in majus, si esset applicatum.

Ad secundam negatur antecedens, nec est credendum Commentatori, quia de facto Intelligentia movet sphæram ignis, quæ de facto est major mille millibus alis muscarum. *Sententia Commentatoris refellitur.*

Ad tertiam concedo, quod quantocumque

pondere accepto, quod Socrates potest portare, adhuc majus illo potest portare, et majus illo, et iterum majus illo : attamen per hujusmodi processum non devenitur ad pondus infinitum, imo forte non deveniretur ad pondus unius milii, eo ut non sit additio per partes æquales, sed continue per partes minores.

Ad quartam dico, quod Aristoteles intelligit, quod est dare maximum numerum mensurarum, ut puta librarum, quas aliquis potest portare, et ea non commensuravit secundum actiones, nec forte distinguebat inter maximum, quod potest portare, et minimum quod non potest.

QUÆSTIO XV

Utrum potentia activa terminetur per maximum effectum quem potest producere

Vide auctores citatos quæst. præcedenti, et citandos quæst. sequenti.

1. Arguitur quod non, quia ignis assimilat sibi partem passi approximati, igitur illa assimilata est æque potens ad assimilandum aliam partem, sicut ignis causa ad assimilandum ipsam. Tenet consequentia, cum sit tantæ virtutis, et sic arguitur de tertia quod assimilat quartam, et sic consequenter, quamdiu fuerit materia : et cum omnes istæ actiones fiant virtute primi ignis agentis, igitur sequitur, quod non est dare maximum effectum, quem primus ignis agens possit producere.

Secundo, quia non est dare maximum lumen producibile a corpore luminoso, igitur non est dare maximum effectum, quem potentia activa potest producere. Tenet consequentia, quia lumen est effectus corporis luminosi. Antecedens probatur, quia si sic, igitur aliquod maximum lumen posset intendi per unum parvum luminosum : ut puta per candelam, igitur potest intendi per Solem. Antecedens patet, ad experientiam, et tenet consequentia, quia illud, quod potest facere agens minus intensum, potest etiam facere agens magis intensum.

Tertio, quia principium est potentia activa respectu notitiæ conclusionis, et tamen non est dare maximam notitiam, vel maximum numerum notitiarum producibilium ex illo principio, ut patet de principiis Geometriæ, quæ possunt ad multas propositiones nondum inventas applicari.

Oppositum arguitur, quia quælibet potentia activa naturalis agit per ultimum sui conatus ; igitur producit maximum effectum, quem potest producere, quia si potest producere majorem, non eget majori conatu. 2.

Secundo, quia est dare maximum lumen producibile a Sole ; ergo, etc. Probatur antecedens, quia in sphæra Solis corpus solare causat intensissimum lumen producibile a Sole : quia si intensius produceretur, vel hoc esset per applicationem medii diaphani majorem : et hoc non, quia illud medium, vel susceptivum est immediatum corporis Solis ; vel fiet ex meliori dispositione medii, et hoc non, cum corpus illud sit summe perspicuum.

Divisio quæstionis.

In ista quæstione videndum est de quinque circumstantiis omissis in quæst. præcedenti, et primo de tempore, secundo de velocitate, tertio de distantia, quarto de effectu, et quinto de spatio.

3. *Potentiam terminari et determinari differunt.*

Quantum ad primum, notandum, quod aliud est potentiam terminari, et aliud ipsam determinari : nam potentiam terminari, est ipsam finiri maximo in quo sic, vel minimo in quo non, sed ipsam determinari est cognoscere potentiam, quanta est per ejus velocitatem, vel per ejus effectum, aut per aliquam dictarum circumstantiarum.

Potentia activa potest agere quamdiu est.

Secundo notandum, quod potentia activa, quamdiu est, potest agere, et ideo quærere quomodo terminatur tempore, per quod potentia activa potest agere, non est aliud quam quærere, quomodo terminatur tempus suæ durationis, ideo solum dicendum est de duratione.

Potentia

Tertio notandum, quod potentia alicujus

alicujus rei ad durandum quid sit. rei ad durandum non est aliud quam nisus, vel virtus, qua resistit suo contrario applicato corrumpenti, et ideo cœlum non habet proprie potentiam ad durandum ; ne elementum simplex existens in sua naturali dispositione, cui non est applicabile contrarium, sed statim quando contrarium applicatur, habet potentiam ad durandum, et resistit cum conatu, sed mixtum ex elementis semper resistit cum conatu, quod habet in se principium suæ corruptionis.

4. *Nullum corruptibile potest durare per infinitum tempus.* Tunc ponuntur conclusiones. Prima est, Nullum corruptibile in istis inferioribus, ut (a) elementum, vel mixtum potest durare per infinitum tempus. Probatur, primo de mixto notum est, cum habeat in se principium suæ corruptionis, sed de elementis probatur, quia aliter sequeretur, quod elementum per totum tempus æternum frustraretur a suo fine, ad quem ordinatur a natura, consequens est falsum : quia finis naturalis non potest esse frustraneus, et inanis, ut patet 1. Ethic. Probatur consequentia, quia elementa ordinantur finaliter, ut ex ipsis fiant mixta. Ideo si esset aliqua materia alicujus partis elementi, quæ per tempus infinitum staret sub forma elementi, et nunquam sub forma mixti, sequeretur quod illa pars esset frustranea.

Secundo, quia quodlibet elementum habet materiam, igitur quodlibet est corruptibile ; consequentia tenet per Aristotelem in isto primo.

Tertio, si aliquod elementum maneret perpetuo, maxime esset ignis in sua sphæra ; sed hoc est falsum, quia ignis generatur per constellationes superiores, et expellitur ad loca inferiora.

5. *Non datur maximum tempus per quod res naturalis potest durare.* Secunda conclusio. Non est dare maximum tempus, per quod aliqua res naturalis potest durare. Probatur, quia quodlibet quod potest durare, per aliquod tempus potest durare cum melioribus circumstantiis per aliud tempus, ut puta quod continens sit melius dispositum, et contrarium tardius applicetur, et ita de similibus. Secundo, quia tunc esset dare ultimum instans illius rei.

Tertia conclusio, Est dare minimum tempus, per quod res naturalis non potest durare. Probatur, quia ex quo non potest durare per tempus infinitum, nec terminatur per maximum, igitur oportet, quod terminetur per minimum, quo non possit durare.

Quarta conclusio, Potentia activa non potest determinari per tempus suæ durationis. Probatur, quia sensibiliter videmus illa quæ sunt minoris virtutis plus durare illis, quæ sunt majoris virtutis, quod non esset si per durationem temporis posset cognosci quantitas potentiæ activæ, et hoc de primo. *Potentia activa non potest determinari per tempus suæ durationis.*

De secundo sit prima conclusio. Potentia activa non terminatur propter velocitatem, qua potest agere. Probatur, quia velocitas sequitur proportionem potentiæ super resistentiam ; sed illa proportio est in infinitum augmentabilis per diminutionem termini minoris, ut patuit prius, maxime de motu alterationis : ideo sequitur, quod proportionaliter velocitas est augmentabilis in infinitum, et per consequens nullo modo terminatur. 6.

Secunda conclusio, respectu alicujus potentiæ activæ determinatæ est dare maximam velocitatem, qua potest agere cum tanta resistentia, et ad tantam resistentiam. Probatur, quia illius potentiæ activæ ad illam resistentiam est determinata proportio, quæ non potest esse major, vel minor sine augmentatione, vel diminutione potentiæ, vel resistentiæ; igitur velocitas consequens illam proportionem erit maxima, qua potest movere cum illis circumstantiis.

Tertia conclusio, Per velocitatem non potest determinari, id est, cognosci, quanta est potentia activa. Probatur, quia si ab agente sub octo, in resistentiam sub quatuor proveniat aliqua velocitas, igitur erit æqualis velocitati, quæ provenit ab agente sub quatuor respectu resistentiæ ut duo; quia ambæ proveniunt ab æqualibus proportionibus, et tamen agentia non sunt æqualia, imo unum est duplum ad reliquum, et hæc de secundo. *Potentia activa per velocitatem quanta sit cognosci non potest.*

7. Quantum ad tertium notandum, quod quantum ad distantiam est differentia inter potentiam activam, et potentiam passivam. Nam si potentia activa potest agere ad aliquam distantiam, potest etiam agere ad quamlibet minorem, ita ut si ista candela illuminet de hinc ad parietem, illuminabit quodlibet intermedium, sed potentia passiva si patiatur ab aliqua distantia, non oportet, quod patiatur a qualibet minori : nam visus, dato quod videat visibile a remotius, tamen non oportet quod videat a qualibet distantia minori : nam visibile potest tantum applicari visui, quod non videatur.

Non datur distantia maxima qua potentia activa potest agere.

Nunc sit prima conclusio, Non est dare maximam distantiam, a qua potentia activa potest agere. Probatur, quia virtus agentis diffunditur a se continue usque ad non gradum ; igitur accepta aliqua distantia in qua est virtus agentis, illa est alicujus intensionis, igitur in distantia ulteriori est virtus agentis remissior ; et per consequens distantia data non erat maxima.

8. Secunda conclusio, Est dare minimam distantiam, in quam non potest agere, et ista sequitur ex præcedenti.

Tertia conclusio, Est dare maximam distantiam, in quam potentia activa non sufficit agere. Probatur, et signetur minima distantia, in quam non sufficit. Tunc sic : in istam distantiam non sufficit agere, et in nullam majorem, et in quamlibet majorem ; igitur ista est maxima, in quam non sufficit agere, et ita dico de distantia a qua visibile non potest videri, quod illa eadem distantia, quæ est minima, a qua non potest videri, est maxima in qua non sufficit videre.

Quarta conclusio, Distantia(b) a qua potentia passiva, ut visus, potest pati, terminatur duobus terminis exclusive ; uno scilicet a parte elongationis, et alio a parte appropinquitatis; elongationis inquam a visu, a quo non potest videri propter nimiam elongationem ; et appropinquitatis, a quo non potest videri propter nimiam appropinquitatem, sed a quolibet intermedio inter istos duos terminos potest fieri visio.

Quinta conclusio, Per distantiam non potest determinari potentia activa. Probatur, posito, quod aliquod corpus luminosum servato æquali gradu luminis sine intensione, et remissione luminis augeatur ad majorem quantitatem, tunc istud luminosum aget ad majorem distantiam, quam ante, et tamen *non* est majoris virtutis, quam ante, imo minoris : quia eadem qualitas remissior est in substantia magis extensa, quam minus extensa, et hoc de tertio.

Quantum ad quartum recolligenda est distinctio facta in alia quæst. scilicet, quod agentium quoddam juvatur ab effectu producto ad assimilandum passum, ut ignis. Aliud est, quod non juvatur, ut corpus luminosum, vel saltem si juvetur, hoc non est ad assimilandum passum. Et ideo quando materia, in quam agit ignis, est valde indisposita, aut propter nimiam frigiditatem, aut humiditatem, tunc caliditas (c)manet in passo continue, uniformiter difformis ad unum gradum, sicut lumen causatum in luminoso. 9.

Agens quod juvatur ab effectu non terminatur ad maximum effectum.

Nunc est prima conclusio, Agens quod juvatur ab effectu ad assimilandum passum, non terminatur ad maximum effectum, quem potest producere. Probatur per primam rationem ante oppositum, et hoc est verum, supposito quod primum agens concurrat ad productionem effectuum sequentium, quia si non, difficile est assignare usque ad quem effectum primum agens agit.

Agens quod non juvatur ab effectu producit maximum effectum.

Secunda conclusio, Agens quod non juvatur ab effectu, ut puta luminosum, producit maximum effectum, quem potest producere, sicut argumentatum fuit post oppositum de Sole, quia tale agit secundum totum conatum suum, ideo non variata raritate medii, tantum producit in primo instanti, quantum unquam postea producit.

Sed contra objicitur, quia proportio potentiæ agentis ad resistentiam potest augeri in infinitum, igitur similiter et effec- 10.

tus. Respondetur negando consequentiam, quia licet velocitas consequatur proportionem, tamen effectus productus non consequitur, imo consequitur agens.

Solutio pulchræ dubitationis. Ex isto potest dari causa cujusdam pulchræ dubitationis, scilicet, quare ignis in aliquod passum agens, quod assimilat sibi tunc, si postea approximetur illi passo unus alter ignis major, vel æqualis, ille non intendet caliditatem passi, et tamen si corpus luminosum agat quantum potest in medium, et appropinquetur unum aliud luminosum minus, vel æquale, intendit lumen causatum ab alio luminoso. Quæ ergo est causa diversitatis? Dico quod causa est, quod ignis agit ad assimilationem passi, et ideo alter ignis approximatus non intendit ipsum, quia non agit ultra gradum proprium : sed luminosum non assimilat sibi passum, ideo aliud luminosum superveniens intendit ipsum, eo quod non agit ultra gradum proprium, quia invenit gradum minorem causatum, quam sit gradus luminis sui : et hoc de quarto.

11. De quinto sit prima conclusio, non est dare maximum spatium, per quod aliquod mobile potest moveri, quantum ex ratione motus, vel gravitatis, vel levitatis. Probatur per Aristotelem. Nam si grave per infinitum spatium distaret a centro, moveretur ad centrum. Et dico notabiliter, quantum est de ratione gravitatis, etc. Nam distantia a concavo orbis Lunæ usque ad centrum terræ est maxima, per quam aliquod mobile potest moveri, nisi forte moveatur per aliquam lineam transversaliter intersecantem illam.

Potentia motoris non potest cognosci per quantitatem spatii. Secunda conclusio, per quantitatem spatii non potest cognosci quantitas potentiæ motoris. Probatur, quia idem mobile movetur quandoque per majus spatium, quandoque per minus, et tamen ex hoc non est fortius, vel debilius. Ex his conclusionibus patet qualiter quantitas potentiæ activæ determinatur, et cognoscitur per resistentiam, in quam sufficit agere, ut dictum fuit in alia quæstione. Rationes sunt solutæ.

ANNOTATIONES

(a) *Elementum non potest durare per infinitum tempus.* Nota, quod natura totius homogenei et suarum partium eadem est, et elementum quodvis homogeneum est, quare et elementum, et quælibet ejus pars corruptibilis est, nunquam tamen naturaliter propter universi ordinem aliquod elementum secundum se totum corrumpetur; imo neque alicujus naturalis agentis tanta erit vis, ut totum elementum corrumpere possit; si enim ignis mutaretur in aerem, daretur vacuum : aer enim est magis densus, et tunc occupasset ignis minorem locum, et daretur vacuum, et e contra si aer mutaretur in ignem, deficeret spatium et locus. Intelligit ergo Scotus hîc non de toto elemento, sed de ejus partibus divisim. 12. *Eadem est natura totius homogenei et suarum partium.*

(b) *Distantia a qua potentia passiva*, etc. Nota, quod omne agens habet sphæram suæ activitatis, quæ est spatium determinatum a natura, intra quod sua extenditur virtus activa, et ultra quod minime accedit : imo in hoc spatio prius et fortius agit in sibi propinquiores partes, quam in remotiores. Quando ergo passum non est intra hujusmodi sphæram agentis, minime actio fieri potest; quia agens naturale agit, per contactum saltem virtutis, cum tamen non omnia agentia æqualem habeant sphæram suæ activitatis; quia non habent æqualem virtutem activam; hinc est quod contingit aliquando, hoc passum esse intra sphæram activitatis hujus agentis, non tamen e contra. Et quando hoc contingit, inter agens, et passum nulla est repassio, nec reactio : verbi gratia, sit ignis potens ad distantiam duorum passuum agere, sitque aqua quæ tantum ad distantiam unius possit frigefacere, tunc quidem poterit ignis calefacere aquam, et non repatietur ab ea, si sit extra illum passum. Et ideo dicit hîc Scotus, quod distantia, a qua potentia passiva potest pati, terminatur duobus terminis, etc. 13.

(c) *Tunc caliditas manet in passo continue uniformiter difformis.* Nota, quod duplex est agens, seu patiens, unum uniforme, alterum difforme; primum est quod secundum omnes suas partes æqualem participat formæ gradum, ut si esset bipedale calidum, ut quatuor, ita ut secundum omnes suas partes, quibus agit, aut patitur, habet calorem ut quatuor, agens, seu patiens difforme est, quod secundum aliquas partes habet quatuor gradus, secundum alias duos. Caliditas ergo agens in aquam indispositam, manet in passo continue uniformiter, quia continue manet intensa ut quatuor, sed manet difformiter quantum est ex parte passi, quod non habet quatuor gradus secundum omnes partes. 14. *Agens est duplex, uniforme et difforme.*

QUÆSTIO XVI

Utrum sit dare minimum agens a quo potentia passiva potest pati

Averroes 1. *de Cœlo, comm.* 37. D. Thom. *de Gener. cap.* 7. *lect.* 23. Conimbr. *ibid. cap* 9. *qu.* 2. *et* 1. *de Cœlo. cap.* 11. *quæst.* 1. *art.* 2. Tolet. 1. *de Gener. quæst.* 15. Ruvius *cap.* 6. *de Gener. quæst.* 5. Bannes *ibid. quæst.* 2. Roccus 1. *de Cœlo, quæst.* 24. Mendoça *in Physic. disp.* 9. *sect.* 10 Complut. 1. *de Gener. disp.* 8. Mass. *ibid. quæ t.* 19.

1. Arguitur quod non, quia vel illud agens esset divisibile, vel indivisibile; non indivisibile, quia entia naturalia in suis actionibus requirunt determinatam magnitudinem, ut patet 8. hujus : nam millesima pars grani milii non faceret sensum. Si sit divisibile, tunc ipsum non potest agere nisi partes suæ agant, sequitur quod aliqua pars agit, et cum pars sit minor toto, sequitur quod agens datum non erat minimum.

Secundo sequeretur, quod esset dare actionem tardissimam, et remississimam ; consequens est falsum, quia quælibet actio est sicut quantitas continua divisibilis in infinitum : et patet consequentia, quia actio facta a minimo agente est remississima, quia si posset esse actio minor, vel illa proveniret ab agente majori, vel æquali ; et hoc non, quia ab agente majori proveniret actio major, et ab æquali æqualis ; si a minori, tunc agens datum non erat minimum.

Tertio, quia potentia activa non terminatur per maximum in quod potest agere ; igitur nec potentia passiva per minimum a quo potest pati, quia conformiter videntur se habere.

Quarto sequeretur, quod hujusmodi actio subito corrumperetur ; quia si nunc aliquod diminuens est applicatum agenti, tunc actio nunc est, et immediate post non erit, nec aliquid sui ; quod si aliquid, illud proveniret ab agente minori ; et per consequens agens datum non erat minimum.

Oppositum arguitur per Commentatorem in 1. Cœli. ubi dicit quod potentia passiva terminatur per minimum, a quo potest pati. 2.

Secundo per Aristotelem qui ponit, quod est dare minimum sensibile. Tertio, quia sub angulo contingentiæ potest fieri visio, et non sub angulo minori ; quia est omnium angulorum acutissimus, ut patet 3. Euclidis.

Potentia passiva est duplex.

Notandum, quod quædam est potentia passiva materiæ receptiva, et nullo modo quantum est ex parte sui resistitiva, sicut materia prima ; alia (a) est passiva resistitiva, et non receptiva sicut caliditas, quæ patitur a frigiditate, et ista est etiam activa in illud, a quo patitur. Sed alia est potentia cognoscitiva passiva, ut visus, qui patitur ab objecto recipiendo speciem ejus, licet active concurrat ad visionem, quam consequitur illa species.

Potentia passiva dicitur melior quæ potest a minori agente pati.

Secundo notandum, quod sicut potentia activa dicitur melior, quæ potest majus passum alterare, sive in majorem resistentiam agere ; ita per oppositum potentia passiva dicitur melior, quæ potest a minori agente pati ; ut visus dicitur melior, et acutior, qui potest pati a minori visibili ; similiter (b) caliditas dicitur passibilior siccitate, vel humiditate, quia a minori agente potest pati, quam aliquod eorum.

Tertio notandum, quod potentia passiva vel potest comparari ad agens, vel ad effectum productum in ipso passo, vel ad velocitatem, vel ad tempus, et ita de aliis circumstantiis.

3. *Potentia passiva quomodo terminetur per maximum, aut minimum.*

Nunc ponuntur conclusiones. Prima est ; potentia passiva nullo modo resistitiva non terminatur per maximum agens, a quo potest pati, nec per minimum, a quo non potest pati ; nec aliquo modo. Probatur, quia tale passum nulli resistit, igitur quodlibet agens habet dominium super illud, et per consequens, cum quilibet excessus sufficiat ad motum ; sequitur quod quodlibet agens potest agere in ipsum.

Ex quo sequitur, quod si aggregatum ex potentia passiva, et resistentia æqualiter

dicatur potentia passiva, quod illud potest pati a quolibet agente : probatur, quia quilibet excessus sufficit ad motum, modo quodlibet agens quantumcumque parvum, una cum virtute activa illius passi habet dominium super ipsum.

4. Secundo sequitur, quod si sint aliqua duo, puta *A* et *B*, et æque facile est movere unum sicut reliquum, imo quælibet potentia mundi potest movere utrumque, et tamen impossibile est, quod aliqua potentia mundi moveat utrumque æque velociter. Probatur, et sit *A* aggregatum ex resistentia sicut 8. et potentia activa sicut 8. et 6. aggregatum ex potentia activa sicut 4. et ex resistentia sicut 4 ; tunc per præcedens corollarium æque facile est movere *A* sicut *B*, quia quodlibet agens potest movere utrumque æqualiter. Nam si applicetur agens ut unum utrique, tunc ad agendum in *A* est proportio 9. ad 8. et ad agendum in *B*, est proportio sexquiquarta, quæ est major proportione 9. ad 8. quæ est sexquioctava, igitur velocitates provenientes erunt inæquales.

5. Contra conclusionem objicitur, quia medium respectu luminis est pure receptivum, nec resistit illuminationi, quia quantum est ex parte sui, illuminatio fit subito, et tamen medium non potest pati a quocumque luminoso parvo, quia videmus, quod minus lumen agit in aquam, quam in aerem, igitur luminosum posset esse ita parvum, quod aget lumine in aerem, et non sufficeret agere in aquam, quod non esset, nisi densitas aquæ resisteret.

Resistentia in actionibus naturalibus est triplex

Respondetur, propter quod sciendum, quod triplex reperitur resistentia in actionibus naturalibus ; quædam quæ intermittit velocitatem motus, vel actionis, et cum hoc gradum formæ inducendæ per actionem : verbi gratia, in frigefactione caliditas remittit velocitatem frigefactionis, quia subjectum velocius frigefieret si non esset calidum, et consequenter remittit gradum formæ inducendæ. Consimiliter in motu locali, quando densitas est adeo intensa, quod mobile non sufficit ad tantum spatium moveri, ad quantum moveretur si non esset illa densitas, ut vapor ad majorem distantiam movetur per aerem clarum, quam per nubem, et sic densitas remittit gradum velocitatis, et cum hoc minuit de pertransito spatio.

Secundo reperitur resistentia, quæ diminuit velocitatem, sed non diminuit acquirendum per velocitatem ; verbi gratia, densitas medii super totum ambitum motus, impedit mobile ne moveatur velocius. Nam densitas ista impedit, ne mobile moveatur ita velociter, sicut si medium esset rarius ; sed non minuit de pertranseundo spatio ; quia tantum pertransitur, sicut si medium esset in centuplo rarius. 6.

Demum invenitur tertio resistentia, quæ diminuit gradum formæ, sed non diminuit velocitatem actionis, sicut densitas medii respectu illuminationis, impedit gradum luminis ; quia minus lumen producitur in medio denso, quam in raro, sed non impeditur velocitas, quia æqualiter producitur lumen in medio densiori, sicut in rariori, quando luminosum objicitur super ipsum.

Nunc patet ad instantiam ; quia medium respectu illuminationis non est potentia mere receptiva, sed etiam resistitiva ; quia saltem resistit diminuendo gradum luminis, licet non diminuendo velocitatem suæ generationis.

Sed objicitur. Nisi velocitas generationis luminis diminueretur per densitatem medii, sequeretur, quod lumen produceretur subito, consequens est falsum, quia lumen Solis in istis inferioribus multiplicatur successive consequendo motum umbræ terræ : et patet consequentia, quia non apparet, unde possit provenire successio aliunde, nisi ex parte densitatis. 7.

Successio in illuminatione ex tribus provenire potest.

Respondetur, quod imo, quia successio in illuminatione potest provenire altero trium modorum, scilicet ex successiva generatione luminosi, ut quando accenditur candela ; vel ex successiva applicatione luminosi, quemadmodum Sol successive applicatur ad illuminandum diversas partes terræ, quod patet ex motu umbræ terræ, et

tertio propter successivam remotionem obstaculi, ut quando aperitur fenestra.

Secunda conclusio est, de aliis potentiis passivis, quæ possunt pati ab aliquo, et non a quolibet propter parvitatem, quod non est dare minimum agens, a quo talis potentia passiva potest pati. Probatur, quia si potentia passiva patiatur a minimo agente, igitur illud agens excedit potentiam passivam, et cum excessus ille sit divisibilis, sequitur, quod unum agens minus per minorem excessum potest excedere potentiam passivam : illa igitur potest pati a minori agente, cum quilibet excessus sufficiat ad motum.

Agens maximum datur a quo potentia passiva non potest pati.

Tertia conclusio est, quod est dare maximum agens, a quo potentia passiva non potest pati. Probatur, et sit unum agens tantum potens agere præcise, quantum potentia passiva potest resistere, ita ut sint æquales, una scilicet in resistendo, et reliquum in agendo. Tunc istud passum non potest pati ab isto agente, quia non excedit ipsum ; nec ab aliquo minori, quia istud passum excedit quodlibet minus, et potest pati a quolibet majori, quia a quolibet majori exceditur ; igitur per definitionem prius datam sequitur, quod istud agens est maximum, a quo non potest pati.

9. Secunda conclusio, patet ex præmissa conclusione, quia si imaginentur omnia agentia, a quibus potentia passiva non potest pati propter parvitatem, separari ab illis, a quibus potest pati ; tunc agentia a quibus potest pati, vel terminantur inclusive, ita ut a termino ipsorum illa potentia non potest pati ; vel exclusive, ita ut a termino ipsorum potest pati, hoc est falsum per secundam conclusionem.

Potentia cognitiva terminatur per minimam distantiam.

Quarta conclusio est de distantia, quod potentia cognitiva, sicut visus, terminatur per minimam distantiam, a qua non potest pati, non simpliciter, sed propter magnitudinem, ut dicebatur in præcedenti quæstione.

Et ideo de aliis potentiis passivis dico, quod nulla earum terminatur penes distantiam, aut penes effectum, a qua, et quem possunt recipere. Probatur, quia quælibet potentia passiva, est receptiva tanti effectus : et a tanta distantia, quanta esset, et quantum agens posset agere. Et ideo si esset agens, quod ab infinita distantia posset agere effectum infinitum, potentia passiva posset illum recipere. Eodem modo dicitur de spatio, quod potentia passiva potest moveri per infinitum spatium si esset, et si esset agens, quod posset ipsum per tantum spatium movere.

Ad rationes post oppositum, quia illæ 10.
ante oppositum probant conclusiones. Ad primam dico, quod Commentator intelligit de numeris integralibus, quod est dare maximum numerum librarum, quas Socrates potest portare, ut puta centum libræ possunt portari a Socrate, et non plures, quoniam tamen Socrates potest portare centum cum una quarta non meminit Commentator.

Ad secundam dico, quod non est dare minimum sensibile, sed est dare maximum sensibile, quod non potest sentiri per se actu existens, quod tamen sentiretur, si esset continuum cum alio.

Ad tertiam, puto, quod sub angulo contingentiæ non potest fieri visio, imo etiam nec sub quolibet angulo rectilineo, quorum tamen quilibet est major angulo contingentiæ. Unde angulus rectilineus potest esse ita parvus in organo sensus, quod nullo modo moveret visum.

Ex quibus omnibus patet, quod visus est 11.
virtus passiva, quia non terminatur secundum terminationem potentiæ activæ, sed secundum terminationem potentiæ passivæ, tamen ratione organi visus terminatur penes minimum angulum, sub quo non potest fieri visio, et ille forte est angulus rectus ; quia sub illo non potest fieri visio propter nimiam magnitudinem, sed sub quolibet minori usque ad illum, sub quo non potest fieri visio propter parvitatem.

ANNOTATIONES

(a) *Alia est passiva resistitiva, et non recep-*

Actio provenit ex victoria virtutis activæ super resistentiam. *tiva sicut caliditas*, etc. Nota quod actio provenit semper ex victoria virtutis activæ super alterius resistentiam ; eo enim calidum agit in frigidum ; quia superat ejus resistentiam : fit enim actio a proportione majoris inæqualitatis. Sed dubium est cum omne agens in agendo repatiatur (et loquor de agente, quod cum passo communicat in materia) an reactio fiat secundum eamdem qualitatem, secundum quam agit in passum, ut hîc Scotus præsupponere videtur, vel secundum alteram. Calculator dicit, quod agens uniforme, quod nimirum secundum omnes suas partes æqualem participat formæ gradum, nullo modo repatitur. Agens vero difforme, quod scilicet secundum aliquas partes habet quatuor gradus, et secundum alias duos, repatitur secundum eamdem contrarietatem, sed non secundum eamdem partem, sed secundum aliam agit, et secundum aliam patitur : agit namque secundum partes fortiores, et repatitur secundum debiliores. Suessanus Niphus fere idem sentit, videlicet non dari actionem, et repassionem secundum eamdem contrarietatem, sed secundum diversam : verbi gratia, quando ignis agit in aquam calore, non repatitur ab ipsa in calore, sed in siccitate ab humiditate aquæ, et non a frigiditate in quam egit, contingit autem etiam tunc calorem remitti, hoc tamen per accidens est, ex destructione siccitatis.

13. Cæterum standum est in sententia Scoti. Nam contra has duas opiniones idem videtur sequi inconveniens, scilicet, quod non sit verum dictum Aristotelis, quod agens in agendo repatitur ; quia isti ponunt diversas actiones, et passiones, et diversa principia activa et passiva, actio vero et reactio in eadem contrarietate intelligenda est, et secundum idem.

Qualitates primæ non agunt uniformiter et resistunt. (b) *Similiter caliditas dicitur passibilior siccitate*, etc. Nota quod qualitates primæ non uniformiter agunt, et resistunt, imo sic se habent, quod magis activæ minus resistunt, et e contra, verbi gratia, calor, qui est omnium maxime activus, minus omnibus resistit,atque ita, ut hîc dicit Scotus, est passibilior. Post calorem frigiditas est maxime activa, et quamvis resistat magis quam calor, minus tamen quam aliæ duæ qualitates. Tertio loco sequitur humiditas in activitate, quæ tamen magis resistit quam calor, et frigiditas, et quia superat siccitatem in agendo, superatur ab ea in resistendo, atque ita siccitas est ultima in agendo, est tamen, quæ magis resistit.

14. Sed difficultas est, an sicut communiter dicitur, quod a proportione majoris inæqualitatis procedit actio, id est, actio provenit ex victoria virtutis activæ alicujus super alterius resistentiam ; ita etiam in reactione debeat eadem proportio inesse passo respectu agentis. Toletus lib. 1. de Generatione, quæst. 15. tenet partem negativam, nimirum quod ad reactionem non requiritur in passo proportio majoris inæqualitatis, sed satis est, quod si calor est ut 8. agit in frigiditatem, ut unum, e contra frigiditas ut unum reaget in calorem ut 8. Contrariam sententiam tenent Marsilius libro primo de Generatione, quæst. 19. Albertus de Saxonia, et Paulus Venetus. Et mihi quidem videtur probabilius, quod a proportione majoris inæqualitatis, et non a minori, neque ab æquali, ut etiam hîc docet Scotus : atque adeo si passum est æqualis, aut minoris virtutis, non reaget. Addas, quod si agens repateretur a quocumque passo, nullum passum corrumperetur ; hoc autem est falsum. Probatur sequela, quando passum corrumpitur, aut tunc reagit, aut non : si primum, ergo est in actu, quia nihil agit nisi quatenus est in actu, ergo tunc non corrumpitur. Nam quod corrumpitur non est, quod reagit est, ergo vel quod reagit non corrumpitur, vel quod corrumpitur non reagit, vel simul est, et non est. Dicendum est ergo, quod quando corrumpitur non reagit, sed vincitur. Victoria autem nisi a majori virtute in agendo, quam sit resistentia passi in resistendo, non potest provenire, atque adeo quando passum fuerit minoris virtutis in agendo, quam agentis in resistendo, non fit reactio : hæc enim sola fuit causa, quare agens potest aliquod passum corrumpere.

Ex hoc sequitur, quod si sit calidum, ut 4. et frigidum, ut 4. tunc calidum agit in frigidum : quia calidi activitas, quæ maxima est, vincit frigidi resistentiam ; repatitur tamen a frigido : quia frigidi activitas vincit resistentiam calidi, quæ minima est. Sed dices, aut agens, et patiens sunt æqualis, aut inæqualis virtutis ; si æqualis, neutrum aget in alterum, quia a proportione æqualitatis fit actio ; si inæqualis, majus aget in alterum, et non repatietur ; ergo non est repassio : quia a proportione minoris æqualitatis non fit actio. Respondeo, quod si agens, et patiens sint æqualis virtutis unum in agendo, et alterum in resistendo, non erit actio, quamvis in agendo sit alterum eorum fortius ; si tamen sunt æqualis virtutis in hoc sensu, quod agens sit majoris virtutis in agendo, quam passum in resistendo, tunc erit actio, et si rursus ipsum passum sit majoris virtutis in agendo, quam ejus agens in resistendo, reaget in suum agens, sin autem, minime. Hoc autem multoties sic est,eo quod agens, quod est activius ad actionem, est minus forte, et magis debile ad resistendum. Quare fere semper contingit repassio,nunquam tamen nisi a proportione majoris inæqualitatis fit actio. 15.

QUÆSTIO XVII

Utrum aliquid possit fieri ex nihilo

Arist. 1. *Phys. text.* 34. Simplic. *comm.* 32. Themist. *n.* 33. Alen. 2. *par. q.* 6. *art.* 6. D. Thom. 1. *Phys. lect.* 9. *et in* 2. *dist.* 1. *q,* 1. *art.* 2. Scot. *in* 1. *dist.* 8. *q.* 1 *et de rerum princ q.* 5. Bassol. *in* 1. *dist.* 1. *q.* 1. *art.* 3. Gabriel. *in* 2. *dist.* 1. *q.* 2. *art.* 3. Roccus 1. *Phys. q.* 9. Mendoza *in Phys. disp.* 12. *sect.* 7.

1. Arguitur quod sic : quia aliquid fit, ut patet ad experientiam : tunc igitur, vel fit ex aliquo, vel ex nihilo ; si ex aliquo, tunc ens esset, antequam fieret ; si ex nullo, habetur propositum.

Secundo, quia sicut se habet generatio quædam ad non ens quoddam ; ita et generatio simpliciter ad non ens simpliciter ; sed generatio quædam fit ex non ente quodam ; sic generatio hominis ex non homine, ergo, etc.

Vide ipsum 8. Phys. com. 2. Tertio, quia materia est illud, quod in rei veritate generatur, ut dicit Commentator in isto primo, comm. et tamen non generatur ex aliquo : quia tunc illa, ex qua generaretur, esset prior.

Quarto, quia ex privatione fit aliquid, ut patet per Aristotelem in isto 1. text. 58. ubi dicit, quod ex non musico fit musicus, et tamen privatio non est, ergo, etc.

Quinto, quia forma fit, et non ex aliquo ; quia nihil ipsius præfuit, igitur fit ex nihilo. Similiter forma corrumpitur, et tamen in nihil corrumpitur ; igitur nihil ipsius permanet post corruptionem.

Sexto per Aristotelem in libro de Pomo ; qui ponit creationem ex nihilo.

Text. 34. Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo tractatu 2. c. 2. text. 34. ubi dicit : *Ex his quæ non sunt, aliquid fieri impossibile est,* de hac autem opinione conveniunt omnes, qui de natura locuti sunt.

2. *Divisio quæstionis.* In quæstione primo videbitur, quid senserunt antiqui de ista materia. Secundo tractabitur opinio Aristotelis, et quomodo potest stare cum veritate fidei.

Quantum ad primum, fuit una opinio antiquorum, et forte Parmenidis, et Melissi, quæ potest referri in hunc modum. Supponitur primo, quod impossibile est aliquid fieri ex nihilo. Secundo supponitur, quod fieri ex materia, non est simpliciter fieri, sed est fieri taliter se habens, ut quando terra transportatur de una figura in aliam. Tertio supponitur, quod illud taliter se habere, non est aliquod distinctum a materia, sicut figura non est res distincta a re figurata. *Parmenidis, et Melissi opinio*

His suppositis sunt duæ conclusiones. Prima conclusio. : Nulla res fit de novo. Probatur, quia vel fieret ex subjecto præsupposito, et hoc non : quia sic fieri, non est simpliciter fieri per suppositionem secundam, vel ex nihilo, et hoc non per primam. *Nulla res fit de novo*

Secunda conclusio : Materia fit aliter disposita, quam ante. Probatur per experientiam, quia de aere fit aqua, de albo nigrum, et sic de similibus. *Materia fit aliter disposita quam ante.*

Ex istis sequitur primo, quod tota natura rerum naturalium est materia ; quemadmodum materia est tota natura rerum artificialium. Secundo sequitur, quod omnia entia sunt ejusdem speciei specialissimæ, sed tamen denominantur diversis nominibus sumptis a diversis dispositionibus, ut puta a tanta raritate materiæ denominatur aer, a majori densitate aqua, a tali dispositione denominatur homo, et ita de aliis, quæ dispositiones non sunt res aliæ ab ipsa materia. Tertio sequitur, quod omnia entia sunt unum continuum : quia partibus ejus non interponitur aliquid alterius rationis. Quarto sequitur, quod nullum est compositum ex partibus diversarum rationum, sed præcise ex partibus integralibus ejusdem rationis. Quinto sequitur, quod omnia sunt unum, et præter illud ens nullum ens est sensibile, et præter partes ejus ; et ideo ipsum est immobile secundum se totum, licet bene moveatur secundum partes ejus ; ideo etiam ipsum est infinitum in duratione, non in magnitudine. 3. *Materia est tota natura rerum naturalium.*

Istam opinionem improbat Aristoteles per aliquas rationes, in cap. 2. hujus primi qua- 4.

rum aliquæ sunt præcise contra verba ; ut si totum sit, plures partes sunt, et per consequens plura sunt entia : sed aliæ sunt contra intentionem, ut quod accidentia distinguuntur a subjecto, et quod contraria essent ejusdem rationis, et hujusmodi.

Opinio opposita opinioni Parmenidis, et Melissi. Secunda opinio ponit quasi totum oppositum, scilicet quando aliqua res generatur, ipsa per se tota producitur in esse, ita ut nulla ejus pars præfuit, nec materia, nec forma, et ideo impossibile est, quod aliquid fiat ex nihilo, prout ista præpositio *ex* dicit circumstantiam ordinis, sed non ut notat circumstantiam rei materialis, ideo ex corrupto fit genitum, sicut ex nocte fit dies.

5. Sed contra objicitur : quia si nullum esset objectum commune generanti, et genito, tunc ad corruptionem unius non oporteret alterum generari, ex quo nihil esset eis commune. Respondetur negando consequentiam ; imo ut repleatur locus corrupti, oportebit alterum generari de necessitate, et ideo sic ponentes dixerunt locum esse materiam ; ut patet 4. hujus, text. 15.

Sed objicitur, quia non oporteret aliquid corrumpi, ut generatum occuparet locum suum : quia potest cedere sibi per condensationem, et per consequens non oportet corrumpi. Respondetur negando consequentiam, quia fieret tanta condensatio per pluralitatem generatorum, quod res naturales non possent stare sub tanta densitate. Et ideo sic ponentes dicebant, quod in mutatione accidentali, bene præsupponitur subjectum, sed in substantiali non ; quia in illa totum fiet : ista opinio improbatur per rationes, quibus probabuntur conclusiones Aristotelis, et hoc de primo.

6. *Ex præpositio quadrupliciter sumitur.* Quantum ad secundum notandum, quod (sicut tactum fuit) ista præpositio *ex* potest dicere circumstantiam ordinis, ut *ex nocte fit dies* ; vel circumstantiam partis integralis, ut *domus fit ex lateribus*; vel circumstantiam partium essentialium, ut *elementum componitur ex materia et forma* ; vel circumstantiam subjecti, ut *statua fit ex ære* ; et sic capitur in proposito, utrum aliquid fiat ex nihilo nullo subjecto præsupposito.

Dictio nihil dupliciter sumitur. Secundo notandum de ista propositione *ex nihilo nihil fit*, propter Logicam, quod ista dictio *nihil* quandoque est syncategorema, et tunc valet idem quod non est, et tunc si ista dictio *nihil* capiatur utrobique syncategorematice, tunc propositio est falsa : quia sensus est, quod ex quolibet fit aliquid, quod est falsum : quia ex Deo nihil fit ; si capiatur utrobique categorematice, adhuc est falsa : quia sensus est, quod ex eo quod non est, fit illud quod non est : vel primo accipitur syncategorematice, et secundo categorematice. Tunc si concedatur, quod illud quod fit non est, tunc illa est falsa ; imo ex aliqua re fit illud quod non est. Sed si concedatur, quod illud quod fit est, tunc illa est vera ; vel capitur primo categorematice, et secundo syncategorematice, et tunc sensus est, quod ex eo quod non est, nulla res fit, et hoc est verum, ut ly *ex* denotat circumstantiam subjecti.

Nunc ponuntur conclusiones. Prima est, quod de novo aliquid fit substantialiter. Probatur, quia videmus, quod de eodem demonstrato non mutato localiter, variatur responsio ad quid est hoc, igitur illud mutatur substantialiter. Tenet consequentia, quia quæstio *propter quid*, quærit de substantia rei, et antecedens patet ad experientiam : quia de hoc demonstrato respondetur primo quod sit asinus, et postea quod sit cadaver ; et dico notabiliter *non mutato localiter*, propter opinionem Democriti, qui posuit hujusmodi generationem, et corruptionem fieri per motum localem corporum atomorum ad invicem. 7. *Aliqui substantialiter de novo.*

Secundo sequeretur, quod nunquam mutaretur definitio compositi, vel alicujus rei naturalis, quod est falsum, quia aliter definitur asinus, et aliter cadaver ; et patet consequentia, quia definitio indicat substantiam rei : igitur si non esset mutatio in substantia, sequeretur, quod non mutaretur etiam definitio.

Secunda conclusio ; Nihil fit de novo, 8.

il fit de o sub- o non esuppo-

nisi præsupponatur subjectum. Probatur, quia videmus, quod illa quæ nunc fiunt, fiunt præsupposito aliquo subjecto, igitur impossibile est aliquid fieri sine subjecto. Patet consequentia, quia si esset possibile, quandoque contingeret.

Et ista inductio confirmatur, quia illa quæ fiunt, aut fiunt transfiguratione, aut subtractione, aut compositione, aut alteratione, sed quilibet prædictorum modorum præsupponit subjectum, ergo, etc.

Tertia,quia in artificialibus semper præsupponitur subjectum, ut patet ad experientiam, igitur et in naturalibus. Quarto ratione Commentatoris ; quia nisi ita esset, sequeretur quod impossibile fieri fieret ; consequens implicat contradictionem. Probatur consequentia,quia si istud nunc fiat, quæro in quo fundabatur ejus potentia prius, scilicet potentia ad ejus esse, non in agente, quia agens non est potens fieri illud, sed facere : nec in patiente, quia res illa non fuit prius, igitur oportet dicere, quod fundabatur in subjecto, vel da, quod non, et tunc erat impossibile fieri, et nunc fit, igitur sequitur consequens. Quinto sequeretur, quod aliqua esset transmutatio, et nihil transmutaretur, consequens implicat, quia transmutatio est actus transmutabilis ; et patet consequentia de transmutatione illa, quæ fieret sine subjecto.

9. Contra conclusionem arguitur rationibus, quibus probatur creatio possibilis. Primo quidquid potest causa prima mediante secunda, potest causa prima se sola; sed causa prima mediante secunda potest aliquid producere, ut puta mediante subjecto, igitur ipsa sine subjecto potest aliquid producere. Major patet per Auctorem de Causis, et minor ad experientiam.

Secundo, causa infinita potest aliquid facere ex nihilo ; sed Deus est causa, vel agens infinitum ; igitur Deus potest agere aliquid ex nihilo. Major patet, quia sicut in infinitum difficilius est producere rem sine subjecto, quam ipsam producere cum subjecto, ita virtus infinita est in infinitum potentior virtute finita ; et minor probatur primo, quia Aristoteles 8. hujus, text. 80. probans quod primus Motor non est virtus in magnitudine, arguit sic ; quia vel esset in magnitudine infinita, et hoc non ; quia nulla talis est, ut patet in 3. text. 35. et inde, vel in magnitudine finita, et hoc non; quia in magnitudine finita non potest esse virtus infinita, quæ ratio non valeret nisi Deus esset virtutis infinitæ. Secundo probatur minor,quia modus agendi quo Deus agit, vel est finitus,vel infinitus : si infinitus, sequitur, quod Deus sit virtus infinita ; si finitus, sequitur,quod tot actiones agentium inferiorum circa Deum possunt multiplicari, quod possent æquari actioni divinæ, quod est impossibile. Tertio probatur minor, quia ex eo, quod Deus vult aliquid esse, vel fieri, ex eo illud est, vel fit, igitur Deus est virtutis infinitæ. Antecedens patet, 12.Metaph. text. 39. ibi dicit Aristoteles, quod Deus agit per intellectum, et voluntatem. Consequentia probatur, quia non apparet possibile,quod ex eo quod agens finitum velit aliquid, quod illud sit. Sicut licet ego vellem Romam esse hic, tamen non sequitur, Roma est hic, quæ tamen consequentia bene valeret respectu voluntatis divinæ, quod non esset, nisi Deus esset virtus infinita.

Tertio arguitur sic : Agens simpliciter perfectum, et in nullo diminutum producere potest aliquid sine subjecto ; sed Deus est hujusmodi, ergo,etc. Major patet ; quia quanto agens est perfectius, tanto paucioribus instrumentis indiget ad complementum sui operis : ut artifex melior paucioribus instrumentis potest complere opus suum, quam unus malus, et per consequens,quod est simpliciter perfectum nullo instrumento indigebit : et minor patet per Aristotelem in 5. Metaph. cap. de Perfecto, text.21.ubi dicit,quod Deus in nullo deficit, nec aliquid accipit extra ipsum, unde possit perfici. Quarto, quia Deus est omnipotens, ergo, etc. 10.

Ad istas rationes potest responderi secundum Commentatorem.

Ad primam negatur major,nec Auctor 11.

de causis vult aliud, nisi quod causa prima plus influit in causatum, quam secunda ; et quod sit falsum patet, quia Deus mediante me potest facere me movere, me peccare, quæ tamen non faceret sine me.

Ad secundam negatur minor, et Aristoteles intelligit de infinitate durationis, et qualiter hoc sit videbitur in 8. Ad secundam probationem dico, quod ille modus agendi est finitus, perfectior tamen quocumque modo agendi hujus causæ secundæ. Nec consequentia valet, quia non sequitur, perfectio specifica hominis est finita ; igitur tot possunt multiplicari asini, quod perfectio asinina esset æqualis perfectioni humanæ. De tertia probatione dicetur in 8. Unde dico, quod voluntas divina est adeo immutabilis, quod non potest velle aliud extra se, nisi ut ad ejus fieri, vel esse requiratur concursus causæ secundæ, et hoc diceret Commentator.

12. Ad tertiam negatur major ; nec valet consequentia, agens perfectius potest cum paucioribus instrumentis ; igitur simpliciter perfectum cum nullo, negatur consequentia, sed sufficit, quod habeat aliquam operationem, ut puta intellectionem ; vel volitionem sui, quia operatio sua non requirit aliquod instrumentum.

Ad quartam dico, quod Deus est omnipotens respectu possibilium ; modo impossibile est aliquid fieri sine subjecto. Secundum prædictam conclusionem est veritas Fidei, qua ponimus omnia creata esse ex nihilo, ut patet Genes. 1. Ideo ad rationes Aristotelis. Ad primam, inductio illa est insufficiens, quia solum inducit in iis, quæ vidit. Unde non percepit creationem, qua a principio omnia creata sunt. Consimiliter ad secundam.

Ad tertiam dico, quod non est simile, sed postquam entia creata sunt a principio, bene est simile, nisi quandoque Deus operetur miraculose.

Ad quartam negatur consequentia, nec est imaginandum, quod potentia ad formam sit res distincta a materia præcedens formam æternaliter, ut probabitur postea.

Ad quintam negatur consequentia, quia creatio proprie non est transmutatio, quia transmutatio connotat subjectum ; sed creatio connotat oppositum, quia connotat esse post non esse sine subjecto præsupposito. Et sic juxta istam solutionem possunt concordari veritas Fidei, et opinio Aristotelis, concedendo quod nihil potest fieri non præsupposito subjecto, et hoc intendebat Aristoteles, sed aliquid potest creari non præsupposito subjecto, licet non possit fieri. 13.

Nunc ad rationes. Ad primam, Vel ex ente, etc. Illæ duæ primæ rationes fuerunt solutæ in textu.

Ad tertiam, de materia dico, quod materia non fit terminative, sed compositum de quo loquitur hic Aristoteles, sed fit subjective, id est, subjicitur factioni.

Ad quartam, Ex privatione, etc. concedo, quod ex privatione fit aliquid, ut ly *ex* denotat circumstantiam ordinis, non tamen ut denotat circumstantiam subjecti.

Ad quintam, de forma dico, quod imo forma fit ex subjecto præsupposito, nec obstat, quod nulla pars ejus præfuit. Ad ultimam de libro de Pomo dicitur, quod Aristoteles in scientia naturali, determinavit de naturalibus eo modo, quo potest apprehendere per experientias naturales ; et sic loquitur in isto libro ; sed in libro de Pomo loquebatur sicut credebat, dimittendo considerationem naturalem,

EXPOSITIO TEXTUS

Amplius (1) *si omnia insunt quidem*, etc. Ponit secundam conclusionem ; quod non quodlibet est in quolibet. Probatur, quia 14. Text. 3 si quodlibet est in quolibet, sequitur quod aliquod finitum non posset consumi, per resecationem infinitorum corporum æqualium ab illo finito ; consequens est falsum, quia omne finitum per ablationem finiti tandem consumitur. Probatur consequentia, et capiatur aliqua aqua, a qua resecetur una portio carnis, deinde alia, et sic semper, tunc per talem resecationem aliquando devenietur, quod tota caro ex illa

aqua est resecata; et tunc sequitur, quod non quodlibet est in aqua vel in tali resecatione procedetur in infinitum, et habetur propositum, quod infinita æqualia erunt in magnitudine finita, quod est impossibile.

15. *Ad hæc* (2) *autem si omne quidem corpus,*
xt. 38. etc. Ponitur tertia conclusio, quod non quodlibet potest separari a quolibet. Probatur, quia tunc sequeretur, quod esset dare minus minimo: consequens est falsum, et implicans. Consequentia probatur, quia necessarium est, quod entium naturalium, ut puta carnis, et ossis sit determinata quantitas in magnitudine, et parvitate. Capiatur igitur una caro minima; tunc vel ab ista potest separari alia caro, vel non; si non, habetur propositum, quod non quodlibet potest separari a quolibet; si sic, sequitur consequens, videlicet quod est dare minus minimo, scilicet carnem minorem carne minima.

Amplius autem in infinitis corporibus, etc. Probatur secundo, quia sequeretur, quod in corporibus infinitis, essent infinities caro infinita, sanguis infinitus, est cerebrum infinitum, separata tamen ab invicem, quod est impossibile: quia tunc pars non esset minor suo toto, et valde inconveniens est, quod cerebrum sit separatum ab animali: et patet consequentia, ex quo quodlibet est in quolibet.

16. *Nunquam autem* (3) *segregatum iri,* etc.
xt. 39. Sequitur quod qualitates, et passiones erunt separabiles a suis subjectis. Antecedens est falsum; nam impossibile est*, quod sit albedo, et non sit album; sanitas, et non sit sanum: et patet consequentia ex quo quodlibet est separabile a quolibet.

'ide centram in principio jus libri

Quare inconveniens est, etc. Quarto, sequeretur, quod intellectus ille segregans entia ab invicem toto tempore æterno frustraretur a suo fine, consequens est falsum: quia tunc esset ens vilissimum: et patet consequentia, quia intellectus ille semper intendit, et non potest. Et si objiciatur, quod sic argueretur de Intelligentia, quæ nunquam attingit finem suum, quia nunquam complet motum cæli, respondetur negando similitudinem, quia Intelligentia non intendit complere motum cæli sed intendit movere continue, igitur non frustratur a suo fine, sed intellectus ille, de quo loquitur Anaxagoras, intendit complere segregationem; ut ipse posuit, quod est simpliciter impossibile.

Non recte autem (4) *neque generationem* 17.
accipit, etc. Ponitur quarta conclusio; quod Text. 40.
non omne quod generatur, generatur ex sibi simili secundum speciem. Probatur, quia lateres generantur ex luto, et domus ex lateribus, et aqua, et aer generantur ex alterutris, et tamen manifestum est, quod ista non sunt ejusdem speciei, igitur non omnis generatio fit ex sibi simili secundum speciem.

Melius autem est, etc. Ponitur quinta conclusio, quod dignius, et melius est ponere principia finita, quam infinita. Probatur, quia illud est dignius, et melius ponere, per quod melius possunt assignari causæ rerum naturalium, et res naturales melius cognosci, sed hoc potest melius fieri per principia finita. Empedocles melius salvavit causas rerum naturalium per principia finita, quam Anaxagoras per principia infinita.

Omnes igitur contraria principia fa- 18.
ciunt, etc. Iste est tertius tractatus hujus Text. 41.
primi; in quo Philosophus determinat in generali de principiis rerum naturalium, cujus sunt tria capita. In primo ostenditur qualia sunt principia. In secundo ostenditur quot sunt principia, et in tertio quomodo sunt principia. Secundum ibi: *Consequens autem erit dicere.* Tertium ibi: *Sic igitur nos dicamus.* In primo cap. probat istam conclusionem, quod principia sunt contraria: quod probat primo testimonio antiquorum. Secundo ratione. Tertio ostendit quomodo in hoc convenerunt omnes antiqui. Secundum ibi: *Et hoc rationabiliter.* Tertium ibi: *Huc usque igitur.*

Probat igitur dictam conclusionem testimonio antiquorum. Primo, quia Parmenides, et Melissus de quibus minus videtur,

eo quod ponebant tantum unum ens, et immobile, posuerunt principia rerum naturalium esse contraria, scilicet calidum et frigidum, quorum unum appellabant ignem, et aliud terram.

19. Sed dubitatur, qualiter Parmenides, et Melissus potuerunt ponere principia rerum naturalium esse contraria, ex quo ponebant tantum unum ens, et immobile. Ad hoc respondet Commentator quod Parmenides, et Melissus ponebant diversa genera entium; quædam ponebant vera entia secundum existentiam, et de illis dicebant quod non esset nisi unum ens, et immobile. Alia ponebant entia secundum æstimationem, et illorum entium æstimabilium ponebant principia esse contraria, scilicet calidum et frigidum.

Secundo probat Aristoteles per illos, qui posuerunt rarum, et densum esse principia rerum naturalium; modo rarum, et densum sunt contraria.

Tertio per Democritum, qui ponebat principia rerum naturalium esse plenum, et vacuum, quæ sunt contraria, scilicet ens, et non ens, et in hoc loco capitur contrarietas large pro repugnantia, quæ est inter habitum, et privationem.

Quarto patet per illos, qui posuerunt positionem, ordinem, et figuram principia rerum naturalium quæ sunt genera contrariorum. Nam positio dividitur in sursum, deorsum, ante, et retro. Figura dividitur in figuram circularem, et rectilineam: ex quibus patet, quod omnes faciunt contraria principia.

20. Text. 42. *Et hoc* (5) *rationabiliter.* Hìc probat dictam conclusionem ratione; et hoc sic: Illa(a) sunt prima principia, quæ non fiunt ex aliis, nec ex alterutris, et omnia fiunt ex ipsis; sed prima contraria sunt hujusmodi; ergo, etc. Major patet, quia ex quo sunt principia, non fiunt ex aliis: nam illa alia potius dicerentur prima principia, nec fiunt ex alterutris; nam illud principium, quod fieret ex alio, non esset principium maxime primum, sed jam esset principiatum; sed quod omnia fiant ex ipsis patet: quia aliter non essent prima principia, et communia omnium. Probat minorem, et primo quantum ad duas primas partes, secundo quantum ad tertiam ibi: *Sed oportet hoc.*

Vide contradictionem Zimaræ.

Primo ostendit, quod prima contraria non fiunt ex aliis, et per consequens non fiunt ex alterutris. Quod non fiant ex aliis patet, quia eo ipso, quod sunt prima, non fiunt ex aliis, et eo ipso, quod sunt contraria, unum non fit ex alio, et per consequens non fiunt ex alterutris. 21.

Notandum, quod aliquid potest fieri ex altero tripliciter; uno modo tanquam ex subjecto, et sic dicimus, quod forma fit ex materia. Alio modo tanquam ex termino a quo, et sic dicimus, quod ex nocte fit dies. Tertio modo tanquam ex parte integrante, et sic dicimus, quod homo fit ex capite, et manibus, et pedibus, et domus ex lateribus, et lignis. Tunc dico, quod prima principia sive prima contraria non fiunt ex aliis tanquam ex partibus integrantibus, nec etiam ex alterutris: quia unum principium non integrat reliquum, nec unum contrarium cadit in compositionem alterius, sed omnia quæ fiunt, fiunt ex primis principiis, tanquam ex partibus integrantibus, et omne quod fit, fit a suo contrario tanquam ex termino a quo.

Aliqu[id] fieri [ex] alio pote[st] trifaria[m] intellig[i].

Sed oportet (6) *hoc.* Hìc probat, quod omne quod fit, ex suo contrario fit, et primo demonstrat hoc in simplicibus. Secundo in compositis ibi: *Similiter autem.* Primo igitur probat, quod omne quod fit, fit ex suo contrario; quia agentium naturalium nullum est natum indifferenter agere in quodlibet, vel pati a quolibet, aut fieri ex quolibet, sed semper determinatum ex determinato, scilicet unum contrarium ex reliquo, sicut patet exemplariter. Nam album non est natum fieri ex musico, nam (b) album non fit ex musico nisi per accidens, ut puta si accidat nigro, vel medie colorato, quod sit musicus, sed album fit ex non albo, et non ex quolibet non albo, sed ex nigro, aut ex colorato medio colore, similiter musicum non fit nisi ex non musico: et non ex quolibet indifferenter, sed ex non musico, aut

22. Text. 4[3]. *Vide [sum]maram tab. lit. [...] fol. 2[...] col 3. [N]quodl[ibet] fit ex q[uo]libet.*

ex medio si sit aliquod medium. Secundo
Text. 44. (7) declaratur idem, quia non quodlibet corrumpitur indifferenter in quodlibet, sed contrarium in contrarium, ut album in nigrum, vel medium, et eodem modo de musico.

23. Text. 45. *Similiter* (8) *autem*; demonstrat idem in compositis, et dicit quod istud magis latet in compositis, quia dispositiones oppositæ complexionibus compositorum non sunt nominatæ, et ideo imponitur hoc nomen *conservans*, ad significandum dispositionem convenientem composito, et hoc nomen *inconservans* ad significandum oppositum.
Text. 46. Tunc manifestum est, quod conservans non fit immediate ex quolibet, sed determinate ex inconservante, scilicet opposito, et quoad hoc nihil differt, sive illud compositum sit compositum secundum ordinem, ut exercitus; vel secundum compositionem, ut domus; vel secundum figuram, ut statua: quia in omnibus istis unum contrarium fit ex reliquo, et etiam quod semper unum contrarium corrumpitur in reliquum. Ex quo patet, quod omnia, quæ sunt in natura, aut sunt contraria, aut composita ex contrariis.

24. *Huc usque* (9) *igitur fere secuti sunt*, etc. Hic ostendit qualiter in prædicta conclusione antiqui convenerunt, et primo ponit convenientiam, secundo differentiam ibi: *Differunt autem*.

Primo dicit, quod omnes antiqui secuti sunt istam conclusionem, sive illi, qui posuerunt elementa esse principia, sive aliqua alia sine ratione moti, ponunt principia esse contraria, ac si essent coacti a veritate.

Differunt tamen. Ponit differentias ipsorum, et ponit duas. Secundam ibi, *Quare est etiam dicere*. Dicit ergo quod antiqui differunt ab invicem: nam quidam ponunt priora esse principia, ut calidum frigidum; alii posteriora, ut rarum densum; alii notiora secundum sensum, videlicet calidum, frigidum, humidum, siccum; alii notiora secundum intellectum, ut par, et impar; concordiam, et discordiam, et hujusmodi.

Quare (10) *est eadem dicere*. Ponit secundam differentiam, secundo juxta hoc infert quoddam dictum ibi, *Universale quidem*.

Dicit igitur primo, quod quomodocumque isti ponebant principia diversa; attamen omnes isti ponebant secundum quamdam Analogiam, id est, quod omnes conformiter, et uno modo ponebant conditiones principiorum, ut quidam posuerunt unum principium esse continens, et aliud contentum. Alii ponebant unum esse pejus, et aliud melius. Alii ponebant principia esse notiora secundum intellectum, et alii secundum sensum. 25. *Vide Zimaram in tab. lit. C f. 71, col. 3.*

Universale quidem. Hic infert quoddam dictum, id est, quod universale notius est secundum intellectum; singulare autem secundum sensum, et assignat causam; quia ratio, id est, intellectus, est universalis, tanquam objecti; sensus autem est particularium, tanquam objecti, et qualiter hoc sit intelligendum dictum fuit in quæstione mota super prooemium. *Universale est notius secundum intellectum, et singulare secundum sensum.*

ANNOTATIONES

(a) ***Illa sunt prima principia, quæ non fiunt ex aliis***, etc. Nota primo, quod intentio Aristotelis est probare, quod aliqua prima principia sunt contraria, quod in hunc modum probat: Quæcumque neque ex aliis, neque ex sese, sed ex ipsis omnia fiunt, sunt principia: sed prima contraria neque fiunt ex aliis, neque ex sese, sed ex ipsis omnia fiunt; ergo prima contraria sunt prima principia, et per conversionem, prima principia sunt contraria. Ex hac ratione possumus assignare principiorum definitionem: Principia sunt, quæ neque ex aliis, neque ex sese, sed ex ipsis omnia fiunt. 26. *Definitio primorum principiorum.*

Nota secundo, quod inter contraria, quædam sunt primaria, quædam secundaria. Hæc sunt, quæ ex primis resultant, ut albedo, et nigredo, sanitas, et ægritudo, hæc enim ex quatuor primis qualitatibus resultant. Primaria contraria sunt frigiditas, caliditas, siccitas, et humiditas. Et prima contraria adhuc sunt in duplici differentia, prima sunt prædictæ quatuor illæ primæ qualitates; quædam vero physice, ut homo, et non homo, ignis, et non ignis. Non homo, inquam, sumptus non contradictorie, quasi non determinat subjectum certum, sed privative, ut dicit aliquod ens, et hoc secundo *Contraria quædam sunt primaria, quædam secundaria.*

modo accipitur hìc ; homo enim fit ex non homine, id est, determinate ex subjecto hominis forma privato.

27. *Dictio ex dupliciter sumitur.* Nota tertio, quod hæc dictio, *ex*, quæ ter ponitur in hac definitione, secundum aliquos dupliciter accipitur : uno modo in primo, et secundo loco ; altero modo in tertio, ita ut in primo, et secundo loco dicat habitudinem principii essentialis componentis, ut sit sensus : Principia non fiunt ex aliis, neque ex sese invicem tanquam ex principio intrinseco componente : unum enim principium ex alio principio essentialiter non componitur, neque minus contrarium ex contrario : potest tamen (inquiunt) unum principium ex alio fieri tamquam ex termino a quo. In tertio loco dicit habitudinem eamdem principii, scilicet componentis, et insuper habitudinem termini a quo, sicut quando dicimus : ex nocte fit dies, et qua parte dicit primam habitudinem, comprehendit materiam, et formam, qua vero parte dicit terminum a quo, dicit privationem. Ita quod hæc expositio accipit æquivoce illam particulam *ex* in definitione principiorum.

28. *Contraria sumuntur dupliciter.* Alii alium sensum admittunt dicentes, hoc nomen *contraria* dupliciter accipi ab Aristotele. Cum enim dixit *contraria non fiunt ex aliis, neque ex sese*, sumpsit *contraria* in abstracto, ut sunt albedo, et nigredo : quia abstracta ex eodem Aristotele non proprie fiunt : quod enim fit aut est compositum, aut concretum : et cum dicit *omnia fieri ex contrariis*, accipit *contraria* in concreto, vel contraria composita, non autem simplicia, vel in abstracto ; quo pacto verum est dicere, album fieri ex non albo, et hominem ex non homine. Hæc expositio univoce accipit utrobique particulam *ex*, ita ut dicat compositionis habitudinem, et termini a quo, sitque sensus definitionis : Principia sunt quæ neque ex aliis, neque ex sese fiunt compositive, aut tanquam ex termino a quo, ex ipsis tamen omnia fiunt : vel compositive, vel tanquam ex termino a quo, et hæc expositio est Scoti hìc in notabili.

29. *Triplex est terminus a quo.* (b) *Nam album non fit ex musico nisi per accidens*. Nota, quod triplex est terminus a quo, per accidens videlicet, et est id quod cum termino per se conjungitur, et de hoc non agitur : quia non pertinet ad generationem, ut ex musico fieri album. Alter est terminus per se, non tamen primus ; et iste est contrarius, vel incompossibilis, ut aqua respectu ignis, quando ex aqua fit ignis, et album respectu nigri, quando ex albo fit nigrum ; et hujusmodi terminus est ille, in quem agens agit, ut ex ipso educat formam, ideo oportet quod sit oppositum, et dissimile. Tertius terminus est per se, et primus, qui est privatio formæ producendæ : ut quando dicimus ignem fieri ex non igne, ly *non ignis* dicit privationem ignis ; et hujusmodi terminus debet necessario antecedere : quia per generationem, quod non erat acquiritur, et sic ex privatione pervenitur ad formam talis privationis. Non autem dicit hæc privatio solam formæ carentiam, sed etiam potentiam proximam ad talem formam, et sic opponuntur privative tales termini, scilicet a quo, et ad quem. Ideo quidquid fit, ex contrario fit, his duobus modis, præcipue ex ultimo. Quare quando Aristoteles dicit principia esse contraria, non omnia intelligere debemus ; quia non materiam, et formam, sed aliqua principia, videlicet formam, et privationem, quæ privatio non tantum dicit negationem formæ, sed etiam potentiam proximam in subjecto apto nato recipere formam, et præter hoc ponit aliquam formam positivam, aut contrariam, aut incompossibilem formæ producendæ, ut ignis fit ex non igne. Illud *non igne* dicit privationem ignis proximam ad ipsam formam ignis, et insuper dicit formam oppositam in subjecto, scilicet in aqua, vel aliquid simile.

Nota secundo, quod ut Aristoteles declaret ultimam particulam definitionis, scilicet, *sed omnia fiunt ex ipsis*, supponit tria. 30.
Primum non quodlibet agere in quodlibet. Secundum non quodlibet pati a quolibet. Tertium non quodlibet fieri ex quolibet. Primum dicit quod non quodlibet passum est aptum, ut recipiat actionem, vel effectum agentis, quo pacto ignis non potest agere in cælum, aut quando passum non est dissimile agenti, sed jam omnino assimilatum, quo pacto ignis non potest agere in ignem; ex quo sequitur, quod agit in aliud aliquo modo contrarium, saltem privative ; ita scilicet, ut careat ea forma, quam debet recipere ab agente, et sic ex hoc primo supposito colligitur veritas secundi, et tertii : videlicet, quod id quod patitur, patitur a suo dissimili, vel contrario, et ut quodlibet fiat ex eo, a quo aptum est fieri ; unde id quod fit, fit ex contrario physico, et per se.

QUÆSTIO XVIII

Utrum cujuslibet transmutationis naturalis principia sint contraria

Arist. *hic text.* 41. *et sequent.* Simplicius 1. *Phys. comm.* 52. *et* 2. *Phys. circa text.* 15 Philoponus 1. *Physic. circa text.* 43. Albert. *tract.* 3. *cap.* 3. Zabarel. *lib.* 1. *de materia, cap.* 7. D. Thom. 1. *Phys. lect.* 10. *et* 1. *part. quæst.* 46. *art.* 1. *ad* 3. Canonic. *quæst.* 3. *art.* 2. Conimbr. 1. *Phys.*

cap. 5. *qu.* 2. Complut. *disput.* 2. *quæst.* 3. Rubius 1. *Phys.cap.* 5. *quæst. unica.* Roccus *quæst.* 13.

1. Arguitur quod non, quia principia substantiæ sunt substantiæ, modo substantiæ nihil est contrarium ; ergo, etc.

Secundo, quia omnia contraria sunt in subjecto, ut patet in isto primo, quia unum contrarium non subjicitur alteri : modo principia non sunt in subjecto ; quia jam essent principiata, et illa subjecta essent principia ; igitur principia non sunt contraria.

Vide Zimaram in tab. lit. P. 3.2.col. 3. Tertio, quia principia oportet semper manere, ut patet per Aristotelem in isto primo, text. 50. sed contraria non semper manent ; ergo, etc.

Quarto arguitur per conditiones principiorum, quia principia non fiunt ex aliis, nec ex alterutris ; sed contraria fiunt ex aliis, scilicet ex suis subjectis ; et fiunt ex alterutris, quia non quodlibet fit indifferenter ex quolibet, sed determinate ex suo contrario, ut patet in isto primo, text. 43.

2. Demum arguitur per instantias ; quia compositio domus est quædam transmutatio, et tamen non fit de contrario in contrarium ; quia nulla est dispositio lignorum, vel lapidum, quæ sit contraria dispositioni domus, cum dispositiones eorum maneant facta domo.

Secundo, quia generatio, corruptio, cognitio, illuminatio, et hujusmodi sunt quædam transmutationes, et tamen non sunt de contrario in contrarium, imo de privatione in habitum, vel e contra.

Tertio, quia motus augmentationis est quædam transmutatio, et tamen est de contrario in contrarium, imo de uno relativo oppositorum ad aliud.

Quarto, quia motus localis alicujus mobilis ab Oriente ad Austrum super lineam rectam, est quædam transmutatio, et tamen non est de contrario in contrarium ; quia Auster non contrariatur Orienti : imo magis Occidens contrariatur Orienti.

Quinto, quia motus circularis est quædam transmutatio, et tamen non est de contrario in contrarium, imo de eodem in idem.

Sexto, quia vel respectu omnium formarum, quibus eadem materia est, unica privatio, vel plures, non plures ; quia privatio non est aliud, quam materia privata ; si una tantum, tunc cum tantum uni unum sit contrarium, ut patet 10. Met. text. 14. sequitur quod illa privatio non contrariatur nisi unicæ formæ, et per consequens transmutationes ad alias formas non erunt de contrario in contrarium.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo, tract. 3. c. 1. text. 41. Notandum, quod (a) quatuor modis invenitur contrarietas in rebus, quæ non sunt termini, vel propositiones. Primo modo oppositio inter privationem et habitum vocatur contrarietas, large accipiendo contrarietatem, et sic dicimus, quod sonus, et silentium sunt contraria. Secundo accipitur contrarietas pro oppositione inter relative opposita : maxime inter illa, quæ dicuntur de quantitate, et sic dicimus, quod magnum, et parvum sunt contraria, et improprie dicitur de intensione, quia intensio imaginanda est per modum qualitatis, et ideo intensum, et remissum vocantur contraria. Tertio modo accipitur contrarietas pro oppositione, quæ est inter terminos motus localis, quæ significatur per terminos absolutos de genere *Ubi*, cujusmodi est oppositio inter *Oriens*, et *Occidens*, vel inter *Oriens*, et *Auster*. Quarto accipitur contrarietas, pro repugnantia duarum formarum intensibilium, et remissibilium, quarum una nata est alteri inesse, ut in subjecto, nec simul possunt inesse eidem subjecto, et sic opponuntur ad invicem caliditas, et frigiditas, albedo, et nigredo. Et quilibet istorum modorum potest subdividi, ut verbi gratia, de primo modo ; quia materia privata, vel habet formam ejusdem generis cum ea, qua privata est, vel alterius ; ut aer privatus lumine non habet aliquam formam ejusdem generis cum lumine ; exemplum de quarto modo ; quia vel illæ formæ intensibiles, natæ sunt se invicem

3. *Contrarietas quatuor modis invenitur in rebus.*

expellere per actiones proprias, ut qualitates primæ; vel consequuntur se invicem in subjecto, non per actiones proprias, sed consecutive per actiones aliarum qualitatum; sicut qualitates secundæ.

4. *Substantia quomodo dicatur contraria substantia.* Secundo notandum, quod non solum dispositiones, vel formæ accidentales dicuntur contrariæ, imo etiam (b) substantia dicitur contraria ratione suarum dispositionum; sic dicimus quod ignis et aqua contrariantur, non quod forma substantialis ignis sit contraria formæ aquæ, sed qualitates unius, qualitatibus alterius, et secundum hoc substantia dicitur contraria. Et non solum dicitur contrarietas de hujusmodi qualitatibus, vel de substantiis ratione qualitatum, imo etiam de terminis significantibus hujusmodi qualitates: tamen hoc est a voluntate; quia per prius dicitur contrarietas de rebus, et ex consequenti per attributionem dicitur de terminis, ut verbi gratia; sicut una urina dicitur contraria alteri, eo quod una est significativa sanitatis, et alia ægritudinis, ita similiter termini dicuntur contrarii, qui significant res contrarias aliquo dictorum modorum contrarietatum.

5. *Principia quomodo sunt contraria.* Istis præmissis, sunt duo modi respondendi ad quæstionem. Primus modus supponit quod privatio non sit res distincta a materia, imo materia privata est privatio; et tunc ponitur una conclusio quod nulla principia sunt contraria. Probatur, quia nulla sunt principia nisi materia, et forma: quæ non contrariantur ad invicem, cum sint simul, et unum informet reliquum.

Secunda conclusio. Quando Aristoteles dicit principia esse contraria, intelligit, quod de materia cum transmutatur prius dicatur unus terminus, et facta transmutatione dicatur alter, qui sunt ad invicem contrarii, ut ante transmutationem dicitur, materia est non informata, et postea dicitur, quod sit informata: modo informatum, et non informatum sunt contraria.

6. Sed (c) contra istud objicitur primo, quia posito, quod nullus esset terminus mundi, adhuc fieret transmutatio naturalis de uno contrario in contrarium, igitur non sufficit illa verificatio terminorum, quia sive sint illi termini, sive non; non minus est transmutatio naturalis. Secundo, quia semper contrarietas terminorum præsupponit contrarietatem rerum significatarum, ut patet ex notabili. Ideo nisi transmutatio esset de contrario in contrarium, termini verificati de materia ante transmutationem, et postea non essent contraria. Hoc confirmatur; quia contrarietas terminorum fit præcise ratione rerum significatarum contrariarum; quia terminis non competunt conditiones contrariorum, ut puta, quod agant ad invicem, et patiantur, et quod unus resistat alteri, et quod juxta se invicem posita magis elucescant.

In omni transmutatione præsupponitur subjectum. Ista igitur via demissa, sequitur alia, supponendo primo, quod in omni transmutatione præsupponitur subjectum, sive materia; patet ex præcedenti quæstione. Secundo supponitur, quod in proposito capitur contrarietas communiter ad quatuor modos contrarietatum prænotatos.

7. *Omnis transmutatio est de contrario in contrarium.* Nunc ponitur ista conclusio: Omnis transmutatio est de contrario in contrarium. Et possunt contraria in proposito sic definiri; contraria sunt, quorum alterum, vel medium inest subjecto apto nato, et impossibile est ambo inesse simul. Probatur conclusio, quia in omni transmutatione transmutatur aliquod subjectum per primam suppositionem; et tunc vel subjectum habet dispositionem, ad quam transmutatur, vel non: si sic, hoc est falsum propter duo. Primo, quia frustra transmutaretur ad id, quod habet. Secundo, quia recipiens debet esse denudatum a natura recepti, ut patet 3. de Anima, text. com. 4. si non habet illam dispositionem, et natum est ipsam habere, igitur est privatum illa dispositione, per definitionem privationis, et facta transmutatione habebit illam dispositionem, igitur materia transmutata est de contrario in contrarium; quia materia privata est contraria sibi ipsi informatæ. Nam per notabile idem potest esse contrarium sibi ipsi ratione diversarum dispositionum.

8. Secundo, patet conclusio inductione in quatuor generibus mutationum, scilicet in generatione, et corruptione in alteratione, in augmentatione, et motu locali.

Contra conclusionem arguitur, quia (d) idem transmutat seipsum ; igitur, non omnis transmutatio est de contrario in contrarium. Tenet consequentia, quia si idem esset contrarium sibi ipsi, jam appeteret sui corruptionem ; et antecedens apparet, nam intellectus agit in seipsum cognitionem. Similiter aqua calefacta agit in seipsam frigiditatem : et unum speculum agit in aliud omnino consimile sibi, in quo repræsentatur, igitur eadem ratione potest agere in seipsum.

Respondetur negando consequentiam, nec est inconveniens, quod idem sit contrarium sibi, non per suam substantiam, sed per diversas dispositiones sui ; nec sequitur, quod appetat sui corruptionem,quando contrarietas illa est inter privationem, et habitum, vel inter relative opposita : modo dico, quod intellectus agens in seipsum debet reputari pro patiente respectu cognitionis, quam agit : sed intellectus mediantibus speciebus intelligibilibus debet reputari pro agente, et sic aliud est ibi agens,et passum,quod passum patitur cognitione,quam agit.Consimiliter dicitur de aqua calefacta: nam aqua calefacta mediante frigiditate virtualiter reputatur pro agente ; sed aqua sola circumscripta frigiditate tali, reputatur pro patiente. De speculo dico,quod unum speculum omnino consimile alteri nunquam repræsentaretur in alterum, nisi secundum latera ejus, quæ sunt dissimilia speculo.

9. Secundo, quia transmutatio, vel est materia, vel forma, vel aliquod accidens distinctum. Si materia,tunc materia non esset principium transmutationis, cum idem non sit principium sui ipsius ; et per idem probatur,quod non sit forma.Nec est accidens; quia materia, et forma non sunt principia alicujus accidentis, etiam tunc principia non essent contraria.

Respondetur quod(e)transmutatio est ipsa materia, quæ transmutatur, et secundum quod caret dispositione, ad quam est transmutatio, est contraria sibiipsi, secundum quod habet illam formam post transmutationem. Et quando dicitur, igitur materia est principium suiipsius, concedendum est non simpliciter, sed cum addito, scilicet quod materia est principium sui, ut sit transmutatio.

Tertio, quia privatio et forma sunt contraria, igitur privatio et forma sunt. Consequens est impossibile, quia quando est unum, tunc non est reliquum ; igitur antecedens est impossibile. Respondetur uno modo concedendo consequens, supposito quod omnis transmutatio sit successiva ; quia tunc subjectum est partim privatum forma, et partim formatum. Aliter dicitur negando consequentiam sicut non (f) sequitur prius, et posterius sunt relativa, vel sunt contraria, igitur sunt ; quia istud nomen *contraria* est terminus ampliativus, et etiam *relativa*, quæ non determinant sibi convertentiam, sed *esse* sumitur pro intelligi, ut de istis relativis *prius*, et *posterius*.

Quarto dubitatur, quæ albedo sit contraria huic nigredini, et sic de aliis qualitatibus ; quia vel contrariatur albedo,quæ est, et hoc non, quia albedo quæ est, non est nata consequi in subjecto nigredinem existentem, quia tunc migraret de subjecto in subjectum. Respondetur, quod albedo quæ est, est contraria nigredini, quæ est, nec oportet, quod ipsa possit sibi succedere, sed sufficit, quod ipsa, vel una consimilis sibi,possit ei succurrere. 10.

Quinto,quia vel respectu cujuslibet formæ est una privatio tantum, vel respectu alicujus est alia privatio. Respondetur secundum aliquos, quod respectu omnium formarum ejusdem speciei, quibus privatur materia, est unica privatio, sed respectu formarum diversarum specierum sunt diversæ privationes, (g) tamen non credo (cum privatio non sit aliud, quam materia privata,) quod oporteat ponere talem pluralitatem privationum, et ideo solum est una

privatio, qua materia est privata respectu omnium formarum, vel dispositionum, quibus ipsa caret.

11. Nunc ad rationes. Principia substantiæ, etc. concedo: modo substantiæ (h) non est contrarium; verum est secundum suam propriam essentiam; sed secundum suas dispositiones privativas, vel positivas bene est aliquod contrarium.

Ad secundam: oportet principia semper manere, etc. Hoc intelligitur de forma, et materia, non secundum rationem, qua est privatio, sed secundum rationem, qua manet sub utroque termino transmutationis, scilicet quod oportet materiam, et formam manere post transmutationem; sed privatio non manet, id est, tunc materia non est privata, et ideo ante transmutationem potest concedi logice, quod privatio manebit, quando non manebit privatio.

Ad tertium omnia contraria sunt in subjecto, verum est de contrariis quarto modo, et non de aliis modis contrarietatum.

Ad quartum, quia principia non fiunt ex aliis. Dico, quod istæ conditiones debent intelligi de principiis divisim: verbi gratia, materia non fit ex aliis, vel ex alterutris tanquam ex subjecto, vel tanquam ex parte integrali; sed forma non fit ex aliis, nec ex alterutris, tanquam ex parte integrali, licet bene tanquam ex subjecto. Sic similiter contraria non fiunt ex alterutris, tanquam ex parte integrali, nec etiam tanquam ex subjecto, sed fiunt ex alterutris, ut ly *ex* denotat circumstantiam ordinis. Similiter etiam bene fiunt ex aliis, tanquam ex subjectis. Aliæ instantiæ sunt solutæ in quæstione.

ANNOTATIONES

12. (a) *Quatuor modis invenitur contrarietas in rebus*, etc. Nota quod accipitur hîc contrarietas pro oppositione, est autem oppositio relatio inter duo opposita: nam totum esse oppositorum est ad aliud. Quemadmodum enim pater dicitur filii pater, sic oppositum dicitur opposito oppositum, estque oppositio in communi quid æquivocum ad omnes oppositiones, nam inter oppositiones assignatas ab Aristotele in libro Prædicamentorum cap. de Oppositione, duæ illarum sunt entia rationis, scilicet contradictoria, et privativa oppositio; duæ vero entia realia, scilicet contraria, et relativa oppositio: modo nihil est univocum ad ens reale, et rationis. Potest autem oppositio communiter accepta dividi in opposita, disparata, et opposita proprie. Disparata sunt, quæ sunt quidem repugnantia, non tamen sunt opposita, ut homo, et leo. Opposita proprie sunt, quæ maxime repugnant, aut simpliciter, aut in eodem subjecto. Dicitur simpliciter, ut comprehendantur contradictoria, quæ maxima est inter oppositiones, eo quod minus convenientiæ compatitur cum altero, et quanto minus unum extremum compatitur aliquid alterius, tanto magis perfectius secundum illud est.

Contrarietas accipitur pro oppositione.

Oppositio in communi est quid æquivocum.

Oppositio in communi in quæ dividatur.

13. Dixi in eodem subjecto, ut comprehendantur relative, contrarie, et privative opposita. Illa enim dicuntur maxime pugnare in eodem subjecto, quæ cum inhæreant subjecto, vel habeant se quasi formæ competentes subjecto, talia sunt, ut neutrum repugnet magis alicui, quam suo opposito. Verbi gratia, pater, et filius subjectantur in animali, et pater ita repugnat filio, ut nulli alteri rei magis repugnet: neque enim possunt inveniri simul in eodem subjecto respectu ejusdem, et unum habet repugnantiam peculiarem cum alio. Idem dicendum est de albedine, et nigredine, quæ sunt contrarie, et de visu, et cæcitate, quæ sunt privative opposita.

14. (b) *Substantia dicitur contraria*, etc. Nota, quod contrarietas accipitur dupliciter, uno modo fuse pro quacumque oppositione, et sic omnia opposita, et quomodocumque incompossibilia sunt contraria: et in hoc sensu dixit Aristoteles 2. de Generatione, text. 24. quod aqua igni contrariatur, et aer terræ; et 10. Metaph. text. 13. quod differentiæ divisivæ generum sunt contrariæ, et in hoc primo, text. 41. et inde, quod privatio contrariatur formæ substantiali. Alio modo sumitur contrarietas presse, et sic est oppositio, quæ versatur inter illa, quæ sub eodem genere sunt, et habent fieri circa idem subjectum, a quo propria actione mutuo se expellunt, ut caliditas, et frigiditas: et in hac significatione substantia non est alteri substantiæ contraria, nisi ratione suarum qualitatum, ut hic dicit Scotus.

Contrarietas accipitur dupliciter.

15. (c) *Contra illud objicitur*. Nota, quod Scotus non impugnat hanc sententiam, in eo quod asserat privationem non esse rem a materia distinctam. Nam eamdem sententiam tenet ipsemet Scotus in hac quæst. et quæst. 21. hujus primi: sed illam rejicit in eo quod dicit in secunda conclusione, nempe quod de materia cum transmutatur, prius dicitur unus terminus, et facta

transmutatione dicitur alter, qui sunt ad invicem contrarii, ita ut totam rationem contrarietatis ponat in terminis, et non in rebus, et hoc est quod reprobat hìc Scotus.

Agens naturale agit in quantum est in actu tripliciter intelligitur.

(d) *Idem transmutat seipsum*. Nota, quod Scotus in responsione ad hanc instantiam concedit, quod idem agit in seipsum. Pro cujus clariori luce observandum est primo, quod agens naturale agit in quantum est in actu, quod tripliciter intelligi potest. Primo in actu formali ; ut quando id, quod formaliter est calidum, calefacit. Secundo modo virtualiter, ut quando aliquid habet virtutem ad producendum id, quod formaliter non habet, ut Sol virtualiter est calidus, quia potest producere calorem, quo formaliter caret. Tertio modo dicitur aliquid in actu eminenter; quo pacto Deus continet omnia, nullaque est perfectio in creaturis, quæ eminentius non sit in Deo.

16. *Agere contingit multis modis.*

Secundo observandum est, quod multis modis contingit agere. Primo modo id dicitur agere, quod movet localiter. Secundo quod generat, et corrumpit. Tertio quod alterat secundum qualitates sensibiles, sive primas, sive secundas. Quarto quod auget, seu movet motu augmentationis. Ultimo, quod secundum animam operatur sentiendo et intelligendo.

Aliquid potest tripliciter movere, vel moveri.

Tertio observandum est, aliquid posse tripliciter moveri, et movere, scilicet per accidens, per partem, et secundum se totum, quæ divisio explicabitur magis in 7. hujus quæst. 1. et in 8. q. 7. Ex his dico primo, quod in motu locali aliquid potest movere se per accidens. Anima enim in animalibus movet se per accidens, dum movet per se corpus, ad cujus motum per accidens et ipsa movetur.

Secundo dico, quod aliquid dicitur movere se per partem motu locali, ut animalia dicuntur movere se ipsa secundum animam per partem, quia movent corpus.

17. Dico tertio, quod aliquid movet se secundum se totum localiter. Hoc assertum est Scoti 2. Sentent. d. 2.q. 10.; a multis tamen negatur, eam tamen Toletus dicit esse probabilem, dicitque quod fatetur, et profert suam ignorantiam : quia non videt, quomodo hoc non sit factibile. Sicut enim intellectio actio est, quæ procedit ab eo, quod est actu, et recipitur ab eo, quod est in potentia, et tamen unum, et idem se intelligit, quare unum et idem non se movebit in corporibus ? Nihil enim prohibet, quod sit in actu et in potentia secundum motum localem, nam ut movet debet esse in actu saltem virtualiter, et ut movetur debet esse in potentia formali, et capax motus.

Nihil se generat secundum se totum seu secundum partes.

Dico quarto, in generatione nihil se per accidens, aut secundum se totum generat, quamvis per partes se generet. Prima pars patet ; quia in generatione acquiritur simpliciter esse, et quod generat debet habere esse simpliciter : nihil autem potest esse, et non esse simpliciter; ergo, etc. Secunda pars etiam patet in nutritione, quæ dicitur partialis generatio, atque idem de corruptione est dicendum.

18. *Idem potest seipsum per accidens alterare.*

Dico quinto, idem potest seipsum per accidens alterare, videlicet quia alterat per se id, ad cujus alterationem alteratur : hoc patet in anima, quæ dum corpus alterat calefaciendo, infrigidando, per accidens ipsa alteratur.

Idem secundum se totum seipsum non potest alterare.

Dico sexto, idem secundum se totum non alterat seipsum ; idem enim prorsus non calefacit, et calefit ; quia quod alterat, debet habere formam actu ; et quod alteratur, debet carere illa : modo impossibile est, quod idem sic habeat, et non habeat eamdem formam. Oppositum tamen hujus conclusionis probabilissimum videtur Toleto, motus eadem ratione, qua hoc ipsum asserunt in motu locali, quia sat est, inquit, habere calorem; verbi gratia virtualiter, carereque illo formaliter, et sic ipsum totum calefieri a se toto : hoc idem affirmat hìc Scotus, dum dicit quod aqua calefacta mediante frigiditate virtuali agit in seipsam frigiditatem.

Idem auget se secundum partem.

Dico septimo, in augmentatione idem se auget secundum partem ; quia anima auget, et virtus augmentativa, et corpus augetur. Potest etiam dici, quod idem secundum se totum augetur, id est, secundum omnes suas partes formales, quia scilicet in omnibus est virtus augmentandi, et receptiva augmenti.

Transmutatio bifariam sumi potest.

(e) *Transmutatio est ipsa materia, quæ transmutatur*. Nota, quod transmutatio bifariam sumi potest. Uno modo pro formali, et sic est relatio transmutati ad transmutans, et e contra, et est quid realiter distinctum a materia, et forma. Alio modo sumitur transmutatio pro connotato, atque ita est ipsa materia, quæ transmutatur, et in hac secunda significatione debet intelligi Scotus.

19. (f) *Non sequitur, prius, et posterius sunt relativa, igitur sunt.* Nota, quod in objectione, et responsione supponit Doctor, relativa dici ad convertentiam, et esse simul natura, quæ proprietas non convenit nisi relativis secundum esse, sive illis relativis, quæ mutuo se includunt in suis significationibus, id est, quæ mutuo per se referuntur, ita ut esse unius sit ad aliud se habere, et e converso ; quia posito uno, ponitur et reliquum, et uno destructo, destruitur alterum : illa vero relativa, quæ secundum suas formas non dicuntur ad invicem, et mutuo ab invicem non dependent, non sunt simul natura, ut scientia, et scibile. Nam ad esse simul natura, ut docet Aristoteles in Postprædicamentis cap. de modis *Simul*, duo sunt necessaria. Primum quod ab uno ad alterum sit mutua consequentia. Secundum quod neutrum sit causa alterius. Adde insuper, quod hæc

proprietas non convenit relativis, si materialiter, et secundum subjectum sumantur : quia hoc modo pater est prior filio ; sed convenit formaliter secundum formam relativam, quam important. Nec sequitur, dicit Scotus, prius et posterius sunt formaliter relativa : ergo sunt ; sed bene sequitur, Sunt, vel fuerunt, vel erunt, quia hujusmodi termini *prius*, et *posterius*, sunt termini ampliativi, et maxime in relativis, quæ non determinant sibi convertentiam, quemadmodum sunt quædam relativa secundum dici.

20. *Agere contingit multis modis.* (g) *Non credo cum privatio non sit aliud, quam materia privata*, etc. Nota, quod materia dupliciter potest considerari, uno modo ut nuda omni forma, et sic unicam tantum habet privationem in genere ad omnes formas. Secundo, considerari potest cum dispositionibus ad talem, vel talem formam ; et sic dicitur materia proxima : quo modo tot sunt materiæ proximæ, quot dispositiones diversæ : sunt autem tot dispositiones, quot sunt formæ numero, quia unaquæque suam dispositionem requirit, et per consequens hoc pacto tot erunt numero privationes, quot formæ.

(h) *Substantiæ non est contrarium secundum suam propriam essentiam*, etc. Posset etiam dici, quod substantiæ nihil proprie et positive est contrarium ; Physice tamen et privative aliquid est contrarium, et sic accipit Aristoteles.

EXPOSITIO TEXTUS

21. Text. 50. *Consequens* (1) *autem erit dicere utrum duo, aut tria, aut plura*, etc. Istud est secundum caput tertii tractatus, in quo Philosophus determinat de numero principiorum, et dividitur in quinque partes, secundum quinque conclusiones, quas ponit. Secundam ibi : *Infinita autem non.* Tertiam ibi : *Quoniam autem finita.* Quartam ibi : *Tria igitur dicere elementa esse.* Quintam ibi : *plura autem tribus, non amplius.* Primo dicit, quod postquam dictum est, quod principia sunt contraria ; nunc videndum est utrum sint duo, vel tria, aut plura tribus ; et tunc ponitur prima conclusio, quod Principia rerum naturalium non sunt tantum unum. Probatur, quia illa, quæ sunt contraria, non sunt tantum unum : sed principia sunt contraria ; ergo ; etc. Major patet, quia una res non est contraria sibi ipsi, et minor est nota ex præcedenti capitulo.

Principia rerum naturalium non sunt tantum unum.

Infinita autem non. Hic ponitur secunda conclusio, quod Principia rerum naturalium non sunt infinita : et ista fuit prima conclusio 2. cap. 2. tract. Probatur quatuor rationibus. Prima, quia si principia rerum naturalium essent infinita, sequeretur, quod res naturales non essent cognoscibiles, consequens est falsum, quia de ipsis habemus scientiam naturalem. Probatur consequentia, quia ad cognoscendum res naturales oportet cognoscere omnes causas earum, et principia ; modo infinita sunt incognita, quodlibet scilicet conceptu distincto, et proprio.

Principia rerum naturalium non sunt infinita.

Et una contrarietas, etc. Ponitur secunda ratio, quia in (a) unoquoque genere est una prima contrarietas : sed genera sunt finita, ergo contrarietates sunt finitæ ; sed unius contrarietatis solum sunt duo extrema, igitur extrema contraria sunt finita : et cum principia contraria sint prima contraria ; sequitur quod principia contraria sunt finita : et quia duobus contrariis est unum subjectum suppositum, sequitur quod omnia principia sunt finita. Vel sic formetur ratio juxta textum ; In unoquoque genere est una prima contrarietas ; sed substantia est quoddam genus; igitur in genere substantiæ est una prima contrarietas ; sed cujuslibet contrarietatis sunt duo extrema, et non plura, igitur prima contraria in genere substantiæ sunt duo, et non plura : sed prima principia contraria sunt prima contraria in genere substantiæ ; igitur prima principia contraria sunt duo, et non plura, et cum duobus principiis contrariis sufficiat unum subjectum, sequitur, quod omnia principia sunt finita. 22. *Vide contradictionem Zimaræ.*

Et quia contingit ex finitis, etc. Ponitur tertia ratio, quia si natura potest facere omnia ex principiis finitis, quæ potest facere ex infinitis, melius est ponere principia finita, quam infinita : sed omnia possunt salvari ; ergo, etc. Major patet, quia in artibus, qui potest complere opus intentum modico conatu, et labore, et adhibet magnum laborem, et pœnam, frustra, et otiose agit, et ita similiter in naturalibus. Minor apparet, nam Empedocles opi- 23.

nabatur assignare causas rerum naturalium per principia finita, quemadmodum Anaxagoras per principia infinita.

Amplius sunt alia aliis priora, etc. Ponitur quarta ratio. Prima contraria sunt finita, sed prima principia sunt solum prima contraria per exclusionem aliorum contrariorum, quæ non sunt prima, igitur prima principia sunt finita. Major patuit prius, quia in unoquoque genere etc. et minor apparet : nam quædam sunt contraria prima ut album, et nigrum, dulce et amarum; et alia secunda, ut fuscum, pallidum, ponticum, acutum. Nunc principia non sunt contraria secunda, quia prima principia non fiunt ex aliis; et tamen ista contraria secunda fiunt ex aliis, scilicet ex primis contrariis : etiam oportet principia semper manere, sed qualiter hoc sit intelligendum videbitur in quæstione, et tamen secunda contraria non semper manent, ex quibus patet, quod principia contraria nec sunt unum, nec infinita.

ontraria sunt duplicia.

24. Text. 51. *Quoniam* (2) *autem finita non facere duo tantum*, etc. Hic ponit secundam conclusionem, dicens primo, quod ex quo principia sunt finita, adhuc habet quamdam rationem, id est, dubitationem facere, id est, ponere duo principia tantum, vel non ponere duo tantum, et tunc ponitur ista conclusio : Principia rerum naturalium sunt plura duobus. Probatur, quia in omni transmutatione, oportet quod sit aliquod quod maneat sub utroque termino transmutationis, sed unum contrarium non manet sub reliquo, nec recipit reliquum, igitur præter illa contraria oportet ponere aliud subjectum, et istius rationis Aristoteles solum ponit minorem, et conclusionem in fine. Major patet, quia quod transmutatur, alteratur, ideo oportet, quod sit aliquod subjectum, quod aliter, et aliter se habeat : et minor patet, quia densitas non est nata facere raritatem, nec raritas est apta nata recipere densitatem, sive causatam a seipso, sive causatam ab aliquo alio, et ita de omnibus aliis contrariis : ut verbi gratia, concordia non conducit, id est, non recipit discordiam causatam a se, vel etiam ab alio, sed præter ista oportet esse alterum tertium.

rincipia rerum naturalium unt plura uobus.

Quidam autem et plura recipiunt, etc. Ponit secundam rationem, quod est testimonium antiquorum : nam quidam, ut Plato, et Anaxagoras, posuerunt principia plura duobus, ex quibus conficiunt, id est, componunt naturam eorum, quæ sunt, id est, res naturales.

Ad hæc (3) *autem adhuc*, etc. Ponitur tertia ratio, quia nisi contrariis esset subjecta alia natura, sequeretur quod substantia componeretur ex non substantiis : consequentia patet, quia videmus, quod nihil quod est de substantia alicujus rei, contrariatur alicui, quod est de substantia ejusdem : et cum principia sint de substantia compositi, habetur consequens. Vel aliter sequeretur, quod præter principia contraria, habebimus alia principia non contraria et per consequens plura duobus. Et si dicatur contra, quod privatio et forma contrariantur, dico, quod privatio non est de substantia compositi, et ideo præter privationem habere oportet duo alia principia ad minus, quæ sint de substantia compositi, aliter enim omnia essent simplicia. Falsitatem consequenter probat Aristoteles dupliciter. Primo, quia proprium est substantiæ non esse in subjecto, nec dici de subjecto ; sed prima principia, nec sunt in subjecto, nec dicuntur de subjecto, quia tunc illud subjectum potius diceretur principium ; ergo, etc. 25. Text. 52.

Sed objicitur, quia forma est substantia, et tamen est in subjecto. Respondetur quod forma non est in subjecto per modum accidentis. Nam accidens dat subjecto, in quo est, solum esse accidentale, sed per formam substantialem datur esse substantiale, et ideo diversimode. Secundo probatur falsitas consequentis, quia si substantia componeretur ex principiis, quæ sunt non substantiæ, sequeretur, quod non substantia esset prior substantia, quod est falsum. Ex (4) quo patet quod considerans rationes prædictas habet necessario ponere tertium subjectum, si debet salvare naturas utras- 26. Text. 53.

que contrarias.

27. *Quemadmodum dicunt*, etc. Ponitur quarta ratio, et est testimonium antiquorum, unde omnes antiqui præter duo principia contraria, tertium ponebant principium subjectum ; quorum aliqui ponebant ignem, aquam, terram, aliqui aerem, et aliqui aquam, et aliqui medium inter ista : et comparando ista ad invicem, dicit Aristoteles quod ponentes (b) medium inter elementa esse principium materiale melius posuerunt : quia de ratione principii materialis est, quod sit exemptum a contrariis : modo medium est magis exemptum quam extrema, et ita (5) melius dixerunt, qui posuerunt aerem, aut aquam esse principia materialia, quam ponentes ignem, vel terram, eo quod ignis, et terra, maxime ab invicem contrariantur, et ex isto loco solet allegari, quod terra est magis frigida, quam aqua. Ad quod potest responderi, quod terra apparet frigidior aqua ad sensum ; non quia sit intensior in gradu frigiditatis, sed propter opacitatem materiæ.

Text. 54.

Terra quomodo sit frigidior aqua.

Sed subdit Aristoteles, *Quod* (6) *omnes antiqui figurant*, id est, disponunt istud principium materiale aliquibus contrariis, quidam raritate, et densitate ; quidam magno et parvo. Et ista opinio de magno, et parvo fuit valde antiqua : nam quidam assignantes diversitates rerum provenire ex parte formæ, ponebant magnum et parvum principia formalia rerum naturalium : sed Plato considerans diversitatem rerum sub eadem specie provenire ex parte materiæ, ideo ponebat magnum, et parvum principia materialia.

Text. 55. Vide contradictionem Zimaræ.

Vide Zimaram in tab. litt. A. fol. 28. col. 3.

Tria igitur (7) *dicere*, etc. Hic ponitur, quarta conclusio, quod oportet ad minus rerum naturalium esse tria principia. Probatur ex præcedentibus, quia principia rerum naturalium sunt contraria, et sunt plura duobus per præcedentem conclusionem, igitur oportet quod ad minus sint tria.

Principia rerum naturalium non sunt plura, nec pauciora, tribus.

28. *Plura autem tribus, non amplius*, etc. Ponitur quinta conclusio, quod principia rerum naturalium non sunt plura tribus. Probatur, quia (c) duo contraria, et unum subjectum sufficiunt : nam si essent plura subjecta, oporteret etiam esse plures contrarietates ; modo consequens est falsum, quia substantia est unum genus, igitur in ipso est una prima contrarietas, et extrema, scilicet prima contraria de genere substantiæ erunt principia, et nulla alia : quia omnes aliæ contrarietates videntur reduci in unam primam contrarietatem, videlicet substantiæ. Similiter quod sint plura subjecta est impossibile : nam omnia entia naturalia ad invicem transmutantur, et tamen si essent plura subjecta solum illa transmutarentur in invicem, quæ convenirent in subjecto.

ANNOTATIONES

(a) *In unoquoque genere est una prima contrarietas.* Nota, nullas species habere inter se æqualem perfectionem, sed aliæ superantur ab aliis, ex quo fit, ut aliæ includant imperfectionem, hoc est, privationem quamdam perfectionis aliarum, et ex consequenti hæc contrarietas sit in omnibus communis, quam vocamus nomine habitus, et privationis. Nihil est aliud igitur in unoquoque genere esse unam primam contrarietatem, quam in unoquoque Prædicamento omnes contrarietates revocari ad perfectum, et imperfectum, seu ad habitum, et privationem. 29.

Speci non ha bent æqu lem per fectione

(b) *Ponentes medium inter elementa*, etc. Nota, quod Aristoteles vocat subjectum generationis naturam mediam. Medium autem est triplex, scilicet quod ex utriusque extremi mixtione conficitur, ut rubrum, vel viride ex albo, et nigro ; aliud per negationem extremorum, ut lapis est medium sani, et ægri : quia neque est sanus, neque æger ; aliud vero per potentiam ad utrumque extremum recipiendum, et hoc tertio modo subjectum, et materia dicitur hic natura media, quia est in potentia receptiva utriusque extremi.

Medi est trip

(c) *Duo contraria et subjectum sufficiunt.* Nota, quod quando dicit Aristoteles quamlibet contrarietatem suum habere subjectum, intelligit de contrarietate in genere, et in communi, quæ est prima, et radix contrarietatis, scilicet de habitu, et privatione, non autem loquitur de contrarietate particulari : quia de hoc contingit in uno subjecto plures esse contrarietates, secundum quod erunt multæ formæ, et earum privationes, 30.

QUÆSTIO XIX

Utrum sint tria principia rerum naturalium, et non plura, nec pauciora

Arist. 1. *Phys. c.* 6. *et* 7. Avic. *lib.* 1. *sufficien. c.* 1. Simpl. 1. *Phys. com.* 53. Themist. *n.* 56. D. Thom. *lect.* 12. Canon. *q.* 8. *art.* 1. Mayron. *q.* 5. Conimb. 1. *Phys. c.* 7. *q. unic.* Complut. *disp.* 2. *q.* 2. Ruvius 1. *Phys. c.* 7. *quæst. unica.*

1. Arguitur quod non : quia tunc essent materia, forma, et privatio; sed privatio est materia, igitur sunt tantum duo.

Secundo, per Aristotelem in fine 3. tractatus, text. 68. ubi dicit, quod unum contrariorum est per se sufficiens facere transmutationem, igitur præter illud non requiruntur alia principia.

Tertio, quia principia debent semper manere, ut dicit Aristoteles 1. hujus, text. 50. sed privatio non semper manet, imo desiit esse in adventu formæ, igitur privatio non est principium; et per consequens non sunt nisi duo.

Quarto, quia numerando principia, vel numerantur res, quæ sunt principia, et tunc non sunt nisi duæ res, scilicet materia, et forma; vel termini supponentes pro rebus, et tunc sunt plures, scilicet elementum cum materia.

Quinto, vel numerantur principia intrinseca solum, et tunc non sunt nisi duo, ut patet 2. hujus, text. 28. scilicet materia, et forma; vel numerantur extrinseca cum intrinsecis, et tunc sunt quatuor, ut patet ibidem.

2. Sexto, quia dispositiones, et qualitates, mediantibus quibus fiunt transmutationes, sunt principia rerum naturalium : quia agunt ad generationes ipsarum, et illæ dispositiones sunt plures tribus : igitur principia sunt plura tribus.

Septimo, tot sunt principia, quot principiata; sed principiata sunt plura tribus, ergo, etc. Major patet, quia principium, et principiatum opponuntur relative ; et quot modis dicitur unum oppositorum, et reliquum, ut patet 3. Topicorum, c. 22.

Octavo, quia cujuslibet rei naturalis sunt tria principia : sed quodlibet principium est res naturalis, igitur cujuslibet principii sunt tria principia; et ita de principiis illorum, et sic in infinitum.

Nono, quia quælibet pars materiæ est principium, cum sit materia; sed infinitæ sunt partes materiæ, igitur infinita sunt principia.

Decimo, hæc est falsa, *tantum tria sunt principia rerum naturalium*; igitur et ista est falsa, *principia rerum naturalium sunt tria*. Consequentia tenet; quia idem significat. Antecedens probatur, quia sequitur tantum, tria sunt principia rerum naturalium; igitur tria sunt principia rerum naturalium : et nulla alia, quam tria, quod est falsum : quia si tria sunt principia rerum naturalium, duo sunt principia rerum naturalium, quæ sunt alia a tribus.

Oppositum arguitur per Aristotelem cap. 2. tract. tertii, text. 56. In quæstione movebuntur duo dubia. Primum est utrum cujuslibet rei naturalis sunt tria principia; et secundum, utrum cujuslibet transmutationis naturalis sint tria principia. *Divisio quæstionis*

Quantum ad primum notandum, quod in proposito non intendimus per principium, principium magnitudinis temporis, et motus, cujusmodi sunt tempus instans, et mutatum esse : nec intelligimus principium doctrinæ, quemadmodum dicimus, quod istud est principium : *omne totum est majus sua parte*; nec principium, quod est pars integralis, quemadmodum dicimus, quod fundamentum est principium domus; sed per principium intelligimus partem essentialem, cujusmodi est materia, et forma. 3. *Principium multis modis sumitur.*

Secundo, notandum, quod aliquid (a) potest dici ens naturale tripliciter. Uno modo large, ut accidens, et dispositio dicitur ens naturale : et sic dicimus, quod motus cœli est naturalis, et hoc vocatur secundo hujus, text. 10. secundum naturam. Secundo modo dicitur ens naturale; ut materia et *Aliquid potest dici naturale tripliciter.*

forma; et hoc improprie; quia tam materia, quam forma dicitur natura, ut patet in secundo. Sed tertio modo, et proprie dicitur ens naturale compositum ex materia et forma.

4. Nunc ponuntur conclusiones. Prima est: Nullum ens naturale, ut accidens, et dispositiones, habet aliquod principium essentiale aliud, scilicet a suis partibus integralibus, et a partibus intensionis. Patet per Aristotelem 4. Metaph. tex. 13. et 14. ubi dicit, quod accidentia non habent materiam ex qua sunt, sed in qua sunt, et ly *ex*, denotat ibi circumstantiam partis essentialis, vel integralis.

Secunda conclusio: Nullum ens naturale dictum secundo modo, scilicet ut materia, vel forma, habet principium intrinsecum. Probatur, quia sequeretur, quod in principiis esset processus in infinitum: quia ex quo materia haberet partes essentiales, eadem ratione quælibet illarum partium haberet alias partes essentiales, et sic in infinitum. Secundo patet, quia pars essentialis dicitur, quia est simplex per privationem compositionis ex naturis diversis.

Contra conclusionem objicitur, quia illud est principium intrinsecum, et essentiale materiæ, quod est causa formalis materiæ; sed forma est causa formalis materiæ, igitur forma est principium intrinsecum, et essentiale materiæ. Consimiliter probaretur, quod materia esset principium intrinsecum formæ. Patet major 2. hujus tract. 3. tex. 31. quia per hoc differt forma ab agente, et fine.

Secundo, quia quælibet pars materiæ est principium intrinsecum materiæ, igitur ens naturale ut materia, habet principium intrinsecum, et essentiale; quia quælibet pars materiæ est essentialis pars.

5. Ad primum negatur major. Ad probationem dico, quod materia, et forma sunt causæ intrinsecæ compositi, respectu cujus agens, et finis sunt causæ extrinsecæ, tamen materia est causa extrinseca formæ.

Ad secundum, concedo, quod quælibet pars materiæ est principium intrinsecum respectu materiæ, eo modo, quo pars integralis est principium intrinsecum totius. Et cum dicitur, quælibet pars materiæ est essentialis, verum est respectu compositi, sed non respectu materiæ, cujus ipsa est pars.

Rei naturalis composita sunt tantum duo principia.

Tertia conclusio. Cujuslibet rei naturalis, quæ est composita ex materia, et forma, sunt duo principia, et non plura, neque pauciora: et loquor de compositis generabilibus, et corruptibilibus. Probatur, quia quodlibet tale generabile producebatur de non esse ad esse; igitur ejus productioni substernebatur aliquod subjectum, ut patet ex præcedentibus, igitur illud subjectum mutabatur ad aliquam dispositionem, vel non: si non, tunc nihil fuisset generatum, quod est contra positum; si sic, et illa dispositio erat forma, et per consequens in productione talis compositi est subjectum, et dispositio acquisita, et non plura: ergo, etc.

Secundo patet inducendo, quia homo componitur ex materia et forma, et non ex pluribus partibus essentialibus, et ita de aliis compositis. Nec valet dicere, quod ibi requiritur privatio, quia producto composito desinit esse privatio.

Contra conclusionem objicitur, et primo contra probationem, quia sequeretur, quod 6.
si aliquid esset de novo creatum, quod de ipso non possemus cognoscere an haberet materiam; ex quo ejus productioni non subjiciebatur materia. Secundo, quia cujuslibet mixti, præter materiam et formam, elementa simplicia sunt principia intrinseca, et essentialia; igitur non solum materia, et forma; et tenet consequentia, et antecedens patet, cum mixtum moveatur secundum naturam elementi prædominantis. Tertio, quia per istas conclusiones non respondetur ad quæsitum: quia quærebatur an essent tria principia rerum naturalium, et non plura, nec pauciora; et respondetur quod cujuslibet rei sunt duo principia. Modo non sequitur, cujuslibet compositi naturalis sunt duo principia, et

non plura, igitur omnium rerum naturalium sunt duo principia, quia illa vel essent duo secundum numerum ; et hoc non, quia quilibet nostrum habet duo diversa secundum numerum ; aut secundum speciem, et hoc non, quia diversæ sunt formæ secundum speciem, ut forma asini, et forma equi ; igitur plura sunt principia diversa secundum speciem, quam duo.

Ad ista. Ad primum negatur consequentia, quia licet non cognoscatur habere materiam, ex eo, quod suæ productioni subjiciebatur materia, tamen ex hoc, quod jam subjicitur diversis mutationibus, cognoscimus, quod habet materiam.

Ad secundum negatur antecedens : quia Aristoteles loquitur hic de principiis, quæ non sunt amplius resolubilia in alia principia : modo elementa simplicia resolvuntur ulterius in materiam, et formam ; vel diceretur quod elementa (b) non manent in mixto.

...a di- ...tur ...spe- ...plici-

Ad tertium potest dici, quod omnium compositorum naturalium principia sunt duo secundum speciem. Ad probationem, quod non, quia forma hominis, et forma asini differunt secundum speciem. Nota, quod aliqua dicuntur idem specie dupliciter ; uno modo, quod de eis prædicatur idem conceptus quidditativus, ut Socrates, et Plato dicuntur ejusdem speciei. Secundo modo ; quia de eis verificatur terminus connotativus secundum eamdem rationem ; et sic homo, et asinus dicuntur ejusdem speciei, eo quod uterque est compositus. Tunc dico, quod omnium compositorum naturalium sunt duo principia ejusdem speciei, secundo modo : quia omnium formæ conveniunt in hoc nomine *forma*, et de omnium materiis dicitur hoc nomen *materia*, qui sunt termini relativi, ut patet 2. hujus, text. 26. Patet igitur qualiter cujuslibet compositi naturalis sunt duo principia, et non plura, et omnium compositorum naturalium sunt duo principia secundum speciem, et hoc de primo.

...inci-

Quantum ad secundum, notandum, quod aliquid potest dici dupliciter principium intrinsecum. Uno modo quia est pars integralis, vel essentialis ipsius. Alio modo quia est necessario requisitum ad cognitionem ipsius, ita ut illud aliud non possit cognosci, definiri, imaginari sine ipso ; et sic dicimus, quod motus est principium naturæ, quia sine motu non potest cognosci natura, saltem definitive.

pium intrinsecum potest aliquid dici bifariam.

Transmutatio quid sit secundum rem.

Secundo notandum, quod alii ponunt transmutationem esse materiam, alii formam, alii accidens successivum distinctum a materia, et forma ; et sive sit materia sive forma, sive accidens, non est cura ad propositum.

Nunc ponitur prima conclusio, quod capiendo principium primo modo, nullum est principium intrinsecum, et essentiale transmutationis, sive transmutatio ponatur materia, sive forma, vel accidens. Patet quia nullum tale habet partem essentialem, licet bene integralem, ut patet ex prima parte quæstionis ; ex quo sequitur quod nisi transmutatio capiatur pro composito, quod materia, et forma non sunt principia transmutationis ; nisi dicatur quod sunt principia extrinseca, et non intrinseca.

9. *Materia et forma non sufficiunt ad transmutationem.*

Secunda conclusio, Materia qualitercumque se habens, una cum forma non sufficiunt ad transmutationem. Probatur, quia tunc semper compositum transmutaretur ad suam formam. Ex quo sequitur, quod ad transmutationem naturalem oportet materiam prius esse privatam forma, ad quam est transmutatio. Et aliqui ponunt, quod materiam sic esse privatam, est quoddam accidens existens in materia, æternaliter præcedens formam ; tamen dico quod non ; imo est ipsa materia privata. Ex quo sequitur, quod transmutationis naturalis sunt duo principia realiter distincta, et non plura, scilicet materia et forma ; sed alterum istorum qualitercumque se habens non sufficit ad transmutationem, scilicet materiam, quam oportet esse privatam, etc. Secundo sequitur, quod in definitione transmutationis naturalis non sufficit exprimere formam, et materiam qualitercumque se habentia : imo in definitione transmuta-

tionis debent poni tres termini, quorum uno designetur materia, ut manet sub utroque termino transmutationis, et per alium designetur materia, ut est privata forma ante transmutationem; et sic patet quod compositi naturalis, vel etiam transmutationis, non sunt nisi duo principia realiter distincta. Tamen ad transmutationem oportet aliquod istorum aliqualiter se habere, et est simile : nam ad actionem sufficiunt agens, et passum ; tamen agens qualitercumque se habens non sufficit ; imo requiritur, ut sit applicatum passo, quæ applicatio non est aliud ab agente. Sic similiter ad transmutationem sufficiunt materia, et forma, licet non sufficiat materia qualitercumque se habens ; imo requiritur quod sit privata, quod esse privatam non est aliud a materia, et hoc de secundo.

Transmutationis naturalis non sunt nisi duo principia.

10. Ad rationes. Ad primam, Tunc essent materia, etc. Concedo, quod materia, et forma sunt principia compositi ; sed materia, forma, et privatio sunt principia transmutationis, capiendo principium secundo modo, pro eo, sine quo aliquid non potest cognosci, et definiri : quia transmutatio definitur per formam, materiam, et privationem.

Ad secundam, Quia alterum contrariorum etc. Dico, quod sic intelligitur, quod alterum contrariorum cum subjecto per ejus præsentiam, scilicet post transmutationem, et ejus absentiam, scilicet ante transmutationem, sufficiens est ad transmutationem, etsi aliquando inveniantur ambo contraria, ut quando de calido fit frigidum, tamen hoc non est necessarium, ut patet in illuminatione. Similiter si(c) compositum habeat plures formas substantiales, sicut quidam dicunt, una potest corrumpi nulla alia generata, et per consequens non requiruntur ambo contraria ad transmutationem, sed sufficit una forma cum sua privatione.

11. Ad tertiam, Principia debent, etc. Dico quod sic intelligitur, quod principia debent semper manere per privationem in alia consimilis naturæ, ut materia nunquam corrumpitur in materiam, nec una forma in aliam, tanquam in subjectum, licet bene tanquam in oppositum.

Ad quartam, Vel numerantur termini, vel res. Dico, quod utroque modo : nam compositi naturalis, et etiam transmutationis, sunt duo principia, quæ sunt res ; sed loquendo de terminis, tunc erunt tres termini positi in definitione transmutationis, quibus terminis principia designantur.

Ad quintam dico, quod loquimur de principiis intrinsecis solum, et ideo concedo, quod cujuslibet compositi naturalis sunt duo principia intrinseca, et non plura ; tamen ad transmutationem non sufficiunt illa duo, qualitercumque se habentia ; sed requiritur alterum illorum, scilicet materiam esse privatam, ut dictum est.

Ad sextam negatur, quod illæ dispositiones sunt principia intrinseca, et essentialia, de quibus loquimur in proposito.

Ad septimam, Tot sunt principia, etc. 12.
Concedo, quod sunt plura principia secundum numerum, quam principiata ; imo in duplo plura ; sed non de pluralitate secundum speciem, ut dictum fuit in quæstione ; et tunc ad illam regulam, Quot modis dicitur, etc. dico, quod illa regula debet intelligi quantum ad significata, et non quantum ad supposita : ut verbi gratia, si unum oppositorum significat unum, vel duo æquivoce, reliquum habebit tot significata æquivocata ; ut quia istud nomen *album* significat album in voce, et album in colore ; ita similiter istud nomen *nigrum*, quod sibi opponitur, significat nigrum in voce, et nigrum in colore ; sed non oportet, quod quot supposita habet iste terminus *album*, quantum ad significatum coloris, quod tot habeat iste terminus *nigrum*.

Ad octavam, Quia cujuslibet rei naturalis, etc. Dico, quod principia non sunt res naturales proprie, sed sunt naturæ, ex quibus composita dicitur res naturalis, et ideo principiorum non sunt alia principia.

Ad nonam, Quælibet pars materiæ, etc. Dico, quod non loquimur de principiis, quæ

sunt partes integrales, sed de principiis, quæ sunt partes essentiales.

3. Ad decimam dico, quod ista, *Tantum* (d) *tria sunt principia*, potest dupliciter exponi; uno modo per exclusionem numeri majoris, ut tria sunt principia secundum speciem, et non sunt plura, et hoc est concedendum referendo ad transmutationem, quomodo dictum est. Alio modo per exclusionem omnium illorum, de quibus non dicitur subjectum, ut tria sunt principia, et nulla alia, quam tria sunt principia, tunc est falsum : quia duo sunt principia, quæ sunt alia a tribus.

Tunc ad auctoritatem post oppositum dico, quod Aristoteles intelligit, quod ad transmutationem naturalem requiruntur duo principia, scilicet materia, et forma ; et tertium principium, id est, quod alterum istorum qualitercumque se habens non sufficit ; sed oportet ipsum aliqualiter se habere, ut puta oportet materiam esse privatam ; ratione cujus in definitione transmutationis naturalis oportet ponere tres terminos, ad designandum materiam, formam, et privationem, id est, materiam esse privatam ante transmutationem, scilicet quando mutatur in acquisitiva, et per oppositum in deperditiva.

ANNOTATIONES

14. *...atura, natu-..., et ens ...ndum ...uram ...erunt.* (a) *Aliquid potest dici ens naturale tripliciter*, etc. Nota discrimen esse inter naturam, ens naturale, et ens secundum naturam. Natura namque est principium motus, et quietis illi in quo est ; quod principium, ut dicitur 2. Physic. est materia, et forma substantialis, quia ipsa sunt principia motus. Ens naturale est corpus de prædicamento Substantiæ, et quidquid sub eo essentialiter continetur, et dicuntur entia naturalia, quia habent materiam, et formam, quæ sunt naturæ. Ens secundum naturam est proprietas quælibet, aut affectio entis naturalis, videlicet motus, et hujusmodi.

15. (b) *Elementa non manent in mixto.* Nota, quod Avicennæ sententia fuit elementa formaliter remanere in mixto, quamvis divisa in minutissimas partes ; qualitates tamen elementorum dicit esse remissas, et temperatas. Hanc sententiam secutus est Albertus Magnus lib. 1. de Gener. tract. 6. cap. 4. Jandunus 4. Physicæ, cap. 4. et alii, qui diversimode eam explicant, ut videre est apud Toletum lib. 1. de Generat. Eamdem sententiam defendit Averroes, qui ab Avicenna differt in hoc, quod putat formas elementorum substantiales remitti, et intendi posse, sicut et qualitates; quare confitetur elementa in mixto formaliter manere, eorum tamen formæ sunt remissæ. Scotus in 2. distinct. 15. quæst. 1. sic explicat mixtionem, et modum quo elementa sunt in mixto; dicitque quod in omni genere est invenire medium, quod cum extremis communicat, ut in coloribus rubor inter albedinem, et nigredinem ; non quidem taliter, quod albedo, et nigredo, sint partes actuales ruboris ; quia rubor est simplex qualitas, sicut albedo ; et sic ista compositio non est nisi convenientia naturalis medii cum extremis, non extremi ad extremum. Ita similiter forma mixti dicitur continere elementorum formas, non quod illas contineat actu, sed quia naturaliter habet convenientiam cum illis.

Secundo etiam hoc ipsum explicat sic : Aristoteles dicit formam mixti esse perfectiorem formis elementorum ; omne autem imperfectum continetur virtualiter in suo perfectiori, formæ ergo elementorum continentur virtualiter in forma mixti. Sicut enim forma animæ vegetativæ, et sensitivæ eminenter, et virtualiter continentur in intellectiva, taliter quod intellectiva exerceat operationes aliarum, ita etiam formæ elementorum sunt virtualiter in forma mixti : quia habet operationes consimiles operationibus elementorum. Ideo postquam Aristoteles dixit, quod elementa manent in mixto, subjunxit, salvatur enim virtus eorum : quia virtutes elementorum sunt virtualiter in forma mixti. Sententia ergo Scoti est, quod elementa non manent formaliter in mixto, nec secundum formas substantiales remissas, ut dicebat Commentator 3. Cœli, comm. 70. quia forma substantialis non suscipit magis, et minus, neque in esse perfecto (ut dicebat Avicenna) quia in uno mixto essent plura supposita ; forma enim elementaris potest cum materia constituere suppositum per se subsistens in genere substantiæ, sed tantum virtualiter, quæ fuit etiam sententia Divi Thomæ 1. de Generat. text. 94. et 1. p. q. 76. art. 4. Ægidii, Marsilii, et Alberti de Saxonia, et est communis. 16.

Et cum dicitur, quod mixtum movetur ad motum elementi prædominantis 1. Cœli, tex. 17. respondetur, quod prædominium elementi in mixto attenditur secundum convenientiam in qualitate naturali, quæ qualitas est principium motus, ut gravitas movendi deorsum, non quod elementum fit secundum substantiam. Unde secundum diversam mixtionem elemen- 17.

torum concurrentium in generatione illa, aliquando mixtum magis convenit in forma cum uno elemento, quam cum alio, et sic in qualitate simili, quæ est qualitas mixti, et non elementi, et ideo habent similem modum consequentem, et similem actionem.

(c) *Si compositum habeat plures formas substantiales*, etc. Nota, quod de hac re variæ sunt sententiæ. Prima est Pauli Veneti 1. Metaphysicæ, asserentis in composito tot esse formas substantiales Physicas, quot prædicata quidditativa, et univoca, ita ut in Petro, verbi gratia, sit una forma Physica, per quam sit homo, et alia per quam sit animal, et sic de aliis prædicatis. Secunda opinio fuit Ocham Quodl. 3. existimantis, quod saltem in homine debent dari duæ formæ substantiales, altera sensitiva, altera intellectiva.

Tertia opinio est divi Thomæ in quæst. disp. et Gregorii de Arimino in 2. dist. 27. quæst. 2. et Soncin. 8. Metaph. quæst. 12. asserentium in quacumque re dari unam formam substantialem tantum.

18. Quarta opinio est Scoti in 4. distinctione 11. quæstione 3, qui breviter dicit quatuor. Primo dicit quod multæ formæ substantiales non possunt inesse eidem secundum idem, et æque primo : quia alias sequeretur, quod unum numero actu esset plura numero actu, ut si unica materia substantialis haberet duas formas substantiales, æque primo est unum : quia una materia esset etiam duo : quia haberet duas distinctas formas specie, et numero. Secundo dicit, quod in non viventibus non possunt esse plures formæ substantiales, sed una forma specifica tantum. Tertio dicit, quod in viventibus possunt esse plures formæ substantiales, secundum idem, non tamen æque primo, verbi gratia, in homine præter animam rationalem datur forma corporis, sive ista sit una omnium partium heterogenearum, sive sit integrata ex omnibus illis, sive sit alia distincta ab omnibus illis. Quarto dicit, quod in quolibet vivo præter formam animati, et præter aliam formam communem corporis, et mixti, quæ sunt communes viventi, sunt etiam aliæ partiales specifice distinctæ tot, quot organa distincta. Hanc Scoti sententiam diffuse explicatam vide in 1. tomo nostrorum Commentariorum super 4. Scoti, distinctione 11. quæstione 3. Cæterum contra sententiam Ocham nota, quod ejus sententia videtur esse error condemnatus in 8. Synodo generali Constantinopolitana celebrata sub Adriano II. anno Domini 875. act. 11. can. 11. ubi ita legitur, *Apparet quosdam id temporis in tantum impietatis venisse, ut hominem duas animas habere impudenter dogmatizent. Tales igitur impietatis inventores, et similia sentientes cum vetus, et novum testamentum, omnesque Ecclesiæ patres unam animam rationalem habere hominem asseruerint, sancta, et universalis Synodus anathematizat.* Advertere tamen licet aliud esse ponere plures formas, aliud vero plures animas. Unde nos quidem cum Scoto vere et catholice ponimus plures formas, nempe formam corporis et animam, non tamen plures animas, quia hoc esset errare.

(d) *Tantum tria sunt principia*, etc. Nota, 19.
quod primo modo exponitur propositio gratia pluralitatis ; sed secundo modo gratia alietatis : quando autem dictio exclusiva additur termino numerali, semper propositio exponi debet gratia pluralitatis, id est, et non sunt plura, verbi gratia, tantum tria sunt principia, quæ est sua præjacens, et non sunt plura tribus, ergo tantum tria sunt principia. Quando vero exponitur gratia alietatis, propositio, in qua ponitur terminus numeralis, redditur falsa. Quia exponitur, et non sunt alia a tribus, verbi gratia, tantum tria sunt principia. Tria sunt principia, et non sunt alia a tribus, quæ exponens est falsa, quia duo sunt alia a tribus, et tamen sunt principia. Observa tamen, quod hæc propositio, *Tantum principia sunt tria*, de rigore logico est falsa, quia in illa propositione excluditur numerus ternarius ab omnibus quæ non sunt principia : nam dictio exclusiva affirmativa posita a parte subjecti excludit prædicatum ab omni eo, quod non est subjectum, vel de quo non formaliter prædicatur subjectum, quod tamen est falsum : quia Personæ divinæ sunt tres, et alia quamplurima sunt in numero ternario, quæ tamen non sunt principia rerum naturalium. Hæc vero, *Principia rerum naturalium sunt tantum tria*, est vera : quia principia rerum naturalium non sunt plura, neque pauciora, quam tria, et illa propositione dicitur nullum alium numerum principiis rerum naturalium convenire, quam ternarium, quod utique verum est : vide supra in alia annotatione.

EXPOSITIO TEXTUS

Sic igitur (1) *non dicamus primum*, etc. 2
Istud est tertium capitulum hujus tracta- Text
tus in quo Aristoteles ostendit, quæ sunt principia, et quomodo sunt principia, et dividitur : quia primo præmittit intentionem. Secundo prosequitur, ibi : *Dicimus enim fieri*. Primo dicit, quod nunc primo dicendum est de omni generatione, id est, de omni transmutatione, et per istum ordinem : quia primo determinabitur de

transmutatione secundum rationes communes convenientes transmutationi, et secundo secundum rationes speciales. Et causa ordinis secundum Commentatorem est triplex. Prima, quia res sunt nobis notiores in rationibus communioribus, quam sub rationibus minus communibus, ut patet 1. hujus text. 4.

Secunda, quia rationes communes includuntur in rationibus specialibus, et ideo si prius determinaretur de transmutatione secundum rationes speciaIiores, jam idem bis repeteretur. Tertia causa, quia rationes communes non sunt demonstrabiles de primo, nisi de subjectis communibus ; et ideo de primo determinabitur de subjectis communibus secundum rationes communes.

21. *Dicimus enim fieri ex alio aliud*, etc. In ista parte principaliter, et primo præmittit tria præambula. Secundo prosequitur suam intentionem. Secundum ibi : *determinatis autem his*, etc. Primum præambulum est,quod sicut (a) fieri attribuitur simplicibus, ita etiam attribuitur compositis. Ubi sciendum, quod fieri attribuitur aliquibus secundum duplicem modum loquendi ; verbi gratia, dicimus aliquod fieri aliud, ut puta hominem fieri musicum, et tunc iste modus loquendi attribuitur illi, quod præcedit transmutationem ; sed alio modo attribuitur fieri, dicendo ex non musico fit homo musicus, et secundum istum modum loquendi fieri attribuitur illi,quod sequitur transmutationem. Tunc dicit Aristoteles, quod sicut utroque istorum modorum loquendi fieri attribuitur simplicibus, ut puta, homo fit musicus, ita potest attribui compositis, id est, terminis complexis ; ut homo musicus fit non musicus, vel ex homine albo fit non album.

Aliquid dicitur fieri duobus modis.

22. *Ilorum autem hoc quidem præmittit*. Secundum præambulum, et est istud, quod non solum subjectum dicitur fieri aliud, vel quia ex ipso fiat aliud ; sed hoc idem dicitur de privatione, verbi gratia, non solum dicimus, quod homo fit musicus ; sed etiam dicimus, quod non musicum fit musicum, et quod ex non musico fit musicus ; differunt tamen, ut dicit Aristoteles, quia non dicitur de subjecto, quod ex ipso fiat, ut non dicimus ex homine factus est musicus, sed dicimus, quod homo factus est musicus ; sed de privatione dicimus utroque modo, tamen ista differentia modicum apparet in lingua nostra ; sed forte magis apparet in lingua Græca.

Eorum autem (2) *quæ ut simplicia*, etc. Text. 59.
Præmittit tertium præambulum videlicet, quod in iis, quibus attribuitur fieri, quæ sunt simplicia, aliud est permanens ante transmutationem, et postea, ut puta materia ; aliud vero non est permanens, scilicet privatio opposita dispositioni acquisitæ per mutationem, sicut cum non musicus factus fuerit musicus, non permanet non musicus, nec etiam non musicus.

Determinatis (3) *autem his*. Hic prosequi- 23.
tur intentum, et dividitur, quia primo os- Text. 60.
tendit quæ sunt principia. Secundo ostendit quomodo sunt principia, ibi : *Manifestum igitur est*. Primum dividitur, quia primo determinat de materia. Secundo de privatione. Tertio regreditur ad materiam, et Quarto regreditur ad formam. Secundum ibi : *Et hoc etsi numero est unum*. Tertium ibi : *Multipliciter autem cum dicatur*. Quartum ibi : *Quare manifestum est ex dictis*. Primo ponit istam conclusionem, quod in omni eo, quod fit, id est, quod in omni transmutatione et factione oportet esse aliquod, quod se habeat prius, et posterius ; sed illud quod aliter se habet, est subjectum : ergo, etc. Major patet, quia illud, quod transmutatur, alteratur, et per consequens aliter se habet ; et minor apparet : quia non est aliquid aliud : ut puta nullus terminus transmutationis aliter se habet ante, et post : et ista conclusio sequitur ex ultimo præambulo.

Et hoc et si numero est unum. Hic Aris- 24.
toteles ponit secundam conclusionem, scilicet quod in omni transmutatione naturali, requiritur aliquod, quod est unum numero, et non unum specie, id est, ratione. Probatur, quia in omni transmutatione re-

Vide Zimaram in tab. litt. 8. f. 377. tom. 1.

quiritur materia, et privatio ; sed materia, et privatio sunt unum numero, et non sunt unum secundum rationem : ergo, etc. Major patet de materia, per præcedentem conclusionem ; sed de privatione probatur, quia oportet subjectum transmutationis privari dispositione, ad quam transmutatur : et minor apparet pro prima parte : nam idem est homo, et non musicum esse, quod est privatio. Secunda pars apparet, quia materia, et privatio differunt secundum rationem, quod patet ex duobus : primo quia materia manet, privatio autem non, facta transmutatione ; secundo quia subjecto non attribuitur fieri nisi secundum unum modum loquendi ; sed privationi attribuitur secundum duos, ut patet ex
Text. 61. præambulis. Dicit (4) tamen Aristoteles, quod verum est in aliquibus, sicut in artificialibus, quod subjecto attribuitur fieri secundum utrumque modum ; ut dicimus quod ex ære fit statua ; similiter de privatione dicimus utroque modo, ut quod ex hoc fiat hoc, et etiam quod hoc fit hoc. Notandum quod ex ista parte Aristoteles non vult aliud, nisi quod in omni transmutatione naturali requiruntur duo principia, scilicet materia, et forma, et quod unum istorum, scilicet materia, qualicumque se habens non sufficit ad transmutationem, sed requiritur, quod sit privata dispositione, ad quam est transmutatio.

25. *Multipliciter* (5) *autem cum dicatur fieri.* Hîc regreditur ad materiam, probando, quod in omni transmutatione necessarium est esse materiam formatam. Probatur, quia omnis transmutatio est naturalis, vel artificialis, sed in omni transmutatione naturali, et etiam artificiali præsupponitur subjectum ; igitur in omni transmutatione præsupponitur subjectum. Major nota est, et minor probatur ; primo de transmutatione naturali, quia transmutatio naturalis, vel est ad qualitatem, vel ad quantitatem, vel ad ubi : et in omnibus istis manifestum est aliquod subjectum transmutari : nam omnia ista insunt substantiæ. Vel est transmutatio simpliciter ad substantiam, sicut in generatione animalis, vel plantæ, et tunc manifestum est, quod omnia ista fiunt ex quodam subjecto, ut puta ex semine. Sequitur :

Vide contradictionem Zimaræ.

Fiunt (6) *autem quæ fiunt*, etc. Probat idem in artificialibus, quia in artificialibus illa, quæ fiunt, alia fiunt transfiguratione, ut puta, quando materia transponitur de una figura in aliam figuram. Alia appositione, ut paries : alia subtractione, ut imago Mercurii ex lapide ; alia compositione, ut domus ; alia alteratione, ut ea quæ convertuntur secundum materiam, ut puta quorum materia unius est transmutabilis in materiam alterius ; et e contra, ut metalla : et in omnibus istis manifestum est, quod est materia subjecta.

Text. 63. *Artificialia diversis modis fiunt.*

Quare (b) *manifestum* (7) *est ex dictis.* In ista parte Aristoteles inquirit formam, et ponit istam conclusionem, quod in omni transmutatione naturali requiritur forma. Probatur : quia in transmutatione subjectum transmutatur de una dispositione ad aliam dispositionem : modo per illam dispositionem, ad quam subjectum transmutatur, intelligo formam, quæ est terminus ad quem est transmutatio. Tamen propter textum exponitur sic, quod ex dictis ostensum est, quod omne, quod fit per mutationem, est compositum, cujus est aliud, scilicet aliqua pars, quæ fit scilicet simpliciter, et illa pars est forma, sed alia pars est quæ non fit simpliciter ; sed de ipsa dicitur, quod hoc fit, et istud est subjectum, quia potest considerari dupliciter, uno modo secundum rationem, qua permanet sub utroque termino transmutationis, et sic de ipso dicitur, quod subjectum fit musicum ; aut consideratur secundum rationem, qua privata fuit dispositione, ad quam fuit motus, et isto modo vocatur privatio, sub qua continetur infiguratio, inordinatio, informitas, quæ non est aliud, quam materia informis.

26. Text. 64.

Manifestum (8) *igitur quod si quidem sunt*, etc. Hîc ostendit quomodo ista sint principia ; et dividitur, quia primo ostendit quomodo materia, et forma sunt principia. Se-

27 Text. 65 *Ex hoc te- tu hab- tur qu omne co-*

...positum solvitur in sua ...mponen-... ...ateria et forma ...nt prin-...pia per rei na-...ralis. cundo, quomodo privatio est principium; et tertio quomodo principia sint duo, et quomodo tria, et quomodo non. Secundum ibi: *Est autem subjectum,* etc. Tertium ibi: *Unum autem species, et ordo.* Est igitur conclusio ista, quod materia, et forma sunt principia per se rei naturalis. Probatur, quia illa sunt principia per se rerum naturalium, ex quibus tanquam ex causis primis sunt, et fiunt res naturales; sed ex materia, et forma sunt, et fiunt res naturales, tanquam ex causis primis: ergo, etc. Major patet ex quid nominis hujus, quod est *esse per se causam;* et minor apparet, quia compositum naturale componitur ex istis, et hoc per se: quia resolvens rationem totius resolvet in rationem eorum, scilicet materiæ et formæ, ex quibus componitur: sicut, v. g. Aristoteles exemplificat de homine, tanquam de materia; et de musico, tanquam de forma. Unde ratio hominis est ista, *animal rationale mortale*; ratio vero musici est ista, *habens musicam.* Ideo ratio compositi erit ista, Animal rationale mortale habens musicam.

28. ...ext. 66. *Privatio ...st principium per ...ccidens.* *Est autem* (9) *subjectum numero quidem unum*, etc. Ponit istam conclusionem, quod privatio est principium per accidens. Probatur; quia illud non est principium per se, quod non est numerabile inter entia: sed privatio non est numerabilis inter entia: ergo, etc. Major patet, quia illud quod non est, non est principium per se; et minor apparet, quia privatio nihil est quatenus distinguitur a materia.

...ext. 67. *Princi-...ium dicitur in re-...atione ad ...rincipia-...um.* *Unum est* (10) *autem species ut ordo*, etc. Hic ostendit quomodo principia sunt dicenda duo, vel tria; aut contraria, vel non contraria. Unde notandum, quod principium dicitur in relatione ad principiatum, et cum principiatum naturale, vel ponitur compositum, vel ipsa transmutatio: si compositum, tunc solum sunt duo principia, scilicet materia, et forma. Si autem transmutatio ponitur principiatum, tunc principia naturalia sunt tria: quia ad transmutationem naturalem requiruntur materia, et forma, et non sufficit materia qualitercumque se habens, sed oportet, quod sit privata dispositione ad quam est mutatio; et ideo impossibile est exprimere definitionem quid nominis transmutationis naturalis, non exprimendo quid nominis privationis; quod patet, quia in definiendo transmutationem oportet exprimere aliquid esse, quod prius non fuit, vel non esse quod prius fuit, et in hoc exprimitur privatio. Patet (11) igitur quomodo compositi naturalis solum sunt duo principia; sed Text. 68.
transmutationis naturalis sunt tria ad intellectum datum. Ex isto patet, qualiter principia sunt contraria, et qualiter non. Demum in fine recapitulat, et patet in littera.

ANNOTATIONES

(a) *Sicut fieri attribuitur simplicibus, ita etiam compositis.* Nota, quod cum natura 29.
sit, quæ facit istam diversitatem denominationis, quia et sola in termino a quo potest accipi, et successive utrique contrariorum conjungitur, ideo denominatio potest esse simplex tantum, cum videlicet uterque terminus a quo, et ad quem, nomine simplici denominatur; potest etiam esse composita tantum, cum uterque terminus contrariorum, simul cum materia nominatur; et potest esse partim simplex, partim composita, si alter terminus simpliciter, alter vero composite terminetur. Unde si terminus a quo denominetur a subjecto tantum, vel a privatione tantum, et similiter terminus ad quem forma tantum denominetur, tunc est denominatio tantum simplex; ut si dicas, homo fit musicus, vel non musicum fit musicum. Si vero terminus a quo denominetur a subjecto, et privatio, et terminus ad quem etiam a subjecto, et forma, tunc est composita tantum, ut si dicas, homo non musicus fit homo musicus: si autem in altero terminorum denominatio sit simplex, et in altero composita, erit partim simplex, et partim composita; ut si dicas, homo fit homo musicus, vel non musicum fit homo musicus, vel homo non musicus fit musicus.

Et quoniam ex parte termini a quo aliquando sumitur solum subjectum, interdum sola privatio; ponit Aristoteles duplex discrimen inter subjectum transmutationis, et privationis: alterum ex modo loquendi, alterum ex natura rei. Ex modo loquendi, ut cum utimur privatione ex parte termini a quo, licet loqui de ea in nominativo, et in ablativo casu, ut si dicamus, *non musi-* 30. *Inter subjectum transmutationis, et privationis est duplex discrimen.*

cum fit musicum, vel *ex non musico fit musicum*, quamvis proprius in ablativo loquendum sit. Cum autem ex parte termini, a quo utimur subjecto transmutationis, non semper licet loqui de eo in utroque casu, nam sæpe in solo nominativo vocamus illud, non enim dicimus *ex homine fit musicus*, sed *homo fit musicus*. Aliquando tamen uti licet ablativo casu ; dicimus enim, *ex ære fit statua* : et non ita proprie *æs fit statua*. Discrimen ex natura rei est, quod privatio non manet in re composita, subjectum autem transmutationis manet : quando enim ex non musico fit musicum, homo quidem manet, qui est subjectum, sed corrumpitur non musicum, quod est privatio : ex quo facile colligitur subjectum non proprie esse terminum a quo, quia terminus a quo non manet adveniente termino ad quem, licet quodammodo se teneat ex parte termini a quo.

31. (b) *Quare manifestum est*, etc. Nota, quod fere semper Aristoteles exemplificat in mutationibus accidentalibus, ut per eas substantiales mutationes indagare possimus. In qualibet autem mutatione accidentali est invenire duo extrema, scilicet duas formas, inter quas fit mutatio, et subjectum ab utraque distinctum, ipsasque formas successive recipiens. Verbi gratia, quando aliquod corpus ex calido fit frigidum, ibi est caliditas, et frigiditas, et corpus quod prius est calidum, et mutatur in frigidum, amittendo calorem, et frigiditatem acquirendo, ipso autem corpore semper sub utraque forma persistente. Similiter in mutatione substantiali datur unum subjectum, quod est materia, et hæc existens cum una forma mutatur ab ea illam relinquendo, in aliam formam de novo acquisitam. Verbi gratia, si ex ligno fiat ignis : modo materia ligni est cum forma ligni ; per actionem tamen ignis expellitur a materia ligni forma ligni, et introducitur forma ignis. Unde quod mutatur dicitur compositum, quia habet aliquid, quod amittat, et aliquid quod permaneat sub alio termino mutationis : permanet namque materia, a qua una forma recedente advenit alia, et sic materia sub utraque invenitur, ex quo etiam liquet substantias compositas esse ex materia et forma, et materiam esse subjectum, quæ secundum formas varias substantiales transmutatur.

EXPOSITIO TEXTUS

32. Text. 69. *Subjecta* (l) *autem natura scibilis est*, etc. Iste est quartus tractatus hujus primi, in quo Philosophus determinat de principiis rerum naturalium, et hoc in speciali ; cujus sunt duo capitula. Primum est de materia, et secundum de privatione, et forma, ibi : *Tangentes igitur*. Primum capitulum dividitur. Primo ponit conditiones materiæ. Secundo solvit motivum antiquorum, quo movebantur ad negandum generationem, et corruptionem, et pluralitatem entium, ibi : *Quod autem unico modo*. Primum dividitur : quia primo ponit unam conditionem materiæ. Secundo aliam. Tertio recapitulat quædam præcedentia. Quarto se excusat a quadam quæstione. Secundum ibi : *Unum igitur principium*. Tertium ibi : *Hæc autem quomodo duo*. Quartum ibi : *Utrum autem substantia*. Conditio materiæ, quam ponit, est ista, quod subjecta natura, id est, materia est cognoscibilis secundum analogiam. *Vide contradictionem Zimaræ.*

Unde notandum, quod materia prima non potest cognosci per speciem propriam, eo quod non potest movere intellectum, cum sit ens in pura potentia, ideo cognoscitur per species aliarum rerum, et per istum modum : quia sicut per operationem intellectus arguitive cognoscit formam, ita per transmutationem materiam. Et ideo quia videmus in artificialibus esse aliud subjectum, scilicet æs, quando fit statua, et quando fit lectulus, subjicitur aliud, scilicet lignum, et ita de aliis ; ita per inductionem, et a simili concludimus, quod in transmutatione substantiali subjicitur aliquid, scilicet materia prima, quæ se habet ad compositum naturale, quemadmodum in artificialibus informe, scilicet materia, se habet ad illud, quod fit ex ipsa materia. Et ideo dicit Aristoteles quod materia est cognoscibilis per analogiam, id est, per argumentum a simili, et per inductionem in aliis. 33. *Materi[a] prima no[n] potest cog[-]nosci pe[r] speciem propriam*

Unum igitur principium. Ponit secundam conditionem materiæ, et est quod materia prima est unum principium omnium transmutabilium, non unum existens, scilicet in actu, neque sic ens, ut hoc aliquid, id est, sicut compositum, nec sic unum, sicut ratio, id est, forma, cui privatio est contraria, sed est unum in potentia ad omnes formas substantiales, et accidentales gene- 34. *Mater[ia] prima es[t] principium om[-]nium transmu[-]tabilium*

rabilium, et corruptibilium, ita ut nullam formam sibi determinet a sua natura. Quod probat Commentator; quia si determinaret sibi aliquam formam, sequeretur, quod nullam aliam posset recipere, quod est contra naturam materiæ : et probatur consequentia, quia non recipitur forma sequens, nisi corrupta præcedente : modo præcedens est incorruptibilis, cum materia determinet sibi eam. Secundo sequeretur, quod materia non esset in potentia ad omnes formas, quod est falsum : quia non esset in potentia ad illam formam, quam sibi determinaret. Tertio sequeretur, quod omnis mutatio facta in materia prima esset accidentalis, quia fieret in subjecto in actu per formam substantialem.

35. Text. 70. *Vide contradictionem Zimaræ in dictis Averr.* *Hæc autem* (2) *quomodo duo*, etc. Hic recapitulat dicens, quod dictum est quomodo sunt duo principia, et quomodo tria. Unde principia sunt, quæ manent in esse compositi facta transmutatione, sed sic sunt plura, quo dad explicandum quid nominis transmutationis, non solum oportet exprimere materiam, et formam, sed cum hoc privationem, scilicet materiam non habuisse dispositionem prius ad quam facta est transmutatio. Et quod dictum est, qualiter principia sunt contraria, et qualiter contrariis oportet esse unum subjectum, et quomodo principia contraria se habeant ad invicem ; quia unum est principium per se, et aliud per accidens.

([a]) *Utrum autem substantia species*, etc. Excusat se a quadam quæstione, dicens, Utrum forma sit magis natura, quam materia, nondum est manifestum. Ubi dicit Commentator, quod inquirere an forma sit magis substantia, quam materia, pertinet ad Metaphysicum ; sed inquirere an forma sit magis natura, quam materia, pertinet ad scientiam naturalem, et de hoc videbimus 2. hujus, et tunc recolligit dicta, et patet in textu.

36 Text. 71. *Quod* (3) *autem unico modo*, etc. Hic ex dictis conditionibus solvitur motivum antiquorum : et primo ponit motivum. Secundo solvit, ibi : *Nos autem dicimus*. Primo dicit quod ex dictis conditionibus simpliciter, id est, uno modo solvuntur defectus antiquorum, qui inquirentes veritatem, et naturas rerum, diverterunt in aliam viam, et errorem, ob infirmitatem intellectus, id est, propter ignorantiam Logicæ, ut explicat Commentator, ponentes nihil fieri, vel corrumpi, propter istud motivum ; quia illud quod fieret, aut fieret ex aliquo, vel ex nihilo ; non ex aliquo, quia tunc aliquid esset antequam fieret ; et ideo sicut ex non ente non potest fieri ens, ita ex non homine non potest fieri homo. Vel ex (4) nihilo, et Text. 72.
hoc non : quia in omni transmutatione oportet esse aliquod subjectum ; et augmentaverunt suum errorem, dicentes quod non sunt plura entia propter istam rationem. Unde notandum, quod infirmitas intellectus dicitur, quando aliquis propter rationem sophisticam, quam nescit solvere, negat ea, quæ apparent ad sensum, ut Aristoteles dicit de motu in 8. hujus.

Nos autem (5) *dicimus*, etc. Hic solvit motivum, et primo præmittit distinctionem. 37. Text. 73.
Secundo ex ea solvit rationem. Et tertio ponit aliam solutionem. Secundum ibi : *Nos autem et ipsi dicimus*. Tertium ibi : *Alius autem quod contingit*. Distinctio est ista, quod aliquid potest fieri ab alio, aut pati ab alio dupliciter. Uno modo per se, quemadmodum dicimus, quod illa quæ fiunt a Medico, secundum quod Medicus, fiunt per se a Medico. Alio modo per accidens, et sic illud dicitur fieri a Medico per accidens, quod fit ab eo, non secundum quod Medicus, ut si Medicus ædificat. Et subdit Aristoteles quod (6) ex eo, quod non est, bene Text. 74.
potest fieri aliquid per accidens. Et ideo antiqui per ignorantiam hujus distinctionis negaverunt generationem, et corruptionem, et pluralitatem entium.

Medicus ædificat, non in quantum Medicus sed in quantum ædificator.

Nos autem (7) *et ipsi dicimus*. Hic solvit dicens, quod ex ([b]) eo, quod non est, bene 38. Text. 75.
fit aliquid per accidens, quod demonstrat. Nam ex materia prima fit aliquid per se tanquam ex subjecto : modo materiæ primæ accidit privatio, ut dictum fuit prius : ideo ex privatione fit aliquid per

accidens. Nam ex illo fit aliquid per accidens, quod accidit ei, ex quo fit aliquid per se : modo privatio est hujusmodi, igitur ex
Text. 76. privatione fit aliquid per accidens. Tunc (8) insuper demonstrat, quod etiam ex ente fit aliquid per accidens, ut si ex equo fiat canis ; tunc ex equo fit canis per accidens.
Text. 77. Probatur (9) nam ex equo fit canis, secundum quod equus privatur forma canis : modo animali, vel equo accidit, quod privetur forma canis; ideo ex ente fit canis per accidens; et iste est unus modus solvendi.

Text. 78. *Alius autem quod* (10) *contingit.* Hic ponit aliam solutionem dicens, quod duplex est ens : quoddam est ens in actu, sicut forma, vel compositum, aliud in pura potentia, sicut materia prima, ut determina-
Text. 79. tum est in aliis, in quæst. Metaphys. Modo dico, quod ex ente in potentia sicut materia prima, non tamen ex ente in actu fit aliquid. Et tunc ad rationem eorum, si aliquid fieret, vel ex ente, vel non ente ; dico, quod utroque modo : quia ex non ente in actu : ex ente tamen in potentia. Et antiqui tantum aversi sunt a cognitione hujusmodi entis in pura potentia, quod simpliciter negaverunt generationem, et corruptionem.

ANNOTATIONES

39. *Materia et forma dupliciter considerari possunt.*

(a) *Utrum autem substantia.* Nota dupliciter posse materiam et formam considerari, vel in ratione principii, vel in ratione substantiæ. Si considerentur in ratione principii, cum principium sit causa alicujus, quia facit ad ejus esse ; ideo quod magis facit ad esse rei, magis habet rationem principii : et quia forma principalius facit ad esse rei, quam materia, quia forma est actus, et perfectio rei ; ideo forma habet magis rationem principii, tamen secundum quemdam modum materia magis habet rationem principii, videlicet, quia via generationis prior est materia, quam forma ; quia forma (excepta anima rationali) educitur de potentia materiæ. Et hoc videtur innuere Aristoteles cap. 6. præcedenti, dicens *Subjectum enim principium prius videtur esse prædicato* : quasi dicat, quod quodammodo illud tertium subjectum, quod ponendum censuit præter contraria, est magis principium, quam aliquod contrariorum, imo ipsa contraria respectu hujus non habent rationem principii, sed materia videtur esse principium principii : ratio est, quia prædicatum, quod dicitur de subjecto, et est in subjecto, videtur oriri ex subjecto, quia in eo sustentatur : materia ergo in qua utrumque contrariorum sustentatur, videtur habere rationem principii respectu utriusque.

Si vero considerentur in ratione substantiæ, adhuc dupliciter, vel simpliciter, 40.
vel secundum modum. Si primo, quia ratio substantiæ est ratio entis, id quod magis accedit ad rationem entis et perfectionis est magis substantia ; sed ratio entitatis, et perfectionis magis importatur per formam ; quia forma dicit actum, et perfectionem, forma igitur est magis substantia. Si secundo modo, quia modus substantiæ est per se esse, et forma est in materia, quapropter 5. Metaph. text. 19. cap. de Qualit. forma substantialis dicitur quædam qualitas, ideo secundum hunc modum materia est magis substantia.

(b) *Ex eo, quod non est, bene fit aliquid per accidens.* Nota, quod quando dicitur, quod ex ente per se non fit aliquid, sic debet intelligi, quod illius quod fit, semper ejus negatio præcedit : unde si ens fieret, ut ens est, negatio entis deberet præcedere, et ita ex nihilo fieret ens, quod naturaliter implicat. *Quomodo ex non ente fit aliquid.*

Quapropter dicit Aristoteles quod in generatione fit tale ens, et non fit ens, ut ens 41.
est; et ideo sat est si præcedat in generatione aliquod non ens, puta non ens, quod debet fieri, licet tale non ens præcedens sit aliud ens, et sic docet, quod ex non ente fit ens, determinatque quod id quod fit, neque per se fiat ex ente, neque ex non ente in hoc sensu, quod res quæ fit non præcessit, alias non fieret, et sic ens per se non fieri potest ex ente, id est, ex ente quod fit, neque per se fit ex non ente, id est, ex nihilo, sed per accidens fit ex ente, et ex non ente ; ex ente quidem in quantum non ens, quod præcessit, puta privatio, contingit quod sit aliquod ens, puta materia; fit enim ex illa in quantum in potentia, ut ex ea fiat ens. Fit etiam ex non ente in quantum contingit materiam esse cum privatione ; quæ ex se est non ens. Poteritque intelligi hoc exemplo : fiat, verbi gratia, lapis ex terra, fit quidem per se lapis ex terra ; at vero lapis per accidens fit ens, quia jam præerat, et non intendebatur. Solum enim in generatione intenditur fieri, quod non erat, et quia non erat lapis, intenditur fieri lapis, quia vero erat ens, non intendebatur fieri ens : sed similiter hoc ens, quod est lapis, non fit per se ex terra, quatenus terra est ens, sed quatenus est non ens quod fit, sed quia contingit, quod etiam terra sit ens, hoc ens lapis per accidens fit ex ente, quod

est terra, et sic manet, quod ens per accidens fit ex ente.

QUÆSTIO XX

Utrum materia prima sit cognoscibilis

Aristot. *cap.* 8. *text.* 69. *et* 12. *Metaphys. text.* 7. Averroes 1. *Physic. comm.* 69. Albert. 1. *disput.* 35. *artic.* 10. D Thom. *lect.* 12. *et* 1. *p. quæst.* 15. *art.* 3. *ad* 3. Scotus *in* 2. *dist.* 12. *quæst.* 1. §. *ad* 3. *princ. et quæst.* 2. §. *ad* 3. *pro opinione, et* 2. *Met. quæst.* 2. Suarez *tom.* 1. *Met disp.* 13. *sect.* 6. Canonic. *quæst.* 9. *art.* 1. Conimbr. 1. *Physic. cap.* 9. *qu.* 2. *art.* 2. Complut. *disp.* 3. *quæst.* 1. *et sequent.* Ruvius *tract.* 1. *de materia, qu.* 2. Faber. *theorem.* 25. Roccus. *qu.* 15.

1. Arguitur quod non, quia materia prima non est ens, igitur non est cognoscibilis. Tenet consequentia, quia cognoscibile debet movere potentiam cognoscitivam, quod non potest facere nisi sit ens; et antecedens probatur. Primo, quia materia prima est ens in pura potentia, ut patet in isto primo, igitur non est ens; quia dicimus Antichristum non esse; quia solum est ens in potentia.

Secundo, quia nullum ens est medium inter duo contradictoria; modo materia prima est medium inter duo contradictoria, ut dicit Commentator in isto primo, com. 70. ergo, etc.

Tertio, quia vel materia prima est ens per se existens, et tunc sequitur, quod est ens in actu, quod est contra Aristotelem in isto primo, text. 75. vel alteri inhærens: et tunc sequitur, quod non est materia prima, sed potius illud cui inhæret.

Secundo ad principale, quia si materia prima esset cognoscibilis, vel a sensu, vel ab intellectu solum: non a sensu, quia insensibilis est, cum non sit quid, nec quale, nec quantum, ut patet 7. Metaph. text. 8. nec ab intellectu: quia intellectus nihil intelligit eorum, quæ sunt extra se nisi mediante sensu, ut patet in lib. de Sensu et Sensato.

2. Tertio, quia illud non est cognoscibile, quod non potest movere potentiam cognoscitivam; sed materia prima non potest movere potentiam cognoscitivam; ergo, etc. Major patet, quia de ratione objecti cognoscibilis est, quod moveat potentiam cognitivam, et minor apparet, quia nullam formam, vel qualitatem sibi determinat, mediante quâ possit movere potentiam cognitivam.

Quarto, si cognosceretur, vel hoc esset per speciem propriam, vel alienam; non per propriam, quia non potest aliquam agere; quia, da quod sic, tunc esset in actu; nec per alienam, quia uniuscujusque rei species est determinata similitudo illius rei, ita ut non alterius.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo, in principio 4. tractat. text. 63. ubi dicit, quod *materia est cognoscibilis per Analogiam ad formam.*

Divisio quæstionis.

In quæstione videndum est de conditionibus materiæ, quas Aristoteles et Commentator illi tribuunt in isto primo. Prima conditio est, quod materia est ens in pura potentia. Propter quod notandum, quod aliquid dicitur esse (a) in potentia tripliciter; uno modo, quia non est præsentialiter, sed tamen potest esse; et sic dicimus, quod Antichristus est ens in pura potentia, et ad hoc, quod aliquod tale ens sit possibile, oportet quod agens potens ipsum producere, sit de facto, et cum hoc materia, ex qua potest produci secundum Commentatorem: sed secundum rei veritatem sufficit, quod sit agens potens eum producere, quia aliquid potest fieri ex nihilo. 3.

Aliquid dicitur esse in potentia tripliciter.

Secundo modo dicitur ens in potentia illud, quod non est actu separatum, potest tamen esse separatum; et sic dicimus quod pars est in potentia in suo toto.

Tertio modo dicitur ens in pura potentia, non quod sit in actu; sed quia non est actus, scilicet forma, vel habens formam, quam sibi determinat a natura; et isto modo materia prima dicitur ens in pura potentia.

Per hoc ad tres primas rationes, quæ probant oppositum. Illud quod est solum ens in potentia, verum est capiendo ens in 4.

potentia primo modo, sed capiendo ens in potentia pro eo quod est, licet non in actu formali, vel per formam, tunc major est falsa.

Ad secundam, quia medium, etc. Dico quod Commentator quando dicit materiam esse medium inter ens et non ens, sic intelligit : quod materia prima non est non ens, quod omnino nihil sit ; nec est ens, scilicet in actu formali, vel per formam, quam sibi determinet a natura, et sic est medium per abnegationem utriusque extremi.

Ad tertiam, Quia nihil per se existens, etc. Dico, quod sic est per se existens, quod non est alteri inhærens, nec sequitur ex hoc, quod sit ens in actu. Dico etiam quod non est sic per se existens, quod possit esse sine forma, quia inseparabilis est a forma.

5. Sed dubitatur, ex quo materia est ens in pura potentia, utrum illa potentia sit eadem materiæ, vel distincta ab ea. Unde notandum, quod potentia accipitur tripliciter. Uno modo pro materia potente, et sic dicit Commentator quod materia substantiatur per posse. Secundo modo capitur potentia pro dispositionibus, mediantibus quibus materia recipit formam substantialem : sicut est caliditas, et siccitas, quæ disponunt ad formam ignis ; et isto modo manifestum est, quod potentia distinguitur a materia ; sed primo modo potentia est eadem materiæ. Tertio modo accipitur potentia, ut est de genere relationis, et dicitur in relatione ad formam ; et de hac dicunt quidam, quod potentia est unum accidens de genere relationis, distinctum a materia, perpetuo inhærens materiæ ante generationem formæ ; quod probatur, quia potentia corrumpitur in adventu formæ, et tamen materia non corrumpitur, igitur distinguuntur. Secundo, quia potentiæ multiplicantur in materia, secundum formarum multiplicationem, ad quas materia est potens, et tamen materia non sic multiplicatur.

Potentia tripliciter sumitur.

Istis non obstantibus dico, quod [b] potentia non est tale accidens distinctum a materia, sed est materia potens : quia valde inconveniens esset ponere infinita talia accidentia in materia, quod tamen de necessitate sequeretur. Secundo, quia tunc tale accidens esset perpetuum a parte ante, et corrumperetur a parte post, quod est falsum primo Cœli, text. 119.

Tunc dico, quod in [c] adventu formæ potentia non corrumpitur, imo manet, sed 6.
desinit esse potentia ad illam formam, ita quod desinit esse vocari, et ita Logice loquendo, potest concedi respectu verbi de futuro, quod potentia ad talem formam est, quando non est potentia ad talem formam : nec oportet ponere talem multiplicationem potentiarum in materia, quando ipsa de se est potens ad omnes formas, et hoc de prima conditione.

Materia prima est cognoscibilis per Analogiam ad formam.

Secunda conditio est, quod materia prima est cognoscibilis per analogiam ad formam. Unde notandum, quod aliquid potest cognosci tripliciter. Uno modo sicut sensibile proprium, quod agit speciem suam in sensum. Alio modo sicut sensibile per accidens, sicut substantia, quando concipitur conceptu quantitativo. Tertio modo sicut illa, quæ non sunt sensibilia per se, nec per accidens ; sicut Deus, Intelligentiæ, intellectus, et actus intelligendi, quæ cognoscuntur per argumentationem.

Res aliqua potest tripliciter cognosci.

Nunc est prima conclusio, Materia [d] 7.
prima non cognoscitur sine argumentatione, et discursu. Probatur, illud non cognoscitur sine argumentatione, et discursu, quod non est sensibile per se, vel per accidens : modo materia prima non est sensibilis per se, vel per accidens, ergo, etc. Major patet ex distinctione ; et minor apparet, quia materia prima non movet sensum per suam essentiam ; nec per aliquam inhærentem sibi. Unde nos non dicimus, quod audivimus, vel vidimus materiam primam.

Sed objicitur, quia illud est sensibile per accidens, cui insunt sensibilia per se : modo materiæ primæ insunt sensibilia per se, scilicet qualitates, igitur est sensibilis per accidens. Respondetur negando majorem, nisi illud subjectum denominetur

ab illis qualitatibus ; modo materia prima non denominatur ab illis qualitatibus,quia non dicimus, quod materia prima sit alba, vel nigra ; imo istæ denominationes competunt toti composito.

8. *Materia non cognoscitur per unicam speciem.*

Secunda conclusio. Per nullam unicam speciem alicujus rei possumus devenire in notitiam materiæ primæ. Probatur, quia materia prima cognoscitur per motum, et transmutationem ; modo motus, et transmutatio insunt sensationibus diversorum, ut habet videri secundo de Anima, text. 69. et secundo per speciem. Secundo per Aristotelem materia cognoscitur per Analogiam, id est, per argumentum a simili sumptum in artificialibus : modo similitudo non cognoscitur, nisi per cognitionem diversorum. Tertio, quia si per unicam speciem alicujus rei possemus illam cognoscere, tunc facile est cognoscere materiam primam, quod est falsum.

Et si arguatur, quæ sunt argumentationes, seu processus, quibus cognoscitur materia, dico quod factæ fuerunt in alia quæstione, *Utrum ex nihilo nihil fiat.*

9. *Materia non cognoscitur processu demonstrativo.*

Tertia conclusio. Nullus processus, quo devenimus in cognitionem materiæ primæ, est demonstrativus. Patet, quia non potest demonstrari,quin omnia fuissent ab æterno, vel etiam quin omnia de novo generentur secundum se tota, ut tactum fuit prius ; patet igitur qualiter materia prima cognoscitur per Analogiam ad formam, per discursum et rationem, qui licet non sint demonstrativi, tamen verisimiliores sunt aliis viis salvandi generationem, et corruptionem.

Materia prima est perpetua.

Tertia conditio est quod materia prima est perpetua. Sed contra, omne habens materiam corrumpitur propter materiam, ita ut materia sit causa corruptionis, igitur materia est corruptibilis, per illam regulam, *Propter quod unumquodque tale, et illud magis.*

Secundo, quia materia est id, quod in rei veritate generatur, ut dicit Commentator, modo omne generabile est corruptibile.

Tertio, quia sicut se habet subjectum alterationis ad alterationem ; ita subjectum generationis ad generationem : sed subjectum alterationis denominatur alterari, igitur et subjectum generationis denominatur generari.

Oppositum arguitur per Aristotelem. 10.

Aliquid dicitur generari dupliciter.

Notandum,quod (a) aliquid dicitur generari dupliciter : uno modo terminative, et sic attribuitur formæ, vel composito, quemadmodum dicimus, asinus generatur. Alio modo subjective, et sic illud dicitur generari, quod subjicitur generationi, et tunc Aristoteles intellexit primo modo, quod materia sit perpetua : quia ingenerabilis, et incorruptibilis terminative ; quod probatur, quia si materia posset generari, sequeretur, quod aliquid esset antequam fieret ; consequens est impossibile ; et consequentia probatur, quia materia prima, vel generatur ex nihilo, et hoc non, sicut omnes antiqui concesserunt ; vel ex aliquo, et hoc non, quia illud ex aliquo non esset nisi materia prima, et per consequens materia prima esset antequam fieret.

Secundo sequeretur, quod aliqua esset transmutatio, et nihil transmutaretur, quod est falsum ; et patet consequentia, quia in illa transmutatione, qua acquireretur materia prima, vel transmutaretur aliquid, vel nihil, si nihil, habetur intentum : si aliquid, illud mutabile, vel esset materia prima ; et hoc non, quia illa acquiritur per transmutationem, ergo, etc.

Per idem probatur, quod materia prima est incorruptibilis, quia tunc aliquid esset postquam corrumpitur ; quod est falsum. Secundo, quia tunc aliqua esset corruptio, quia nihil transmutaretur.

Tunc ad instantias dico, quod illa regula intelligitur, quando illud in quo fit comparatio recipit magis, et minus, et hoc convenit utrique comparatorum, scilicet tam causæ, quam causato : modo corruptibile non convenit causæ, scilicet materiæ. Similiter corruptibile non suscipit magis et minus, quia omnia corruptibilia sunt æqualiter corruptibilia. 11.

Ad secundam dico, quod Commentator intelligit, quod materia prima subjicitur generationi. Et per idem ad 3. quia nos attribuimus alterationem composito, eo quod compositum est motum, vel quod est subjectum alterationis ; sed quia materia prima est nobis ignota, vel saltem parum nota ; ideo non attribuimus sibi generationem, licet forsitan generari ; imo potius attribuimus ipsam termino generationis, scilicet composito.

12. *Materia prima est informis.* Quarta conditio est, quod materia prima est informis. Et hoc intelligitur dupliciter. Uno modo, quod non habeat formam, sed quod sit separata, vel separabilis a forma, et hoc (f) est impossibile : quia si ita esset, sequeretur quod non ens actu esset ens actu, quod est contradictio ; et patet consequentia : quia materia de sui natura est non ens actu, scilicet formali, vel per formam, et per te est ens in actu : quod actuatur per *existere,* quia actualiter per se existit, igitur non ens actu. Secundo patet exemplariter : quia sicut cera se habet ad figuram, ita materia ad formam ; sed cera est inseparabilis a figura : quia non potest esse, quin sit figurata. Tertio patet per aliud simile ; quia sicut se habet consonans ad vocalem, ita materia ad formam ; sed impossibile est quod fiat consonans sine vocali ; igitur impossibile est esse materiam sine forma.

13. Sed objicitur ; quia materia et forma sunt duæ res ab invicem distinctæ ; nec implicat contradictionem, quod sint ab invicem separatæ : igitur possunt ab invicem separari. Respondetur dicendo : Primo quod implicat contradictionem materiam separari a forma, vel e contra, quia non ens actu esset ens actu ; quod est contradictio. Secundo negatur ista consequentia ; Non implicat contradictionem, igitur potest fieri ; quia duas medietates cæli ab invicem separari non implicat contradictionem, et tamen ipsas ab invicem separari est impossibile.

Secundo, quia a quacumque forma materia est separabilis, igitur est separabilis a forma. Respondetur negando consequentiam ; quia licet a qualibet posset separari per corruptionem, tamen corrupta una semper generatur alia.

Secundo modo intelligitur conditio, quod materia prima sit informis, id est, quod non habeat aliquam formam, tanquam partem essentiæ suæ, quod probatur : quia si haberet aliquam, tunc materia prima non esset primum principium, sed potius partes ex quibus componeretur. Secundo, quia tunc omnis mutatio facta in materia prima esset accidentalis, quia fieret in subjecto in actu.

Tertio modo intelligitur, quod materia prima sit informis consecutive, sic scilicet ut nullam habeat formam actualem consequentem naturam suam, et hoc est verum. 14. Quod probatur : quia si haberet aliquam, tunc non esset ens in pura potentia, imo esset in actu saltem per illam formam. Secundo, quia ex quo materia de sui natura est potens recipere omnes formas, frustra poneretur accidens tale, mediante quo reciperet. Tertio, quia si per privationem omnes formæ tam substantiales, quam accidentales essent separatæ a materia, adhuc materia prima esset, et esset potens recipere formam.

Sed contra objicitur : quia corporeitas est quædam forma, et tamen materia determinat sibi quod sit corporea. Secundo per Commentatorem in c. de substantia Orbis, qui dicit, quod dimensiones interminatæ sunt intrinsecus in materia, quod non esset nisi materia determinaret sibi illas dimensiones. Tertio, quia materia determinat sibi maximam raritatem sub qua potest esse : quia quando est sub forma ignis, non potest esse sub minori raritate, et quando est sub forma terræ, non potest esse sub majori densitate.

Ad ista respondetur : ad illud de quanto, 15.
quod tota materia prima quantum est ex parte sua non determinat sibi aliquam quantitatem, figuram, raritatem, densitatem, vel locum ; imo quantum est ex parte sui, tota massa materiæ primæ, imo

pars ejus posset occupare locum, quem tunc occupat totum corpus cœleste. Similiter sibi non repugnat esse sub quantacumque imaginabili raritate, vel etiam densitate, imo non repugnat sibi, quin tota esset partes. Ex quibus sequitur quod tota terminatio materiæ primæ provenit ex parte loci, aut ex parte formæ. Unde quantum ad locum, materia prima quantum ad totam massam est figuræ sphæricæ, et est in concavo orbis Lunæ, tanquam in loco; itaque non potest esse in loco majori, vel minori propter formam determinatur ad tantam raritatem, vel densitatem, ut quando est sub forma ignis in optima sui dispositione, est sub tanta raritate, quod non potest esse sub majori, et quando est sub forma terræ, est sub majori densitate.

Materia sphæræ figuræ et est concavo orbis Lunæ.

16. Ad instantias de corporeitate, dico, quod corporeitas non est aliqua forma; imo non sunt tales formæ ordinatæ secundum ordinationem prædicatorum in quid. Ad secundum et tertium dico, quod Commentator intelligit, quod materia prima determinat sibi, quod semper sit quanta, licet nullam quantitatem sibi determinet.

Materia una est numero omnium generabilium, et corruptibilium.

Quinta conditio, quod materia (g) prima est una numero in omnibus generabilibus et corruptibilibus. Probatur; quia si essent materiæ diversarum rationum, tunc sequeretur quod non omnia generabilia, et corruptibilia, essent invicem transmutabilia, quod est falsum : et istud sic intelligitur, quod si per imaginationem circumscriberentur omnes formæ tam substantiales, quam accidentales; tunc tota materia prima, et quælibet pars ejus essent ejusdem rationis, et ideo non intelligitur quod una portio materiæ primæ sit alia, sed quod ambæ sunt ejusdem speciei.

17. Sed dubitatur utrum de facto tota materia esset unum continuum; videtur quod sic : quia si non esset unum continuum, hoc esset propter diversitatem formarum; sed diversitas formarum non sufficit ad discontinuationem; quod patet dupliciter, quia ejusdem virgæ continuæ una pars est arida, et alia vivens et animata. Secundo, quia si duobus agentibus apponeretur unum passum, unum scilicet in uno extremo passi, et alterum in alio; tunc quodlibet istorum agentium potest inducere formam suam in illo passo, aut in diversis partibus, passo non discontinuato.

Sed contra; illa non sunt continua quorum motus sunt diversi, sed diversarum portionum materiæ adhuc immediatarum motus sunt diversi : ergo, etc. Major patet per definitionem contrariorum; et minor ad experientiam. Secundo quia non apparet possibile, quod sagitta velociter distracta per aerem sit continua aeri; ideo dico, quod materia non est unum continuum, non ex eo quod habeat diversas formas propter duas rationes factas, sed propter diversitatem motuum materiæ, ut tactum fuit in arguendo.

Sexta conditio est, quod cujuslibet transmutationis naturalis materia prima est principium. Sed objicitur : quia motus cœli, et illuminatio Lunæ sunt quædam mutationes naturales, quibus tamen non subjicitur materia prima. Secundo quia intellectio, et sensatio sunt motus naturales, et tamen non habent materiam primam pro subjecto. Respondetur, quod illa conditio debet intelligi de transmutatione istorum inferiorum, exceptis illis, quæ fiunt in sensu, vel intellectu. Aliter dicitur, quod capiendo materiam large pro omni eo quod mutatur, quod tunc cujuslibet transmutationis materia est subjectum. Patet igitur ex prædictis, quæ et qualis sit materia prima. 18.

Materia prima est principium transmutationis.

Ad rationes : tres primæ sunt solutæ. Ad alias tres simul dico, quod materia prima non cognoscitur per speciem propriam, sed arguitur per species aliarum rerum : nam materia prima non movet potentiam cognitivam ad cognitionem sui, sed aliæ res, per quarum species ipsa cognoscitur, movent ad ejus cognitionem.

ANNOTATIONES

(a) *Aliquid dicitur in potentia tripliciter,*

Opinio duplex de esse materiæ primæ.

etc. Nota quod de esse materiæ primæ duplex est sententia. Una Thomistarum ponentium materiam taliter in nihilum redactam, ut dicant ita esse puram potentiam, ut nullum prorsus actum de se habeat. Altera est Scoti in 2. distinct. 12. quæst 1. ubi docet materiam habere actum entitativum, secundum quem est principium naturæ, per se causa, parsque rerum naturalium: fundamentum formarum, subjectum mutationum substantialium, et terminus creationis, quamvis careat actu formali, quæ breviter consistit in unica distinctione, et sex dictis.

Aliquid dicitur esse in potentia dupliciter.

Distinctio est talis, quod duobus modis aliquid dici potest esse in potentia, videlicet in potentia objectiva, et in potentia subjectiva. Illud est in potentia objectiva, quod cum non existit, potest tamen existere, ut Antichristus modo est in potentia objectiva, et mundus antequam crearetur, erat hoc modo in potentia; quare actus oppositus hujus potentiæ est existentia, et iste est ejus actus secundus: nam actus primus est esse in virtute suarum causarum, diciturque esse secundum quid, ex Scoto ubi supra. Res autem dicuntur esse in potentia objectiva respectu agentis potentis ipsas producere, cujus actionis sunt objecta.

20. In potentia subjectiva dicitur id, quod cum jam habeat existentiam, potest aliquam formam recipere, sive accidentalem, sive substantialem, et sic corpus est in potentia subjectiva ad recipiendum calorem, atque adeo actus oppositus hujus potentiæ est forma, quæ recipitur, et hoc modo dicitur materia esse in potentia ad formas. Hujusmodi vero potentia subjectiva adhuc duplex est, altera quæ non excludit aliquam formam, ut lignum habens formam ligni, est in potentia ad calorem. Altera est nullam formam habens de se, qualem ponimus esse materiam. Ex hoc sequitur triplicem esse actum formalem; nempe qui est a forma existentiæ, qui est ab existentia; entitatis ab entitate.

Potentia subjectiva est duplex

Actus est triplex.

Materia prima est de se actus.

Primum dictum: Materia prima est de se actus, id est, de se habet aliquam entitatem absolutam, sive actum entitativum. Nam quod vere est, actu est, materia prima vere est, quare actu est. Item quod est principium, et per se causa entis, oportet quod sit aliquod ens; quia principiatum et causatum dependet a principio, et causa: materia est principium entis naturalis, ejusque causa materialis, ergo est ens in actu.

Materia prima est ens in potentia subjectiva.

Secundum assertum. Materia prima est ens in potentia subjectiva ad omnes formas, et est non ens actu formali. Hoc assertum est Aristotelis in hoc 1. cap. 8. et 2. Metaph. text. 7. et in text. 12. diluit quoddam dubium, nimirum ex quo non ente fiat generatio, cum tripliciter dicatur non ens, aut ut nihil sit, vel ut privatio, vel ut materia, et concludit ex materia per se fieri generationem, ex privatione per accidens, ex nihilo autem nihil fieri.

Mater[ia] prima n[on] est act[us] formali[s].

21. Tertium dictum. Materia prima non est actus formalis, est tamen substantia incompleta terminabilis per formam. Prima pars patet: quia forma tantum est hoc modo actus. Secunda pars probatur, principium substantiæ non potest esse non substantia, sed materia est principium substantiæ, ergo substantia; sed non est substantia terminans, quia hoc pertinet ad formam: ergo est terminabilis a forma. Et hoc innuit Aristot. 10. Metaph. cap. 1. dicens materiam esse substantiam aliter quam formam.

Mate[ria] est in a[ctu] forma[li] præci[se] per fo[r]mam.

Quartum dictum. Materia non est in actu formali nisi per formam. Hoc patet ex Aristotele 3. Physic. text. 67. ubi dicitur materiam contineri a forma; et 1. de Generat. text. 85, materia efficitur, ut sit actus per formam; quæ auctoritates intelligi nequeunt de actu entitativo, quem materia de se habet, ergo intelliguntur de actu formali.

Mate[ria] prim[æ] quiddit[as] est esse [pu]ram [po]tentiam [ad] forma[m].

Quintum assertum. Quidditas materiæ primæ est esse puram potentiam ad actum Physicum, seu formam substantialem, nam si potentia materiæ esset accidens ejus, reciperet formam mediante tali potentia. Hoc autem est contra Aristotelem 2. de Anima. cap. 1. dicentem, non opus esse aliquo vinculo, quo forma cum materia nectatur.

Mat[eria] est pri[mo] divers[a a] forma.

Ultimum assertum. Materia est quædam entitas realiter distincta, et primo diversa a forma. Hoc assertum est Scoti ubi supra artic. 2. His addo, ideo materia dicitur potius potentia quam actus, quia quanto aliquid habet minus de actu, tanto magis est in potentia: et quia materia non habet actum distinguentem, vel dividentem, vel informantem, et dantem sibi esse specificum, sed est tantum actus entitativus receptivus actus formalis; ideo potius potentia, quam actus dicitur.

Pote[ntia] quid s[it].

22. (b) *Potentia non est accidens distinctum a materia.* Nota primo, quod potentia nihil aliud est, quam aptitudo ad formam habendam, et quia materia habet aptitudinem ad formam, carentia et negatio formæ est, diciturque privatio. Hoc enim inter negationem, et privationem interest, quod negatio dicit absolutam carentiam actus, seu formæ; privatio vero dicit negationem formæ in subjecto apto nato recipere illam, ex hac autem privatione provenit appetitus: quia privatio est occasio in re sic privata, ut appetat, et sit naturaliter prona in id, quo caret, et potest habere, quia ppetitus est idem, quod naturalis inclinatio, estque in proposito potentia materiæ, quia materia non solum est receptiva, sed etiam causativa rei. Est enim receptiva

Priv[atio] et neg[atio] quom[odo] differ[ant].

formæ sicut vas recipit aquam, estque causativa rei, quia ex ea fit res, et ab ea educitur forma; quapropter est subjectum mutationis, et ejus causa, et principium materiale.

23. Nota secundo, quod potentia hujusmodi primo tendit in substantiam, deinde in accidentia; itaque per se primo est potentia ad substantiam, ut ex ea fiat substantia, non ratione Thomistarum, videlicet, quia potentia primo terminatur in actum sui generis, et potentia materiæ, cum sit substantia, primo terminatur in formam substantialem ; non inquam hac ratione : quia (ut dicit Scotus in 2. dist. 12. quæst. 1. artic. 1. ad ultimum) receptivum alicujus generis non est ejusdem generis cum recepto, neque per se, neque per reductionem, sed necessario est in actu in aliquo alio genere ; ut receptivum coloris est aliquod actuale de genere priori, videlicet de genere quantitatis. Potentiale autem primi generis non potest esse in alio priori genere, quia non est aliud prius genus substantia ex 7. Metaph. cap. 1. ideo oportet esset de eodem genere substantiæ, et sic primo est ad substantiam. Sed ratio quare primo est potentia ad substantiam, est, quia est prima per se potentia ; ideo per se est ad primum actum, primus actus est substantiæ, ideo primo et per se est ad formam substantialem ; formæ autem accidentales sunt actus secundi, ideo materia non est primo ad formas accidentales.

24. Nota tertio, quod non solum in prædicamento Relationis, sed etiam in aliis Prædicamentis possumus distinguere, quod hoc est secundum *esse* ; hoc autem secundum *dici*. Secundum esse est, verbi gratia, qualitas : quæ secundum id, quod est, est in prædicamento Qualitatis. Est etiam qualitas secundum dici, et est illa quæ secundum id, quod est, non est in prædicamento Qualitatis, dicitur tamen qualitas : quia habet quemdam modum qualitativum, ut forma substantialis dicitur ab Aristotele 5. Met. quædam qualitas. Similiter est relatio secundum esse, quæ scilicet, secundum id, quod est, est in prædicamento Relationis, ut paternitas est relatio secundum dici ; illa scilicet quæ secundum id, quod est, non est in prædicamento Relationis, sed in alio prædicamento, competit tamen ei quidam modus relativus ; et hujusmodi est potentia materiæ ad formam ; quæ quidem secundum esse realiter est ipsa materia, cui competit ille modus relativus ; et quia modus non trahit rem, sed magis res trahit modum, ideo ille modus relativus materiæ non facit illam esse extra prædicamentum Substantiæ : atque ita materia est, cui existenti in prædicamento Substantiæ competit ille modus relativus.

25. *Potentia materiæ est idem realiter cum materia.* Ex his sequitur, quod potentia materiæ est idem realiter cum materia, et ab ea tantum formaliter distinguitur. Prima pars patet, quia materia considerata in ordine ad formam, tanquam receptaculum illi proportionatum habet rationem aptitudinis; rursus considerata in ordine ad formam, tanquam imperfectum tendens in suam perfectionem, habet rationem appetitus ; sed considerata in ordine ad formam, quæ de ejus potentia est educibilis, dicitur potentia ; naturalis autem inclinatio rei est eadem cum re inclinata ad aliquid, et per consequens non distinguitur a re inclinata. Secunda pars probatur : quia præcisus conceptus formalis materiæ est conceptus rei absolutæ, potentiæ vero respectivæ ; ergo distinguuntur formaliter.

(c) *In adventu formæ potentia non corrumpitur*, etc. Nota, quod quando dicitur materia manet, et non potentia ; si autem accipiatur potentia ut dicit ipsam substantiam materiæ, falsa est propositio : si autem accipiatur potentia, ut dicit respectum quemdam fundatum in ipsa materia, sic cum talis respectus formaliter non sit ipsa materia, perit, et non materia in hoc sensu, quod materia non ordinatur amplius in talem formam, actualiter ipsam desiderando, hoc autem modo non dicitur corrumpi talis respectus ; sed per accidens : sicut verbi gratia, homo habet potentiam ad ridendum ; quando vero actu ridet, non videtur esse in potentia ad talem actum. Unde potentia ad illum actum, videtur periisse ; non quod revera pereat, sed quod jam potiatur illo, quod desiderabat, et hoc est quod hic vult Scotus. Posset etiam dici, quod potentia non destruitur, sed privatio quæ erat cum potentia ; ipsa tamen potentia manet : quia est proportio materiæ ad formam, quæ ante erat sine forma, postea cum forma. 26.

(d) *Materia prima non cognoscitur sine argumentatione et discursu.* Nota, quod materia prima ex natura sua, et secundum se est cognoscibilis, non tamen a nobis nisi per analogiam ad materiam artificialium, vel alia via ; ita docet Scotus in 2. distinct. 12. quæst. 1. ad tertium. Primum patet : quia omnis entitas absoluta est per se cognoscibilis, materia est entitas absoluta, quare erit de se cognoscibilis, ex quo sequitur, quod etsi materia non sit activa actione reali, est tamen activa actione intentionali, atque ita concurrit ad sui notitiam.

Secunda pars probatur, forma est magis cognoscibilis a nobis quam materia ; sed forma non cognoscitur nisi ex operationibus, quas experimur, ergo neque materia, nisi per analogiam ad materiam artificialium : cognoscimus enim materiam per transmutationem. Hoc pacto in omni transmutatione, quæ fit ab extremo ad extremum oportet dare subjectum medium

distinctum ab utroque extremo; perseverans modo sub uno, modo sub altero extremorum. Hoc patet in transmutatione artificialium. In marmore enim in quo prius erat sculpta figura Mercurii, illa figura expulsa sculpitur alia Jovis, manente semper eodem marmore: eodem modo se habet materia prima respectu formarum substantialium, modo namque sub una forma existens fit sub altera, priori ab ea expulsa, et sic patet quomodo argumentatione, et discursu cognoscitur.

27. *Materia prima cognosci potest ex mutua rerum transmutatione*

Tertia pars, nempe quod aliæ sint viæ ad cognoscendam materiam, quamvis prædicta sit aptior, et clarior, probatur; quia materia prima potest cognosci ex mutua rerum transmutatione, sed hæc est via elevatior, et difficilior, quam prima; quia est remotior a sensu, cognoscitur autem materia per hanc viam in hunc modum: aer convertitur in aquam, at impossibile est, quod una substantia fiat alia; ergo modus hujus transmutationis est, quod recedit a materia forma aeris, et advenit forma aquæ: cum autem forma aquæ et aeris sint diversæ, nisi aliquod commune haberent, puta materiam, impossibilis esset talis transitus.

Item subsistere inest substantiis, et non a formis, quæ in alio sunt, ergo ab aliquo subjecto nullo modo alteri inexistenti, quod est materia. Antecedens videtur esse Scoti in 2. distinct. 12, quæst. 2. in fine quæstionis dicentis, quod licet entitas materiæ sit minus perfecta quam formæ, non tamen plus est dependens, imo minus, et ideo potest fieri sine forma, et non e converso.

Materia cognosci potest per negationem.

Potest etiam cognosci tertia via, scilicet per negationem sic: Sicut purus actus, qualis est beatissimus Deus omni carens imperfectione, cognoscitur per negationem omnium imperfectionum, vel perfectionum includentium imperfectionem; sic materia prima, quæ omni perfectione proveniente a forma caret, per exclusionem omnium perfectionum provenientium a formis cognosci poterit, et ita Aristoteles dixit quod materia prima neque est quid, nec quantum, nec quale, etc.

28. *Materia prima fuit a Deo.*

(e) *Aliquid dicitur generari dupliciter*, etc. Nota quod materia prima fuit a Deo creata cum hac mundi universitate, ut patet Genes. 1. *In principio creavit Deus*, etc. et Joannis I. *Omnia per ipsum facta sunt.* Non enim est Deus sicut artifex, ut impudentibus, et plusquam falsis verbis Cicero ausus est dicere in primo libro de natura Deorum, sic dicens: *Primum igitur non est probabile eam materiam rerum, unde orta sunt omnia, esse divina providentia effectam, sed habere, et habuisse vim, et naturam suam, ut igitur, cum faber quid ædificaturus est, non ipse facit materiam, sed ea utitur, quæ sit parata, fictorque item cera, sic isti providentiæ divinæ præsto esse oportet, non quam ipsa faceret, sed quam haberet paratam.* Quod si non est a Deo materia facta, neque terra quidem, et aqua, et aer, et ignis a Deo factus est; non, inquam, noster Deus est veluti Artifex suo operi supponens materiam, sed eam ex nihilo creans, est enim unicum rerum omnium principium, immobile, æternum, infinitum, incorporeum, omnipotens, et liberum, virtute potestateque sua cuncta faciens, quem Plato in Timæo mundi opificem appellat, et quem Aristoteles primam causam, primumque motorem nuncupat. Est enim primum movens, prima natura, causa infinita, principium effectivum omnium rerum, summum bonum, summusque omnium finis.

29. *Mater[ia] est ingen[e]rabilis [et] incorru[p]tibilis.*

Cæterum etsi materia a Deo creata sit, est tamen ingenerabilis, et incorruptibilis, ut subtilissime ostendit hic Scotus. Observat tamen quod tripliciter potest res aliqua ex natura sua incorruptibilis esse, aut quia nullam habet materiam, ut Angeli; aut quia forma, quam habet, non habet contrarium corrumpens, quod illam vincere possit, ut cœlum; aut quia est primum subjectum, quod de nullius potentia educi potest, et sic est materia prima inccorruptibilis. Incorruptibile primo, et secundo modo dicit perfectionem, et talia corruptibilia nequeunt nisi per creationem produci, neque corrumpi nisi per annihilationem. Incorruptibile tertio modo dicit quid imperfectionis, quod tamen et ipsum nequit produci nisi per creationem, et similiter neque corrumpi, nisi per annihilationem: atque ita omnia ista incorruptibilia durare in perpetuum non esse miraculum, sed naturale, desinere autem esse, esset miraculum; e contra corruptibilia durare in perpetuum esset miraculum, corrumpi autem naturale. Ex hoc sequitur, quod tota materia, quæ in principio mundi creata fuit, est modo, eritque ad finem usque.

30. (f) *Materia separari a forma est impossibile.* Nota, quod Philosophus ponens necessariam connexionem causarum, ita ut prima causa sine secunda non posset operari, (quod est falsum, et contra nostram fidem) consequenter juxta ejus doctrinam materiam esse sine forma non est possibile; atque adeo naturaliter loquendo, et Aristotelis principia in hac quæst. sequen. Scotus dicit materiam separari a forma esse impossibile, contradictionemque involvere. Cæterum ut Theologus loquens in 2. d. 12. q. 2. contra D. Thom. 1. p. q. 66. art. 1. de potentia Dei, artic. 4. et in lib. de Ente et essentia, cap. 5. et contra D. Bonav. in. 2. d. 12. q. 1. et Durandum eadem. d. q. 2. affirmat per divinam potentiam posse materiam sine forma existere.

(g) *Materia est una numero in omnibus generabilibus*, etc. quomodo hoc habeat intelligi, lege Joan. Canon. lib. 1. Physicorum.

EXPOSITIO TEXTUS

31. Text. 79. *Tangentes* (1) *igitur et alii quidam*, etc. Istud est secundum capitulum 4. Tractatus, in quo Philosophus determinat de privatione et forma, et dividitur : quia Primo determinat de privatione. Secundo excusat se de forma, ibi, *De principio autem, secundum speciem*, etc. Primum dividitur, quia primo ponit errorem antiquorum de privatione. Secundo ponit conditiones privationis. Tertio ostendit causam, quare antiqui erraverunt de privatione. Et quarto ostendit quod in omni generatione, privatio est principium. Et quinto ostendit qualiter materia est generabilis, et qualiter non. Secundum ibi. *Nos enim materiam*, etc. Tertium ibi, *Quidam autem*. Quartum ibi, *Existente enim quodam divino*. Quintum ibi, *Corrumpitur autem et fit*. Primo dicit, quod antiqui tangentes naturam materiæ insufficienter determinaverunt de ipsa : quia crediderunt Parmenidem recte dicere in hoc, quod dicebat nullum esse ens, nisi illud, quod est aliquid in actu, et ideo quia materia, vel privatio non sunt hoc aliquid in actu, ideo ista non sunt entia, et per consequens privatio, cum sit non ens, non est principium. Secundo errabant dicendo, quod si materia, et privatio essent unum numero, quod tunc essent omnibus modis unum, et per consequens essent unum principium, et ratione, modo istud non oportet : quia licet materia sit privatio, tamen alia est definitio materiæ secundum quod materia, et alia secundum quod est privatio.

32. *Privatio et materia differunt.* *Nos autem materiam, et privationem alterum esse dicimus*, etc. Hîc ponit conditiones privationis per differentiam ipsius ad materiam, dicens quod differunt ab invicem materia, et privatio; quia privatio est per se non ens, id est, materia privata est per se non ens actu specifico illo respectu, cujus dicitur privata. Unde in definitione privationis ponitur, quod actus ille non sit, respectu cujus materia dicitur privatio, modo pars definitionis per se prædicatur de definito ; sed materia est non ens secundum accidens, id est, non ens actu per actum illum, quo est privata, et quod hoc sit secundum accidens patet : quia materia potest actum illum habere, vel non habere.

Secunda differentia est, quod materia est valde proprie substantia rei, eo quod ex ipsa et orma componitur compositum, sed privatio non est proprie substantia rei, scilicet secundum illam rationem, qua dicitur privatio.

Quidam (2) *autem quod non est*, etc. Hîc ostendit causam erroris antiquorum, et primo ponit errorem dicens, quod quidam sicut 33. Text. 80.
Plato posuerunt magnum, et parvum esse principia, et ideam separatam ; sed iste modus trinitatis est alius ab eo, quem nos ponimus, scilicet materiam, formam, et privationem. Unde in hoc bene dicunt, sed posuerunt quamdam naturam subjectam, sed in hoc quod despexerunt ponere privationem male dicunt, et licet ponant duo principia, scilicet magnum, et parvum, tamen ambo illa ponunt materialia, et ponunt eis eumdem modum principiandi, hunc tamen unum faciunt, quia materia una cum forma, est quasi mater eorum, quæ fiunt, scilicet rerum naturalium ; sed alia pars contrariatur, scilicet privatio semper machinatur ad maleficium, scilicet ad corruptionem, et ad non esse, et hoc est verum, quod si privatio consideretur per modum termini ad quem, quod tunc denotat per corruptionem, sed si per modum termini a quo, tunc denotat generationem et esse. *Privatio semper machinatur ad maleficium.*

34. Text. 81. *Forma est quid divinum, optimum et appetibile.* *Existente* (3) *autem quodam divino*. Hîc probat Aristoteles quod in omni generatione privatio est principium necessarium : et præmittit, quod est quoddam divinum, et optimum, et appetibile, scilicet forma, quæ dicitur optima inter partes compositi ; divina, quia per ipsam compositum maxime assimilatur Deo ; et dicitur appetibilis a materia prima, eo modo quo perfectio appetitur a perfectibili : nam forma est

perfectio materiæ. Tunc probatur conclusio : quia illud est principium necessarium in generatione propter quod materia appetit formam : sed propter privationem, materia appetit formam, ergo, etc. Major patet, et minor : quia materia appetit formam, scilicet appetit generationem, vel per formam, quam habet; et hoc non, quia tunc illa forma appeteret seipsam non esse, quod est falsum : quia dicit Commentator quod omne ens diligit se permanere, vel appetit formam per suam naturam ; et hoc non, quia tunc appeteret eam postquam haberet, quod est falsum : quia omnis appetitus est ratione indigentiæ, igitur appetit ratione privationis, et habetur intentum. Et subdit Aristoteles quod materia appetit formam sicut fœmina virum, et turpe bonum, id est, sicut minus perfectum appetit perfici per suam perfectionem. Unde materia per se non est turpis, sed per accidens, quia caret actu.

Appetitus est ratione indigentiæ

35. *Corrumpitur* (4) *autem et fit.* Hic ostendit qualiter materia est corruptibilis, et qualiter non, dicens, quod materia corrumpitur secundum quid, id est, subjective : quia materia subjicitur corruptioni ; similiter generatur subjective, quia subjicitur generationi ; sed materia non est generabilis per se, hoc est, terminative, quod probatur : quia si materia prima generaretur, sequeretur quod non esset prima, quod est contradictio. Consequentia tenet : quia illud ex quo generaretur, potius diceretur materia prima, et per consequens materia prima esset una alia prior ; quia implicat. Similiter probatur, quod sit incorruptibilis : quia si corrumperetur, corrumperetur in unam aliam materiam, et per consequens illa esset prior materia, quam materia prima.

Text. 82. *Materia corrumpitur subjective. Vide contradictionem Zimaræ.*

Et ponit Aristoteles definitionem materiæ primæ, dicens quod, *Materia prima est principium subjectum ex quo fit aliquid, cum insit, non secundum accidens, etsi corrumpitur aliquid, in hoc abibit ultimum.* Et dicit Aristoteles, *primum subjectum uniuscujusque*, ad differentiam materiæ secundæ, quæ nec est prima, nec communis omnibus, sicut elementa, caro, sanguis, et hujusmodi : *ex quo fit aliquid cum insit*, ponitur ad differentiam privationis, quæ non est pars inexistens toti : et ponitur, *si corrumpitur aliquid in hoc abibit ultimum*, ad differentiam formæ, in quam compositum non corrumpitur, quia forma corrumpitur.

Definitio materiæ primæ.

QUÆSTIO XXI

Utrum cujuslibet transmutationis naturalis privatio sit principium

Aristot. *cap.* 9. Averroes *comment.* 80. Simplic. *comment.* 77. Themist. *num.* 80. Avic. *de sufficien. cap.* 2. D. Thom. *lect.* 15. Canonic. *quæst.* 10. *art.* 3. Conimbric. *in cap.* 9. *quæst.* 8. Compluten. *disp.* 5. Ruvius *tract.* 3. *de privatione quæst.* 3. Aversa *quæst.* 10. *philosoph. sect.* 2.

Arguitur quod non. Intensio qualitatis est quædam transmutatio : et tamen ipsius privatio non est principium : ergo, etc. Major patet : quia in intensione subjectum aliter se habet, quam prius ; et minor apparet : quia si privatio esset ibi principium, tunc esset privatio respectu gradus acquirendi, quæ esset contraria illi gradui : igitur per Aristotelem 10. Metaph. text. 16. ipsa esset contraria cujuslibet ejusdem speciei ; et cum gradus præcedens, et gradus subsequens sint ejusdem speciei, sequitur, quod gradus præcedens, et privatio gradus sequentis, erunt contrarii : quod est falsum ; quia stant simul. 1.

Secundo, quia motus localis cœli privatio non est principium, cum cœlum nunquam privetur aliquo situ, quem postea non habuit.

Tertio, quia augmentationis privatio non est principium, imo etiam nullius motus, cum motus quilibet sit de affirmato in affirmatum.

Quarto, quia mutationis indivisibilis privatio non est principium : quia si sic, vel hoc esset, quando illa mutatio est, et hoc

non : quia tunc est forma acquisita per transmutationem : modo forma, et privatio non sunt simul ; vel quando transmutatio non est, et hoc non ; quia ejus quod non est, nihil est principium.

Quinto, quia corruptio luminis est quædam transmutatio, et tamen ipsius privatio non est principium : quia non fit de privatione in habitum ; imo potius e contra de habitu in privationem.

2. *Divisio ...stionis* Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo, text. 80. In quæstione primo videbitur, quod res sit privatio. Secundo, qualiter sit principium. Quantum ad primum, est prima conclusio, quod (a) privatio est aliquod ens : probatur, quia si privatio nihil esset, sequeretur quod nulla propositio affirmativa esset vera, in qua iste terminus *privatio* esset subjectum, vel prædicatum, consequens est contra Aristotelem et Commentatorem in isto primo, text. 30. ubi dicitur quod privatio est principium, quod privatio est una numero cum materia, quod privatio machinatur ad maleficium, et quod privatio est causa appetitus materiæ : probatur consequentia, quia propositio affirmativa est falsa, cujus subjectum, vel prædicatum pro nulla re supponit, ut ista, *Chimæra est Chimæra.*

...ivatio aliquod

Secundo, sicut se habet privatio alicujus boni respectu intellectus, ita privatio formæ respectu materiæ : sed privatio boni debiti inesse est ens, quia causa tristitiæ, et doloris ; igitur privatio formæ est ens.

...rivatio ...t ens ...ræter ...mam. Secunda conclusio. Privatio est ens præter animam. Probatur, quia posito quod nulla anima consideraret, imo posito, per imaginationem, quod nulla anima esset, adhuc materia esset privata forma, quam nata esset habere.

3. *...rivatio ...mate- ...priva-* Tertia conclusio. Privatio (b) est materia privata. Probatur, quia si per imaginationem omnis forma tam substantialis, quam accidentalis esset separata a materia, tunc materia esset privata, sed non per privationem additam, cum omne tale sit circumscriptum ; igitur sequitur quod ipsa materia esset privatio. Secundo, quia si privatio esset res alia a materia, vel esset ens complexum, vel incomplexum : si complexum, tunc componitur ex pluribus incomplexis, et restat idem ac si esset complexum ; si incomplexum, tunc esset substantia, vel accidens ; non substantia, quia tunc materia non esset principium simplex, sed compositum ex diversis partibus essentialibus, cujus oppositum est probatum prius ; si accidens, tunc infinita talia essent in materia. Item essent perpetua a parte ante, et corrumperentur a parte post. Item corrumperentur in adventu formæ, et generarentur post ejus corruptionem. Tertio, si ab isto aere removeatur lumen nulla re addita de novo, tunc iste aer est transmutatus : quia tenebrosus, et non per tenebram additam, igitur iste aer est tenebra.

Contra conclusionem arguitur, primo per Aristotelem in isto primo, tex. 79. ubi dicit : *Nos quidem materiam, et privationem alterum esse dicimus* ; et probat hoc dupliciter. Primo, quia materia est per accidens non ens, et privatio est per se non ens; igitur non sunt idem materia, et privatio. Secundo, quia materia est proprie subjectum, sed privatio nequaquam, ubi dicit Commentator quod privatio nec est proprie propinquum, nec remotum, quia nihil est ; igitur privatio non est materia. Tertio, quia materia manet facta transmutatione, sed privatio non manet ; igitur privatio non est materia. Quarto, quia privatio est causa appetitus materiæ, et tamen materia non est causa appetitus materiæ. Quinto per Aristotelem in Prædicamentis, qui dicit quod non est idem cæcum esse, et cæcitas ; igitur a simili non est idem privatum, et privatio, sed materia est privata, igitur materia est privatio. Sexto per Aristotelem 7. Metaph. tex. 20. In dictis secundum accidens non est idem ipsum, et esse ipsum : modo privatum est dictum secundum accidens de materia, igitur non est idem privatum, et esse privatum : et non est alia causa, nisi quia esse privatum, et privatio non sunt idem, quemadmodum esse album, et albedo, ut 4.

patet ; igitur cum materia sit privata, sequitur quod non sit privatio.

5. Ad ista respondetur, et ad primum dico quod Aristoteles reprobat ibi Platonem in hoc, quod non posuit differentiam inter materiam, et privationem, scilicet nec secundum rem, nec secundum rationem : quia licet materia, et privatio sint unum numero, tamen differunt secundum rationem ; etiam ad rationes. Ad primam dico, quod ista, *privatio est per se non ens*, intelligitur quod forma est non ens, respectu cujus materia dicitur privatio, vel sic quod ista propositio est per se, *materia non est informata tali forma, respectu cujus dicitur privata*, sed ista est per accidens, *materia est informata tali forma* : quia quandoque materia habet illam, et quandoque non.

Ad secundam : quia materia est proprie, etc. dico quod hoc intelligitur, quod materia est substantia in actu, scilicet per formam respectu cujus dicitur privatio.

6. Ad tertiam dico, quod ista consequentia non valet, homo manebit, quando est niger, sed album non manebit, igitur homo, et albus non sunt idem, ita nec in proposito ; ideo de facto esset concedendum, quod privatio est, quando non est privatio : similiter privatio manebit, scilicet cum materia prima privata, quando tamen non manebit privatio.

Ad quartam. Non intelligitur quod privatio sit una res distincta, quæ sit causa inclinationis materiæ ; sed sic intelligitur quod ista causalis est vera, *materia appetit formam, quia privata est forma appetibili.*

Ad quintam dico, quod idem est cæcus et cæcitas, sed quia non est famosus modus loquendi dicere, quod homo est cæcitas, quemadmodum dicimus, quod homo est cæcus, ideo dicebat Aristoteles, quod cæcus et cæcitas non sunt idem. Et ideo Aristoteles in libro Prædicamentorum loquebatur secundum famositatem solum, non determinando veritatem, ut dicit Commentator 10. Metaphysicæ, capitulo de *quanto*.

Ad sextam dico, quod tria sunt entia secundum accidens ; quædam sunt negativa ; ut non esse album, et hujusmodi, et talia nihil sunt, ut non esse album non est albedo : quia si sic, jam esse, et non esse album essent idem. Secundo, sunt quædam dicta privativa, ut esse surdum, cæcum, privatum, infinitum, et hujusmodi, et talia significant subjectum connotando dispositionem oppositam inesse, ut iste terminus *cæcum*, vel *cæcitas* significat oculum, connotando ipsum carere dispositione, mediante qua potest fieri visio. Alia sunt dicta affirmativa ; et illa sunt duplicia : nam quædam, quæ sunt sumpta a figura, quæ sunt dispositiones additæ rebus dispositis, ut esse figuratum, esse triangulare, etc. et in talibus dico, quod est idem ipsum, et esse ipsum, sicut idem est figura, et esse figuratum : sed alia sunt dicta per accidens per quæ connotantur dispositiones distinctæ a rebus significatis per hujusmodi dicta, ut album, et in talibus non est idem ipsum, et esse ipsum, sicut non est idem album, et esse album : quia album est substantia, et esse album est albedo. Nunc dico, quod Aristoteles intellexit de dictis per accidens ultimo modo ; nam in dictis privativis idem est ipsum, et esse ipsum, ut cæcum, et esse cæcum, et hujusmodi. 7. *Entia secundum accidens tria sunt*

Contra hoc arguitur : quia si cæcum, et esse cæcum sunt idem, sit igitur, quod aliquis sit de novo cæcus ; tunc arguitur cæcum non est de novo, quia prius fuit ; sed de novo est esse cæcum, igitur cæcum, et esse cæcum non sunt idem. Secundo, quia cæcum diligitur, et tamen non diligitur ipsum esse cæcum, igitur non est idem cæcum, et esse cæcum. 8.

Respondetur, ad primum concedo, quod cæcum non est de novo ; similiter concedo, quod esse cæcum non est de novo, tamen a parte præsenti est concedendum, quod de novo est esse cæcum. Consimiliter ad secundum, quia esse cæcum, et etiam cæcum, diligo, licet non diligam ipsum esse cæcum, et hoc est propter diversas connotationes istorum terminorum a parte præ-

teriti, sicut in isto Paralogismo, *cognosco Coriscum, Coriscus est veniens, igitur cognosco venientem*, non sequitur, sed sequitur, igitur venientem cognosco; patet igitur, quod privatio est materia privata, et hoc de primo.

9. *Mutatio duplex est, supernaturalis, et naturalis.* Quantum ad secundum. Notandum, quod quædam est mutatio supernaturalis, ut creatio, et de illa dico, quod ipsius privatio non est principium, nec etiam materia : quia talis fit de contradictorio in contradictorium. Alia est mutatio naturalis, in qua scilicet præsupponitur subjectum, et talis est duplex, quædam instanea, et indivisibilis : et de illa dico, quod nunquam est verum dicere, quod privatio talis formæ est principium mutationis ad illam formam, ut probatur ante oppositum ; sed tamen ista est vera materia, et principium hujus transmutationis, quæ fuit privatio formæ, ad quam est ista transmutatio. Sed alia est mutatio divisibilis, et cujuslibet talis privatio est principium : quia in qualibet tali subjicitur materia; quæ partem habet de forma acquirenda, et partem non, quæ dicitur esse privatio respectu partis non habitæ. Et sic patet, quod duabus de causis materia dicitur principium transmutationis; prima, quia subjicitur transmutationi, et secunda, quia caret dispositione ad quam est transmutatio.

10. *Privatio quare ponitur esse principium.* Sed dubitatur, quæ necessitas fuit ponere privationem esse principium : quia licet materia, quæ transmutatur, prius non habuit dispositionem, ad quam transmutatur, tamen ex hoc non sequitur quod privatio sit principium. Respondetur propter duas causas. Quia multi antiquorum posuerunt latitudinem formarum, et ideo ad denotandum, quod nihil formæ præfuit ante transmutationem, privatio pónitur principium, id est, materia prima sub ea ratione, qua prius non habuit formam, ad quam est transmutatio . Similiter, quia multi posuerunt formam habere quoddam esse perfectum, et diminutum in materia ante generationem, et ideo ad denotandum, quod non haberet tale esse, privatio ponitur principium. Secunda causa pro qua supponitur, quod omne ens diligit se permanere, cujus signum, quod quodlibet inclinatur ad locum in quo potest maxime conservari. Secundo supponitur quod permanentia istorum individuorum non potest esse perpetua secundum individuum, et hoc propter contrarietatem eorum, ex quibus componuntur ista inferiora, et ideo sequitur tertio ex istis, quod in istis inferioribus oporteat ponere aliquam naturam, quæ appetat continue generationem, et corruptionem, ita ut res possint perpetuari in suo simili secundum speciem, postquam non possunt perpetuari secundum individum, et illa natura est materia prima. *Omne ens diligit se permanere.*

Ex quibus sequitur, quod cum materia non appetat transmutari, nisi quia est privata forma appetibili, ad quam est transmutata, sequitur quod privatio talis formæ sit necessario requisita ad transmutationem, et ista est necessitas ponendi materiam, et privationem principia rerum naturalium, et hoc de secundo. 11.

Ad rationes. Ad primam : quia intentio, etc. dico, quod illa est privatio gradus intensionis sequentis, et talis dissimilitudo sufficit, et ideo dictum Aristotelis intelligitur in contrariis positivis.

Ad secundam de motu cœli dico, quod imo ibi est privatio, quoad partes cœli, quia pars in Oriente privatur situ, qui est in Occidente, atque in Meridie. Similiter est ibi privatio, quoad totum cœlum : scilicet privatio aspectuum; quia aliquis aspectus corporum cœlestium ad invicem postea est, qui nondum est.

Ad tertiam dico, quod licet motus sit de affirmato in affirmatum, tamen id affirmatum, quod est in uno termino, includit privationem alterius termini, sicut album includit privationem nigredinis.

Ad illam de mutatione indivisibili dictum est. Ad aliam de corruptione luminis, dico quod est de habitu in privationem, et in hoc est differentia inter motum acquisitivum, ac deperditivum.

ANNOTATIONES

12. *Ens reale dicitur tribus modis.* (a) *Privatio est aliquod ens.* Nota ex Aristotele 6. Metaph. text. 4. ens reale tripliciter dici : uno modo per se, quo modo dicitur id, quod a parte rei est aliquid, de quo ibi intendit Philosophus agere, et quod dividitur in 10. genera. Secundo modo dicitur ens per accidens, ut homo albus. Tertio modo dicitur per ens, quod significat veritatem propositionis. Et hoc tertio modo comprehendit privationes, et entia rationis : ex hoc enim quod aliquid est in rerum natura, sequitur veritas propositionis, quam intellectus significat per hoc verbum *est*, sed quia aliquid, quod est in se non ens, intellectus considerat ut quoddam ens, sicut negationem, et privationem, ideo etiam hujusmodi non entia dicuntur entia. Dicitur enim, cæcitas est, non quod cæcitas habeat aliquod esse in rebus ; sed quia intellectus componit illam cum aliquo subjecto, eo quod removet aliquod ens a subjecto, ut si dicas, Petrus est cæcus, significat Petrum non habere visum.

13. *Materia et privatio sunt idem realiter et distinguuntur formaliter* (b) *Privatio est materia privata.* Nota, quod materia, et privatio sunt idem realiter, et distinguuntur formaliter. Nam materia considerari potest, vel ut est de se privata omni forma, vel ut est sub quacumque forma. Quando ergo dicit Scotus, quod privatio est materia privata, nihil aliud intelligit, quam quod materia privata est idem sibi realiter, ita ut materia privata nullam realitatem realem addat ad materiam, sed tantum dicat negationem formæ in materia apta ad illam recipiendam ; sed quia materia, et privatio habent diversas definitiones : quia privatio includit negationem formæ, materia vero non ; et materia appetit formam, privatio vero non : item materia est pars substantiæ, privatio vero non ; et tandem materia manet in composito, privatio autem expellitur, materia, et privatio formaliter distinguuntur.

QUÆSTIO XXII

Utrum quodlibet ens naturale appetat sui permanentiam

Aristot. *cap.* 9. *text.* 81. Averroes *com.* 81. Simplic. *com.* 79. Themist. *num.* 81. Avic. *de suffic. cap.* 2. D. Thom. *lect.* 15. *et quæst.* 4. *de pot. art.* 1. Scotus *in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 3. Conimbricen. *cap.* 9. *quæst.* 4. Roccus *quæst.* 25.

1. Arguitur primo quod non : quia tunc sequeretur, quod agens naturale approximatum passo sufficienter disposito, non ageret in ipsum, consequens est contra experientiam, et principium naturale. Probatur consequentia ; quia si ageret, tunc repateretur, et cum repassio sit ejus corruptio, sequitur, quod si appetat agere in contrarium, quod appetat disponi ad corruptionem.

Secundo, aliquod ens naturale appetit dispositionem suæ corruptionis, igitur appetit suam corruptionem. Tenet consequentia : quia qui vult antecedens, quodammodo vult consequens ; et probatur antecedens : quia ignis appetit rarefieri, modo rarefactio est dispositio prævia corruptioni ; quia facilius potest agens contrarium agere in rarum, quam in densum. Similiter patet de hominibus, qui appetunt cibos præparatos suæ corruptioni.

Tertio : quia aliqua res potest plus durare, quam de facto permaneat, ut puta si esset in continente melius disposito, ergo non quodlibet ens, etc. Tenet consequentia : quia vel appetit durare per illud tempus, per quod potest manere, et non manet ; si sic, tunc ejus appetitus est frustra : si non, igitur potest manere, quando non appetit, quod est propositum.

Quarto sequeretur, quod cœlum, et materia prima infinite appeterent permanere; 2.
consequens est falsum, quia quodlibet istorum est finitum, et per consequens solum finite potest appetere. Probatur consequentia, quia appetere durare per duos dies provenit a majori appetitu, quam appetere durare per solum unum : igitur cum materia prima, et cœlum durent per tempus infinitum, sequitur quod quodlibet illorum appetat permanere appetitu infinito.

Quinto, quia quodlibet ens appetit illud, quod est sibi naturale ; sed alicujus rei corruptio est naturalis; igitur aliqua res appetit corruptionem. Major nota est inductione, nam grave appetit deorsum : quia locus deorsum est sibi naturalis ; et minor probatur : Primo, quia dicimus aliqua corrumpi naturaliter. Secundo, quia putrefactio

est corruptio naturalis, combustio autem violenta, ut patet 1. Meteoror. Tertio, quia aliqua corruptio fit ab intrinseco, ut corruptio mixtorum compositorum ex elementis. Quarto, quia illud est naturale, quod semper, vel ut in pluribus fit eodem modo, ut patet secundo hujus, text. 39. modo mors, vel corruptio semper, vel ut in pluribus, fit eodem modo; ergo, etc.

Sexto ad principale; quia non quodlibet ens naturale cognoscit permanentiam, et durationem, ergo non quodlibet appetit ipsum permanere. Tenet consequentia; quia appetitus consequitur cognitionem; et antecedens est notum.

3. Deinde arguitur per instantias. Quia lignum existens sursum cadit deorsum in ignem suppositum sibi, igitur si appeteret sui permanentiam, non descenderet deorsum. Secundo, quia aliqui milites adhuc non sperantes de alia vita, eligunt mori propter defensionem Reipublicæ, quod non esset, si appeterent permanere. Tertio, quia quidam interficiunt seipsos, ut patet de desperatis. Quarto per Linconiensem in tractatu de radiis, qui dicit quod habitantes in montibus Hyperboreis vivunt ita diu, quod attædiati de vita præcipitant seipsos de rupibus in mare. Quinto secundum naturales historias, Phœnix comburit seipsam in quodam monte, ut post mille annos de cineribus ejus generetur alia Phœnix. Sexto arguitur de vetulis.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo, cap. ultimo, text. 81. ubi probans, quod in qualibet transmutatione privatio sit principium necessarium, probat quod materia non appetit formam sequentem per formam præcedentem: quia nulla res appetit suam corruptionem: et dicit Commentator, quod omnis res diligit se ipsam permanere.

4. *[Appe]titus [d]uplex.* Notandum, quod duplex est appetitus, quidam sequens cognitionem, ut ille quo aliquis nititur in prosecutionem, vel fugam alicujus objecti delectabilis, vel tristabilis: et talis appetitus vocatur animalis, qui est duplex; nam quidam sequitur cognitionem intellectivam, et vocatur appetitus intllectivus, ut voluntas; alter sequitur cognitionem sensitivam, et vocatur appetitus sensitivus: sed alius est appetitus naturalis, qui non sequitur cognitionem, sicut dicimus, quod grave appetit deorsum, et materia formam, et entia naturalia appetunt esse, et permanere.

Appetitus ad permanendum interdum est cum conatu, quandoque sine conatu.

Secundo notandum, quod appetitus ad permanendum quandoque est cum conatu, ut quando agens contrarium est applicatum, et tunc dico, quod nullum tale potest permanere per tempus æternum, nisi tale fuerit virtutis infinitæ simpliciter; sed quandoque est sine conatu, ut quando nullum contrarium est applicatum, et in tali nulla requiritur potentia ad durandum, imo quacumque potentia data minor in infinitum sufficeret. Ex quo sequitur, quod ista consequentia non valet, illud quod durat per unum diem, est aliqualis virtutis; igitur illud, quod durat per duos dies, est majoris virtutis, et illud, quod durat in æternum est infinitæ virtutis: negatur consequentia, quia ad permanendum sine conatu, nulla requiritur potentia.

Secundo sequitur, quod si elementum simplex esset in loco, ubi nunquam applicaretur sibi contrarium, tunc nunquam corrumperetur, nec requireret majorem potentiam ad durandum per unum diem, quam ad durandum perpetuo.

Appetitus naturalis, et animalis differunt.

Tertio notandum, quod (a) appetitus animalis, et naturalis differunt ab invicem. 5.
Primo, quia appetitus animalis semper fertur in bonum existens, vel apparens: sed appetitus naturalis semper fertur in bonum existens, et hoc ponit Commentator secundo hujus, ubi dicit, quod intentum in rebus voluntariis semper est bonum apparens, vel existens, sed in rebus naturalibus semper est bonum existens. Secundo differunt; quia appetitus animalis proprie dicitur dilectio, sed appetitus naturalis non nisi improprie, ut dicit Commentator, quia omne ens diligit se permanere. Et si quæratur, quæ res est appetitus naturalis, respondetur, quod non est nisi quidam nisus,

vel instinctus, vel inclinatio naturæ ad essendum, quia non est aliud nisi res sic inclinata, sicut appetitus gravis ad deorsum, non est aliud quam gravitas sic inclinata, qua consequenter inclinatur grave cum conatu, ut quando grave est sursum, et quandoque sine conatu, ut quando grave est deorsum.

6. *Ens naturale appetitu naturali appetit permanere.*

Nunc ponuntur conclusiones. Prima est. Quodlibet ens naturale appetit seipsum permanere appetitu naturali. Probatur, quia quodlibet ens naturale potest permanere ; igitur quodlibet appetit, et inclinatur ad permanendum. Tenet consequentia, quia aliter aliqua res permaneret contra propriam inclinationem, et per consequens esset contraria sibi ipsi, quod est impossibile : quia esset otiosa in natura, ut concludit Commentator.

Secundo, quia omnia entia appetunt assimilari ipsi Deo, qui est ens primum perfectissimum,et maxime permanens ; igitur quodlibet ens appetit assimilari sibi in permanentia, scilicet in quantum potest, et per consequens quodlibet ens appetit permanere.

Tertio, quia esse, et permanere continentur sub ratione appetibilis : quia permanere est bonum : modo omnia bonum appetunt, ut patet, 1. Ethicorum.

7. Quarto arguitur per signa. Primo, quia quodlibet ens naturale tendit ad locum, in quo maxime potest conservari ; quod non esset nisi quodlibet appeteret permanere ; et antecedens apparet, quia quodlibet ens tendit ad suum locum naturalem, qui habet quamdam virtutem conservatam locati, ut patet quarto hujus, text. 48. Secundo, quia unum contrariorum fugit reliquum, ut patet in lib. Meteororum per totum, quia per hoc dantur causæ multarum impressionum.

Secunda conclusio. Licet quodlibet ens appetat permanere, tamen non semper, sed secundum propensionem suæ naturæ. Probatur, quia tunc in istis inferioribus quodlibet ens frustraretur a suo fine secundum totam speciem, quod est impossibile. Et si dicatur quod si quodlibet ens appetat sic permanere, videtur quod ille appetitus sufficeret ad hoc, quod res permaneret quocumque alio circumscripto. Respondetur quod non : quia ultra illum appetitum requirit conservationem primæ causæ, ad quam omne esse se habet, sicut lumen se habet ad corpus luminosum.

8. *Appe[titu] natur[ali] aliqui [ap]petunt corrup[tio]nem.*

Tertia conclusio. Appetitu naturali aliqui possunt appetere sui corruptionem, ut patuit prius.

Ad rationes. Ad primam sequeretur, quod unum contrarium, etc. nego consequentiam : quia unum contrarium appetit agere sibi simile in reliquum, et non appetit corrumpere reliquum, nec etiam corrumpere se ipsum : licet ista sequantur ad hoc, quod agat suum simile, et ideo non oportet, quod si aliquod appetat antecedens, quod cum hoc appetat consequens, nisi cum hoc appetat consequentiam esse bonam.

Ad secundam negatur consequentia : quia licet appetant illa disponentia, tamen non appetunt, quod disponant ad suam corruptionem, et ideo licet homo appetat cibos nocivos, tamen non appetit esse illos cibos nocivos sibi.

Ad tertiam, aliquid durat minus, etc. concedo, igitur non appetit, nego consequentiam. Ad probationem dico, quod appeteret durare illud tempus, nec est inconveniens, quod desiderium naturale frustretur in parte. Aliter dicitur, quod res non appetit esse in futuro, et hoc appetitu naturali ; sed appetitus ille conjungitur cum actu, et ideo non oportet, quod iste terminus *appetitus* connotet carentiam rei, quæ appetitur.

Ad quartam soluta est, quod ista permanent sine conatu.

Ad quintam dico, quod nulla corruptio est alicui corruptibili naturalis. Ad probationem dico, quod nos dicimus, corruptionem naturalem, quando fit secundum communem cursum naturæ,ut in senectute, licet sit violenta illi, quod corrumpitur. Ad alium putrefactio, etc. dico, quod putrefactio est corruptio violenta respectu il- 9

lius, quod putrefit, tamen dicitur naturalis, eo quod mixta magis sunt consueta corrumpi per putrefactionem, quam per combustionem. Ad aliam dico, quod non sequitur : quia licet fiat ab extrinseco, tamen passum non confert vim. Ad quartam negatur, nisi fiat secundum intentionem agentis. Vel potest dici, quod illa sunt naturalia distinguendo naturale contra casuale, sed non distinguendo contra violentum.

10. Ad sextam principalem, dico quod non oportet, quod omnis appetitus sequatur cognitionem, sed sufficit quod dirigatur a cognoscente, ut puta ab intelligentia. Tunc ad instantias de ligno dico, quod lignum appetit descendere, sed tamen non appetit ignem esse sub eo, quia hoc accidit a casu. Ad secundam dico, quod accidit secundum aliquos propter spem alterius vitæ, et ideo ex hoc Tullius credens perpetuitatem animæ famam sui nominis præposuit morti corporali. Alii dicunt, quod hoc faciunt propter virtutem : quia tales prope finem vitæ sunt valde intense virtuosi ; et melius est illud medium esse virtuosi, quam diutius esse minus virtuosi,et sic appetunt hoc appetitu animali, et non naturali. Ad tertiam de desperatis dico, quod tales nolunt se ipsos non esse, sed volunt suam miseriam non esse, licet ipsos non esse sequatur, et ita dicatur ad Linconiensem.

Ad aliam de Phœnice dico, quod Phænix ex aliquo instinctu naturali cognoscit se non amplius posse permanere, et quod alio modo sibi simile non potest generare, ideo appetens semper manere secundum speciem, cum non possit permanere secundum individuum, et comburit se. Ad illam de vetulis dico, quod mentiuntur pessime.

ANNOTATIONES.

11. *[Ap]petitus [ani]malis duplex*

(a) *Appetitus animalis, et naturalis differunt ab invicem.* Nota, quod cum appetitus animalis sit duplex, unus intellectivus, et alter sensitivus, isti duo appetitus distinguuntur inter se, differuntque in multis. Quod distinguantur apparet : quia multoties sunt contrarii, ut patet in homine incontinente, in quo prævalet appetitus sensitivus contra rationalem. Tum quia appetitus rationalis fertur in bonum particulare, et universale ; appetimus enim universale bonum : appetitus vero sensitivus solum fertur in bonum singulare. Tum etiam quia appetitus sensitivus differt in multis a rationali. Primo differunt, quia appetitus sensitivus est circa bonum, quod imaginatio indicat ; rationalis vero circa bonum, vel malum intellectu judicatum. Secundo differunt, quia appetitus rationalis, sive voluntas est libera libertate contradictionis, quod scilicet potest suspendere actum volitionis, et libertatem contrarietatis circa bonum particulare, quamvis non circa bonum universale : potest enim velle, et nolle aliquod bonum particulare, appetitus tamen sensitivus non est liber, sed necessario operatur utraque necessitate opposita;quia proposito sibi convenienti non potest brutum non appetere, et proposito disconvenienti non potest non refugere. Tertio, differunt in actibus ; voluntas enim habet actum amoris amicitiæ, qui est amor rei propter se, quo amore diligimus honesta, in quo fundatur amicitia ; habet etiam actum amoris concupiscentiæ, qui est amor rei utilis, quo amamus nobis utilia : appetitus vero sensitivus caret priori amore, et ideo bruta solum appetunt sibi utilia, neque habent veram amicitiam inter se. Item in voluntate est consensus, qui dicitur electio : quando enim proponitur sibi aliquod bonum, quia libera est, potest velle, et retinere; et si vult, ille actus dicitur consensus, et propter hoc dicitur liberum arbitrium : quia scilicet libere recipit, et consentit in id quod intellectus deliberat esse faciendum, quod si sit contra legem divinam, erit peccatum. Quarto differunt, quia voluntas dominatur appetitui per rationem, potestque multos illius actus impedire, quos si non impedit, et sunt contra rectam rationem, imputabitur sibi ad peccatum, quantumcumque urgeat appetitus sensitivus. Quinto differunt, quia voluntas non subditur influxui cœlesti in suis actibus, sicut appetitus sensitivus, et sic meritum, vel demeritum non est absque voluntate : quia primum subjectum meriti, et demeriti, sicut peccati et gratiæ, est voluntas, et ultimo differunt : quia voluntas est reflexiva, et vult se velle, vel voluisse, aut noluisse, quod non habet appetitus sensitivus.

Appetitus sensitivus, et rationalis differunt in multis.

QUÆSTIO XXIII

Utrum virtus unita sit fortior seipsa dispersa

Auctor librorum de causis, *proposit.* 17. D. Thomas *lect.* 17. Aristot. *in problem. sect.* 15. *problem.*4. Conimbric. 7. *Physic. cap.* 1. *quæst. art.* 1.

1. Arguitur quod non : quia sequeretur, quod non semper in majori corpore esset major virtus, consequens est contra Aristotelem 1. Cæli, text. 8. et 50. et 8. Physic. text. 79. Probatur consequentia : quia illud quod est majus est minus unitum.

Secundo, quia illa virtus est fortior, quæ sufficit agere ad majorem distantiam, sed virtus dispersa sufficit agere ad majorem distantiam quam virtus unita ; igitur virtus dispersa est fortior seipsa unita, et sic unita non est fortior. Major et minor patent per unam experientiam : quia una parva portio ceræ spissa posita a remotis non videtur, quæ tamen si esset extensa secundum longum, et latum, bene videretur. Confirmatur per aliam experientiam : quia plura visibilia ab invicem dispersa de prope videntur, quæ tamen si essent conjuncta non viderentur.

Tertio experimur, quod ferrum calidum non agit ad tantam distantiam, ad quam agit flamma tenuis, in qua tamen caliditas est magis dispersa.

Quarto sequitur, quod duæ regulæ Aristotelis, quas ponit in 7. hujus, text. 35. et inde, non essent veræ, quarum una est : si aliquis motor moveat aliquod mobile per aliquod spatium in aliquo tempore, medietas motoris movebit medietatem mobilis per idem spatium in æquali tempore. Secunda est, si duo motores moveant duo mobilia per aliquod spatium in aliquo tempore aggregatum ex motoribus, movebit aggregatum ex mobilibus per idem spatium in æquali tempore ; sed contrariatur, quoad primam regulam ; quia medietas motoris haberet minorem proportionem super medietatem mobilis, quam totus motor super totum mobile de tanto, quanto virtus dispersa est debilior virtute unita. Et consimiliter patet, quoad secundam regulam ; quia aggregatum ex motoribus haberet majorem proportionem ad aggregatum ex mobilibus, quam unus motorum ad unum mobilium, cum virtus unita sit fortior seipsa dispersa.

Quinto sequeretur, quod aliqua virtus fieret fortior nullo sibi addito, et debilior nullo a se remoto, consequens est falsum, et probatur consequentia ; posito quod istud calidum condensetur nullo gradu caliditatis sibi adveniente ab extrinseco, tunc ista caliditas est fortior in virtute, quam prius, quia est magis unita, et tamen nihil est sibi additum : et tunc si iterum rarefiat, erit debilior in virtute, et tamen nihil est a se remotum. 2.

Sexto sequeretur, quod qualitas finita posset agere effectum infinitum; consequens est falsum, quia res denominatur finita, vel infinita per effectum, quem potest producere, vel per resistentiam, in quam potest agere, et ideo si producat effectum infinitum, est virtus infinita. Consequentia probatur, quia si qualitas condensetur usque ad subduplum, tunc ipsa est fortior, quam prius in aliqua proportione, et si ad subtriplum est fortioris virtutis in majori proportione : igitur cum virtus illa possit uniri magis, et magis per condensationem subjecti in infinitum, sequitur, quod illa qualitas fiet infinitæ virtutis.

Septimo per experientiam : quia videmus in tractu doliorum difficilius esse trahere, quando duæ chordæ conjunguntur simul in aliqua parte dolii, sed quando disjungitur ad extrema, facilior est tractus, quod non esset nisi virtus dispersa esset fortior seipsa unita.

Octavo, aggregatum ex duabus resistentiis non plus resistit, quam altera illarum ; igitur a simili aggregatum ex duabus virtutibus activis non plus aget, quam altera illarum virtutum. Antecedens patet : quia si ad imaginationem in vacuo essent duæ

sphæræ positæ super planum ; tunc quælibet illarum potest moveri ab infinito modica virtute cum nihil resistat ; tunc si ex illis duabus fiat una sphæra, æque facile erit illam movere, sicut aliquam illarum, cum ipsa possit ab infinito modica virtute moveri, eo quod non est resistentia.

3. Oppositum arguitur per experientiam : quia ferrum calidum agit intensiorem calorem, quam faciat flamma, et hoc propter unionem virtutis. Secundo, quia duo homines possunt levare lapidem ; cujus tamen medietatem nullus potest levare. Tertio, quia duæ chordæ sufficiunt sustinere unum pondus, quarum tamen nulla potest medietatem sustinere. Quarto per Auctorem de Causis, qui ponit illam conclusionem.

na virt potest iri alte- triplici- r.

Notandum, quod aliqua virtus potest uniri alteri tripliciter, uno modo aggregando unum ad reliquum ad factionem ejusdem effectus ; ut si duo homines ad invicem applicentur ad sustentationem ejusdem ponderis, vel levationem ejusdem lapidis : et tunc dico quod in tali unione non est major, vel minor virtus, nisi secundum quod virtus unita est melius, vel minus bene applicata, quam virtus dispersa ; vel e contra, verbi gratia, si sint duo homines, quorum quilibet habeat virtutem ut decem, et unus tertius virtutem ut viginti, tunc si isti duo applicentur ad unum longum lignum, melius portabunt, quam ille unus cujus virtus est ut viginti, et hoc est propter meliorem applicationem : sed si esset lignum curtum, vel compactum, aut aliud pondus breve, tunc habens virtutem ut viginti melius levaret, quam alii duo. Secundo modo conjunguntur aliquæ virtutes sine condensatione, ut si duo corpora luminosa conjungantur ad producendum lumen in idem medium. Et tunc secundum quod ista conjunguntur ad invicem diversimode, scilicet prope, vel remote, secundum hoc actio est fortior, vel debilior : unde si applicentur conjunctim ad invicem, actio erit intensior prope, sed tamen minus esset extensa. Sed si applicentur ad invicem, quod actio unius terminetur ad alterius superficiem, et e contra, tunc supposito, quod medium sit uniforme, actio non esset intensior prope, vel remote inter illa duo agentia, quia totum est uniforme.

Ex quo sequitur, quod in istis inferioribus nullum medium est uniforme ; et ideo in istis inferioribus, quando duo ignes, ut duæ candelæ, sic applicantur, quod actio unius terminetur ad aliud, et e contra, vel etiam magis propinque, adhuc actio non est uniformis in intermedio, ut patet ad experientiam. Tertio modo unitur aliqua virtus per condensationem, ut si ignis condensetur non corrupta caliditate, et tunc dico, quod illa virtus est intensior, quæ habet æquales gradus in magnitudine minori ; vel majores in æquali magnitudine, et hæc sit prima conclusio. Probatur, quia illa virtus est major, et fortior, quæ est intensior, sed illa quæ habet plures gradus æquales in æquali magnitudine, vel æquales gradus in minori magnitudine, est intensior, igitur illa est major, et fortior. Major patet, quia virtus intensior potest producere majorem effectum, quam minus intensa, et agere in majorem resistentiam, et per consequens, est major, et fortior ; et minor nota est. Nam de duobus albis illud est intensius album, quod habet plures gradus albedinis æquali magnitudine, vel æquales gradus, et tot præcise in minori magnitudine. Et ideo dicit Auctor sex Principiorum, quod margarita est albior, quam albus equus. 4.

Virtus illa est major quæ habet æquales gradus in magnitudine minori.

Virtus unita est fortior seipsa dispersa.

Secunda conclusio. Virtus unita (a) est fortior seipsa dispersa. Probatur, quia illa virtus est fortior, quæ habet æquales gradus in minori magnitudine, sed virtus unita est hujusmodi ; ergo, etc. Major patet ex præcedenti conclusione, et minor apparet in unione facta per condensationem, ubi nullus deperditur gradus virtutis.

Ex conclusione sequuntur aliqua corollaria. Primum est, quod si esset aliquod calidum uniforme, et caliditas, quæ est in una medietate ipsius, poneretur in alia medietate per imaginationem, vel per condensationem, quod tunc secunda medietas 5.

esset in duplo intensius calida, quam ante : et si caliditas totius poneretur in quarta parte ejus, esset in quadruplo intensior. Et sic si per imaginationem poneretur in puncto, caliditas illa esset infinite intensa, et punctus infinite calidus.

Secundum corollarium, quod aliqua virtus finita potest producere effectum infinite intensum, nullo addito vel remoto. Probatur consequentia ; si caliditas totiuc, quæ est virtus finita, per imaginationem poneretur in puncto, esset infinite intensa, et per consequens in alium punctum ageret caliditatem infinite intensam. Tertio sequitur, quod virtus fortior efficitur debilior nullo gradu virtutis perdito : patet si densum efficiatur rarum. Quarto sequitur,quod aliqua virtus continue remitteretur, et tamen continue esset fortior ad agendum, posito quod caliditas remittatur per frigiditatem, et quod subjectum calidum continue condensetur in majori proportione quam caliditas remittatur, et tunc sequitur propositum. Quinto sequitur quod aliqua virtus continue intendatur ; et tamen continue minus sufficiat agere, quam ante, id est, in majorem resistentiam. Probatur, posito quod calidum intendatur in caliditate, et ejus subjectum rarefiat in majori proportione, quam intendatur caliditas, et tunc sequitur propositum. Ultimo sequitur, quod intensio qualitatis attenditur penes pluralitatem graduum æqualium in æquali magnitudine, vel penes æqualitatem graduum in minori magnitudine, et hoc tanquam penes causam ; sed tanquam penes effectum attenditur intensio virtutis penes resistentiam, in quam virtus sufficit agere.

6. Contra conclusionem arguitur, quia si esset vera, sequeretur quod calidum in summo posset fieri calidius ; consequens implicat. Consequentia probatur : quia calidum in summo posset condensari, et per consequens intendi. Respondetur negando consequentiam : quia calidum in summo non potest condensari, nisi per remissionem caliditatis, et per inductionem frigiditatis. Ex quo sequitur, quod ignis purus non potest comprimi condensando ; vel si potest, remittetur caliditas.

Secundo arguitur, quia si esset unum calidum uniformiter, difformiter terminatum ad unum gradum in extremo remissiori, tunc illud subjectum esset æque intense calidum, sicut unum aliud, quod esset uniformiter calidum gradu medio. Tunc ponatur, quod illud condensetur, adhuc correspondebit suo gradui medio ; igitur cum caliditas ista fuerit unita per condensationem, non esset intensior, quam ante, cum semper correspondeat suo gradui in medio. Respondetur, quod sicut illud calidum ante condensationem correspondet gradui medio caliditatis, ita etiam post condensationem, sed gradus medius potest post condensationem factam esse intensior gradu medio ante condensationem.

Tertio. Si virtus unita, etc. sequeretur, quod quodlibet agens naturale ageret intensius sub figura sphærica, quam sub aliqua alia figura : quia sub figura sphærica esset virtus magis unita ; modo consequens est falsum, quia grave pyramidalis figuræ velocius descendit, quam sphæricæ figuræ. 7.

Quarto, corpus luminosum planæ figuræ agit lumen intensius in partem medii propinquam sibi, quam corpus luminosum sphæricæ figuræ, eo quod illa pars respicitur a pluribus partibus plani, quam sphærici.

Respondetur concedendo consequens, cæteris paribus. Tunc ad primam dico, quod sub figura pyramidali facilius dividit medium, sed in vacuo hoc non juvaret. Ad secundam dico, quod in corpore luminoso plano plures partes concurrunt ad agendum in idem punctum, quam in sphærico, sed si præcise tot partes æquales concurrunt utrobique, dicendum quod intensius lumen causaretur a sphærico, quam a plano. Vel potest dici, quod supposito æquali lumine in corpore sphærico, et in corpore plano, tunc semper lumen intensius fiet a sphærico prope se, licet non ad

majorem distantiam, et hoc si planum sit majus in quantitate.

8. *Virtus unita non agit ad majorem distantiam, quam dispersa.* Tertia conclusio. Virtus unita non agit ad majorem distantiam quam dispersa. Probatur de visibilibus, quæ dispersa videntur ad aliquam distantiam, quæ non viderentur conjuncta.

Ad rationes. Ad primam concedo, quod non semper in majori corpore est major virtus intensive, licet bene extensive.

Ad secundam negatur major, ut patet in tertia conclusione.

Ad tertiam concessum fuit in uno corollario.

Ad quartam dico, quod illæ regulæ sunt veræ : quia sicut duæ medietates motoris simul unitæ habent majorem proportionem ad aliquod unum proportionaliter, quam una medietas per se sumpta haberet ; ita duæ medietates resistentiæ simul unitæ fortius resistunt, quam resisterent si essent separatæ. Et eodem modo dicitur de motoribus aggregatis.

Ad quintam et sextam, patet responsio ex notabilibus in corpore quæstionis positis.

Ad septimam de tractu dico, quod hoc est : quia illæ chordæ non æque applicantur conjunctæ sicut si essent separatæ.

Ad octavam, aggregatum, etc. nego antecedens. Ad probationem concesso casu, nego quod quælibet illarum sphærarum, potest ab infinito modica virtute moveri.

ANNOTATIONES

9. (a) *Virtus unita est fortior se ipsa dispersa.* Nota primo, quod major, vel minor activitas non semper sequitur majorem, vel minorem intentionem formæ ; non enim eo quod aliquis calor plus minusve calefaciat, indicat ipsum intensiorem, vel remissiorem esse, quod docet Aristoteles 8. Physicorum, text. 8. *In majori enim*, inquit, *magnitudine major virtus existit* ; unum enim pedale intensum ut quatuor, minorem habet virtutem bipedali etiam intenso ut quatuor, cum ergo id, quod est majoris virtutis, quam alterum in æquali tempore plus agat, et plura producat, bipedale calidum ut quatuor, in æquali tempore plures gradus producet caloris, quam pedale calidum ut quatuor. Non ergo intensio major sola est causa majoris activitatis, sumitur ergo major activitas, et ab intensione, et a multitudine formæ, quæ est secundum partes plures materiæ. Est ergo circa hoc regula, ubi plures gradus formæ congregantur circa passum, sive tales gradus sint secundum intensionem, sive secundum extensionem, et subjecti partes, ibi est major activitas, *Regula.*

Nota secundo, quod qualitas æqualis in intensione plus agit, quando est in subjecto denso, quam in raro : quia virtus unita est fortior se ipsa dispersa ; cujus ratio est, quia quanto agens est propinquius passo, tanto magis agit in ipsum ; cum ergo partes densi minus distent ab uno puncto, quod signari potest in medio circa passum, quam partes rari, sequitur quod densius plus aget. Non tamen sic intelligendum est, quod magis agat, id est, ultra gradum intensionis : nisi pluralitas formæ, quæ est secundum plures partes materiæ, id requirat : sed si rarum, et densum sint æqualia, et in materia, et in gradu intensionis, dicitur densius tunc plus agere, vel quia citius aget, vel quod posset prodire in actum secundum suam totam activitatem, quod rarum non faciet, quia non est debite approximatum passo. Ex hoc sequitur, quod activitas, seu potentia, ad agendum proxima, attenditur non solum in gradu, et non solum in multitudine formæ, sed insuper in hac debita approximatione partium agentis. Quare contingit, quod calidum ut quatuor in gradu, et in forma plus agat quam calidum æquale illi in gradu, et in forma si sit rarius ; imo et quam calidum ut quinque : sicut, verbi gratia, contingit in ferro candenti, quod plus agit quam stupa ignita, quæ habent tantam materiam. His notabilibus bene consideratis facile intelliguntur multa, quæ dicit Scotus in hac quæstione. 10.

EXPOSITIO TEXTUS

(a) *De principio autem secundum speciem*, etc. Hic excusat se determinatione formæ dicens, quod determinare prosecutionem de principio formali est opus primæ Philosophiæ ; et loquitur de principio, quod est substantia separata ; et per primam Philosophiam intelligit Metaphysicam ; sed de formis generabilibus, et corruptibilibus posterius determinabimus. Et tunc recapitulando dicit, quod determinatum est a nobis, quæ et quot sunt principia ; et hoc est verum de principiis intrinsecis ; sed nunc dicamus intendentes aliud principium, id est, determinantes de aliis principiis, sci- 11. Text. 83.

licet extrinsecis, et hoc in secundo libro, qui est de principiis doctrinæ scientiæ naturalis ; et ideo secundum rectum ordinem, iste secundus deberet præcedere. Sed quia antiqui sic ordinaverunt, Aristoteles etiam voluit sic ordinare. Explicit expositio primi libri Physicorum.

ANNOTATIONES

12. (a) *De principio autem secundum speciem,* etc. Nota, quoniam quibusdam videretur Aristotelem impugnaturum esse illorum errorem, qui ex impugnatione formæ lapsi sunt, utpote Platonicorum, qui asserebant ideas, seu formas separatas, esse rerum naturalium formas, ideo quoniam tractatio de formis separatis ad Metaphysicum spectat, eo usque differtur hæc impugnatio ab Aristotele. Pollicetur tamen se in sequentibus dicturum de formis inhærentibus materiæ, quoniam tales cadunt sub Physica consideratione. Cum autem inquit se dicturum de formis, quæ intereunt, aut credit omnes interire, quod falsum est ; aut si non credit, non negat se dicturum de his etiam, quæ non intereunt, cujusmodi est sola forma hominis in his rebus, quæ gignuntur, et intereunt, de quibus hic loquitur dumtaxat.

QUÆSTIO XXIV

Utrum cujuslibet transmutationis naturalis forma sit principium

Aristot. *cap.* 9. *text.* 83. Averroes, Simplic. D. Thom. *ibid.* Vide citatos *quæst.* 19. Suarez *tom.* 1. *Metaph. dist.* 12. *num.* 7. Conimbric. 1. *Physic. quæst.* 9. Compluten. *disp.* 4. Fuentes *quæst.* 4. Roccus *quæst.* 30.

1. Arguitur quod non: quia forma est transmutatio naturalis, igitur non est principium transmutationis. Tenet consequentia : quia idem non est principium sui ipsius, et antecedens apparet per Aristotelem tertio hujus text. 4. ubi dicit, quod motus est de essentia termini ad quem, et exemplificat Commentator Physic. text. 9. ut ire ad calorem est quidam calor.

Secundo, si esset principium, vel extrinsecum, et hoc non : quia tunc non differret ab efficiente, et fine; vel intrinsecum, et hoc non, quia transmutatio vel est materia, vel accidens successivum, vel ipsa forma, quorum nullum habet principium intrinsecum, ut patuit prius.

Tertio : quia nulla forma est generabilis ; igitur nullius transmutationis forma est principium. Tenet consequentia : quia si esset principium, maxime esset in generatione : et antecedens apparet, quia si forma generaretur, hoc esset pro tanto, quia privatio inclinaret materiam ad novam formam, ut dicit Commentator, et sic privatio appeteret sui corruptionem, quod est falsum, cum omne ens diligat se permanere.

Quarto : quia forma non est nisi post transmutationem, igitur forma non est principium transmutationis. Tenet consequentia : quia principium est prius principiato, et saltem simul cum ipso. Antecedens apparet : quia habitibus præsentibus in materia cessat motus, ut patet 1. de Gener. text. 55.

Deinde arguitur per instantias. Primo de motu locali, qui non est motus ad formam ; imo est motus ad *ubi*, et per hoc differt ab aliis motibus. Secundo, de diminutione, in qua nulla forma acquiritur. Tertio de corruptione luminis, quæ terminatur ad privationem. Quarto de condensatione, et rarefactione, quibus nihil acquiritur, vel deperditur, ut patet 4. hujus, text. 83.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto primo. In quæstione primo videbitur de diversitate formarum ; secundo de natura, et conditionibus formæ naturalis ; et tertio respondebitur ad quæsitum. *Div... quæstio...*

Quantum ad primum notandum, quod quædam est forma substantialis, et alia accidentalis. Substantialis est duplex, quædam materialis, ut forma asini, quæ est inhærens materiæ, informans ipsam, et educta de potentia ejus : et quædam est immaterialis, et talis quædam est inhærens materiæ, ut intellectus noster, qui informat materiam, licet non sit eductus de 2. *Forma duplex. Forma substantialis est duplex.*

potentia materiæ. Ex quo sequitur, quod ista consequentia non valet, ista forma est inhærens materiæ, igitur est materialis ; quia ex eo solo dicitur forma materialis, quia est educta de potentia materiæ. Sed alia est forma immaterialis non inhærens materiæ, nec informans materiam, et talis quædam est corporea, ut cœlum ; alia incorporea, ut Deus et Intelligentia. Ex quibus patet, quod hoc nomen *forma* est æquivocum, quia æquivoce dicitur de prædictis formis : nam de forma materiali inhærente dicitur ab informando, sed de aliis non : quia quodlibet aliorum est, vel potest esse suppositum per se existens.

3. *...orma accidentalis ...ifariam ...mitur.*

Secundo notandum, quod forma accidentalis accipitur dupliciter. Uno modo pro qualitate inhærente substantiæ, a qua substantia denominatur accidentaliter, ut albedo, caliditas, etc. Alio modo pro termino accidentali connotante rem aliqualiter se habere, licet connotatum non sit res distincta a re significata per illum terminum, et sic isti termini, *dextrum*, et *sinistrum*, *figuratum*, et hujusmodi, possunt dici formæ accidentales, et hoc de primo.

...orma naturalis inhærens est inseparabilis a materia.

Quantum ad secundum dico, quod formæ naturalis inhærentis sunt aliquæ conditiones. Prima est, quod talis forma (a) est inseparabilis a materia nisi per corruptionem. Patet in 2. *de Anima :* quia compositum debet imaginari tanquam unum ens actu existens, et forma proprie non est ens, sed actus entis, et ratio est : si forma per se staret separata, jam non esset forma, sed compositum actu existens ; et ideo dicitur, quod separatio formæ a materia, est ejus corruptio.

...A forma substantiali res sumunt nomen, et definitionem.

Secunda conditio, quod a forma substantiali res sumunt nomen, et definitionem ; sicut a forma humana dicitur homo, et semper differentia essentialis posita in definitione debet connotare formam, ut ista differentia *rationale* connotat intellectum.

Tertia conditio ; quod per formam res naturalis est in actu ens existens, et per ipsam ponitur in determinata specie ; igitur a forma sumitur nomen specificum, ut patuit prius.

4. *Formæ non multiplicantur in eodem supposito.*

Quarta conditio, quod formæ (b) non multiplicantur in eodem supposito, et ideo dicit Commentator in libro de Substantia orbis, quod impossibile est simul plures formas substantiales esse in eodem subjecto, et hoc est verum : nisi secundum diversas portiones materiæ, in quibus sunt diversæ partes formæ, et ex quibus constituitur una forma. Secundo istud est verum de formis eductis de potentia materiæ, quia si in aliquo subjecto sit aliqua forma inhærens non educta de potentia materiæ, ut intellectus noster, oportet de necessitate materiam habere unam aliam formam eductam de ejus potentia : quia impossibile est materiam esse sine forma, ut patet primo hujus, et hoc intelligitur de forma educta de potentia materiæ.

Forma materialis generatur de novo.

Quinta conditio, quod forma materialis (c) generatur de novo ; ita ut nihil ipsius præfuit in materia : et ista conditio ponitur propter duo. Primo ad removendum opinionem Anaxagoræ : qui ponebat, quod formæ ante generationem præexistebant in materia, sed latebant ; sed per alterationes, et generationes removebatur impedimentum. Et apparet quod hoc non est verum, quia jam non esset generatio simpliciter ; imo omnis mutatio esset alteratio. Secundo ad removendum opinionem Alberti, et quorumdam aliorum, qui ponebant formam præexistere in materia ante generationem, secundum unam partem sui, et secundum aliam de novo generari in materia. Ita ut ponerent formam habere duplex esse, quoddam esse diminutum, secundum quod præexistebat in materia ante generationem, et aliud esse perfectum, et illud acquiritur per generationem.

Forma substantialis non suscipit magis, et minus.

Sexta conditio, quod forma substantialis non est intensibilis, nec remissibilis, quod patet ; quia unus denominatur magis homo, vel minus homo, quam alter, et ideo cum nomina sumpta a formis substantialibus

non prædicentur cum istis adverbiis *magis* et *minus*, signum est quod ipsæ formæ non suscipiunt magis, et minus, et hoc habet videri primo de Generatione, et primo Cœli.

5. *Forma est magis natura quam materia.*

Septima conditio, quod forma est magis natura, quam materia, et hoc videbitur 2. *hujus*, et hæc de secundo.

Formam esse principium transmutationis potest bifariam intelligi.

Quantum ad tertium notandum, quod cujuslibet transmutationis naturalis, formam esse principium, potest intelligi dupliciter : uno modo, quod cujuslibet transmutationis forma sit terminus *ad quem*, et hoc non verum de mutationibus deperditivis, ut corruptio luminis, et hujusmodi : vel intelligitur, quod sit terminus *a quo*, et hoc non est verum de mutationibus acquisitivis.

Nunc ponuntur conclusiones, prima est (a) quod forma ante sui generationem nullum habuit esse in materia ; imo per se tota acquiritur per generationem. Probatur; quia nisi ita esset, sequeretur, quod generationes, et corruptiones non essent mutationes contrariæ; consequens est falsum, ut patet 5. *hujus*. Consequentia probatur : nam mutationum contrariarum sunt iidem termini : nam illud idem, quod acquiritur per unam, deperditur per aliam : modo tota forma deperditur per corruptionem ; igitur tota acquiritur per generationem, et per consequens nihil ipsius fuit ante generationem.

6. Secundo, quia vel illud quod præfuit de forma, est ejusdem rationis cum illo, quod acquiritur, vel alterius ; si ejusdem, tunc non est ratio quare magis unum illorum præexistat, vel fiat de novo, quam reliquum, vel e contra. Si alterius : tunc vel præexistens manet cum illo, quod adducitur, vel corrumpitur in adventu ejus ; si corrumpitur, tunc appetit sui corruptionem, et per consequens esset sibi contrarium, et otiosum in natura, ut infert Commentator primo hujus, com. 81.; si maneat, tunc forma non esset principium simplex, sed compositum ex aliis principiis.

Tertio, quia vel illud quod præexistit generationi de forma, est perpetuum, vel acquisitum de novo : si perpetuum, tunc sequitur, quod aliquod est perpetuum materia a parte ante, quod tamen est corruptibile a parte post, quod est falsum. Si sit acquisitum de novo ; tunc qua ratione potuit tunc de novo acquiri, et nunc : ergo sequitur quod si acquirebatur de novo tunc, ad minus talis forma non habuit esse diminutum in materia ante generationem, et habetur intentum.

Quarto sequeretur, quod non esset necesse ponere materiam primam. Consequens est falsum, ut patet in isto primo, text. 52. et 53. Consequentia probatur : quia materia prima ponitur, ut possit salvari transmutatio naturalis sine hoc, quod fiat ex nihilo ; modo posito tali *esse* diminuto formæ, sine hoc quod poneretur materia prima, adhuc non fieret generatio ex nihilo, quia semper fieret ex illo *esse* formæ diminuto præexistente ante generationem. 7.

Secunda conclusio, capiendo formam communiter ad formam substantialem, et accidentalem, utroque modo tunc cujuslibet transmutationis forma est principium. Probatur, quia omnis transmutatio, vel est acquisitiva, vel deperditiva : si acquisitiva, tunc forma est terminus *ad quem* illius transmutationis ; si deperditiva, tunc forma est terminus *a quo* : qualiter autem forma sit principium intrinsecum, vel extrinsecum, expositum fuit in illa quæstione : *Utrum sint tria principia.*

Contra primam conclusionem arguitur ; quia nisi forma haberet esse diminutum in materia ante generationem, sequeretur quod transmutatio naturalis non fieret magis ab intrinseco, quam artificialis, vel etiam violenta ; consequens est falsum, ergo, etc. Probatur primo, quia transmutatio naturalis, et artificialis, vel etiam violenta, non differunt ab invicem ex parte principii passivi : quia in omnibus illis principium passivum est ab intrinseco, scilicet materia prima. Secundo, quia Aristoteles ponit illam differentiam secundo hu- 8.

jus, text. 2. Consequentia probatur, quia si ignis ex stupa generet ignem, materia ipsa stupæ non est aliquod intrinsecum faciens ad generationem formæ ignis, nisi sit forma ignis, quæ habet in materia esse diminutum ante generationem.

Secundo, per Aristotelem in 4. Metaphy-
9. sicæ, qui dicit quod forma non est *hoc*, nisi quia forma præexistit factioni, saltem diminute.

Tertio sequeretur, quod forma crearetur ex quo fit, et nihil ipsius præfuit ex quo fieret. Et si dicas, negatur consequentia : quia adhuc præsupponitur subjectum, ex quo fiet ; hoc non valet : quia anima intellectiva creatur, et tamen fit præsupposito subjecto ; igitur subjectum non tollit creationem.

Quarto sequeretur, quod impossibile fieri fieret, quod implicat ; probatur consequentia : quia ante generationem, vel erat aliquid formæ quod poterat fieri, vel nihil : si aliquid, habetur intentum ; si nihil, habetur consequens.

Quinto, quia illud idem, quod prius erat in potentia, postea est in actu ; sed forma post generationem est in actu, igitur ante generationem erat in potentia, et per consequens aliquo modo erat.

Sexto, quia forma educitur de potentia materiæ per generationem : modo nihil educitur de aliquo, nisi quod prius fuit in eo, igitur forma prius fuit in materia.

Septimo, quia tunc corruptum posset generari, ex quo ante generationem nihil de forma erat in materia plus quam post corruptionem. Demum arguitur per Commentatorem in 5. hujus, com. 9, ubi dicit, quod potentia ad esse in unoquoque Prædicamento, est de genere illius rei, ad quam est potentia : modo aer est in potentia ad lumen, et tamen aer non est de genere luminis ; igitur oportet, quod in aere præexistat aliquid ejusdem generis cum lumine.

10. *[Tr]ansmu[tat]io natu[r]ali[s], et* Ad ista. Ad primum concedo, quod multæ fiunt transmutationes naturales ab extrinseco, sed tunc est differentia ex parte passi : nam quando agens transmutat materiam, quæ inclinatur ad terminum transmutationis, tunc est transmutatio naturalis, quando autem non inclinatur, imo passum nititur ad contrarium, tunc est violenta. Et auctoritas Aristotelis intelligitur de quibusdam transmutationibus naturalibus, ut de illa, qua gravitas movet grave deorsum. *violenta quæ sunt.*

Ad secundum dico, quod Aristoteles intelligit, quod factio magis proprie attribuitur composito, quam formæ, eo quod compositum est notius, et sensibilius, hoc tamen non obstante tota forma producitur de non esse ad esse.

Ad tertium nego consequentiam, quod forma creatur : quia fit ex subjecto præsupposito per agens naturale transmutans materiam, et educens ab intrinseco de potentia materiæ : modo intellectus primo creatur, et ab extrinseco inest corpori, quare non est simile.

Ad quartum sequeretur, quod impossibile fieri, fieret, negatur consequentia : quia iste terminus *impossibile*, est terminus ampliativus, ideo potest dici de futuro, mediante hoc verbo *est*. 11.

Ad quintum. Quia illud idem, etc. hoc debet intelligi de materia, quæ prius potuit recipere formam, sed facta generatione actu recipit.

Ad sextum. Forma educitur, dico (e) quod non debet intelligi educi, ut aliqui dicunt, sicut denarius educitur de bursa, sed intelligitur educi, id est, quod materia transmutetur per agens naturale generans formam in materia, ita ut forma non eveniat ab extrinseco, quemadmodum venit intellectus, et propter hoc dicit Commentator 12. Metaphysicæ, com. 14. quod generans non congregat inter diversa, id est, quod non primo producit formam, et illam productam unit cum materia.

Ad septimum nego consequentiam propter defectum (f) agentis, quia agens non potest venire ad pristinum statum : nam corpora cœlestia non possunt esse alias consimiliter disposita. Ad ultimum de

Commentatore dico, quod capit ibi potentiam pro qualitate remissa, quæ est in *fieri* dum intenditur, quæ est ejusdem generis cum intensa.

12. Ad rationes principales. Ad primam negatur antecedens, imo transmutatio est materia, et Aristoteles intelligit, quod motus denominatur a termino *ad quem*. Ad secundam dico, quod est extrinsecum transmutationis, et intrinsecum compositi. Ad tertiam negatur antecedens, et ad probationem dico, quod privatio non est aliud, quam materia, et ideo licet materia appetat se tali forma esse privatam, tamen propter hoc non appetit se non esse. Ad quartam dico, quod in transmutatione successiva forma non est completa, nisi post transmutationem, sed cum forma est in *fieri,* tunc una pars ejus est in materia, et alia generanda, et tunc forma est principium transmutationis. Vel dicitur negando consequentiam : quia forma est finis transmutationis, modo non sequitur si ordinatum in finem est, quod finis sit, sed sufficit, quod est, vel erit. Ad quintam de motu locali dico, quod motus localis non dicitur ita proprie ad formam, sicut alii motus, tamen improprie bene dicitur, eo quod in fine motus localis verificatur de mobili aliquis terminus substantialis, ut puta *sursum*, vel *seorsum*, qui non verificabatur ante, et ille terminus dicitur improprie forma. De diminutione dico, quod requiritur aliter denominatio, quam ante : et ideo licet forma non sit ibi principium, ut terminus *ad quem*, tamen bene est ibi principium, ut terminus *a quo*, eodem modo dicitur de corruptione luminis. De condensatione, et (g) rarefactione dico, quod ibi requiritur nova denominatio actualis, vel dicitur quod ibi acquiritur, vel deperditur quantitas, quæ est forma ; et sic sit finis primi libri.

ANNOTATIONES

13. (a) *Forma est inseparabilis a materia, etc.* Quomodo hoc debeat intelligi dictum est in annotationibus, quæst. 20. litt. F.

(b) *Formæ non multiplicantur in eodem supposito.* Hoc explicatum est in annotationibus, quæst. 19. littera C.

(c) *Forma materialis generatur de novo, etc.* Nota pergrandem fuisse apud antiquos difficultatem, undenam provenirent formæ ex quibus res naturales constituuntur. Quidam enim credentes non posse fieri, ut formæ, quæ generantur, nullo modo antea extitissent, dixerunt omnes eas antequam fierent in materia extitisse, sed tamen latuisse ; et hujus sententiæ, ut dicit hic cotus, fuit Anaxagoras. Alii vero non putantes esse incommodum formas, quæ ante non extiterunt, fieri de novo, dixerunt eas omnes effici ab aliqua mente, intelligentiave separata a materia, inter quos fuerunt Plato, et Avicenna. Alii qui melius philosophati sunt, asseruerunt formas, quæ fiunt, neque omnino extitisse in materia, neque omnino non extitisse, sed partim extitisse in materia, et partim non extitisse ; extitisse quidem potentia, non extitisse autem actu. Unde res naturales dicuntur fieri per hoc quod earum formæ deducantur de potentia materiæ ad actum, id est, quæ ante erant in potentia in materia, fiant actu in illa, et hæc videtur fuisse sententia Alberti Magni.

(d) *Forma ante sui generationem nullum habuit esse in materia.* Nota, quod hæc conclusio videtur esse Aristotelis, capite ultimo hujus libri, dicentis materiam esse primum subjectum : primum autem subjectum omnem formam, ejusque partem, aut inchoationem excludit. Item 3. Physicorum, text. 66. materia, inquit, est pars totius, sicut æs est pars statuæ ; sed æs nullam statuæ formam includit, neque ejus inchoationem, ergo neque materia. Item 1. de Generat. text. 34. materia est subjectum omnium, quibus competit actio, et passio ; et 1. Metaph. cap. 3. materia est id in quod omne corruptum resolvitur.

(e) *Dico quod non debet intelligi educi, etc.*

Nota quod ut melius possis percipere, quidnam sit formam educi de potentia materiæ, primo investigandum est quid sit formam esse in potentia materiæ. Unde omissis multis de hac re opinionibus, quas apud Scotum, quæst. 7. hujus libri videre licet, dico, formam esse in potentia materiæ, nihil aliud esse, quam formam dependere a materia in suo *esse*, seu *existere futuro* ; ita videlicet, ut non possit naturaliter existere, nisi concurrente materia, ut causa materiali, et passiva ; potentia enim materiæ non solum est receptiva, sed etiam causativa rei : quia ex ea fit res, et ab ea educitur forma ; esse ergo in potentia materiæ nihil aliud est, quam ita posse causari ab ea, ut sine illa nequeat forma existere. Unde manifeste efficitur omnes formas (excepta anima rationali) esse in potentia materiæ : quia omnes ita pendent

14. *Forn[ma] educi [de] poten[tia] mater[iæ] quæ si[t]*

a materia, ut a causa materiali, et passiva, ut naturaliter non possint existere sine illa ; anima autem rationalis cum existat naturaliter separata a corpore, (ut fides docet) non est in potentia materiæ. Observa tamen duplicem esse potentiam : remotam scilicet et propinquam, ut docet Aristoteles 9. Metaph. capite 7. Potentia remota est potentia materiæ indisposita, et tantum indifferens ad quamlibet formam recipiendam : potentia propinqua est quam materia habet, eo quod est his dispositionibus ad hanc formam, et non ad illam determinata, et tunc unica tantum mutatione fit res, ut ex pane fit chilus, ex chilo fit sanguis, ex sanguine fit caro. Unde dupliciter forma dicitur fuisse in potentia materiæ, in potentia scilicet remota fuit remote : in potentia vero proxima fuit propinque.

15. Et ex hoc elici potest quid sit formam educi de potentia materiæ : est enim nihil aliud, quam facere ut forma, quæ antea in materia existebat potentia, actu in eadem existat, id est, quod tunc aliqua forma educitur de potentia materiæ : quando agens naturale actione naturali producit formam, quæ antea erat in potentia materiæ, et hoc ideo additur : quia formæ artificiales non dicuntur proprie educi de potentia materiæ, et etiam formæ, quas Deus solus præter modum naturalem introducit in aliquod subjectum, non dicuntur educi de potentia materiæ : quia quamvis prius potentia extiterint, non tamen sunt naturali actione eductæ : ita ut esse naturali actione eductas sit conditio sine qua non. Unde ex hoc sequitur duas requiri conditiones ut aliquid de potentia materiæ eductum dicatur. Prima, quod materia sit potentia naturalis ad recipiendum talem formam. Secunda, quod materia concurrat suo modo ad productionem illius formæ, ita ut forma in suo *esse*, *in fieri*, et *conservari* dependeat a materia. Defectu primæ conditionis motus, quo lapis sursum intelligitur, non dicitur educi de potentia lapidis : quia potentia lapidis ad talem motum non est naturalis, sed violenta. Defectu etiam hujus primæ conditionis eliciunt Thomistæ dona supernaturalia non educi de potentia animæ rationalis ; quia anima rationalis (inquiunt) non habet naturalem potentiam ad illa recipienda. Hoc tamen fundamentum est contra Scotum in prologo, 1. Sententiarum, quæstio. 1. ubi probat potentiam passivam animæ rationalis ad talia dona esse naturalem ; quapropter aliunde pensanda est ratio, quare talia dona non dicantur educi de potentia animæ rationalis. Defectu secundæ conditionis, anima rationalis non educitur de potentia materiæ : quia quamvis materia habeat potentiam naturalem ad illam recipiendam, non tamen dependet a materia in suo *esse*, neque in *fieri*, neque in *conservari* : separata enim anima naturaliter conservatur, dona autem supernaturalia non educuntur de potentia animæ, quia nullam causalitatem habuit anima respectu eorum, in illorum productione ; quia tantum Deus illa infundit in anima.

Ex his sequitur primo, hoc pacto formas 16.
ab agente educi de potentia materiæ : verbi gratia, si ignis generet ignem ex ligno, prius disponit per calorem lignum, immittendo in lignum calorem, qui frigus, et humiditatem cæterasque qualitates repugnantes formæ ignis expellat ; deinde calore, et siccitate dispositum lignum, vel ligni materia, ut quæ antea erat materia ligni, fiat materia ignis, ex ea sic disposita educit ignis formam ignis, et generationem de potentia materiæ, quæ antea erat materia ligni, et hoc est quod paucis verbis docet hic Scotus.

Anima rationalis a cæteris formis naturalibus tribus modis differt

Secundo sequitur, tres inter alias esse inter animam, et reliquas formas differentias. Prima est quod Deus se solo producit ex nihilo animam rationalem, cæteras autem formas educit cum causis secundis de potentia materiæ. Secunda differentia est, quod concursu, quo Deus producit animam rationalem in corpore positis dispositionibus, posset eam in vacuo producere ; quia istæ dispositiones nihil agunt ad introductionem istius formæ magis, quam ad aliam alterius speciei, quamvis ex divino pacto positis debitis dispositionibus in corpore, Deus statim creat, et infundit animam : potest tamen absoluta potentia sine illis dispositionibus illam producere, et illis positis non producere, reliquas vero formas non sine materia produceret eodem concursu : quia causæ, et agentia naturalia veras habent actiones proprias, quas Deus illo communi concursu non supplet : ita enim Deus res, quas condidit, administrat, ut eas suos motus agere sinat : atque ita concurrit cum illis in actionibus naturalibus, quasi naturaliter concursu generali, quo concursu simul cum causalitate agentium naturalium causantur, et producuntur res naturales. Tertia differentia est, quod anima rationalis non generatur per se, neque per accidens, quia sola actio divinæ creationis terminatur ad illam ; reliquæ vero formæ quamvis per se non generentur : quia generatio est totius, ut dicitur 8. Metaphysicæ in principio, tamen comproducuntur, et congenerantur ad generationem totius.

(f) *Nego consequentiam propter defectum, agentis, etc.* Nota, quod idem corruptum 17.
possit divina virtute idem numero produci, maxime si sit sermo de permanentibus, communis est omnium Theologorum sententia, licet de successivis controversia sit inter D. Thomam, Durandum, et Scotum ;

nam illi negant, Scotus vero affirmat, ut patet in 4. distinct. 43. quæst. 1. sed major dissensio, et controversia est loquendo naturaliter : hoc est, an per vires naturæ, possit talis reditio fieri. Nam de hac re fuit sententia Platonis, quam refert Scotus ubi supra quæst. 3. ex D. Augustino 12. de Civitate Dei, capite 8. asserentis per circuitum temporum eadem redire, id est, post transactos triginta, et sex mille annos, vel 49000. in quibus cœlum stellatum perficit cursum suum : nam in centum annis perficit unum gradum, ut dicunt Astrologi, eadem tempora reditura erant, et iidem homines, et res, et operationes. Hæc sententia est impia, et contra Fidem Catholicam : contra quam arguit idem D. Augustinus pluribus auctoritatibus sacræ Scripturæ, quas refert Scotus ubi supra.

18. Secunda opinio est S. Thomæ, quodl. 4. quæst. 3. articul. 5. et multorum asserentium, quod agens naturale non potest idem numero corruptum reparare, quod probant multis auctoritatibus Aristotelis, atque etiam rationibus, quas omnes explicat, et solvit sapientissime Scotus, ubi supra. Tertia sententia est Richardi in 4. dist. 43. quæst. 3. quam ut probabiliorem sequitur Scotus in eodem loco ; asserit hæc opinio, quod agens naturale potest reproducere idem numero, quod produxit, et corruptum est : quia effectus non dependet essentialiter nisi a suis causis, atque adeo effectus causabilis a materia erit idem, si materia, et efficiens sint idem. Et si dicas, illa potentia agentis naturalis esset frustra ; quia nunquam reducitur ad actum ; et confirmatur, quia natura agit ex impetu, non libere, ergo si habet potentiam ad hoc, aliquando illud faciet, et per consequens aliquando resurgeret aliquis naturaliter: dico, quod potentia illa non est frustra, nam multæ sunt potentiæ, quæ nunquam reducuntur ad actum : sicut potentia generativa beatorum Virginum. Illa tamen potentia dicitur esse frustra : quæ positis quibuscumque requisitis ad actum ; qualis esset potentia ignis ad comburendum, si non posset comburere stupam sibi approximatam, et sufficienter dispositam, et sine aliquo impedimento; non tamen est frustra illa potentia, quæ propter impedimenta non reducuntur ad actum, sicut contingit in proposito; nam cum causæ naturales sint essentialiter subordinatæ, et habeant ad invicem ad agendum necessariam connexionem, ita ut non possit una sine alia producere, et agens naturale non habeat cœlum semper in eadem dispositione secum coagens, sicut coagebat in productione, sequitur, quod non possit idem corruptum reproducere, ut hîc paucis verbis notat Scotus. Vel dicas non esse frustra talem potentiam, siquidem similem, et ejusdem rationis actum producit ; quando scilicet producit primo illam rem, quæ productio est ejusdem rationis cum reproductione. Ad confirmationem dico, quod quamvis agentia naturalia hoc facere possint, quia tamen sunt causæ Deo subordinatæ, nisi Deus illis cooperetur, non possunt agere ; si tamen Deus illis coageret, possent quidem facere iterum, quæ fecerant, etsi hoc nunquam visum est in natura, ideo est, quia forte Deus ordinavit non concurrere ad hoc cum causis secundis ratione occulta, quam ipse novit.

(g) *De condensatione, et rarefactione dico, etc.* 19.
Nota, quod multæ sunt sententiæ quomodo fiant rarefactio, et condensatio : nam quidam volunt, quod rarefactio fiat per juxtapositionem corporum subtilium, quam sententiam reprobat Scotus in 4. dist. 12. quæst. 4. Alii dicunt, quod in rarefactione acquiritur una totalis quantitas, et corrumpitur tota præcedens : atque ita in condensatione, in hunc scilicet modum, quod eadem quantitas prius erat minor, et postea major in rarefactione, et e contra in condensatione. Alii vero dicunt, quod in rarefactione acquiritur nova pars quantitatis sine corruptione præcedentis. Quarta sententia, quam supra in Annotationibus ad quæst. 8. littera C. diximus esse Scoti, tenet rarefactionem, et densationem esse motus ad raritatem, et densitatem, quæ sunt qualitates, et secundario ad diversum modum quantitatis. Prima pars est Scoti ubi supra, et secunda est etiam de ejus mente, ut explicatum reperies in Commentariis nostris super 4. Scoti tom. 1. d. 12. p. 4.

FINIS LIBRI PRIMI

LIBER SECUNDUS

PHYSICORUM

EXPOSITIO TEXTUS

1.
t. 1. *Eorum, quæ* (1) *sunt, alia quidem sunt natura, alia vero propter alias causas, etc.* Iste est [a] secundus liber Physicorum in quo Aristoteles determinat de principiis tam intrinsecis, quam extrinsecis rerum naturalium, et dividitur in sex tractatus. In primo determinat quid sit natura, et de quibus dicitur. In secundo ostendit, quæ et de quibus sit consideratio naturalis. In tertio determinat de causis per se, ostendendo modos, et genera causarum. In quarto determinat de causis per accidens ; et in quinto ostendit, quod ad naturalem pertinet consideratio de omnibus causis. In sexto ostendit, ita ut necessitas in naturalibus proveniat ex fine. Secundus ibi. *Quoniam autem determinatum est.* Tertius ibi, *Determinatis autem his.* Quartus ibi, *Differt autem.* Quintus ibi, *Quæ autem.* Sextus ibi, *Dicendum igitur primum.* Primus tractatus continet duo capitula, in primo ostendit, quid sit natura, et in secundo ostendit de quibus dicitur. Secundum ibi, *Quoniam autem determinatum est.* Primum caput dividitur : quia primo ponit quamdam divisionem, secundo demonstrat membra divisionis, et tertio instituit definitionem naturæ. Secundum ibi, *Omnia autem quæ dicta sunt.* Tertium ibi, *Tanquam natura sit principium.* Primo dicit, quod eorum, quæ sunt, alia sunt a natura, et alia propter alias causas, et exponit Commentator, id est, propter voluntatem : a natura enim sunt animalia, et plantæ, et partes ipsorum, et corpora simplicia, ut ignis, aer, aqua, et terra ; et mixta inanimata composita ex istis.

Omnia autem quæ dicta sunt, etc. Declarat membra divisionis dicens, quod omnia prædicta quæ (b) sunt a natura, differunt ab his, id est, ab artificialibus, quæ sunt propter alias causas in hoc, quod habent in se ipsis principium sui motus, et quietis : ut verbi gratia, quædam habent in se principium sui motus localis, ut cœlum, et elementa simplicia, cum fiunt extra sua loca naturalia : similiter et alia habent in se ipsis principium sui motus progressivi : quædam vero habent in se principium motus augmentationis, et diminutionis ; ut animalia, et plantæ ; quædam vero habent in se principium alterationis, ut mixta ex elementis existentibus in sua naturali dispositione ; quod si fuerint extra suam dispositionem naturalem, tunc habent in se principium suæ alterationis, ut patet de aqua calefacta, quæ reducit se ad frigiditatem. Sed (2) artificialia, ut lectulus, et indumentum, non habent in se impetum mutationis innatum eis ab arte, ita quod non habent in se principium mutationis a dispositione illa, quam habent ab arte ; sed quatenus sunt res naturales, habent in se principium movendi. 2.

Vide contradictionem Zimaræ.

ANNOTATIONES

(a) *Iste est secundus liber Physicorum in quo Aristoteles, etc.* Nota, quod investigato in superiori libro rei naturalis principiorum ternario numero, in hoc secundo Physicorum libro Aristoteles omnia causarum quatuor genera, sub quibus causa efficiens et finalis, materia, et forma comprehenduntur, explicare nititur. Cum enim in primo de materia, et forma tanquam de principiis rem naturalem intrinsece componentibus 3.

Ordo et continuatio hujus 2. libri ad præcedentem.

egisset; modo de ipsis simul, de finali, et efficienti tanquam de causis mutationis earumdem rerum naturalium tractare intendit. Adverte tamen, quod ut supra dictum est, principium, et causa habent se sicut superius, et inferius; quidquid enim est causa, est principium, et tamen non e contra; præcisa enim ratio principii, quæ consistit solum in hoc, quod sit prius eo, cujus est principium, absque causæ ratione inveniri potest; ratio vero causæ est vis quædam efficiendi, quam non habet quodlibet principium, et quæ inveniri nequit absque ratione principii quia etiam causa est prior suo effectu. Adverte etiam quod principia rei naturalis sunt etiam elementa ejusdem: quia illis res naturalis constat intrinsece. Quapropter in 1. libro egit Aristoteles de illis, ut sic; quia tamen ipsa principia quorumdam effectuum in rebus naturalibus sunt causa, ideo de illis agit in hoc libro secundum rationem causæ; et quia quatuor causarum genera in omni transmutatione naturali inveniri solent, et etiam quia Philosophus naturalis per omnia causarum genera demonstrat; ideo de quatuor causarum generibus in hoc libro disputationem instituit.

Principium et causa se habent ut superius, et inferius.

4. (b) *Quæ sunt a natura differunt ab artificialibus, etc.* Nota, quod hæc est differentia inter naturam et artem, quod natura non solum facit rem; sed et communicat virtutem ad operationem rei, ut quando natura, facit ignem, dat illi levitatem, et virtutem ad operandum, atque ita natura et facit rem, facitque eam operari. Ars vero facit rem mortuam, et jacentem non dando illi aliquam virtutem. Hujus ratio est, quia natura in sua operatione penetrat omnes partes intimas, et dat illis virtutem. Ars vero solum operatur circa partes externas. Unde elicitur triplex differentia inter formam naturalem, et artificialem. Prima, quod omnis forma naturalis producitur a natura per qualitates activas, et passivas; ut forma ignis introducitur in ligno per caliditatem, et siccitatem, expellendo frigiditatem, et humiditatem: forma autem artificialis non introducitur in materia per qualitates activas, sed solum per artem artificis. Secunda differentia, quod forma naturalis immediate inducitur in ipsam materiam primam; forma vero artificialis, non nisi in secundam materiam inducitur, et ideo forma artificialis est accidens: quia advenit enti in actu. Tertia differentia, quod forma naturalis residet in toto composito, et qualibet parte; forma vero artificialis solum reperitur in partibus superficialibus.

Natura, et ars quomodo differant.

QUÆSTIO I

Utrum res artificiales distinguantur a rebus naturalibus

Aristot. 2. *Phys. text.* 1. Averroes, Simplic. Themist. Alexand. D. Thomas *ibid.* Henricus *quodlib.* 5. *quæst.* 3. Scotus *in* 4. *dist.* 1. *q.* 1. Zimara *tract. peculiari de hac re.* Mayron. 2. *Phys. in princ.* Conimbr. 2. *Physic. quæst.* 5. Compluten. *disput.* 7. *de natura, quæst. ultima.* Aversa *tomo* 1. *Philos. quæst.* 9. *sect.* 7. Fuentes 2. *Physic. diffic.* 1. *art.* 3. Ruvius et Roccus *quæst.* 4.

Arguitur quod sic: quia sectio, et domificatio sunt quædam res, cum sint motus, vel mutationes, et non sunt naturales, cum sint ab homine agente per deliberationem, igitur sunt artificiales. 1.

Secundo, quia cujuslibet transmutationis acquisitivæ est alicujus terminus: sed transmutatio artificialis est quædam transmutatio acquisitiva; ergo per ipsam acquiritur aliquid de novo præter res naturales.

Tertio, quia lapides, et ligna, ex quibus componitur domus, vel se habent aliter quam prius, vel non: si sic, tunc sequitur, quod aliquod est ens acquisitum per artem, ut domus. Si non, sequitur quod si prius non erant domus, quod adhuc non sunt domus.

Quarto sequeretur, quod ars non esset habitus factivus; consequens est falsum, ut patet 8. Ethic. Consequentia patet: quia per artem non acquiritur aliqua nova forma, vel dispositio præter res naturales, et sic cum nullius sit factivus, sequitur, quod non est factivus.

Quinto, quia si dicatur, quod figura, sive res artificialis non sit distincta a rebus naturalibus; per idem potest sustineri, quod albedo non sit res distincta a re alba: quia sicut dicitur, quod sphæricum est, quando non est sphæricum; ita potest dici, quod albedo est, quando non est albedo.

Sexto, quia alia est operatio cultelli obtusi, quam acuti, quod non esset nisi provenirent a diversis formis: quia a diversitate operationum arguimus diversitatem 2.

formarum, ut patet 2. de Anima, text. 13. et illæ diversæ formæ non sunt naturales, cum sint factæ per artem.

Septimo sequeretur, quod linea circularis, et linea recta essent ad invicem comparabiles, cujus oppositum dicit Commentator 7. hujus com. 7. Probatur consequentia, quia ex quo figura non est res distincta a re figurata, sint duæ albedines, quarum una est circularis, et alia recta ; tunc illæ albedines sunt ad invicem comparabiles, istæ albedines sunt figura circularis, et recta ; igitur sunt ad invicem comparabiles.

Octavo sequeretur, quod opposita dicerentur de eodem, quod est falsum. Probatur consequentia : quia eadem res esset concava, et convexa cum concavitas non sit aliud a re concava.

Nono per Aristotelem in isto 2. text. 1. ubi dicit, quod eorum quæ sunt, alia sunt a natura, alia propter alias causas : modo quæ sunt alia a natura distinguuntur.

Decimo per Aristotelem ibidem, qui dicit quod entia naturalia habent in se ipsis principium sui motus, sed artificialia non. Idem dicit Commentator quod res artificiales sunt accidentia in rebus naturalibus. Idem per Porphyrium, qui dicit quod statua componitur ex ære tanquam ex materia et figura artificiali, tanquam ex forma.

3. *Divisio ...estionis*

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto 2. text. 12. ubi dicit ; lectuli enim natura est lignum, et statuæ est æs. In quæstione. Primo videbitur quæ sunt artificialia. Secundo, quæ sunt factibilia ab arte. Tertio videbitur de diversitate artificialium a naturalibus.

...rtifici... a quæ ...

Quantum ad primum, notandum, quod artificialia denominantur ab arte, et ideo illa quæ fiunt ab homine per intellectum mediante deliberatione prævia dicuntur fieri ab arte, et ideo apes, et formicæ, et hujusmodi, cum non habeant intellectum, non operantur ab arte, sed illa, quæ faciunt, sunt similia artificialibus, et ideo faciunt ipsa ex quodam instinctu naturæ : et ponitur notabiliter *per deliberationem :* quia illa, quæ facit homo sine deliberatione, ut puta, ruptio festucæ, vel hujusmodi, non dicuntur fieri ab arte.

Contra istud objicitur : quia multoties artifex operatur, quando tamen non deliberat ad suam operationem, et per consequens tunc non habet deliberationem ; igitur ad hoc quod res dicatur artificialis, non requiritur deliberatio agentis.

Secundo, quia littera, vel figura protracta a discipulo dicitur artificialis, et tamen non fit ab arte ; igitur descriptio non valet.

Tertio dubitatur, utrum ab Intelligentia possit fieri aliquod artificiale ? dicitur quod non, cum Intelligentia non habeat deliberationem : nam deliberatio est propter imperfectionem cognitionis, et cum difficultate ; modo Intelligentia perfecte cognoscit omnia, igitur non requirit deliberationem in agendo.

Ad ista. Ad primum dico, quod non semper requiritur actualis deliberatio, sed sufficit habitualis, quemadmodum dicitur in Theologia, quod ad bene dicendum horas, vel Missam non semper requiritur actualis intentio ad Deum ; sed sufficit quod incipiat cum actuali intentione, et concomitetur cum habituali. 4.

Hæc habitualis attentio idem est quod virtualis.

Ad secundum dico, quod illa protractio non dicitur artificialis, eo quod fiat ab arte, sed ex eo quod imitetur artem.

Ad tertium dico, quod quantum est ex parte cognitionis, non repugnat Intelligentiæ facere aliquod artificiale ; quia licet non deliberet, tamen habet cognitionem perfectam, quæ multo perfectiori modo dirigit Intelligentiam in agendo, quam nos dirigamur per deliberationem.

Secundo notandum, quod aliqua incipiuntur a natura, et complentur per naturam ; ut pluvia, et herbæ crescentes in campis sine adjutorio agricolæ ; aliqua sunt, quæ incipiuntur per artem, et complentur per naturam, ut agriculturæ, et ista sunt naturalia, eo quod per naturam introducuntur formæ naturales, et completæ. Aliqua sunt quæ incipiuntur ab arte,

et complentur ab arte; aliqua sunt, quæ incipiuntur per naturam, et perficiuntur per artem; et talia dicuntur artificialia.

Artificialia quæ dicantur. *Artificialia sunt in triplici genere.* Tertio notandum, quod quædam sunt artificialia per compositionem, ut domus. Alia per subtractionem partium, ut illa quæ sculpuntur. Alia vero per transpositionem materiæ, ut quando cera mutatur de una figura in aliam. Ex quibus patet, quod alia dicuntur artificialia, quæ fiunt complete ab homine mediante cognitione intellectiva, et per deliberationem actualem, vel habitualem, et hoc de primo.

5. *Aliqua fieri per artem bifariam contingit.* Quantum ad secundum notandum, quod aliqua fieri per artem, potest intelligi de substantia, vel de accidente, scilicet, utrum aliqua substantia fiat ab arte; vel aliqua forma artificialis. Vel potest intelligi de motu, et hoc vel de motu corporali, vel spirituali.

Tunc ponuntur conclusiones. Prima est. Nulla forma substantialis potest fieri ab arte. Probatur, quælibet forma substantialis est natura; igitur omnis transmutatio, qua fit forma substantialis, est naturalis, et per consequens non artificialis. Antecedens patet secundo hujus text. 12. et inde; et consequentia tenet: quia motus denominatur a termino *ad quem*, ut patet quinto hujus text. com. 4. et 31. et 35.

Contra conclusionem arguitur primo: quia forma substantialis butyri fit per artem, ut patet ad experientiam. Secundo, quia per Alchimiam fiunt metalla, quod non esset, nisi per artem fieret forma substantialis. Tertio patet de vitris, quæ fiunt ab arte.

Respondetur ad primum, quod applicatio aliquorum, quæ faciunt ad formam substantialem, bene est ab arte, sed introductio formæ substantialis sequens illam applicationem, est a natura, et ideo ille motus localis, qui est in factione butyri, bene est ab arte. Consimiliter ad secundum, et tertium.

6. *Nulla qualitas potest fieri ab arte.* Secunda conclusio. Nulla qualitas consequens formam substantialem ab arte fieri potest. Probatur: quia idem est agens dans formam, et consequentia formam, et ideo dicit Aristoteles in 8. hujus, text. 32. quod grave movetur a generante: sed forma substantialis non potest fieri ab arte per præcedentem conclusionem, igitur nec qualitas consequens illam formam. Secundo patet introductione, tam in qualitatibus primis, quam in secundis.

Sed objicitur: quia pictores faciunt colores ab arte. Secundo coqui faciunt sapores ab arte ut patet de salsis. Respondetur, qoud isti non faciunt sapores, vel colores; sed diversimode applicant ad invicem diversa sapida, ex quorum commixtione resultat alter sapor a sapore alicujus commixtorum. Eodem modo per commixtionem coloratorum ad invicem pictores diversificant colores.

Tertia conclusio. Aliquis motus spiritualis bene fit ab arte, ut patet de Syllogismo, Enthymemate, Inductione, et aliis argumentationibus Logicis, quæ fiunt per artem Logicæ. *Motus aliquis spiritualis fi[t] ab arte.*

7. *Motus co[r]poreus alius a motu lo[ca]li non [po]test fieri [ab] arte.* Quarta conclusio. Nullus motus corporeus alius a motu locali potest fieri ab arte. Probatur, quia nullus motus corporeus alius a locali potest esse voluntarius; igitur nullus alius potest esse ab arte. Antecedens patet 8. hujus, et tenet consequentia: quia semper artem consequitur, vel præcedit operatio voluntaria, cum ad artem requiratur deliberatio. Secundo, quia cum quilibet alius motus corporeus alius a locali, sit præcisus ad formam substantialem, vel accidentalem, sequitur quod aliqua forma substantialis, vel accidentalis potest fieri ab arte, cujus oppositum est probatum. Patet igitur quomodo in rebus corporalibus aliquis motus localis potest fieri ab arte, et nulla substantia, nec etiam qualitas consequens substantiam, et hæc de secundo.

8. *Fi[gura] artific[ialis] non di[stin]guit[ur a] forma [na]turali.* Quantum ad tertium ponitur ista conclusio, quod per (a) artem non acquiritur aliqua dispositio nova addita rebus naturalibus, quæ dispositio vocatur figura, vel forma artificialis, imo omnis res naturalis est artificialis, et non est artificialis per dispositio-

nem additam. Probatur, quia omne artificiale habet in se principium motus et quietis, igitur est naturale, per definitionem naturalis datam in isto secundo, text. 3. Tenet consequentia, et antecedens apparet inducendo de domo, de statua, et hujusmodi, quorum quodlibet si esset sursum, non impeditum descenderet deorsum. Secundo, quia omnis dispositio accidentalis est a natura, vel secundum naturam, ut patet 2. hujus, text. 4. igitur nulla est ab arte. Tertio, quia omnis res artificialis aut fit per transpositionem, et tunc cum ibi sit solus motus localis, non potest ibi acquiri dispositio nova permanens in mobili, cujusmodi ponitur forma artificialis. Secundo si fiat per subtractionem, ut imago sculpta, tunc non est necesse, quod nova res generetur propter duo : Primo quia possibile est aliquam rem corrumpi, et separari ab alia sine generatione novæ rei, ut patet de corruptione hominis. Secundo, quia tali diminutione non apparet nisi motus localis. Tertio si fiat per compositionem, tunc sequitur quod per solam appropinquationem duarum rerum ad invicem producetur una res nova in qualibet illarum rerum permanens in eo. Quarto, quia talis dispositio, vel qualitas est extensa ex extensione subjecti, igitur sequeretur, quod si una musca removeret unam minimam portionem terræ, causaret unam novam rem per terram, et quamlibet partem ejus ; sequeretur etiam quod musca posset ad quamlibet distantiam agere : sequeretur etiam, quod latomus percutiens lapidem infinitas res generaret et corrumperet in una modica hora, quod est falsum.

9. Ex quibus sequitur, quod isti termini figuræ, figuratum, sphæra, sphæricum, et hujusmodi sunt connotativi, et supponunt pro rebus naturalibus connotando ipsas taliter, vel taliter se habere, non per dispositionem additam, sed per solum motum localem. Secundo sequitur, quod idem sunt figuratum, et esse figuratum, imo isti tres termini convertuntur, figura, figuratum, et esse figuratum. Ideo quando dicit Arist. in 7. Metaphysicæ text. 20. quod in dictis secundum accidens non est idem ipsum, et esse ipsum, intelligitur de dicto secundum accidens per quod connotatum est dispositio addita rei, pro qua supponit. Tertio potest inferri, quod motus localis non est res distincta a mobili, et hoc de tertio.

Ad rationes. Ad primam dico, quod sectio, et domificatio sunt res naturales, et a natura, licet per artem sint aliter dispositæ ; qualiter denominantur sectio, et domificatio. Ideo forte ista esset neganda, domus est ab arte, vel serra est ab arte ; et ista forte concedenda, ab arte est serra, id est, res illa ab arte est sic disposita.

Ad secundam concedo ad istum sensum, quod post quamlibet transmutationem res se habent aliter quam prius, sed non oportet, quod aliter se habeant per dispositionem additam.

Ad tertiam dico, quod aliter se habent 10
quam prius : quia approximata sunt per motum, et ideo non aliter se habent per dispositionem novam additam; nec hoc oportet. Sed objicitur : quia tunc sequeretur, quod domus noviter facta fuisset a centum annis, quod est falsum : et patet consequentia, quia hæc fuerunt a centum annis demonstratis illis, ex quibus componitur domus, sed ista sunt domus ; ergo, etc. Respondetur negando consequentiam ; sed sequitur conclusio in plurali numero, quod aliqua, quæ nunc fiunt domus, fuerunt a centum annis ; et ideo negatur, quod domus sit noviter facta ; licet noviter facta sit domus.

Ad quartum dico, quod sic est factivus alicujus rei aliter, quam prius dispositæ, licet non sit per dispositionem novam superadditam.

Ad quintum negatur consequentia : quia 11.
ad diversificationem figuræ sufficit solus motus localis ; sed per solum motum localem sine alteratione non potest res mutari de albedine in negredinem, vel de non albo in album.

Ad sextum dico, quod hoc est non prop-

ter diversas formas accidentales, quibus disponantur ; sed propter hoc, quod diversimode disponunt in acutie, licet non per dispositionem additam.

Ad septimum dico, quod sunt comparabiles in aliquo, licet non in quolibet, ut patebit in 7.

Ad octavum, quod concavum, et convexum non sunt opposita : quia dicuntur de eadem re.

Ad nonum ad auctoritates dico, quod Aristoteles intelligit, quod (b) eorum, quæ sunt taliter, et taliter disposita, quædam sunt taliter disposita per naturam, et quædam per artem. Secunda auctoritas intelligitur quod (c) res artificiales non habent ab arte principium motus, et quietis, tamen hoc non obstat, quin sint res naturales. De auctoritate Commentatoris, ipse intelligit, quod accidit rebus naturalibus aliter, et aliter se habere per artem. De Porphyrio ipse non intelligit realem compositionem ; sed intelligit sic, quod ad hoc, quod aliquid dicatur statua, oportet quod sit æs, vel aliud metallum, et aliter, et aliter se habeat per artem, et hæc de quæstione.

ANNOTATIONES

12. (a) *Per artem non acquiritur aliqua dispositio nova addita rebus naturalibus.* Nota quod aliqui dicunt, quod figura est res absoluta de prædicamento Qualitatis, quæ consequitur ordinem partium ad invicem, vel ordinem partium ad partes loci. Unde

Figura est duplex

duplex est figura, quædam quæ non est nisi ordo partium ad invicem, et ad totum. Alia est figura, quæ non est nisi ordo partium ad partes loci; et hujusmodi ordinem res absoluta consequitur, quæ est figura et qualitas quartæ speciei. Alii vero dicunt, quod figura est præcise ordo partium, ab ipsisque partibus realiter indistinctus, adeoque figura non est res alia a re figurata ; quam sententiam videtur sequi hic Scotus. Cæterum non intelligit Scotus figuram non esse quid distinctum a re figurata, sed quod non dicit dispositionem, vel formam absolutam a rebus naturalibus distinctam. Est namque figura secundum Scotum vel ordo

Figura quid sit secundum Scotum

partium ad se invicem et ad totum, vel ordo partium ad partes loci : adeo ut sententia Scoti partim conveniat cum illis, qui dicunt quod figura distinguitur a re figurata, quia ille ordo distinguitur a re cujus est ordo, et partim cum illis, qui dicunt quod figura est ordo partium, et non res absoluta ; et quod ista sit sententia Scoti patet in 4. sent. dist. 12. quæst. 4. in responsione quæstionis, ubi dicit, quod figura non dicit ultra quantitatem, nisi relationem partium ad invicem, vel terminorum includentium partes : et dicit quod relatio mutari potest eisdem partibus manentibus. Et si dicas, quod affirmare figuram esse relationem, est negare Philosophum in Prædicamentis dicentem, figuram esse de quarta specie Qualitatis; dico quod Aristoteles nolebat dicere, quod essent quatuor species Qualitatis, sed quod erant quatuor modi Qualitatis, id est, quatuor quæ habebant modum prædicandi Qualitatis, vel aliquem specialem modum ipsius Qualitatis, ut puta, vel de difficili mobilis, vel de facili mobilis, et sic de aliis.

(b) *Intelligit Aristoteles quod eorum quæ sunt taliter, et taliter disposita,* etc. Nota 13.
quod res dicuntur naturales, quia cum ex materia, et forma constent, fiunt a causa naturali, et certa, suumque finem consequente : res autem dicuntur non naturales, quia non fiunt a causa naturali, sed ab arte, atque ita dicuntur arte factæ, aut saltem quia quamvis fiant a causa naturali, non tamen fiunt a certa causa, finemque suum consequente, et hujusmodi sunt monstra, de quibus infra in hoc secundo libro agendum est. Ex hoc sequitur, quod in divisione rerum naturalium a non naturalibus, per res non naturales præcipue intellexit Aristoteles res artificiales : quia volens definire naturam, hoc commode haud fieri poterat, nisi tali divisione præsupposita.

(c) *Res artificiales non habent ab arte, principium motus,* etc. Nota quod artifi- 14
cialia a naturalibus differunt per hoc, quod naturalia habent principium intrinsecum sui motus ; non sic vero artificialia. Quod si dicas, si duo artificialia ferrea, quorum alterum sit acutum, et alterum planum, descendant deorsum, illa sane habebunt principium illius descensus, atque adeo non distinguuntur artificialia a naturalibus per hoc, quod non habeant principium sui motus. Antecedens patet : quia velocius movebitur acutum, quam planum ; hoc autem esse nequit inquantum naturalia, quia utrumque est ferreum, et æqualis ponderis, ergo inquantum artificialia ; ergo in artificialibus est principium motus, et per consequens non distinguuntur a naturalibus. Et confirmatur, quia saltator, Musicus, et Citharœdus habent principium sui motus non a natura, alias omnes essemus Musici, et Citharœdi ; ergo ab arte, atque adeo ars est principium motus

sicut natura, ergo non distinguuntur artificialia a naturalibus per non habere principium motus. Dico quod antecedens est falsum. Quando enim illa duo artefacta deorsum descendunt, non quidem procedit descensus illorum ab aliquo principio intrinseco in illis, ut sic existente; sed causa illius descensus est, non figura artificialis, sed materia et forma ferri; est tamen forma artificialis causa, ut mobile velocius, aut tardius moveatur, et non ut simpliciter moveatur; atque ita Musica, et ars citharizandi, aut saltandi non sunt causa ut simpliciter res moveantur; sed ut moveantur hoc, vel illo modo, et hoc est, quod dici solet, hujusmodi artes esse principia non motus, sed modi motus, quod non sufficit ad rationem naturæ, sed oportet, ut sit principium motus simpliciter. Insuper quamvis essent principium simpliciter motus, tamen non sunt natura: quia non per se primo insunt rebus, sed per accidens.

QUÆSTIO II

Utrum ens naturale habeat in se principium sui motus, et quietis

Aristot. 2. *Phys. cap.* 1. *tex.* 1. Averroes, reliqui commentatores, et D. Thomas *ibid.* Scotus *in* 2. *dist.* 2. *quæst.* 10 Conimbric. 2. *Phys. quæst.* 2. Compluten. *disp.* 7, *q.* 2. Ruvius et Roccus *quæst.* 1.

1. Arguitur quod non: quia Deus, Intelligentiæ, intellectus, materia, motus, et alia accidentia sunt entia naturalia, et tamen non habent in se principium motus, et quietis, ergo, etc.

Secundo, quia terra tota, et partes centrales terræ sunt entia naturalia, et tamen non habent in se principium sui motus, quia impossibile est ipsa moveri: ergo, etc.

Tertio, quia demonstrato lapide quiescente istud est ens naturale, et tamen non habet in se principium sui motus, quia non movetur: modo nihil habet in se principium illius quod non est.

Quarto, quia si sic, tunc sequeretur, quod omnis motus esset naturalis. Consequens est falsum: quia motus sursum est violentus ipsi gravi: consequentia patet, ex quo fieret a principio mobilis.

Quinto sequeretur, quod omne ens naturale moveretur ex se. Consequens est falsum: quia moveri ex se est animalibus proprium: et tenet consequentia; quia quodlibet ens moveretur a principio intrinseco sibi, ergo, etc.

Sexto, vel quodlibet haberet in se principium activum sui motus, vel principium passivum; non activum, quia cælum movetur ab Intelligentia separata; nec passivum, quia hoc non est ad intentionem Aristotelis. Nam artificialia habent in se principium passivum sui motus.

Septimo, quia illud, quod nihil est, non habet in se principium: modo quies nihil est, cum sit privatio, ergo, etc. Et si dicatur, quod quies sit res quiescens, adhuc sequitur, quod nulla res habet in se quietem: quia nulla res habet se ipsam in se.

Octavo, cœlum, et ignis sunt entia naturalia, et tamen non habent in se principium suæ quietis: quia impossibile est cœlum, et ignem in sua sphæra quiescere.

Oppositum arguitur per Aristotelem in principio hujus secundi, text. 2. In quæstione ista, primo videbitur generaliter de *quid nominis* terminorum. Secundo, respondebitur ad quæsitum de corpore cælesti. 2. *Divisio quæstionis*

Quantum ad primum notandum, quod in proposito intelligimus per ens naturale, compositum ex materia, et forma; et per hoc includuntur materia, et forma, quæ sunt naturæ, sed non sunt entia naturalia. Secundo excluduntur substantiæ separatæ. Et tertio excluduntur dispositiones, et accidentia, quæ sunt a natura, vel secundum naturam, et per hoc solvitur primum argumentum. *Ens naturale est ens compositum ex materia et forma.*

Secundo notandum, quod licet *esse in* capiatur multipliciter, tamen in proposito accipitur, ut pars integralis, vel essentialis habet esse in toto, aut dispositio, vel qualitas in suo subjecto, mediante qua parte, vel inclinatione, totum inclinatur ad motum.

Tertio notandum quod quæstio potest intelligi de principio activo, vel passivo, et

secundum Commentatorem intelligitur de utroque, et hoc vel respectu motus localis, aut alterationis, vel generationis ; et ita de aliis.

Principium activum est duplex. Quarto notandum quod duplex est principium activum respectu mutationis, quoddam est principale, ut forma substantialis, respectu cujus fit actio principaliter. Aliud est secundarium, et quasi instrumentale, et est dispositio, vel qualitas mediante qua forma substantialis movet, vel agit, ut gravitas, mediante qua grave movetur.

3. *Principium passivum est duplex.* Quarto notandum, quod duplex est principium passivum, quoddam resistitivum, sicut in calefactione frigiditas patitur resistitive : aliud est passivum receptivum, et tale est duplex, quoddam quod recipit, et denominatur a dispositione quam recipit ; sicut ignis est receptivus caliditatis, et denominatur a caliditate. Aliud est receptivum, quod non denominatur : cujus causa est, quia materia prima est insensibilis, et ignota vulgo, et communitati, et ideo omnes dispositiones, et motus attribuimus composito, et non materiæ, eo quod compositum est magis notum : modo quolibet prædictorum modorum potest intelligi quæstio : scilicet, utrum quodlibet ens naturale habeat in se principium passivum motus localis mediante dispositione inclinante, vel sine tali dispositione. Secundo, utrum quodlibet ens naturale habeat in se principium passivum motus localis resistitivum, quo scilicet sufficit resistere, et causare successionem in motu sine alio extrinseco. Vel utrum solum habeat principium passivum motus localis, et non est differentia in proposito sive motus localis distinguatur a mobili, sive non : et sicut quæritur de motu locali, ita potest quæri de quolibet aliorum motuum, vel mutationum ; et hoc de primo.

4. *Cœlum habet in se principium activum sui motus.* Quantum ad secundum, prima conclusio est, quod cœlum habet in se principium activum sui motus localis. Probatur capiendo *cœlum*, pro orbe et Intelligentia movente : quia Intelligentia movet cœlum, saltem assistenter, etsi non inhærenter.

Secunda conclusio. Principium activum motus localis cœli non movet mediante dispositione inclinante ad motum, sicut forma gravis movet mediante gravitate. Probatur, quia talis dispositio non ponitur nisi propter resistentiam, modo in motu cœli nulla est resistentia ; quia si sic, jam motus ille esset violentus, et per consequens non esset perpetuus.

Cœlum non movetur naturaliter sed libere. Ex quo sequitur, quod cum Cœlum non resistat, non movetur ab agente naturaliter, sed libere. Probatur, quia si moveretur ab agente naturaliter, moveretur subito cum non resistat. Et eodem modo patet, uod cœlum habet in se principium passivum receptivum sui motus localis, scilicet orbem ; sed non habet in se principium passivum resistitivum : quia cœlum non resistit Intelligentiæ moventi.

Cœlum habet principium activum, et passivum suæ alterationis. Tertia conclusio. Cœlum habet in se tam principium activum, quam passivum suæ alterationis, quæ est illuminatio. Probatur, quia cœlum habet in se Solem, et stellas, quæ sunt principium activum luminis, et habet in se partes orbis, quæ recipiunt in se continue lumen aliud, et aliud, propter diversitatem aspectuum, et motuum Solis, et stellarum, et forte cœlum secundum quamlibet partem sui est sic receptivum luminis. Et si objiciatur, quod aliqua est pars orbis Solis, quæ continue respicitur a Sole, igitur propter diversitatem motus Solis pars illa nunquam alteratur per lumen ; sed semper manet eodem lumine illuminata.

non ... principium resistitivum luminis. Secundo dubitatur, an cælum habeat in se principium passivum resistitivum illuminationis. Respondetur ad primum, quod licet partes orbis Solis semper respiciantur uniformiter a Sole, tamen diversimode respiciuntur ab aliis stellis, et planetis, a quibus etiam recipiunt lumen, et tunc alterantur secundum lumen receptum ab aliis stellis. Ad secundum dico, quod cœlum non habet principium resistitivum illuminationis nisi densitatem. Nam una pars cœli est densior alia, ut stella est densior pars orbis ; per hoc etiam reducitur

causa Galaxiæ, quod una pars cœli, quæ apparet magis alba, est densior aliis partibus, quæ apparent minus albæ; et qualiter densitas sit resistitiva, dictum fuit prius, quia diminuit gradum formæ, sed non velocitatem.

Quarta conclusio. Cœlum non habet in se principium activum, vel passivum alicujus alterius motus, aut transmutationis a motu locali, et illuminatione. Probatur; quia cœlum est ingenerabile, et incorruptibile, et per consequens inalterabile alteratione disponente ad corruptionem, ut patet 1. et 2. Cœli, text. 19. et 3. et hoc de secundo.

6. Quantum ad tertium. Notandum, quod elementum simplex, vel est in sua naturali dispositione, sub qua scilicet melius, et convenientius potest permanere, et hoc quantum ad locum, et etiam quantum ad qualitates; ita ut sit in suo esse naturali, et sub qualitate summa, quam sibi determinat. Alio modo est elementum, quando est alteratum a sua naturali dispositione, vel motum a suo loco naturali. Tunc ponuntur conclusiones.

emen- m sim- ex bifa- m con- lerari test.

Prima conclusio. Nullum elementum simplex existens in sua naturali dispositione, secundum qualitates, et secundum locum habet in se ipso principium activum sui motus. Probatur, quia si posset movere se ipsum, vel hoc esset ad dispositionem convenientem sibi, vel ad disconvenientem corruptivam; non primo modo, quia jam habet omnes dispositiones convenientes sibi secundum naturam perfectissime, sicut natum est ipsas habere: nec secundo modo, quia dispositio corruptiva elementi est violenta sibi; igitur non potest induci ab intrinseco, cum violentum sit cujus principium est extra.

emen- m sim- ex quo- odo ha- at in se p·inci- um acti- um sui otus

7. Secundo: quia si se alteraret, tunc moveretur ad sui corruptionem, et per consequens esset otiosum in natura, quod est impossibile.

Tertio patet inductione: quia grave existens deorsum, non movet se localiter: similiter aqua frigida non calefacit se, et sic de aliis.

Secunda conclusio. Elementum simplex (a) existens extra suam dispositionem naturalem, habet in se principium effectivum alicujus motus, scilicet illius motus, qui est ad dispositionem naturalem, qua caret. Probatur: quia omne illud quod est violenter deductum a sua dispositione naturali, remoto impedimento reducit se ad illam dispositionem naturalem. Sed omne elementum simplex existens extra suam dispositionem naturalem, est hujusmodi: ergo, etc. Major patet per experientiam: quia si virga recta inclinaretur, remoto inclinante redit ad rectitudinem, et minor est nota.

Secundo, quia grave violenter detentum sursum, remoto impedimento, movetur deorsum.

Tertio quia aqua calefacta reducit se ipsam ad frigiditatem; nec hoc fit a continente, quia aqua in continente calido, adhuc reducit se; similiter in continente frigido reducit se ad frigiditatem majorem, quam sit frigiditas continentis.

Sed dubitatur, quod est principium ef-
fectivum hujusmodi alterationis. Secundo 8.
videbitur quod hujusmodi alteratio non fiat ab aqua: quia tunc fieret motus a proportione minoris inæqualitatis: quia caliditas aquæ multum excedit ejus frigiditatem.

Respondetur quod actio illa fiat a forma substantiali aquæ mediante frigiditate virtuali; et causa est, quia uniuscujusque rei forma inclinatur, et nititur ad esse sui, quantum potest, et per consequens nititur ad conservationem, et ad dispositionem sub qua melius, et perfectius potest conservari: et quia frigiditas actualis est dispositio convenientissima, sub qua potest conservari forma aquæ, ideo cum aqua fuerit alterata a frigiditate actuali, ejus forma mediante frigiditate virtuali inclinatur ad reducendum aquam ad actualem frigiditatem.

Et si quæratur quid sit illa frigiditas virtualis, dico quod est quædam species de secunda specie Qualitatis, quæ est naturalis *Frigiditas virtualis quid sit.*

potentia, vel impotentia, et non debet poni de tertia specie, cum sit insensibilis : nec debet poni forma substantialis, quia in mixtis invenitur frigiditas virtualis, in quibus tamen non invenitur forma substantialis alicujus elementi. Per hoc patet solutio ad 2. quia licet caliditas actualis sit major frigiditate actuali, tamen est minor frigiditate virtuali.

9. Tertia conclusio. Omne principium activum motus alicujus elementi est mediante dispositione inclinante ad motum. Probatur : quia motus elementi, vel est violentus, ut calefactio aquæ, et tunc fit a caliditate : vel naturalis, ut motus deorsum, et tunc fit a gravitate, et ita potest induci in aliis, et quantum ad hoc idem est judicium de mixtis.

Elementum quodlibet habet in se principium passivum sui motus, et quomodo.

Tunc de principio passivo dico, primo quod quodlibet elementum habet in se principium passivum suæ alterationis tam receptivum, quam resistitivum. De receptivo patet, quia quodlibet habet materiam primam : de resistitivo patet, quia elementum non alteratur nisi sit extra suam naturalem dispositionem per primam conclusionem, et tunc semper habet qualitatem contrariam sibi resistentem ei.

Secundo dico de motu locali, quod quodlibet habet in se principium passivum motus localis receptivum, scilicet materiam primam; sed non resistitivum, quia tota resistentia provenit ab extrinseco in motu simplicis elementi, ut patet 4. hujus. text. 71. De aliis motibus patet per prædicta, quod nullum elementum habet in se principium suæ generationis, nec etiam corruptionis, condensationis, vel rarefactionis, nisi sit extra suam dispositionem naturalem; et similiter verum est, quod nunquam habet in se principium effectivum suæ generationis, et hoc de tertio.

10.

Mixtum est duplex homogeneum, et heterogeneum, et quodlibet habet in se principium sui motus, et quomodo.

Quantum ad 4. notandum, quod aliud est mixtum homogeneum, et aliud heterogeneum : homogeneum est cujus omnes partes sunt consimiles in qualitate, et in gradu qualitatis ; heterogeneum est cujus partes sunt dissimiles in qualitate, aut in gradu qualitatis.

Tunc est prima conclusio. Nullum mixtum homogeneum existens in sua naturali dispositione habet in se ipso principium activum suæ alterationis. Probatur, quia tale non est contrarium sibi ipsi secundum totum, nec una pars contrariatur alteri; igitur non alterabit se ipsum. Secundo, quia si sic, hoc maxime esset, quia in ipso sunt qualitates contrariæ, quarum una excedit alteram ; sed propter hoc non : quia cum quolibet gradu citra summum alicujus qualitatis potest stare aliquis gradus qualitatis contrariæ : qui perpetuo staret simul sine hoc, quod unus ageret in alio, ut patet in quæstione de contrariis, in 3. vel in 5.

Ex quo sequitur, quod nullum mixtum homogeneum habet in se principium activum suæ generationis, vel corruptionis, condensationis, vel rarefactionis, vel alterius motus consequentis alterationem.

Secunda conclusio. Quodlibet mixtum heterogeneum habet in se principium activum suæ alterationis. Probatur, quia talis mixti partes sunt ad invicem contrariæ ; quæ in se invicem agunt circumscripto quocumque alio agente. Ex quo sequitur, quod tale mixtum habet in se principium activum suæ corruptionis, condensationis, rarefactionis, et augmentationis, et diminutionis, si sit animatum : quia præter animata nihil habet in se principium augmentationis, et diminutionis.

Tertia conclusio, quodlibet mixtum tam homogeneum, quam heterogeneum, si sit extra suam dispositionem naturalem, habet in se principium sui motus localis tam activum, quam resistitivum, et receptivum, et ideo si tale esset in vacuo, moveretur successive, ut patet 4. hujus, text. 71. Ex quibus sequitur, quod elementum simplex, vel mixtum homogeneum si poneretur in loco, ubi non posset approximari contrarium ab extrinseco, numquam corrumperetur, sed mixtum heterogeneum corrumperetur, dato quod numquam approximaretur contrarium ab extrinseco, et hoc de quarto.

Nunc ad rationes. Ad primam, soluta est.

11. *Tota terra interdum movetur.* Ad secundam dico, quod sufficit quod terra moveatur, vel possit moveri secundum partes suas ; vel dico quod imo sæpe etiam terra movetur, ut quando est magna oppositio contrarietatis in una parte, ut puta, quando constructiones civitatum, aut fluxiones marium, et hujusmodi; tunc tota terra expellitur a loco suo,et efficitur aliud centrum quam prius, et sic postea illæ partes, quæ nunc sunt centrales, erunt circumferentiales.

Ad tertiam dico, quod lapis habet in se principium, quo natus esset moveri, si esset extra suum locum, et hoc sufficit.

Ad quartam, negatur consequentia : quia licet habeat in se principium activum motus, tamen non oportet, quod omnis motus ejus fiat ab illo principio, imo aliquis fit ab extrinseco.

Ad quintam negatur consequentia, quia aliquid non dicitur moveri ex eo, quod moveatur a principio intrinseco ; sed ex eo quod possit in se habere motum sine extrinseco adjuvante.

Ad sextam dico, quod utroque modo, sicut dictum est, et ideo licet Intelligentia non inhæreat cælo, tamen est in eo appropriate.

Ad septimam, nego minorem, quia quies est idem quod res quiescens, et ideo habet in se principium, quo fiat quiescens.

Ad octavam de cœlo, et igne, dico quod sufficit,quod quiescant quiete opposita recessui a suo loco naturali. Et si quæratur, vel quodlibet appetit æqualiter moveri, et quiescere, vel alterum magis ; dico quod quodlibet ens naturale, quando est in suo loco naturali,appetit quiescere magis,quam moveri,scilicet recedendo a loco,sed quando est extra locum, magis appetit moveri ad locum, quam ibi quiescere.

ANNOTATIONES

12. ([a]) *Elementum simplex existens extra suam dispositionem naturalem*, etc. Nota, quod non parva est controversia inter Philosophos, an elementa, et entia naturalia inanimata moveantur a se ipsis, adeo ut habeant intra se principium activum sui motus localis, et quidem quam plurimi hoc negant. Scotus vero in 2. distinc. 2. quæst. 10. oppositum sentit, et peripatetice probat : et quia in octavo hujus, quæst. 9. eamdem difficultatem explicat, ideo ibi, quæ necessaria fuerint circa hoc annotabimus.

EXPOSITIO TEXTUS

Tanquam natura prima(1) *sit principium aliquod et causa movendi*, etc. Hic definit naturam. Secundo ostendit, quid est habens naturam. Tertio quid sit secundum naturam; et Quarto quod naturam esse non potest demonstrari. Secundum ibi, *Naturam autem habent.* Tertium ibi, *Secundum autem naturam.* Quartum ibi, *Quod autem sit natura tentare demonstrare.* 13. Text. 3

Definitio naturæ Prima conclusio est ista : Natura est principium movendi, et quiescendi ejus, in quo est per se primo, et non secundum accidens. Probatur : illud quo res naturales in quantum hujusmodi differunt a non naturalibus in quantum hujusmodi, est principium et causa movendi ejus in quo est : sed per naturam res naturales differunt a non naturalibus in quantum hujusmodi : ergo, etc. Major patet ex præmissa divisione, et minor, ut dicit Linconiensis, nota est non omnibus, sed exercitatis in scientia naturali. Similiter dicit Linconiensis, quod ista definitio naturæ est materialis ; sed ista est definitio formalis. Natura est quo res naturales in quantum hujusmodi, differunt a non naturalibus in quantum hujusmodi, et ideo potest demonstrari definitio materialis per formalem. *Vide Zimaram in tabul. lit. N. f. 281. col. 1.* *Linconiensis.*

14. *Explicatur naturæ definitio.* Et tunc exponitur sic definitio. Natura est principium et causa, et capitur ibi ly *et* expositive, pro *id est*, et ly secundum *et* capitur disjunctive pro *vel*, ita quod sensus est : natura est principium, idest, causa movendi, vel quiescendi ejus, in quo est, ad differentiam quarumdam artium, quæ sunt principium agendi in extrinsecam materiam ; et ponitur ibi *per se*, et *primo*, tanquam determinatio, et de-

terminabile : quia *per se* habet in plus quam *primo,* ut patet 1. Poster. text. 29. et inde; et hoc ponitur ad differentiam qualitatis, quæ est principium movendi, ut gravitas, quæ non est natura, eo quod non primo movet, sed potius forma substantialis : et ponitur ibi *non per accidens* ad differentiam medicinæ, qua quandoque per accidens movet Medicum ut sanet se ipsum.

Text. 4. *Naturam autem* (2) *habent,* etc. Secunda conclusio. Omnia quæ habent hujusmodi principium, habent naturam. Probatur, nam composita naturalia dicuntur habentia naturam, eo quod habent subjectum, scilicet materiam, et formam, quæ est natura in subjecto : modo tam materia, quam forma est natura, igitur per locum a definitione sequitur, quod si habent hujusmodi principium, quod habent naturam.

Vide contradictionem Zimaræ.

15. Text. 5. *Secundum autem* (3) *naturam.* Ponitur tertia conclusio. Accidentia, et qualitates inexistentes compositis naturalibus sunt secundum naturam. Probatur, quia vel sunt natura, vel habentia naturam, vel secundum naturam ; non natura, quia non sunt materia, nec forma ; nec habent naturam, quia non sunt composita naturalia, igitur sunt secundum naturam.

Text. 6. *Quod autem* (4) *sit natura* (a) *tentare demonstrare.* Ponitur quarta conclusio. Tentare demonstrare naturam esse est ridiculum. Probatur, quia illud non est demonstrandum esse, quod esse est per se manifestum : sed naturam esse est per se manifestum ; ergo,etc. Major apparet, quia nihil est demonstrabile nisi dubium, et ideo ille ineptus est ad Philosophiam, qui nescit distinguere inter illud, quod est per se manifestum, et illud, quod est manifestum per aliud, quod tamen hoc aliquando accidat demonstrat Aristoteles. Nam ille, qui natus est cœcus, disputat de coloribus, et tamen disputatio sua solum est ad nota, quia nihil scit in re, quod est per se manifestum ; et quod non, minor patet, quia manifestum est, quod multa sunt, quorum quodlibet habet naturam. Et dicit notanter *tentare,* quia nullus debet tentare aliquid facere, nisi illud quod est difficile, et laboriosum : modo cognoscere naturam esse, non est laboriosum, et difficile, quia est manifestum ad experientiam.

Vide contradictionem Zimaræ.

ANNOTATIONES

(a) *Quod autem sit natura tentare,*etc. Nota, quod hic Aristoteles tacitam removet objectionem: nam posset quis dicere quod non sit usus hoc loco documento illo a se tradito secundo libro Posteriorum : videlicet prius tractandam esse quæstionem an res sit, quam tractetur quæstio quid sit ; hic autem ostendit, quidnam sit natura, prætermissa quæstione an sit natura. Ideo respondens ad hanc objectionem, dicit per se notum esse, quod natura sit in rebus. Cum per se manifestum sit, multas esse res, quæ habent naturam : sensu enim experimur multas res ex aliquo intimo sui principio moveri, atque demonstrare, quæ per se nota sunt (cum non possit fieri nisi per ignotiora) hominis est cœci secundum intellectum, utpote non valentis discernere per se nota ab his, quæ non sunt per se nota. Talesque nitentes sic per se nota demonstrare, similes esse, ait, cœco a nativitate, qui nititur cognoscere colores, eosque rationibus probare, qui colores noti sunt videntibus, multoque magis manifesti, quam rationes, quibus cœcus ostendere nitebatur ; sic etiam talis est qui ea, quæ per se nota sunt, per ea quæ non sunt per se nota, demonstrare conatur. Hos igitur ait nihil unquam intellecturos, quanquam vocibus conclusisse videantur, et merito quidem : nam ut colores non sunt apti, ut percipiantur verbis, sed sensu, ita etiam quæ per se nota sunt, non sunt apta, ut per alia minus nota cognoscantur, ac demonstrentur. 16. Text 1

QUÆSTIO III

Utrum definitio naturæ in textu sit bona, videlicet, Natura est principium et causa movendi, et quiescendi ejus in quo est per se primo, et non secundum accidens.

Vide Doctores *quæst. præcedenti citatos.*

Arguitur quod non ; quia solius univoci est definitio : modo hoc nomen *natura* est 1.

æquivocum, quia per prius dicitur de forma, quam de materia ; ergo, etc.

Secundo, quia nullum absolutum debet definiri per respectivum : modo iste terminus *natura*, est absolutus terminus de genere substantiæ, igitur non potest definiri per istum terminum *principium*, qui est de prædicamento Relationis.

Tertio, quia nulla definitio substantiæ est bona, quæ datur per additamentum, quia sic definiuntur accidentia, ut patet 7. Metaph. text. 17. modo natura est substantia ; et motus, et quies sunt accidentia, ut patet 2. hujus, text. 5. igitur natura non debet definiri per motum et quietem.

Quarto, quia isti termini *principium* et *causa* convertuntur, igitur posito uno illorum in definitione naturæ frustra ponitur reliquus.

Quinto, quia idem per se non est causa contrariorum, ut patet 4. Meteororum, sed motus, et quies sunt contraria ; igitur natura non est principium et quietis.

Sexto, quia ista dictio *primo*, includit per se, et ista dictio *per se* includit non per accidens, ut patet 1. Post. text. 36. igitur posito hoc termino *primo* in definitione naturæ, non debet poni prædictorum aliquis.

2. Septimo, illa definitio non est bona, quæ non competit cuilibet contento sub definito, sed ista est hujusmodi ; ergo, etc. Major patet 6. Topicorum. cap 4. et minor probatur tripliciter. Primo, quia anima i[illegible] est natura, et similiter Intelligentia est natura ; et tamen neutrum illorum est principium movendi ejus in quo est, quia utrumque est forma separata. Secundo, quia forma terræ est natura, et tamen non est principium movendi ejus, in quo est ; quia impossibile est terram moveri secundum se totam. Tertio, quia forma cœli est natura, et tamen non est principium quiescendi, quia impossibile est cœlum quiescere.

Octavo. Illa definitio non est bona, quæ competit aliis a definito, modo ista competit aliis; ergo, etc. Minor tripliciter probatur ; primo, quia competit principio motus progressivi, quod principium non est natura, cum motus ejus non sit naturalis ; quia motus progressivus est tardior in fine, quam principio. Secundo, quia competit calori naturali, qui est principium nutritionis, et augmentationis ejus in quo est, etc. Tertio, quia competit gravitati, quæ est principium motus gravis. Quarto, quia competit arti saltandi, per quam aliquis movet seipsum primo, etc. Quinto competit arti, mediante qua Medicus sanat se ipsum.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto 2. capite 1. text. 3. In quæstione primo videbitur de expositione definitionis naturæ ; et secundo qualiter illa definitio sit nota, vel ignota propter Avicennam qui posuit illam definitionem esse ignotam. *Divisio quæstionis*

3. *Natura est nomen relativum.*

Quantum ad primum, notandum secundum ordinem particularum definitionis ; et primo quod hoc nomen (a) *natura* est nomen relativum, et significat substantiam in relatione ad motum, et operationes naturales, et ista non est prædicatio quidditativa, *substantia est natura*, plus quam ista, *substantia est Pater*. Ex quo sequitur, quod iste terminus *natura*, potest definiri convenienter per istum terminum *principium*, tanquam per genus, cum uterque sit de genere Relationis, et iste terminus *principium* est terminus communior ; quia dicitur tam de principio intrinseco, quam extrinseco, sed natura [illegible] dicitur de principio [illegible].

Principium et causa convertuntur.

Secundo no[illegible] *principium* et (b) *causa* convertuntur, et ideo ponuntur ambo in definitione naturæ, ut unum exponat reliquum, et tunc ista copula *et*, capitur expositive, et tunc est sensus : Natura est principium, et pro, *id est*, causa ; quia unus illorum terminorum potest esse magis notus uni, et alius magis notus alteri.

Aliter éxponitur, quod per istum terminum *principium*, Aristoteles intelligit principium activum, cujus signum est, quod semper quando Aristoteles loquitur in isto 2. de causa efficiente, vocat ipsam principium passivum, et tunc illa copula

et, debet intelligi disjunctive; et quantum ad primam partem debet intelligi de causa efficiente ; et quantum ad secundam verificatur pro principio passivo, seu materiali.

4. Tertio notandum, quod quando dicitur *movendi*, (c) et *quiescendi*, aliqui intelligunt, quod natura est principium movendi in iis, quæ moventur, et quiescendi in iis, quæ quiescunt. Aliter exponitur, quod ibi accipitur ista copula, *et*, disjunctive, sicut in prima particula definitionis, et tunc est sensus : natura est principium, vel causa movendi, vel quiescendi. Sed contra, posito, quod aliquis lapis quiescat sursum violenter per detentionem, tunc forma hujus lapidis est natura, et tamen non est principium movendi, nec quiescendi ejus in quo est, quia iste lapis, non movetur ; nec quiescit naturaliter. Respondetur, pro quo sciendum, quod sicut isti termini *activum*, vel *motivum*, non dicunt actum agendi, vel, movendi, sed potentiam, et habilitatem ad agendum, vel movendum ; ita isti termini *principium* et *causa*, denotant aptitudinem, et inclinationem ad movendum ; et ideo sensus est, quod natura est principium, quod illud in quo est, est natum moveri, vel quiescere.

Principium et causa in definitione naturæ dicunt aptitudinem.

Quarto notandum, quod hæc dictio (d) *primo*, debet referri ad hanc dictionem *principium* ; ita ut sensus sit, quod natura est primum principium, et causa movendi, et accipitur *primum*, id est, principale ad differentiam accidentium, et dispositionum, mediantibus quibus fit motus, et quies : nam forma substantialis est principale activum respectu operationis : sed accidens, vel dispositio mediante qua agit, est activum secundarium, et instrumentale, ut calor est instrumentum, mediante quo anima est principium activum nutritionis, et augmentationis ; similiter materia prima est principium passivum respectu operationis, sed dispositiones sunt organa, seu instrumenta, mediantibus quibus ipsa patitur faciliter vel difficulter.

Primo quomodo sumatur in definitione naturæ.

5. Quinto notandum, quod ibi ponitur hæc dictio (e) *per se*, ad denotandum, quod forma substantialis non dicitur natura respectu cujuslibet operationis, ad quam ipsa mediantibus dispositionibus consequentibus eam naturaliter inclinatur, ex eo quod forma mediantibus suis dispositionibus naturalibus non potest in illum motum, vel operationem, nisi fiat alteratio aliunde ab extrinseco : verbi gratia, forma ferri mediantibus dispositionibus naturalibus consequentibus ipsam naturaliter inclinatur moveri ad magnetem, tamen respectu illius motus ad magnetem, forma ferri non dicitur natura ex eo, quod forma ferri cum suis dispositionibus solitarie non possunt in illum motum, imo requirunt determinatam alterationem factam a magnete. Et tunc ista dictio *per se*, debet determinare hoc nomen *principium*, ita ut sit sensus, natura est primum principium per se, hoc est, solitarie.

Per se quomodo sumatur in definitione naturæ.

Sexto notandum, quod ista dictio *non per* (f) *accidens* ponitur ad differentiam quarumdam artium, quæ sunt principia movendi subjecta in quibus sunt, ut ars medicinalis, qua aliquis sanat se ipsum, et ars saltativa, qua aliquis movet se ipsum ; quia accidit tali homini, vel tali, quod habeat artem medicativam, vel saltativam, et tunc hæc dictio *non per accidens*, debet determinare hoc verbum, *est*, secundo loco positum, scilicet ejus in quo est non per accidens.

Dictio non per accidens quare ponitur in definitione naturæ.

Septimo notandum, quod ibi ponitur *ejus in quo* (g) *est*, id est, compositi naturalis, cujus natura est pars intrinseca et essentialis : et hoc ponitur ad differentiam quarumdam artium, quæ sunt principia transmutandi alienam materiam a subjectis propriis, ut ars ædificativa, quæ est principium transmutandi lapides et ligna, intelligendo, quod homo per talem artem transmutat, et universaliter illa particula ponitur ad differentiam particularium motuum, qui sunt ab extrinseco, et ideo forma ignis non dicitur natura respectu motus, vel operationis, quo nata est transmutare stupam, vel ligna, sed respectu motus, quo nata est 6.

movere ignem. Patet igitur (sic intelligendo definitionem,) quod natura est primum principium per se, vel causa movendi, vel quiescendi ejus, in quo est non secundum accidens.

Definitio naturæ est bona. Nunc sit ista conclusio. Definitio naturæ est bona : patet, quia competit cuilibet contento sub definito, et nulli alteri a definito, ut patet per præcedentem expositionem, igitur ipsa est bona, et hæc de primo.

7. Quantum ad secundum arguitur, quod definitio naturæ non est nota, quia definitio non est nota, quæ probatur de definito : sed ista probatur de infinito ; ergo, etc. Major est nota ; quia ridiculum est quærere illud, quod est per se notum ; et minor patet per Commentatorem in isto secundo comm. 3. qui probat dictam definitionem per quemdam syllogismum hypotheticum ; similiter patet per Linconiensem, qui probat dictam definitionem, ut patuit super textum.

Secundo : quia quodlibet corpus mobile habere naturam est per se notum ; sed non est per se notum, quod quodlibet corpus mobile habeat in se principium movendi. Major patet 2. hujus, text. 6. Minor tripliciter probatur : Primo quod Aristoteles 7. et 8. hujus, text. 1. probat, quod omne quod movetur, movetur ab aliquo. Secundo per Aristotelem 8. hujus, text. 27. et inde text. 28. ubi dicit, quod dubium est de corporibus simplicibus, an habeant motorem, sed non est dubium an habeant naturam ; igitur dubium est an habeant principium movendi. Tertio per Aristotelem 3. Cœli, text. 18. ubi probat elementa simplicia habere gravitatem, et levitatem, quæ sunt motores ipsorum, et tamen non est necesse probare, quod habeant naturam; igitur non est manifestum, quod natura sit principium movendi, etc.

8. Notandum, sicut patet in 2. hujus, in principio primi capituli, tex. 1. quod naturam esse est per se manifestum, scilicet per experientiam, et per motum : nam motum esse est principium in scientia naturali, ut dicit Aristoteles 1. hujus, text. 11. ubi dicit, nobis autem subjiciatur omnia, aut quædam moveri. Secundo notandum, quod Commentator probat definitionem naturæ per syllogismum hypotheticum isto modo : si entia naturalia habeant in se principium movendi, et quiescendi ejus in quo primum per se, et non secundum accidens, et natura sit illud, quo moventur, et quiescunt, sequitur, quod natura est principium, et causa, etc. Commentator objicit contra se ipsum per primam instantiam, scilicet quod ex quo definitio naturæ probatur, non est nota. Respondetur, quod nullum ignotum potest probari per syllogismum hypotheticum, aut per inductionem, vel divisionem, cujus signum est, quod principia per se nota probantur per inductionem, aut per divisionem, et ideo ille syllogismus non probat ; sed aliqualiter valet ad declarationem. Sed contra hoc est Linconiensis, qui ponit, quod ista definitio est conclusio demonstrationis, ut patuit supra textum. Respondetur, quod ista definitio est per se nota a priori. Ideo non potest demonstrari de definito *propter quid*, scilicet per causas a priori, sed bene potest demonstrari per effectus a posteriori. Linconiensis demonstrat ipsam per res naturales, quæ sunt notiores nobis.

Nullum ignotum potest probari per syllogismum hypotheticum.

Nunc ad rationes. Ad primam dico, quod licet ista definitio probetur a posteriori per effectus, tamen a priori est per se nota, et indemonstrabilis, et ille syllogismus compositus solum valet ad declarationem : et probatio Linconiensis solum est a posteriori, et non a priori. Ad secundam dico, quod Aristoteles non probat, quod omne quod movetur moveatur ab alio : quia hoc est notum per definitionem naturæ, sed probat, quod in omni motu motor distinguitur a mobili, et hoc propter Platonem, qui posuit quod idem potest moveri a seipso. Consimiliter dicitur ad aliud : quia dubium est de corporibus simplicibus, an habeant motorem distinctum, sed non est dubium, quin habeant motorem. Eodem modo Aristoteles probat, quod corpora simplicia habent gravitatem, et levitatem, quæ sunt motores distincti ab eis : hoc tamen 9.

non obstante notum est gravia, et levia habere in se principium movendi, et quiescendi, et hoc de secunda parte quæstionis. Quoad primam, rationes solventur in sequenti quæstione.

ANNOTATIONES

Opinio multiplex de natura.

10. (a) *Hoc nomen* natura *est nomen relativum*, etc. Nota, quod circa naturam sunt multi, variique modi dicendi. Prima sententia fuit quorumdam negantium naturam, quo pacto non opus esset assignare illi definitionem. Secunda sententia est aliorum dicentium, quod natura nihil aliud est, quam prima causa, vel ipse Deus, quæ sententia tribuitur Galeno. Tertia sententia est aliorum dicentium, quod natura nihil aliud est, quam calor naturalis impressus in omnibus rebus; hanc tenuit Cicero 2. de Natura Deorum. Quarta sententia est Platonis, qui in Timæo dicit, naturam esse virtutem quamdam gubernativam omnium rerum, et directivam in proprios fines : contemplabatur enim operationum naturalium diversitatem, quarum quædam peculiarem tantum perfectionem, et ipsius agentis conservationem intendunt, ut descensus lapidis ad centrum, et motus animalis ad alimentum. Quædam sunt, quæ intendunt perfectionem, et conservationem universi, ut descensus gravium, et ascensus levium : generationes etiam naturales, quæ in specierum conservationem tendunt. Quædam denique perfectiores, et digniores sunt, ut quod ex semine generetur corpus, et ex nutrimento generetur os, et caro, et quod arbores spatiosos protendant ramos, quodque vitis magna producat folia, ut teneros, quos producit, fructus cooperire possit; amygdalus vero parva, quia cortice protecto suos fœtus producit, quarum omnium operationum unicus cum sit finis, scilicet universi conservatio; ideo unicum erit principium, quæ dicitur natura, quæ juxta hanc sententiam, sic definiri valet : natura est vita diffusa in omnibus corporibus ipsorum gubernatrix, et rectrix.

Definitio naturæ secundum Platonem.

Aristoteles autem nihil in rebus naturalibus præter materiam, et formam ponit in definitione naturæ ab ipso tradita. Unde adverte ex eodem 5. Metaph. c. 4. text. 5. quod natura accipitur pro nativitate, seu pro viventium actuali generatione. Secundo accipitur pro termino et fine generationis. Tertio accipitur pro omni eo principio, quod facit moveri rem aliquam in qua est primo, et per se quocumque motu, et hoc modo materia, et forma dicuntur natura, et in hac significatione *natura* (ut inquit Scotus) est nomen relativum, quod significat substantiam, scilicet materiam, et formam in relatione ad motum.

(b) *Isti termini* principium, *et* causa *convertuntur*, etc. Nota, quod *principium*, et 11.
causa in definitione naturæ ponuntur pro genere, quarum vocum prima latius patet, quam secunda : non solum enim amplectitur omne genus causæ, ut particula subsequens, sed aliquas non causas, quæ sunt principia : quia tam materia, quam forma est principium, unde incipit motus : et utraque est in suo genere ejusdem motus causa, quæ supra principium influxum dicit in effectum. Nec mirum est duo nomina pro genere poni : quia ideo ad principium additur causa; ut principium motus non intelligatur pro ipso extremo, unde incipit motus, sed ut accipiatur in ea significatione, quæ causam quamdam significat, atque ita illa dictio, *et*, non ponitur ibi copulative, sed expositive pro *id est*. Posset etiam dici, quod hæc particula, *et causa*, ponitur ad excludendam privationem, quæ licet sit principium, non tamen est causa; atque etiam ad excludendas qualitates instrumentales : rei enim naturalis duplex est principium, quoddam primum, alterum secundum; primum est natura, secundum est qualitas naturalis.

Rei naturalis duplex principium.

(c) *Movendi, et quiescendi*, etc. Nota, quod Divus Thomas, quem multi sequuntur, intelligit illam dictionem, *et*, copulative : quia natura eo est principium motus, quia tendit ad quietem; propter hoc enim ignis naturaliter movetur sursum, quia naturaliter sursum quiescit. Alii exponunt copulatim, ut sit sensus, natura est causa motus, et etiam quietis, ita ut in his, quæ nunquam quiescunt, sit tanquam causa motus, et in quibus non est motus, sit tantum principium quietis; in his vero, quæ moventur, et quiescunt, sit etiam causa motus, et quietis; et hanc explicationem tangit hic Scotus. Ægidius vero explicat particulam illam *et*, disjunctive, ita ut sit sensus, natura est causa motus, vel quietis. In aliquibus namque est tantum principium motus, in quibusdam vero tantum principium quietis. In aliis autem principium motus simul, et quietis. Et hanc sententiam sequitur Scotus. Adverte tamen, quod ibi motus accipitur non pro uno tantum motu, sed ut quamlibet mutationem comprehendit, scilicet alterationem, augmentationem, generationem, atque lationem, non sic autem, ut quodlibet ens naturale, quolibet debeat motu moveri; sed sic, ut aliquo horum motuum natura sit principium. 12.

(d) *Hæc dictio*, primo, *debet referri ad hanc dictionem* principium Nota, quod 13.
aliqui hanc dictionem *primo, et per se*, in hunc modum exponunt, ut prima,

scilicet *primo*, apponenda sit verbo *movetur*, particula vero *per se*, verbo *inest*, ex quo statim sequitur postrema particula, *et non secundum accidens* : quamvis enim medicina sit causa ut Medicus, quatenus infirmus est, sanetur primo, tamen non inest Medico per se, sed per accidens, quatenus infirmus est. Alii censent particulam *primo* non apponendam esse verbo *movetur* : quia daretur definitionem aliis a definito competere, scilicet gravitati respectu gravis; gravitas enim est causa, ut res gravis moveatur primo, in quo per se, et non per accidens inest, et tamen non est natura rei gravis; quapropter dicunt prædictas duas particulas *primo*, *et per se* apponendas esse verbo *inest*, ita ut sit sensus totius definitionis : Natura est principium et causa, ut id, in quo primo et per se inest, moveatur, et quiescat.

Cæterum melior est explicatio Scoti, nempe quod illa dictio *primo*, idem est quod principaliter, et *primum* quod principale : nam quæcumque forma accidentalis quantumcumque ad motum adjuvet, sunt quasi instrumenta formarum substantialium : quamvis enim natura non causet actu motum sine mediis qualitatibus, dicitur tamen principium illius principale, cui nempe principaliter tribuitur actio, seu causatio; sicut forma ignis est principium calefaciendi, quamvis non calefaciat nisi mediante calore.

14. (e) *Ponitur hæc dictio* per se *ad denotandum*, etc. Nota, quod *primo* sumptum in eodem genere strictius se habet, quam *per se*, quia hoc illud tanquam inferius suum superius comprehendit, tamen absolute latius est vocabulum *primo*, et in plus se extendit, quam *per se*. Verbi gratia, quando intra genus eorum, quæ intrinsece conveniunt, verum est, quod quidquid convenit *primo* convenit etiam *per se*, et non e contra; quia genus, nempe animal per se homini convenit, sed non primo; definitio vero, nempe animal rationale, convenit homini primo, et per se, ita ut omne, quod convenit alicui primo, conveniat etiam per se, sed non e contra; omne quod competit alicui per se competit primo. Tamen in latitudine hujus vocis *primo* non stat per se, quia primo convenit homini intelligere, quam ambulare, et tamen neutrum per se : quia utrumque est accidens homini, dicitur tamen primo convenire sibi intelligere, id est, principaliter. Et in hoc sensu (ut diximus) accipitur particula *primo*, et ut sic determinatur per particulam *per se*, ita ut ly, *per se*, idem significet, quod solitarie, et sit sensus, natura est principium principale, et per se sine alicujus alterius indigentia, motus et quietis, etc.

(f) *Ista dictio* non per accidens *ponitur*, 15.
etc. Nota, quod hæc particula *non per accidens* ponitur etiam ad significandum, quod motus quem dicimus procedere a natura, non casu et fortuito eveniat. Quare per hanc particulam (ut inquit Scotus) excluduntur quædam formæ accidentales, verbi gratia, ars medicinæ, ars saltandi, et citharizandi, quæ movent suos artifices ad artificialia, non tamen sunt naturæ ; quia sunt principia extrinseca, natura autem est intrinsece conjuncta cum ipsa re. Quamvis enim Medicus sanat se, et motus sanationis perficiatur a causa, qua inest in eo, qui sanatur, non tamen inest in eo per se, sed accidit, ut qui sanatur, habeat in se principium sanationis, quapropter medicina non est natura. Adverte tamen, quod hæc particula, *non secundum accidens*, posita est, non quod includatur in *per se*, si uniformiter accipiatur, sed ponitur ad majorem definitionis naturæ expressionem. Nam, quia adhuc erat subobscura definitio, neque patebat, an illæ particulæ *primo*, *et per se*, applicandæ essent ly *motus*, vel ly *inest*, an ly *principium*, ideo addit, et non secundum accidens, si enim tantum posuisset *primo*, et *per se*, posset quidem definitio habere hunc sensum : Natura est principium principale, et per se movendi, etc. Et tunc necessario Medicina esset natura : quia est principium primo, et per se movendi ad sanitatem ; addita est ergo particula, *et non secundum accidens*, ut verus plenusque definitionis sensus habeatur qualis est, quod natura est principium, et causa primo, et per se movendi, et quiescendi ejus, in quo est non secundum accidens, sed potius primo, et per se inest.

(g) *Ponitur ejus in quo est*, etc. Nota, quod
in hac particula *ejus in quo est*, quasi ex- 16.
pressit Aristoteles totam essentiam naturæ, quod est esse causam intrinsecam motus ubi est, et ita agens naturale non dicitur natura respectu rei extrinsecæ : quibus verbis, ut dicit hîc Scotus, notatur compositum naturale, in quo natura inest non quasi accidens, sed quasi pars principalis, atque substantiæ, ex quo sequitur oportere naturam esse in eo, quod movetur ab ipsa natura, quasi ab intrinseco principio.

QUÆSTIO IV

Utrum motus cœli sit a natura

Averr. 2. *Phys. comm.* 1. Simplic. Philop. D. Thom. *ibid. text.* 1. Avicen. 9. *Metaph. c.* 2. Damasc. *in sua Philos. c.* 6. Scotus 9. *Metaph. q.* 4. *et* 2. *dist.* 2. *q.* 6. *et in* 4. *dist.* 43. *q.* 2. Richar-

dus *in* 2. *distinct.* 14. *q.* 6. Durand. *ibid. q.* 2. D. Bonav. *ibid. art.* 3. Argent. *q. unica, art.*1. Gabr. *art.* 3. Zamarra *in theorem. propos.* 70. Soncin. 11. *Metaph. q.* 11. Ferrar. *con. Gent. lib.* 3. *c.* 23. Conimbr. 1. *de Cœlo. c.* 2. *q.* 3. Faber *Theorem.* 63.

1. Arguitur quod non : quia cœlum est corpus simplex motum diversis motibus : igitur ejus motus non est a natura. Tenet consequentia per Aristotelem 1. Cœli, text. 1. ubi dicit, quod unius corporis simplicis est solum unus motus per naturam. Antecedens pro prima parte patet in 1. Cœli, text. 43. et inde, et pro secunda apparet in 2. ubi Aristoteles volens ostendere quare aliquæ stellæ moventur irregulariter, dicit, quod causa est, quia plures motus conjunguntur in eodem mobili, hoc etiam patet per Auctorem de Sphæra, et per Astrologos.

Secundo : quia motus cœli est a voluntate : igitur non est a natura. Antecedens apparet 12. Metaphys. text. 35. et probatur consequentia tripliciter. Primo, quia motus naturalis, et voluntarius sunt opposite distincti. Secundo per Arist. 9. Metaphys. text. 3. ubi ponit differentiam inter potentiam naturalem, scilicet voluntatem, et irrationalem, scilicet naturalem, quod non esset nisi effectus provenientes ab istis essent differentes. Tertio quia per hoc probat Aristot. 2. Ethicorum, cap. 1. quod virtutes morales non insunt nobis a natura, eo quod insunt a voluntate.

2. Tertio, ad principale : quia ille motus non est a natura, cujus passum, seu mobile non sequitur unus motus, id est, cujus mobile non inclinatur ad motum ; sed cœlum non inclinatur ad motum ; igitur ejus motus non est naturalis. Major patet 3. Ethicorum, cap. 1. Et minor apparet : quia si cœlum inclinaretur ad motum, tunc cum nullum sit impediens, sequeretur, quod se ipso posset moveri, et per consequens ad ejus motum non oporteret ponere aliquam substantiam separatam.

Quarto, ille motus non est a natura, qui non est a principio intrinseco effective: quia 3. Ethicorum, cap. 1. dicitur : Violentum est cujus principium est extra passo non conferente vim, sed motus cœli est ab extrinseco : quia est ab Intelligentia separata, ergo, etc.

Quinto, omnis actio naturæ est propter finem, sed motus cœli non est propter finem ; igitur motus cœli non est a natura. Major patet 2. hujus, text. 75. Et minor probatur; quia vel cœlum quandoque attingeret finem propter quem movetur, vel nunquam : si quandoque, tunc sequitur, quod cessaret quandoque motus cœli : qui habitibus præsentibus cessat motus, quod est impossibile, cum motus cœli sit perpetuus : si nunquam attingeret finem, sequeretur, quod frustra moveretur toto tempore æterno.

Sexto : quia motus cœli non est velocior in fine, quam in principio, igitur non est a natura. Tenet consequentia per Aristot. 2. Cœli, tex. 35. ubi dicit, quod motus naturalis est velocior in fine, quam in principio. Antecedens apparet : quia motus cœli est uniformis, et regularis, ut patet 8. hujus, text. 77.

Oppositum arguitur per Commentatorem 3.
2. hujus, comm. 1. ubi enumerans ea, quæ moventur naturaliter, dicit quod ea, quæ moventur naturaliter, sunt animalia, et plantæ, corpora simplicia, scilicet quatuor elementa, et corpus cœleste.

Divisio quæstionis

In quæstione primo videbitur de mobili, scilicet de orbe circumscripta Intelligentia. Secundo de motore cœli. Tertio de quæsito, et Quarto solventur rationes alterius quæstionis. Quantum ad primum sit :

Cœlum est substantia.

Prima conclusio. Cœlum est substantia. Probatur per *quid nominis* substantiæ : quia cœlum est per se existens, similiter est subjectum motus, et illuminationis, quod non esset, nisi cœlum esset substantia.

Cœlum non est compositum ex materia et forma.

Secunda conclusio. Cœlum non est (a) substantia composita ex materia et forma : quia si ita esset, sequeretur, quod per motus cœlestes non possemus devenire in notitiam alicujus substantiæ separatæ. Consequens est falsum, ut patet 8. hujus, text. 45. et 12. Metaph. text. 41. Et consequentia

apparet : quia ipsius cœli forma posset esse motor, et materia mobile, et per consequens præter formam intrinsecam, non oporteret ponere alium motorem separatum.

4. *lum est teria.* Tertia conclusio. Cœlum non est materia, vel habens materiam. Probatur, quia materia non potest esse sine forma, ut patet 1. hujus, et tamen perspicuum est, quod cœlum non est compositum ex materia, et forma. Secundo, quia (b) materia appetit formam, et est causa corruptionis, et præcipue ponitur propter transmutationem substantialem, quæ non reperitur in cœlo ; igitur cœlum non est materia, nec habens materiam. Nec valet si dicatur (c), quod forma cœli propter suam perfectionem adeo replet appetitum materiæ, quod materia non inclinatur ad aliam formam : quia vel illa forma cœli est cognoscens, et hoc non : quia tunc non esset nisi Intelligentia movens,quæ circumscripta est,vel non cognoscens, et cum forma hominis est nobilior ,et perfectior forma non cognoscente,sequitur, quod cum materia esset sub forma hominis, quod non appeteret, vel inclinaretur ad aliam formam , quod est falsum.

um est ma. Ex quibus sequitur, quod cœlum est forma, capiendo formam, prout distinguitur contra materiam, et compositum. Verum est tamen, quod capiendo materiam large,pro cujuscumque transmutationis subjecto, tunc cœlum potest dici materia ; et ideo cœlum potest sic definiri : *Cœlum est substantia corporea simplex per privationem compositionis ex partibus diversarum rationum, mobilis localiter, sensibilis, ingenerabilis, et incorruptibilis.* Et hoc de primo.

initio i.

5. *um movetur ab lligen-* Quantum ad secundum notandum, quod cœlum movetur ab Intelligentia approximata sibi, quæ cognoscit cœlum, motum ejus, et finem propter quem movet cœlum, et propter hoc movet ipsum voluntarie tanta velocitate,quanta vult movere, nec est quærenda alia causa de quantitate velocitatis, quam voluntas motoris.

unta- ium tur dupliter. Secundo notandum, quod aliquid potest dici voluntarium dupliciter (d) ; uno modo contingenter, sicut voluntas nostra, quæ est libera contingenter ad eliciendum aliquem actum, vel ejus oppositum positive, vel privative, et dicitur oppositum positivum, quando elicitur actus contrarius ; ut nolitio contrariatur volitioni, sed dicitur oppositum privativum, quando voluntas suspendit suum actum. Alio modo dicitur voluntarium necessario ; et sic secundum Aristotelem Intelligentia movet cœlum voluntarie, et necessario, non cum necessitate coactionis, sed necessitate complacentiæ : quia placet Intelligentiæ sic movere, et non potest aliter movere cœlum, quam de facto movet. Tamen secundum fidem et veritatem Intelligentia, scilicet Deus, movet cœlum libere, et contingenter, et potest ipsum movere velocius, et tardius, imo potest ipsum facere quiescere, sicut placet sibi.

Nunc ponuntur conclusiones. Prima conclusio. Cœlum non resistit motori. Probatur, quia omnis resistentia alicujus mobilis provenit altero duorum modorum, scilicet,vel quia mobile inclinatur ad quietem, vel quia inclinatur ad motum oppositum, ut patet de motu lapidis deorsum, in quo est resistentia in hoc, quod lapis secundum aliquam dispositionem sui inclinatur ad motum oppositum sursum : modo minor declaratur, quia si cœlum inclinaretur ad quietem, vel ad motum oppositum, jam illa inclinatio esset frustra toto tempore æterno : et patet consequentia, cum nunquam quiescat,aut moveatur motu contrario. 6. *Cœlum non resistit motori.*

Secundo : quia omnis resistentia est cum quadam violentia, sed cœlum non movetur violenter ; igitur cœlum non resistit. Major patet inductione : quia in motu progressivo est violentia : quia gravitas violenter movetur sursum, similiter in motibus gravium, et levium est resistentia : quia medium violenter dividitur. Et minor apparet : quia si in motu cœli esset violentia, non esset perpetuus : quia nullum violentum est perpetuum,ut patet 2.Cœli,text. 17. quia nec est ibi violentia intrinseca,

nec extrinseca : quia non movetur per medium, ut gravia, et levia moventur.

7. *Motor cœli movendo cœlum non fatigatur.* Secunda conclusio. Motor cœli non fatigatur in movendo cœlum. Probatur, quia omnis fatigatio, aut est per essentialem diminutionem virtutis, aut per remissionem conatus ; sed neutrum invenitur in cœlo, ut patet ex regularitate, et uniformitate motus cœli, ergo, etc.

Secundo patet, quia fatigatio motoris provenit ex resistentia ; modo mobile non resistit per præcedentem conclusionem, igitur motor est infatigabilis.

Sed objicitur : quia velocitas motus sequitur proportionem potentiæ motoris ad resistentiam moti, patet 7. hujus, text. 35. et inde ; igitur velocitas motus cœli sequitur proportionem motoris ad resistentiam, et per consequens cœlum resistit. Respondetur, quod in motibus voluntariis proprie non reperitur proportio nisi similitudinarie, ut si fiat unus alter motus naturalis æque velox, sicut voluntarius ; tunc quia ille naturalis proveniet a tanta proportione, dicimus similitudinarie quod volontarius proveniat ab æquali. Ideo non oportet, quod in motu voluntario sit aliqua resistentia. Patet igitur, quod motor movet infatigabiliter mediante intellectu, et voluntate, et ideo dicit Commentator 12. Metaph. comm. 51. quod motores cœlestes non habent de potentiis animæ nisi intellectum, et voluntatem. Et hoc de secundo.

8. *Motus potest dici naturalis tripliciter.* Quantum ad tertium notandum, quod omnis motus potest dici (e) naturalis tripliciter : uno modo ut naturale distinguitur contra casuale, quemadmodum dicimus plantas naturaliter crescere ; et isto modo probat Aristoteles 2. hujus, quod motus cœli est a natura. Secundo modo capitur naturale, ut distinguitur contra violentum, et tunc patet ex secunda parte quæstionis, quod motus cœli est a natura : quia cœlum movetur sine resistentia mobilis, aut fatigatione motoris. Tertio modo capitur naturale, ut distinguitur contra voluntarium ; et tunc de voluntario contingenter dictum fuit, quod cœlum non movetur voluntarie contingenter. Ideo in proposito accipitur naturale, ut distinguitur contra voluntarium contingenter, et contra violentum.

Nunc ponuntur conclusiones. Prima conclusio. Cœlum (f) movetur naturaliter. 9. *Cœlum movetur naturaliter.*
Probatur : illud movetur naturaliter quod movetur a principio intrinseco ipso non contraveniente suo motori ; sed cœlum movetur a principio intrinseco, et non contraveniente suo motori, ergo, etc. Major patet 3. Ethic. cap. 1. et minor apparet : nam cœlum movetur ab Intelligentia, quæ est intrinseca sibi per approximationem : nam ipsa assistit orbi, et cuilibet parti ejus : et quod cœlum non contraveniat, patet ex præcedentibus, cum mobile non resistat.

Motus cœli est magis naturalis, quam motus istorum inferiorum. Secunda conclusio. Motus cœli est magis naturalis, quam sit aliquis motus istorum inferiorum. Probatur primo, quia ille motus est magis naturalis, cujus motori nihil resistit : sed motori cœli nihil resistit ; ergo, etc. Major nota est, et minor apparet : quia non est aliquis motus localis in istis inferioribus, qui non habeat resistentiam intrinsecam, vel extrinsecam. Secundo, quia motus cœli non supponit aliquid violentum ; sed quilibet motus localis istorum inferiorum supponit aliquod violentum, distrahens, vel innaturale ; igitur motus cœli, etc. Major patet, quia motus rei naturalis in istis inferioribus, vel est de loco naturali, et tunc est violentus ; vel ad locum naturalem, et tunc præsupponit locum innaturalem, vel distractionem violentam a loco proprio, quorum utrumque est violentum. Tertio patet, quia cœlum movetur sine dispositione accidentali inclinante ad motum, ut patuit prius ; sed nullus est motus in istis inferioribus, qui non fiat mediante dispositione accidentali ; igitur motus cœli est magis naturalis. Et hæc de tertio.

Nunc ad rationes alterius quæstionis. Ad primam (g) dico quod termini analogici bene potest esse definitio analogica, ut patet 2. Posteriorum, modo iste terminus *natura* est terminus analogicus : quia per 10. *Definitio potest esse termini analogi.*

prius dicitur de forma, quam de materia.

bstantia duplex. Ad secundam dico, quod iste terminus *natura* non est terminus absolutus, imo relativus ; quia dicitur de materia, et forma in relatione ad motus et ad operationes naturales.

Ad tertiam dico, quod duplex est substantia, quædam composita, ut homo ; et quædam simplex, ut forma, vel materia ; modo substantia composita potest definiri sub conceptu quidditativo, vel connotativo; si connotativo, tunc talis definitio debet dari per additamentum, scilicet per accidentia, ut patet 7. Metaph. text. 12. Sed si substantia composita debet definiri sub conceptu quidditativo, tunc etiam definitio debet dari per additamentum,ut si iste terminus *pater* definiatur, deberet dici, Pater est qui generavit aliquem sibi similem, sed substantia simplex semper per additamentum definitur, et sic est in proposito.

Ad quartam dico, quod licet illi termini sint convertibiles, tamen unus ponitur ad exponendum alium. Vel dicitur quod illi termini referuntur ad diversa : quia iste terminus *principium* accipitur pro principio activo, et iste terminus *causa* accipitur pro principio passivo, et tunc intelligitur disjunctive, quod natura est principium, vel causa.

Ad quintam concedo, quod idem simul,
11. et semel non est per se causa contrariorum, et hoc secundum idem, licet bene successive, et ideo per eamdem naturam res naturalis nata est postea quiescere, per quam etiam movetur.

Ad sextam dico, quod illæ dictiones capiuntur diversimode, et referuntur ad diversa : quia *Primum* idem est quod *principale*, et *per se* idem est quod *solitarie*, et referuntur ad istum terminum *principium*, ita ut sit sensus, natura est principium per se, id est, solitarie potens in motum, vel operationem sine hoc, quod præsupponatur alteratio ab extrinseco ; prout exemplificabatur de magnete, et de ferro.

Ad septimam negatur minor. Ad probationem dico, quod Intelligentia est in orbe appropriate, licet non inhærenter. De intellectu nostro dico, quod intellectus noster movet illud, in quo est inhærenter, licet non eductus de potentia materiæ.

Ad octavam negatur minor, ad probationem patet per expositionem prius positam. Nunc ad rationes hujus quæstionis.Ad primam concedo antecedens, et nego consequentiam. Ad probationem per auctoritatem 1. Cæli, dico, quod est intelligenda, quod unius corporis simplicis est unus motus simplex secundum naturam proveniens, scilicet ab uno motore : modo ipsius cœli sunt diversi motores, secundum diversitatem motuum.

Ad secundam dictum est, quod cœlum 12.
movetur voluntarie non contingenter, sed necessario necessitate complacentiæ, et hoc est movere naturaliter modo prædicto.

Ad tertiam dico, quod cœlum inclinatur ad talem motum, nec ex hoc sequitur,quod non est ponendus alius motor : quia forma gravis inclinatur ad motum deorsum, et tamen se sola non sufficit, dato quod esset sine resistentia. Aliter dicitur,quod cœlum non inclinatur ad motum, et cum hoc non contra movetur, quod sufficit, ut motus sit naturalis.

Ad quartam,dubium est,qualiter (h) motor est intrinsecus.

Ad quintam dico, quod motus cæli est finaliter propter *conservare* (i) ista inferiora, et propter perpetuas generationes, et corruptiones istorum inferiorum, et quia intelligentia semper intendit istum finem, semper intendit movere.

Ad sextam dico, quod hoc intelligitur de motibus gravium, et levium, et non de aliis.

ANNOTATIONES

(a) *Cœlum non est substantia composita ex materia et forma.* Nota, quod in hac quæs- 13.
tione Scotus loquitur secundum Aristotelis sententiam. Nam secundum veritatem, et fidem in cœlo est materia, et ejusdem rationis cum materia rerum corruptibilium, et generabilium, ut probat idem Scotus in 2. distinctione 14. quæstione 1. Quia im-

Materia cœli est ejusdem rationis cum materia istorum inferiorum.

possibile est quod sint duæ materiæ primæ alterius, et alterius rationis. Nam sicut non sunt duo fines primi, neque duo efficientes primi alterius, et alterius rationis, ita neque duæ materiæ primæ alterius, et alterius rationis, atque adeo si non datur nisi unum agens primum, non potest dari nisi unum primum patiens, sive unum primum subjectum. Nec valet si dicatur, si materia cœli est ejusdem rationis cum materia istorum inferiorum, ergo cœlum est corruptibile. Quia ut dicit Scotus ubi supra, cœlum per se quidem est corruptibile, non autem corrumpitur, neque naturaliter poterit corrumpi : quia forma cœli non habet contrarium potens vincere istam formam, ideo a nullo naturali agente corrumpi potest, et in hoc sensu dicitur cœlum incorruptibile. Et si dicas, substantiæ nihil est contrarium, ergo similiter neque substantia poterit corrumpi. Respondeo, quod substantiæ in ratione substantiæ nihil est contrarium, at vero secundum dispositiones, quæ sunt ad formam necessariæ, est aliquid sibi contrarium, et hac occasione corrumpitur. Cœlum autem hujusmodi dispositionibus caret, quare non poterit corrumpi.

(b) *Materia appetit formam, et est causa corruptionis.* Nota dupliciter posse loqui

14. *Corruptio bifariam considerari potest.*

de corruptione, uno modo ut corruptio est quædam passio, quæ dicitur corruptibilitas, sunt enim res naturales corruptibiles, sicut generabiles, quarum passio est corruptibilitas. Alio modo possumus loqui de corruptione, uti est actus corruptionis : loquendo de corruptione primo modo, materia, ut privata est forma, est principium causaque corruptionis, ut patet ex Aristotele in 1. hujus, text. 81. dicente : Altera vero pars contrarietatis, id est, privatio sæpe per imaginationem videbitur ad maleficium ipsius intendenti intellectum. Quasi dicat quod privatio potest imaginari similis intendenti ad maleficium ; sicut mulier adultera maleficium molitur marito, ut alium virum admittat ; ita privatio formæ generandæ, quæ accidit materiæ, est causa corruptionis præcedenti formæ, ut alia recipiatur. Loquendo vero de corruptione secundo modo : materia, forma, et privatio, et causa efficiens sunt principia corruptionis, quia tot principia inveniuntur in corruptione, quot in generatione; at in generatione inveniuntur materia, forma, et privatio, ut probatum est in primo libro, et insuper generans, ergo tot erunt principia corruptionis.

(c) *Forma cœli propter suam perfectio-*

15. *Forma cœli non satiat totum appetitum suæ materiæ.*

nem non replet appetitum materiæ. Nota, quod materia corruptibilium ideo per se est ratio corruptibilitatis : quia est in potentia ad formam, quam habet, et ad ejus privationem, quia scilicet per se potest carere illa ; modo ita se haberet materia cœli, si in illo esset materia, atque adeo cœlum corrumperetur. Nec valet, inquit Scotus, dicere quod forma cœli propter suam perfectionem replet totum appetitum materiæ : quia nulla forma implet appetitum suæ materiæ respectu alterius formæ, nisi det actum oppositum privationi illius formæ ; modo forma cœli non dat actum oppositum privationis cujuscumque formæ, alterius a se, videlicet ignis, vel animæ intellectivæ : quia nulla forma dat actum oppositum privationi cujuscumque formæ, nisi in se contineat omnes formas saltem virtualiter, at cœli forma non sic continet omnes formas. Quare privatio formæ ignis, vel saltem animæ intellectivæ manet in materia cœli : si in eo ponatur materia, consequens est admittendum secundum fidem, et veritatem, et quomodo cum hoc cœlum sit incorruptibile, dictum est supra.

(d) *Voluntarium potest dici dupliciter,* etc. Nota, quod in hac littera vult dicere Scotus, quod voluntas nedum est libera ad oppositos actus contrarios, scilicet ad velle et nolle : quia in ejus potestate est diligere, et odisse, sed etiam ad actus contradictorios, scilicet ad velle, et non velle, quia in ejus potestate est diligere, et non diligere suspendendo actum dilectionis præcise absque eo, quod eliciat actum nolitionis, vel odii.

(e) *Omnis motus potest dici naturalis.* 16

Poten[tia] recepti[va] ad a[gens] compa[rari] potest.

etc. Nota ex Scoto in Prologo 1. Sentent. quæst. 1. et in 4. distinct. 43. quæst. 4. et 9. Metaph. quæstione 4. quod potentia receptiva potest ad duo comparari ; primo ad actum, et formam quam recipit. Secundo ad agens, a quo recipit formam. Verbi gratia, potentia receptiva aquæ ad calorem potest comparari ad ipsum calorem quem recipit, vel ad ignem, a quo illum recipit, si comparetur ad formam talis potentia est naturalis, vel violenta, vel neutra. Naturalis quidem si ex natura sua sit inclinata, et propensa in ipsam formam, qualis est potentia aquæ ad recipiendam frigiditatem ; erit violenta si recipit hujusmodi formam præter ejus propensionem, et inclinationem, cujusmodi est potentia aquæ respectu caloris : quæ ad oppositam formam inclinatur, et inclinationes naturales non sunt ad opposita. Neutra potentia est, quæ nec resistentiam, nec naturalem propensionem habet ad hanc, neque ad oppositam formam, licet utriusque sit capax, quam potentiam habet superficies respectu coloris albi, vel nigri. Si vero comparetur ad agens, a quo recipit formam, vel est naturalis, vel supernaturalis : naturalis si agens naturaliter imprimit talem formam ; supernaturalis, si supernaturaliter; unde si aqua recipit calorem ab igne, ta-

lis potentia receptiva aquæ comparata ad ignem est naturalis ; si vero immediate reciperet a Deo calorem, esset supernaturalis. Ex his sequitur, quod eadem potentia ad diversa comparata potest esse naturalis, et supernaturalis, et violenta : potentia namque aquæ respectu caloris, si ad ipsum calorem comparetur, est violenta ; si vero ad ignem, est naturalis ; respectu autem Dei immediate fundentis calorem in aqua, est supernaturalis.

17. *Motus cœli non est proprie naturalis, sed neuter.*

(f) *Cœlum movetur naturaliter.* Nota ex Scoto in 2. distinct. 2. quæst. 6. et in 4. distinct. 43. quæst. 2. quod proprie loquendo motus cœli non est naturalis, sed neuter. Quoniam si motus cœli esset naturalis, perveniret utique cœlum ad terminum ad quem naturaliter, et ibi naturaliter quiesceret ; cœlum autem non quiescit neque naturaliter quiescet. Item cœlum ab intrinseco non habet naturalem inclinationem, qua determinetur magis ad motum, quam ad quietem, quia motus, quo movetur provenit sibi ab Intelligentia, atque adeo motus non est illi naturalis, neque quies tali motui opposita, et per consequens motus est sibi neuter. Adde quod uni corpori simplici debetur unus motus naturalis, ut patet in libris de Cælo ; sed cœlum est corpus simplex, ergo aliquis motus sibi naturaliter debetur, et per consequens motus, quo movetur, non est illi naturalis. Probatur hæc ultima consequentia. Quodlibet cœlum excepto primo mobili, movetur duobus motibus, uno qui dicitur proprius cœlo ab Occidente in Orientem per Septentrionem : movetur etiam motu diurno, qui dicitur rapidus ad motum primi mobilis ab Oriente in Occidentem per Meridiem ; ergo si naturaliter moveretur, aliquis horum motuum esset naturalis ; sed non est major ratio de uno, quam de alio : quia ad neutrum magis inclinatur, ergo nullus istorum motuum est sibi naturalis, sed neuter. Quomodo autem Scotus intelligat motum cœli esse naturalem, ipse seipsum explicat in sua distinctione de naturali.

18. *Quid sit definitum in definitione naturæ.*

(g) *Termini analogici bene potest esse definitio.* Nota, quod aliqui dicunt definitum in definitione naturæ significare formam substantialem, quod probant : quia ea natura definitur, qua differunt naturalia ab arte factis, differunt autem per formam et non per materiam : nam materia ligni, et materia cathedræ ligneæ eadem est, forma vero diversa : cæterum hæc sententia est aperte contra Aristotelem, neque ratio concludit. Nam res arte factæ differunt a naturalibus, non solum propter formam, sed etiam propter materiam : quia naturalia includunt essentialiter materiam ; artificialia vero, non nisi connotative ; secundo, quia naturalia primo, et immediate materiam includunt ; artificialia vero non primo, et immediate, sed secundario, ac remote: materia enim primo inest ligno, quod est materia cathedræ, et deinde per lignum inest cathedræ ligneæ. Natura itaque accepta ut comprehendit materiam, et formam, est definitum in definitione naturæ : nam postquam Aristoteles definivit naturam, et explicavit ea, quæ a natura denominantur, statim post pauca verba cœpit probare tum materiam, tum formam esse naturam, quod signum est, quod sub nomine naturæ comprehendit materiam et formam. Definit igitur naturam in communi, ut comprehendit materiam et formam, sive sumatur pro relatione naturalitatis, qua naturæ referuntur (sunt enim relata secundum *dici*) ad ens naturale ; sive pro ratione absoluta principiandi, et causandi motum, quæ est genus ad materiam et formam ; et quamvis forma sit magis natura, quam materia, hoc est perfectior natura ; non tamen de illis æquivoce dicitur natura, sed analogice, quæ analogia stat cum univocatione, atque adeo definitionem non excludit.

19. *Omne ens naturale habet principium motus.*

(h) *Dubium est qualiter motor est intrinsecus.* Nota, verum esse omne ens naturale habere principium motus, atque etiam esse verum cœlum, esse ens naturale, et habere in se principium motus ; non quidem respectu motus, quo movetur, sed respectu alterius motus, quo non movetur modo, sed potius est in quiete, eo quod est collocatum in suo centro, vel in suo aptissimo loco, ubi optime ejus natura conservatur, sicut, verbi gratia, tota terra non movetur, quamvis sit ens mobile, quia est in suo centro, id est, in aptissimo loco, in quo natura ejus conservatur, si tamen raperetur terra, et extraheretur a suo loco, statim amotis impedimentis ad suum locum curreret, quod apparet in partibus terræ violenter supraexistentibus, quæ amotis impedimentis statim deorsum tendunt. Idem dico de cœlo, quod si per potentiam divinam extraheretur a suo loco, vel aliqua ejus pars, equidem mihi aliud non est intelligibile, nisi quod haberet in se tam principium activum, quam passivum, ut raperetur, moveretur-que ad suum locum naturaliter : modo tamen est in quiete in suo loco, quia cum sit tam perfectum ens, quod ex ejus virtute pendeat horum generabilium vita ; solum movet ipsum peculiaris Intelligentia, ut sic omni ex parte, quodlibet cœlum cuilibet horum inferiorum parti præsentetur, sicque eorum virtutibus potiamur.

20.

(i) *Motus cœli est finaliter propter conservare ista inferiora.* Nota, quod motus cœlorum est sic a sapientissimo omnium conditore ordinatus, ut naturalem rerum ordinem, et generationem texeret : non sic, quod motus ipse cœlorum sit causa talium

generationum, sed quod per motum præsentantur sic, vel sic cœli, ut diversitas rerum inferiorum pendens ab influentia, eorumque virtute appareat, atque generetur, et juxta hunc ordinem dicitur motus cœli naturalis, non tamen quia pendet a principio intrinseco activo, neque passivo per se existente in ipsis cœlis. Unde motus sphæricus cœlorum est præter eorum naturam ; quia cum sint sphæricæ figuræ sunt apti ad talem motum. Ex quo manet quod motus, quo cœlum modo movetur, non est illi naturalis : quia ad illum non habet naturalem inclinationem ; neque violentus : quia ad oppositum non inclinatur, sed est neuter, quia ratione ejus figuræ non sibi repugnat talis motus.

EXPOSITIO TEXTUS

21. Text. 7. *Videtur autem* (1) *nonnullis natura, et substantia eorum*, etc. Hoc est 2. capitulum hujus tractatus, in quo Philosophus ostendit de quibus dicitur natura, et primo probat, quod natura dicitur [de materia, [secundo quod dicitur de forma, ibi : *Alio autem modo*. Primum probat dupliciter. Secundum ibi : *Quocirca sane*. Est igitur prima conclusio, quod materia est natura : quam conclusionem probat sub istis verbis, quod principium non formatum per se ipsum, quod materiæ unicuique videtur esse natura, et substantia eorum, quæ sunt a natura, quemadmodum dicimus, quod lignum est natura lectuli, et æs natura statuæ. Probatur signo Antiphontis : quia sicut est in artificialibus, ita est in naturalibus ; sed in artificialibus materia est natura, et substantia artificialium ; igitur ita est in naturalibus. Major patet per simile; nam sicut (2) se habent æs,et aurum ad ea, quæ componuntur artificialiter ex eis ; ita similiter se habent elementa ad ossa, et ligna, quæ fiunt naturaliter ex ipsis. Et minor apparet : nam si lignum projiciatur in terram, et putrescat, ita ut faciat germen, non producet lectum, sed lignum : et ideo dispositio illa secundum legem, et (a) artem, id est, quam lignum habet ab arte, non est nisi accidens ligni.

Materia est natura

Text. 8

22. Text. 9. *Quocirca* (3) *sane*. Probat secundo testimonio (b) antiquorum. Unde omnes antiqui, qui ponebant aliquod elementorum, vel plura elementa esse materiam ; ponebant ipsum, vel ipsam esse naturam rerum naturalium, et movebantur pro tanto, quia dicebant, quod de ratione materiæ est, quod sit perpetua, et quod non habeat mutationem de sui natura, sed (4) omnia alia præter materiam,sunt passiones,habitus, et dispositiones, quæ infinities generantur, et corrumpuntur, et sic uno modo materia dicitur natura viventium, habentium in se principium motus, et mutationis. Text. 10.

Alio (5) *autem modo forma,et species*. Probat, quod forma sit natura tripliciter. Secundum ibi : *Amplius fit ex homine homo*. Tertium ibi : *Amplius autem natura dicta*. Item primo probat hoc. Secundo probat, quod forma alio modo est natura, quam materia. Et tertio quod forma est magis natura, quam materia. Secundum ibi : *Quare alio modo*. Tertium ibi : *Et magis natura hæc est, quam materia*. Est igitur conclusio, quod forma est natura. Probatur : quia illud est natura rerum naturalium, secundum quod res naturales dicuntur in actu, sed secundum formam res naturales dicuntur in actu, ergo, etc. Major patet : quia illæ non dicuntur res naturales, quæ solum sunt res naturales in potentia, ut verbi gratia, illud quod præcise habet formam ossis in potentia, et non in actu, illud non est os, quemadmodum lignum non est lectulus, quod solum est in potentia ad formam lecti. Et minor apparet : quia sicut res artificiales dicuntur actu artificiales per dispositionem, quam habent ab arte ; ita similiter res dicitur actu naturalis per formam, quam habet a natura. Text. 11

Ex hoc ... tu sumi... quod nomina... ab ...

2 Text. *Quare* (6) *alio modo*. Ponitur tertia conclusio, quod forma alio modo est natura, quam materia. Probatur, quia illud alio modo est natura, per quod res naturalis dicitur in actu, quam illud, per quod res naturalis dicitur in potentia tantum : sed a forma dicitur res naturalis in actu, et a materia dicitur res naturalis in potentia tantum : igitur forma est alio modo natura, quam materia. Et subdit Aristoteles, quod

Vide... trad... nes ... ra.

forma non est separabilis a materia, nisi forte secundum rationem ; et illud quod est compositum ex istis duobus non est natura, sed est a natura, ut homo, qui est compositum naturale.

rma est gis natura, quam teria. *Et magis natura hæc est, quam materia.* Ponitur quarta conclusio, quod forma est (c) magis natura, quam materia. Probatur quasi per medium alterius rationis, quia illud est magis natura, quod simpliciter, et secundum actum est natura, quam illud quod est natura secundum potentiam tantum : modo forma est natura secundum actum, materia autem secundum potentiam tantum : igitur forma est magis natura, quam materia.

24. xt 13. *Amplius fit* (7) *ex homine homo.* Ponitur secunda ratio ad probandum, quod forma sit natura : quia illud est natura, secundum quod compositum naturale generat sibi simile secundum speciem : sed secundum formam compositum naturale generat sibi simile secundum speciem ; igitur forma est natura. Major patet, quia propter hoc antiqui dixerunt figuram, seu dispositionem artificialem non esse naturam, eo quod non esset generata alicui similis. Et minor apparet, quia homo secundum suam formam generat hominem.

xt. 14. *Amplius*(8)*autem natura dicta est generatio.* Ponitur tertia ratio. Secundo ostendit, quomodo forma diversimode dicitur natura, ibi : *sed forma et natura.* Tertia ratio est ista : generatio vocatur natura, eo quod est via in naturam, sed non quia est via in naturam, quæ est materia, cum materia sit ingenerabilis ; igitur vocatur natura, cum sit via in naturam, quæ est forma : quod autem generatio quandoque natura dicatur, declarat Aristoteles, quia in naturalibus generatio denominatur a termino *ad quem*, ut calefactio a caliditate, generatio a forma, quæ generatur ; sed non sic est in artificialibus ; quia (d) mutatio artificialis denominatur a Medico ; tamen hoc non semper est verum : quia sanatio bene denominatur a termino *ad quem*, scilicet a sanitate, et hoc secundum habitudinem, quam habet ad terminum *ad quem* ; sed secundum habitudinem, quam habet ad efficiens, vocatur medicatio.

Generatio via in naturam.

Sed forma (9) *et natura dupliciter dicitur.* 25.
Hic ostendit, quod forma dupliciter est natura ; nam uno modo forma est natura modo prædicto : alio modo privatio dicitur esse forma, vel natura, et hoc exponitur uno modo capiendo privationem pro forma minus perfecta, quemadmodum nigredo est minus perfecta albedine ; alio modo exponitur, quod capitur ibi privatio formæ generandæ pro forma existenti in materia, et sic illa dicitur natura. Hoc modo exponitur, quod privatio quodammodo est species, id est, privatio non potest definiri sine forma : quia in definitione privationis oportet exprimere formam. Et subdit Aristoteles, quod qualiter in generatione simplici privatio est terminus, vel aliquod aliud contrarium, considerandum est posterius, scilicet in libro de Generatione, et corruptione.

Text. 15. *Forma dupliciter est natura.*

ANNOTATIONES

(a) *Dispositio illa secundum legem, et artem.* Adverte, quod nomine artis non intelligat habitum existentem in artifice, sed ejus effectum, quæ est forma artificialis : effectus enim interdum nomine suæ causæ gaudet, et ideo sapienter exposuit Scotus, quam lignum habet ab arte. 26.

(b) *Omnes antiqui,* etc. Nota, antiquos partim verum, partim falsum dixisse. Verum quidem, quatenus dixerunt, materiam esse naturam, falsum vero quatenus dixerunt, solam materiam esse naturam : quia etiam forma est natura, ex quibus ens naturale constat. In duobus igitur errabant antiqui. Primo, quia dicebant solam materiam esse naturam. Secundo, quia dicebant materiam esse compositum, et ens in actu, quod Aristoteles paucis verbis rejecit, cum dixit : Uno igitur modo natura dicitur materia prima subjecta formæ cuique, cum enim nullum ens in actu possit esse materia prima subjecta formæ, siquidem ens in actu componitur ex materia, et forma, efficitur ut materia non sit ens in actu, compositumve, ut antiqui dicebant.

Hic habes qua ratione Aristoteles neget actum a materia.

(c) *Forma est magis natura quam materia.* Nota, quod hoc dupliciter potest intelligi. Primo, quoad perfectionem, et no- 27.

bilitatem, ita ut sensus sit quod forma perfectior est materia. Secundo quantum ad rationem naturæ ; ita ut sensus sit, forma est magis natura, id est, perfectio naturæ præstantior est in forma, quam in materia, et verum est utroque modo.

(d) *Mutatio artificialis denominatur ab agente.* Nota, quod motus dupliciter significari valet, vel per modum actionis, et sic denominatur a principio motus, ut medicatio, quæ licet sit motus ad sanitatem, tamen ut significatur hoc nomine *medicatio* significatur per modum actionis, et ideo denominatur a Medico. Alio modo significatur motus per modum passionis, et sic denominatur a termino *ad quem*, ut sanatio, quæ est via ad sanitatem. Ait itaque Aristoteles quod generatio significatur per modum passionis, quia illius, qui generatur, est generatio, denominabitur ergo a termino *ad quem*, quæ est forma.

QUÆSTIO V

Utrum natura sufficienter dividatur in materiam et formam

Arist. *hîc text.* 7. *et* 5. *Met. c.* 4. Avic. *lib.* 1. *suffic. c.* 7. Albert. 2. *Phys. tract.* 1. *c.* 5. Mayron. 2. *Phys. p.* 3. Fonseca *tom.* 8. *Met. lib.* 5. *c.* 4. *q.* 2. Conimbr. 2. *Phys. cap.* 1. *q.* 1. Complut. *disp.* 7. *q.* 3. 4. *et* 8. Ruvius et Roccus *q.* 2. Fuentes *q.* 1. *diffic.* 2.

1. Arguitur quod non : quia aliquid aliud materia, et forma est natura ; igitur natura non sufficienter dividitur. Tenet consequentia, et antecedens probatur primo per Aristotelem 5. Metaph. text. 5. ubi dicit, quod nascentium generatio dicitur natura.

Secundo per Aristotelem 2. hujus, text. 15. ubi dicit, quod privatio est natura, et Tertio per Aristotelem ibidem qui dicit, quod generatio est natura, eo quod est via in naturam, quæ est forma.

Quarto per Commentatorem in eodem capite, comm. 13. ubi dicit, quod compositum est tota natura et materia rei artificialis, et per consequens compositum est natura.

Item, vel ista est divisio integralis in suas partes quantitativas, et hoc non : quia tunc natura esset composita ex materia et forma : vel est divisio vocis in sua significata, et hoc non, quia non videtur, quod hoc nomen *natura* sit æquivocum ad diversa significata.

Oppositum arguitur per Aristotelem in 2. hujus, text. 7. In quæstione primo videbitur de quibus dicitur natura, et secundo de comparatione naturarum ad invicem. *Divi[sio] quæstio[nis]*

Quantum ad primum, sit prima conclusio. Forma est natura. Probatur : quia forma est unum principium activum, et primum principium per se movendi, et quiescendi ejus, in quo est, non secundum accidens ; igitur forma est natura per definitionem naturæ. 2. *Forma [est] natura.*

Sed objicitur, quia tunc sequeretur, quod forma esset primus motor, ex quo esset principium activum motus. Respondetur, quod forma dicitur primum, scilicet principale activum motus, comparando formam ad accidentia, quæ sunt instrumenta, mediantibus quibus fiunt motus, et actiones, ut postea videbitur ; sed comparando diversas formas, seu naturas ad invicem, una bene agit per prius, et principalius, quam reliqua.

Secundo ad conclusionem : quia illud est natura, per quod res denominatur naturalis, et per quod res est determinatæ naturæ, et per quod ponitur in determinata specie. Sed hoc est per formam, ergo, etc.

Secunda conclusio. Materia est natura. Probatur : quia materia est primum principium passivum motus, et quietis, igitur materia est natura. Tenet consequentia per definitionem naturæ. Et antecedens apparet : quia materia prima est subjectum principale transmutationis substantialis ; et per consequens etiam accidentalis, cum accidentalis fiat propter substantialem. Similiter materia est illud, mediante quo aliquid subjicitur motui. Secundo, quia materia est pars essentialis compositi, igitur materia est natura. Tenet consequentia per Commentatorem 2. hujus, et ista ratio probat similiter primam conclusionem. *Mate[ria] est na[tura].*

31. *rivatio natu-* Ex istis duabus infert Aristoteles tertiam, scilicet, quod privatio dicitur natura. Probatur, quia forma minus perfecta dicitur privatio respectu perfectioris : cum igitur quælibet forma sit natura, sequitur quod privatio sit natura.

ullum ccidens natura Tertia conclusio. Nullum accidens est natura. Probatur : quia nullum accidens est primum, et principale activum alicujus transmutationis; igitur nullum accidens est natura. Tenet consequentia per definitionem naturæ, et antecedens probatur : primo de mutatione substantiali ; quia producens aliquem effectum debet esse æque perfectum, et nobile specifice sicut effectus productus, et cum nullum accidens sit æque perfectum, vel perfectius, quam sit substantia, ut patet 7. Metaph. text. 4. sequitur, etc.

Secundo probatur de mutatione accidentali : quia nullum accidens [a] potest producere formam substantialem ; igitur nec accidentalem. Tenet consequentia ; quia idem est agens disponens materiam, et introducens formam ; ut patet 8. Metaph. text. 16. Secundo, quia omne accidens est a natura, vel secundum naturam, ut patet 2. hujus ; igitur nullum accidens est natura. Tertio per Aristotelem in 2. de Generatione, text. 4. et 5. ubi dicit, quod dicere calidum, aut frigidum, aut aliquam hujusmodi qualitatem agere, est idem quod attribuere unicuique instrumentorum operationem, quæ fit mediante instrumento, ut dicere, quod serra dividit lignum, vel quod instrumentum domificatorium faciat domum.

4. *ullum ccidens tute ypria est ali- d agere* Ex istis sequitur, quod nullum accidens [b] virtute propria potest aliquid agere, imo omnis actio ejus est virtute substantiæ.

Secundo sequitur, quod nihil aliud a materia et forma est natura.

Contra conclusionem arguitur, primo per Aristotelem 1. de Generatione, text. 27. ubi dicit, quod caliditas si esset separata non pateretur, et ex hoc allegatur, quod licet non pateretur, tamen ageret, et patet ad experientiam de Sacramento altaris, quod hostia calefacta agit caliditatem, quod non esset, nisi caliditas ponatur agere, et hoc virtute propria.

Secundo, quia qualitates primæ sunt activæ, ut patet 2. de Generatione, text. 8. Similiter motus et lumen sunt causæ caloris, ut patet 1. Meteororum, text. 26. et 27. Item gravitas, et levitas sunt qualitates motivæ localiter, ut patet 3. et 4. Cœli, text. 2. Item, color causat speciem suam in medio ; igitur aliquod accidens est principium activum principale alicujus operationis.

Tertio per Aristotelem 4. Meteororum, ubi reducit omnes generationes mixtorum, et suarum dispositionum in quatuor qualitates primas, quod non esset, nisi illæ qualitates essent principalia activa mixtorum.

Quarto, quia non apparet aliter a quo 5
fieret genitum per putrefactionem, nisi ab hujusmodi qualitatibus.

Quinto, quia illud est agens principale alicujus actionis, cui assimilatur effectus : modo caliditati assimilatur effectus, et cum ignis agit in aquam, effectus productus non assimilatur formæ ignis, sed caliditati.

Sexto, quia illud est agens principale, penes cujus proportionem ad resistentiam passi attenditur velocitas motus ; sed penes proportionem caliditatis ad resistentiam passi attenditur velocitas calefactionis ; igitur caliditas est principale activum calefactionis, et per consequens formæ substantialis habentis calefactionem. Major patet ; quia velocitas actionis attenditur penes proportionem agentis ad resistentiam passi.

Septimo. Nisi levitas esset principium activum principale motus sursum, sequeretur, quod forma terræ ascenderet naturaliter, quia in exhalatione ascendente sursum, in qua manet forma terræ, vel levitas, est principale activum, et habetur propositum ; vel forma terræ, et hoc non ; quia inclinatur ad motum oppositum, et similiter tunc habetur consequens.

Octavo per Aristotelem in de Sensu, et

sensato ; ubi dicit, quod ignis non agit in quantum ignis, sed in quantum calidus.

6. *Accidentia sunt instrumenta actionum.* Ad istam respondetur, quod accidens, et universaliter omnis dispositio sunt (c) instrumenta, mediantibus quibus agentia principalia, scilicet formæ substantiales agant : verbi gratia, si terra latæ figuræ non descendat, quæ si esset acutæ, vel sphæricæ figuræ descenderet, non propter hoc esset dicendum, quod acuties est principale activum talis motus, sed forma gravis mediante gravitate, et acutie ; et ideo imaginandum est, quod sicut Deus, qui est agens principalissimum, determinatur ad diversos effectus, scilicet hunc, vel illum producendum per agentia particularia, ita similiter forma substantialis determinatur ad producendum talem effectum, vel talem, tantum vel tantum, et qualitates inexistentes sibi.

Nunc ad instantias. Ad primam dico, quod illa littera Aristotelis non habetur, quod si caliditas esset separata, quod tunc ageret, sed si ageret, oporteret quod virtus formæ substantialis (d) suppleretur per agens supernaturale, scilicet per Deum, quemadmodum est de Sacramento altaris. Secunda, et tertia ratio probant, quod hujusmodi qualitates agunt ; sed non probant quod agunt principaliter.

7. Ad quartam dico, quod in generatione mixtorum per putrefactionem non sufficiunt qualitates primæ cum elementis : quia genitum esset nobilius illis, et cum istis non sufficit corpus cœleste ; quia non est applicatum. Et si dicatur, quod agit per influentiam, quæ est applicata, hoc non valet; quia influentiæ corporum cœlestium non sunt, nisi quidam calores, et qualitates generatæ in istis inferioribus, ut dicit Commentator duodecimo Metaphysicorum, et ideo adhuc genitum esset nobilius generante. Ideo præter ista oportet concurrere substantiam separatam, quæ suppleat vicem formæ substantialis.

Ad quintam negatur major : quia agens principale quandoque determinatur per instrumentum, ut effectus assimiletur instrumento, et non agenti principali.

Ad sextam, concedo majorem, et nego minorem. Unde velocitas calefactionis attenditur penes proportionem formæ ignis, aut alterius formæ substantialis non absolute, sed mediante caliditate una cum tali, vel tali applicatione.

Ad septimam concedo, quod forma terræ est causa motus sursum mediante levitate, et quod forma aquæ mediante caliditate est causa caloris.

Ad octavam dico, quod ista dictio *in quantum* non accipitur reduplicative, sed specificative, ideo ad veritatem propositionis sufficit, quod illud, super quod cadit reduplicatio, exprimat causam, quare prædicatum principale dicatur de subjecto principali ; ut dicendo ignis agit si est calidus, et hoc est verum si denotetur causa intrumentalis. 8.

Forma magis natura quam materia. Quantum ad secundum, sit prima conclusio ista, quod forma est magis natura, quam materia, id est, perfectior natura, et nobilior. Probatur, quia forma est finis materiæ, ut patet 2. hujus, text. 23. modo finis est perfectior, et nobilior ordinatis in finem, Secundo, quia forma est principium activum, et materia est principium passivum : modo principium prius dicitur de principio activo, 5. Metaphysicæ, text. 1.

Secunda conclusio, comparando diversas formas ad invicem, una forma prius, et principalius agit ad aliquem effectum quam alia. Patet de Intelligentia quæ est forma cœli, quæ principalius agit ad producendum, quam forma substantialis in istis inferioribus.

Contra primam conclusionem arguitur ; quia si forma est perfectior materia, vel hoc est finite, vel infinite : non infinite ; quia tunc sequeretur quod forma esset infinite perfecta, per illam regulam, quod comparatio præsupponit positivum. Item, si infinite perfectior, tunc sequeretur quod si infinitæ materiæ essent, tunc aggregatum ex illis esset æque perfectum cum forma. Item, sequeretur quod excessus formæ super materiam esset infinitus, quod est falsum. Si finite ; contra, quia materiæ possent tot

multiplicari in numero certo, quod essent æque perfectæ sicut forma ; quod est falsum, quia duo homines non sunt perfectiores specifice, quam alter illorum.

9 Secundo arguitur dubitando de perfectione compositi respectu materiæ, et de perfectione respectu formæ.

Tertio arguitur, quod materia sit perfectior : quia esse per unum diem est aliquantæ perfectionis, et esse per duos est majoris perfectionis ; igitur cum materia duret per tempus infinitum, sequitur quod materia sit infinitæ perfectionis. Confirmatur, quia materia est potentiæ infinitæ ad recipiendum, et forma solum est potentiæ finitæ ad agendum. Tertio confirmatur, quia substantia dicitur a substando : modo materia pluribus substat, quam forma ; igitur materia est perfectior substantia, quam forma.

Quarto, quia substantia non suscipit magis, et minus ; igitur forma non est magis natura, quam materia.

Quinto, quia hoc nomen *natura* non recipit comparationem, cum non sit nomen adjectivum ; igitur forma non dicitur magis natura, quam materia.

Sexto sequeretur, quod aliquid esset magis principium activum, quam aliud esset principium passivum. Consequens est falsum, quia tunc forma posset plus agere, quam materia recipere : et patet consequentia, quia ex eo forma est principium activum, et materia principium passivum.

10. Septimo, quia omne excedens aliud componitur ex eo quod exceditur, et ex excessu, sed forma excedit materiam in perfectione; igitur forma componitur ex perfectione materiæ, quod est impossibile.

Octavo, quia materia est principium passivum per se, ex definitione naturæ ; igitur forma non est prius principium, quam materia, et per consequens non magis, quia jam aliquid esset prius primo.

Nono per Aristotelem 7. hujus, text. 31. ubi dicit, quod comparationes non fiunt circa genera : modo natura est quoddam genus de genere Relationis ; ergo, etc.

Ad ista respondetur. Pro quo notandum, quod illa quæ comparantur ad invicem, vel unum finite excedit reliquum, vel infinite et istud secundum membrum non est ad propositum : si finite, tunc, vel sunt ejusdem generis, et tunc inter ipsa est comparatio proportionalis, ut una quantitas est dupla ad aliam ; vel sunt diversorum generum, et tunc illorum quædam sunt, quorum unum est majus altero in infinitum ultra omnem proportionem : ut corpus est majus, quam linea, plusquam in duplo, plusquam in triplo, et sic in infinitum. Alia sunt quorum unum est majus altero in infinitum citra omnem proportionem : ut corpus cum superficie est majus corpore in infinitum, minus quam in aliqua proportione; quia minus quam in triplo, et sic in infinitum.

Nunc ad primum dico, quod forma est 11.
in infinitum perfectior quam materia.

Ad improbationem, nego consequentiam; quia illa regula non tenet, quando comparatio sumitur cum aliqua dictione includente negationem, sicut non sequitur, *Socrates incipit esse albior Platone* ; *igitur incipit esse albus.*

Ad confirmationem rationis, dico quod si infinitæ materiæ congregarentur simul, congregatum non esset perfectius essentialiter, quam una earum.

Ad tertium negatur consequentia ; quia ly *infinitum* non denotat excessum, sed proportionem.

Ad quartum dico, quod esse per aliquod tempus est aliquantæ perfectionis ; et nego illam, quod si esset per majus, quod esset majoris perfectionis, nisi res illa duret cum conatu, ut posui supra primum. Modo materia prima nunquam durat cum conatu, cum non habeat contrarium.

Ad quintum negatur consequentia ; quia
licet materia prima sit infinite receptiva, 12.
et forma solum finite activa, tamen perfectius est finite agere, quam infinite recipere. Ad aliud quando arguitur de perfectione compositi respectu materiæ et formæ, dico, quod compositum est per-

Perfectius est finite agere, quam infinite recipere.

fectius materia in infinitum ultra omnem proportionem; quia est plusquam in duplo, plusquam in triplo, et in infinitum : sed compositum est perfectius, quam forma in infinitum citra omnem proportionem, quia minus quam in duplo, quam in triplo, et sic in infinitum. Ad aliud, substantia dicitur, etc. dico, quod substantia non dicitur a substare formæ, vel accidenti; quia tunc Deus non esset substantia. Ad aliud quia substantia non suscipit, etc. verum est, tamen bene cum additione suscipit. Consimiliter ad sequentem ; quia iste terminus *natura* non recipit comparationem absolute, tamen cum additione hujus termini *perfectum*, vel consimilis. Ad aliud negatur consequentia ; quia ex hoc, quod forma sit perfectior materiæ, non sequitur, quod aliquod sit magis principium activum, quam aliud principium passivum. Ad aliud omne excedens, etc. dico, quod hoc verum est de his quæ sunt ejusdem generis, et inter quæ est comparatio proportionalis, et non de aliis.

13. Ad octavum, quia materia est principium passivum, etc. concedo; igitur neutrum est prius reliquo, negatur consequentia; sed sequitur quod sit prius principium activum, quam forma, aut prius principium passivum, quam materia, ita ut debeat fieri comparatio in eodem genere.

Ad ultimum dico, quod circa genera non fiunt comparationes proportionales. Vel potest dici, quod inter genera non fiunt comparationes absolute, sed cum additione hujus termini *perfectum*, aut consimilis.

Ad rationes principales. Ad primam dico, quod nihil aliud a materia, et forma dicitur natura, nisi metaphorice sumendo hoc nomen *natura*; et sic fecit Aristoteles quando dixit, quod nascentium generatio est natura, vel quod generatio est natura, quia est via in naturam.

Ad aliam dico, quod est divisio vocis in sua significata, ad istum sensum, quod quæcumque significantur implicite, et conjunctim per hoc nomen *natura*, significatur divisim per alterum istorum duorum, scilicet *materia*, et *forma*.

ANNOTATIONES

( ) *Nullum accidens potest producere formam substantialem.* Nota, quod est controversia inter D. Thomam et Scotum. Nam D. Thomas in 4. dist. 12. quæst. 1. et 3. part. quæst. 77. artic. 3. tenet in actionibus naturalibus formas substantiales non esse immediata principia agendi, vel principia proxima; sed quod agentia naturalia agant mediantibus qualitatibus activis, et passivis, tanquam propriis instrumentis, quod non solum extendit ad productionem accidentium, sed etiam ad substantiæ generationem, ita ut ipsa accidentia sint, quæ in virtute substantiæ, et corrumpant omnes dispositiones, quibus forma expellenda conservabatur, et ipsam ejiciant formam substantialem a materia, et inducant formam substantialem de novo generandam. 14.

Scotus vero hîc, et in 4. dist. 12. q. 3. censet accidentia non attingere active generationem substantiæ, neque ut instrumenta, bene tamen dispositive : quia nullum imperfectius potest esse principium perfectioris. Hanc controversiam diffuse explicatam vide in Commentariis nostris super 4. Scoti 15, d. 12. q. 3.

(b) *Nullum accidens virtute propria potest agere.* Nota, quod quando dicitur, quod accidentia sunt instrumenta substantiæ, et quod agunt in virtute substantiæ, sic debet intelligi, non quod accidentia recipiant aliquam influentiam, aut virtutem novam activam, quam de se non haberent ante actionem, sed quod sic operantur dependenter a substantia; est enim virtus accidentis subordinata essentialiter virtuti substantiæ, quando accidens est in substantia, sicuti virtus activa cujuslibet substantiæ creatæ est simpliciter subordinata essentialiter virtuti Dei, ita ut sit tantum ordo determinatus in simul causando.

Ex quo sequitur, quod accidens non potest agere in virtute substantiæ, plus quam propria virtute ; quia agere in virtute substantiæ nihil aliud est nisi agere dependenter ab ea, secundum tamen propriam virtutem. Instrumenta vero, quæ non habent intrinsecam virtutem, qua operentur, recipiunt quidem influentiam, et motum a principali agente, ut sic dicantur instrumentaliter agere: si vero instrumentum est activum, debet habere virtutem propriam, qua operetur vel in esse quieto ante operationem, vel saltem receptam in eadem operatione. Sequitur secundo, quod accidens producit active alterum accidens virtute propria, quamvis dependenter a substantia. Nam si accidens non haberet virtutem propriam alterius accidentis productivam, non magis ignis produceret ca-

lorem suo calore, quam aqua frigiditate, quod non est dicendum, quia nihil omnino agere potest nisi habeat formam activam intrinsecam ad talem actionem determinatam, atque adeo ignem calefacere per calorem eo est, quia calor est forma activa talis caloris ; cæterum quia accidens subordinatur substantiæ in agendo, ideo dicit hîc Scotus, quod nullum accidens virtute propria potest aliquid agere, et quod omnis actio ejus est virtute substantiæ.

16. (c) *Accidentia sunt instrumenta, mediantibus quibus agentia principalia agunt.* Nota, quod agere principaliter bifariam intelligi potest. Uno modo independenter ab aliquo superiori agente, quomodo solus Deus agit, quia a nullo dependet ; quo pacto non dicuntur agere principaliter aliquæ causæ creatæ, quia omnes agunt dependenter a Deo. Secundo modo dicitur agere principaliter, id est, per formam intrinsecam propriam agentis, licet in agendo dependeat a superiori agente. Similiter instrumentum, vel causa instrumentalis, si opponitur causæ principali primo modo, tunc instrumentum eo dicitur, quia dependenter ab altero agente operatur, quamvis operetur virtute propria sibi intrinseca : et hoc modo omnes causæ naturales dicuntur instrumenta Dei. Si autem instrumentum opponatur causæ principali secundo modo, tunc id dicitur instrumentum, quod non habet in se formam activam intrinsecam in suo ordine causandi, et ideo agit; quia actualiter movetur ab aliquo, ut instrumentum artificis, verbi gratia, serra.

gere incipaliter bifariam intelligi potest.

Ex hoc sequitur, quod instrumentum, aut dicitur communissime, et sic comprehendit omnem causam secundam; aut accipitur pro eo, quod est pars, per quam totum agit, sic dicuntur *in* 2. *de Anima*, organa sensuum et aliarum potentiarum instrumenta, per quæ totum operatur; aut dicitur tertio instrumentum, quo utitur artifex, et hoc est proprie instrumentum : quia reliqua instrumenta cum habeant propriam virtutem, per quam agunt, dicuntur respectu sui producti proprie activa. Instrumentum autem artificis non est activum, ut diffuse diximus in 4. dist. 1. quæst. 1. et dist. 4. quæst. 6. vide ibi.

strumentum mitur ultis modis.

17. Secundo sequitur, quod ut instrumentum sit activum, debet habere in se formam activam, per quam agat quamvis dependenter a causa, cujus est instrumentum, et hoc vel in esse quieto antequam agat, quomodo causæ naturales respectu Dei, et accidentia respectu substantiæ dicuntur instrumenta activa; vel in quantum movetur a causa principali, verbi gratia, ferrum non calefacit corpus nisi apponatur igni, a quo recipiat calorem, per quem simul calefaciat; et hujusmodi instrumentum, vel agit ad aliquam dispositionem præviam termino principali, vel attingit ipsum terminum principalem intentum ab agente, alias esset activum, verbi gratia : si ignis intendit calefacere, calor ignis attingit ad terminum principalem; si vero ignis intendat producere ignem, non attingit calor ad terminum principalem, scilicet ad formam ignis producendam.

(d) *Si accidens separatum ageret, oporteret, quod virtus formæ substantialis suppleretur per agens supernaturale.* Nota, quod qualitates activæ, ut sunt caliditas, frigiditas, etc. quæ appellantur primæ qualitates, sunt totale principium actionis realis transeuntis in passum. Nam quando producitur, verbi gratia, calor in ligno, forma substantialis ignis nullo modo agit, sed totale principium *quo*, est caliditas ipsius ignis; cæterum in actione reali immanente forma substantialis est totale principium productivum. Nam quando ignis generat ignem, forma ignis generantis est totale principium formæ substantialis ignis geniti, et forma substantialis ignis geniti producit immediate in se propriam caliditatem. 18.

Nota secundo, quod ad hoc, quod aliquod agens naturale agat, duæ requiruntur conditiones, prima quod sit quantum, secunda quod sit sub modo quantitativo, id est, circumscriptive sit in loco, ut diffuse explicavimus in 4. d. 10.

Agens naturale duo requirit ad agendum.

Ex hoc sequitur, quod accidentia separata possunt efficere omnem accidentalem alterationem, quam dum erant substantiæ unita poterant, ita docet Scotus in 4. distinct. 12. quæst. 3. et vide quæ ibi explicavimus.

EXPOSITIO TEXTUS

Quoniam (1) *autem determinatum est*, etc. 19.
Iste est secundus tractatus hujus secundi, in quo Aristoteles ostendit, quæ, et de quibus sit consideratio naturalis : et dividitur in duo capitula. In primo ostendit, quæ sit consideratio naturalis, et quomodo differt a Mathematica. In secundo ostendit de quibus est consideratio naturalis, ibi, *Cum autem natura*. Primum capitulum dividitur : quia primo probat, quod consideratio naturalis, et Mathematica non differunt. Secundo determinat veritatem, ibi, *De his igitur*. Primo proponit intentionem, scilicet quod dictum est prius de quibus dicitur natura. Nunc considerandum est,

Text. 16.

Scientiæ specialis non ponit discrimen inter se, et aliam scientiam specialem.

quomodo differt naturalis a Mathematico, et hoc facit in proposito non in quantum naturalis, sed in quantum Metaphysicus, vel Logicus : quia ad nullam scientiam specialem spectat ponere differentiam inter se, et aliam scientiam ; et ideo hoc stante, pertinet ad Logicam, vel Metaphysicam. Probat igitur, quod consideratio naturalis et Mathematica non differunt, dupliciter : primo, quia illæ scientiæ non differunt, quæ de eisdem rebus considerant, sed Mathematica, et Physica de eisdem rebus considerant; ergo, etc. Major patet ; quia in 3. hujus dicitur, *secantur igitur sensus, et scientia in res*, id est, scientiæ distinguuntur penes distinctionem rerum, de quibus dicuntur : et minor apparet; quia scientia naturalis considerat magnitudines, ut corpora, superficies, lineas, et puncta, quæ accidunt corporibus naturalibus, de quibus etiam considerat Mathematicus, ut
Text. 17. patet in Geometria. Secundo, (2) quia Astrologia est quædam scientia Mathematica, et tamen est una pars scientiæ naturalis : nam scientia naturalis habet considerare, quid sit Sol, quid Luna; et per consequens habet etiam considerare per se accidentia Solis, et Lunæ, quæ etiam considerat Astrologus. Tertio, quia determinantes de naturalibus in scientia naturali, determinant de figura Solis, et Lunæ, utrum sint sphærica : et similiter utrum terra sit sphærica, et mundus sit sphæricus, an non ; de quibus etiam considerat Astrologia ; quod non esset nisi essent eædem scientiæ naturali.

20. Text. 18. *De his igitur* (3) *negotiatur*, etc. Hic determinat veritatem ; et primo ponit conclusionem. Secundo removet quemdam errorem, et tertio comparat scientias Mathematicas ad invicem. Secundum ibi, *Latent autem qui hoc faciunt.* Tertium ibi, *Demonstrant autem.* Est igitur prima conclusio ista unica capituli, quod scientia (a) naturalis, et Mathematica differunt. Probatur ; quia illæ scientiæ differunt quæ sunt de eisdem rebus secundum aliam, et aliam considerationem, sed scientia naturalis, et Mathematica sunt hujusmodi ; ergo, etc. Major patet ; quia diversitas considerationis facit diversitatem scientiarum, ut patet 6. Metaph. text. 1. et minor apparet ; quia naturalis considerat corpora, superficies, et lineas, et puncta, ut sunt termini corporis naturalis, et dispositionis ipsius ; sed Mathematicus ista considerat non secundum quod sunt dispositiones corporum naturalium, sed considerat ea, ac si essent separata a materia. Et si aliquis dicat, quod Mathematici tunc faciunt mendacium, quia considerant ista, quasi essent abstracta a motu, et materia, quæ tamen sunt conjuncta materiæ ; respondet, quod non faciunt mendacium : quia Mathematicus non considerat, utrum id, de quo demonstrat suas passiones, sit conjunctum materiæ, vel abstractum a materia : quia passiones quas demonstrat, æque convenirent eis si essent abstracta, sicut de facto conveniunt eis, cum sint conjuncta, et ideo dicit Aristoteles in tertio de Anima, text. 35. quod si aliquis intellexerit curvum carnis, ac si esset sine carne, sic Mathematicus considerat non separata, ac si sint separata.

Scientia naturalis, et Mathematica differunt.

Vide Zimaræ tabulam sub littera A.

Abstrahentium non est mendacium, vide 3. de Anima. Text. 35.

Latent (4) *autem, qui hoc faciunt.* Hic removet errorem illorum, qui ponebant ideas separatas, ut hominem separatum, et hujusmodi : quia si illa, de quibus magis videtur, quod separentur a motu, et materia, non sunt separata, nec illa de quibus minus videtur : sed magis videtur quod Mathematicalia sint separata, quam naturalia, et tamen Mathematicalia non separantur, igitur nec naturalia. Major patet per locum a majori : et prima pars minoris patet, si aliquis consideret terminos utriusque scientiæ, definiendo ipsos : nam isti termini, *par*, et *impar*, *rectum*, *curvum*, *linea*, *figura*, definiuntur sine motu, qui sunt termini Mathematici, sed isti termini *caro*, *os*, *simum*, *homo*, et hujusmodi non definiuntur sine motu, vel materia, et ideo minus videtur, quod ista sint separata, quam alia, et secunda pars minoris patebit in quæstione. 21. Text. 1

Vide contradictionem Zimaræ.

Demonstrat (5) *autem*, etc. Hic comparat 22.

Text. 20. *Scientiæ Mathematicæ sunt quinque.* scientias Mathematicas ad invicem. Ubi notandum sicut elicitur ex ista parte, quod (b) quinque sunt scientiæ Mathematicæ, scilicet Arithmetica, et Geometria, quæ sunt pure Mathematicæ, eo quod considerant de numero, et magnitudine simpliciter, non contrahendo considerationem de illis ad aliquam specialem scientiam ; sed aliæ tres scilicet Perspectiva, et Musica, quam vocat Harmonicam, et Astrologia sunt scientiæ mediæ inter pure Mathematicas, et scientiam naturalem, et ideo se habent quasi contrario modo in consideratione : nam Geometria considerat de ente naturali non in quantum est naturale, scilicet materiale, vel mobile, sed ea considerat, quasi si essent separata ab istis ; sed perspectiva considerat lineam Mathematicam non secundum considerationem abstractam, sed in quantum linea illa est sensibilis sensu visus. Similiter Musica considerat numerum non simpliciter, sed in ordine ad sonum. Similiter Astrologia considerat magnitudinem non quantum ad conditiones, quæ competunt magnitudini, si esset separata a motu et materia : sed considerat magnitudinem, quantum ad conditiones convenientes sibi, ut mobilis est, et ideo considerat de magnitudine in relatione ad motum.

ANNOTATIONES

23. (a) *Scientia naturalis et Mathematica differunt.* Nota quod illæ scientiæ inter se differunt, quarum quælibet habet ab altera diversum objectum formale : et hujusmodi sunt Physica, et Mathematica, quia ratio formalis scientiæ Mathematicæ est abstractio a materia. Physicæ vero est considerare prout est in materia. Observa tamen quod materia est duplex, quædam sensibilis, quædam vero intelligibilis. Sensibilis est materia qualitatibus sensibilibus affecta ; intelligibilis est quantitas ab omni sensibili qualitate abstracta, ex quo nascitur, quod *Formæ sunt triplices.* formæ sunt triplices : quædam Metaphysicæ, quales sunt ab omni materia tam sensibili, quam intelligibili abstractæ, ut Intelligentia, et Deus ipse. Aliæ sunt formæ Mathematicæ, quæ quidem a materia sensibili abstrahunt, a materia vero intelligibili minime, ut linea, et superficies. Aliæ sunt formæ Physicæ, et hujusmodi formæ a nulla prorsus ex prædictis abstrahunt materia, sed tantum a singulari, ex quo etiam oritur, ut definitio formæ in Mathematica detur per abstractionem a materia sensibili ; definitio vero formæ Physicæ detur per materiam sensibilem, atque ita differant Physica, et Mathematica.

(b) *Quinque sunt scientiæ Mathematicæ.* 24. *Scientiarum Mathematicarum discrimen.* Nota quod scientiæ Mathematicæ, ut hic ex Aristotele notat Scotus, sunt quinque : prima est Geometria, quæ agit de quantitate. Secunda est Arithmetica, quæ agit de numero. Tertia est Musica, quæ agit de numero sonoro. Quarta est Perspectiva, quæ agit de linea visuali. Quinta est Astrologia, quæ agit de astris. Inter has quoddam versatur discrimen, duæ namque priores sunt puræ Mathematicæ, ita ut nullam mixtionem cum altera habeant scientia, agunt enim de re ab omni materia sensibili abstrahendo. Aliæ vero tres facultates sunt mixtæ et imperfecte Mathematicæ ; quia differunt de re per considerationem materiæ sensibilis. Unde habet Aristoteles quod Astrologia non est principaliter Mathematica, sed potius Physica.

25. Cæterum adverte, quod quando dicimus Mathematicam abstrahere a materia sensibili, et non a materia intelligibili, sic intelligendum est, nimirum, quod etiam in Mathematicis subjectum quoddam necessario continetur non sensibile, sed intelligibile : magnitudo enim definiri nequit, quin ponatur substantia in ejus definitione, licet talis substantia, quæ ut subjectum ponitur in tali definitione, non sit sensibilis, ut animal, aut planta. Sed dices, quod Aristoteles in hac ratione vel falsum supponit, vel est sibi ipsi contrarius : quia 12. Metaph. text. 44. docet Astrologiam esse expresse Mathematicam, et quod magis est Mathematica quam Physica. Respondeo, quod ex duplici capite potest scientia denominationem habere; primo ex parte circa quam versatur, et isto modo Astrologia est magis Physica, quam Mathematica, quia magis versatur circa materiam sensibilem : et in hac acceptione loquitur Aristoteles in hoc secundo. Alio modo potest aliqua scientia denominationem sumere ex modo procedendi, et hoc modo Astrologia est magis Mathematica quam Physica : quia servat modum Mathematicum, et hoc pacto loquitur in Metaphysica.

QUÆSTIO VI

Utrum scientia naturalis differat a Mathematica

Aristot. *hîc cap.* 2. *et* 3. *et* 6. *Metaph. cap.* 1. *text.* 2. Simplic. et Themist. *hîc.* D. Thom. *ibid. ad text.* 20 *et opusc.* 70. Ferarien. *quæst.* 2. *hujus libri.* Socin. 6. *Metaph. quæst.* 11. Fonceca *lib.* 2. *Metaph. quæst.* 5. *sect.* 5. Conimbric. 2. *Phys. cap.* 2. *quæst. unica.* Ruvius *ibid. in explicatione textus.* Roccus *quæst.* 3.

1. Arguitur quod non : quia utraque considerat de eisdem rebus, igitur non sunt distinctæ. Tenet consequentia per Aristotelem in tertio de Anima, text. 38. ubi dicit, quod secantur scientiæ quemadmodum et res. Et antecedens apparet secundo hujus c. 3. text. 17. nam utraque considerat de magnitudine, lineis, et punctis, et Sole, et Luna, et eorum accidentibus propriis.

Secundo, si differrent, hoc esset, quia Mathematica est de separatis a motu, et Naturalis non, sed propter hoc non : quia nulla est res in rerum natura, quin sit motus, vel principium motus activum, vel passivum.

Tertio, si differrent, hoc esset, quia Naturalis definit per motum, et Mathematicus non, ut dicit Aristoteles in isto secundo, text. 18. sed propter hoc non potest dici ; primo, quia Naturalis definit motum, materiam primam, et primum motorem, et tamen non per motum, quia nullum istorum movetur. Secundo, quia Mathematicus definit numerum per motum, quia dicit, quod numerus est multitudo ex unitatibus aggregata, modo aggregatio est quidam motus : similiter definit circulum per motum, scilicet per hoc, quod omnes lineæ ductæ a centro ad circumferentiam sunt æquales, modo ductio est quidam motus, ergo, etc.

2. *Divisio quæstionis* Oppositum arguitur per Aristotelem in isto secundo, text. 18. capitulis secundo et tertio. In quæstione primo videbitur, quæ scientia dicatur naturalis, et quæ Mathematica. Secundo quæ Mathematica pura, et quæ Mathematica media magis dicatur naturalis, quam Mathematica.

Scientia unde dicatur naturalis. De primo notandum est, quod scientia non dicitur naturalis, eo quod insit a natura : quia quælibet scientia nostra est acquisita de novo, ut patet 1. Posterior. text. 2. Secundo non dicitur scientia naturalis, eo quod sit a causis naturalibus ; quia sic quælibet scientia diceretur naturalis, nam quælibet scientia est ab intellectu, una cum adjutorio sensus, et objecto exteriori, quæ sunt causæ naturales. Ideo dico quod scientia dicitur naturalis, eo quod est de rebus naturalibus sub ratione, quæ dicuntur naturales, et est illa ratio, qua dicuntur naturæ, vel habentes naturam, vel secundum naturam : sed quia natura non dicitur absolute, sed in comparatione ad motum, ideo res dicuntur naturales in ordine ad motum. *Est ergo subjectum in Physica ens naturale seu corpus naturale.*

Ex quibus sequitur, quod nullus terminus est de consideratione naturalis, nisi qui est definibilis per motum, vel per aliquod æquivalens ; patet, quia iste terminus *motus* definitur per aliquod æquivalens, et quilibet alter terminus dicitur in relatione ad motum ; et ideo si aliquis auctor debet definire perfecte conceptus naturales, motus implicitus debet explicari. Sed objicitur, quia isti termini *homo*, *animal*, *albedo*, vel hujusmodi, sunt de consideratione naturali, et tamen non sunt connotativi, imo absoluti, et per consequens in definitionibus ipsorum non oportet exprimere motum. Respondetur, quod de istis terminis secundum conceptum absolutum est consideratio Metaphysica, sed secundum conceptum connotativum est consideratio naturalis : quia naturalis non considerat hominem, nisi ut est mobilis, sensitivus, intellectivus, et hujusmodi ; similiter non considerat albedinem, nisi ut albedo est immutativa sensus, disgregativa visus, et hujusmodi : et sic considerat istam in ordine ad suos motus et operationes. 3.

Nunc ponitur illa conclusio. Nulla con- 4.

clusio, cujus uterque terminus est naturalis, est Mathematica, ut patet de ista : Omne compositum ex contrariis est corruptibile. Probatur, quia talis conclusio non potest probari per principia Mathematica, igitur non potest esse Mathematica. Probatur antecedens, quia principium (a) per quod probatur aliqua conclusio, est definitio subjecti, vel prædicati : modo cum uterque terminus sit naturalis, definitio non potest esse Mathematica ; consequentia patet, quia sicut patet in 2. hujus, text. 89. simile est de principio in speculabilibus, sicut de fine in practicis : modo res denominatur a fine, igitur conclusio habet denominari a principio, ut patet exercitatis, quia conclusio, terra est sphærica, denominatur naturalis, quando probatur per principium naturale ; et Mathematica, quando probatur per principium Mathematicum. Patet igitur, quæ scientia dicatur naturalis, et quæ conclusio dicatur de scientia naturali.

Scientia Mathematica unde dicatur.

Quantum ad secundum notandum, quod scientia (b) dicitur Mathematica, non quia est de rebus abstractis, aut insensibilibus ; sed quia est de rebus secundum rationem mensuræ et mensurabilis ; et quia ratio mensuræ, et mensurabilis est impertinens rationi motus, ideo dicitur, quod Mathematica est de separatis a motu ad istum sensum : quia propositiones, quas demonstrat Mathematicus, non essent minus veræ si omnino essent immobilia, quam sint de facto : verbi gratia, ista conclusio, Proportio sphærarum est proportio diametrorum, explicata non esset minus vera, posito quod omnia essent immobilia, sicut est de facto dum omnia, aut quædam moventur.

5. Ex quo sequitur, quod in definitione termini Mathematici, debet poni aliquod exprimens rationem mensuræ, vel mensurabilis, vel saltem consequentis mensuram ; ut proportio consequitur mensuram.

Principia sunt in duplici differentia.

Secundo notandum, quod quædam sunt principia habita per experientiam, et illa sunt principia naturalia ; alia sunt habita per naturalem inclinationem intellectus, et talia sunt Mathematica ; dum tamen exprimant rationem mensuræ, et mensurabilis, ut si ab æqualibus æqualia demas, etc.

Nunc ponitur ista conclusio. Omnis propositio cujus uterque terminus est Mathematicus, est Mathematica. Probatur, quia nulla talis potest probari per principium naturale. Ex quibus sequitur, quæ scientia sit pure Mathematica, et quæ conclusio dicatur scientia Mathematica, et hæc de secundo.

Quantum ad tertium notandum, quod sicut sunt aliquæ proportiones in quibus uterque terminus est naturalis, et aliæ in quibus uterque terminus est Mathematicus, ita sunt quædam in quibus subjectum est de scientia naturali, et prædicatum de scientia Mathematica, et si fiat e converso, tunc illa propositio proprie non est de aliqua scientia, nisi quatenus sua conversa est de aliqua scientia : verbi gratia, nulla scientia probat talem conclusionem : *aliquis circulus est æneus, aliqua sphæra est ferrea.*

6 Nunc sit prima conclusio. Propositio cujus subjectum est terminus naturalis, et prædicatum terminus Mathematicus non potest probari per ambo principia Mathematica. Probatur, quia ad probationem talis propositionis requiritur experientia alicujus sensus : verbi gratia, ad probandum istam, quod multiplicatio luminis per medium diaphanum fit secundum incessum rectum, requiritur experientia sensus. Similiter ad probandum istam, *cœlum est sphæricum*, vel etiam istam, *terra est sphærica*, requiritur experientia sensus.

Secunda conclusio. Talis conclusio potest probari per ambo principia naturalia. Patet de ista, *cœlum est sphæricum.* Nobiliori corpori debetur nobilior figura, cœlum est nobilius corpus, et figura sphærica est nobilior figura, ergo, etc.

Tertia conclusio : Talis propositio probatur ut in plurimum per unum principium naturale, et aliud principium Mathe-

maticum, quorum principium Mathematicum semper est major, et principium naturale minor. Probatur inductione in conclusionibus Mathematicæ mediæ : nam ista conclusio, *Luna est sphærica,* probatur sic, *omne corpus quod crescit, et decrescit per circulum est figuræ sphæricæ ; sed Luna crescit, et decrescit secundum circulum, ergo Luna est sphærica.* Major est principium Mathematicum de se notum, et minor est habitum per experientiam. Similiter ad probandum istam : *Diapason est majus diapente,* arguitur sic, omnis proportio dupla est major sesquialtera ; sed diapason consistit in proportione sesquialtera ; major est Mathematica, et minor est naturalis habita per sensum.

7. Sed objicitur, quia si talis conclusio debet dici media, vel hoc est per abnegationem ; et hoc non : quia scientia speculativa sufficienter dividitur in Mathematicam divinam, et naturalem, patet 6. Metaph. text. 1. Vel dicitur media per participationem, et hoc non, quia scientia est habitus simplex. Secundo : quia non contingit demonstrantem descendere de genere in genus, ut patet primo Posteriorum text. 56. igitur eadem conclusio non potest probari per principia diversarum scientiarum.

Ad primum dico, quod dicitur (c) media per participationem sic : quia partim probatur per unam scientiam, et partim per aliam.

Ad secundum dicitur, quod uterque terminus propositionis est de eadem scientia : patet igitur, quæ est Mathematica media, et quæ conclusio dicatur media, et quomodo, et hæc de tertio.

Scientiæ mediæ quare magis ab uno extremo denominentur.

Quantum ad quartum dico, quod duæ sunt causæ, propter quas Mathematica media, dicitur magis naturalis, quam Mathematica ; prima causa est, quia conclusio habet denominationem a principio, per quod probatur, et ideo potius denominatur a principio magis determinante et specificante conclusionem : modo minor magis specificat conclusionem quam major, et per consequens magis est denominanda conclusio a minore, quam a majore : modo dictum est in tertia conclusione, quod in probatione Mathematicæ mediæ minor est de scientia naturali, et per consequens conclusio est magis denominanda naturalis, quam Mathematica.

Secunda causa, quia conclusio potius est denominanda ab illo principio, quod ipsa sequitur secundum certitudinem, et dubitationem, sed secundum hoc sequitur minorem, quæ est naturalis, et non majorem, quæ est Mathematica ; igitur potius denominanda est naturalis, quam Mathematica; sed quia principium probans conclusionem est copulativa facta ex majore, et minore, quæ non est certior, quam pars ejus, scilicet minor, igitur a minore, quæ est naturalis, sumitur denominatio. 8.

Sed contra istud objicitur, quod ab illa scientia magis est denominanda Mathematica media, cui subalternatur, quam ab illa, cui non subalternatur : modo Mathematica media subalternatur puræ Mathematicæ, ut patet 1. Post. text. 60. igitur ab illa est potius denominanda. Respondetur negando majorem, et causa est : quia principium Mathematicum per quod probatur conclusio Mathematicæ mediæ, est conclusio scientiæ puræ Mathematicæ. Ideo ad sciendum perfecte Mathematicam mediam, oportet scire totam puram Mathematicam ; sed non oportet cognoscere totam scientiam naturalem ; imo sufficit cognoscere aliqua principia ejus. Ideo Mathematica media subalternatur puræ Mathematicæ, et non scientiæ naturali.

Ad rationes. Ad primam negatur major. Ad probationem dico, quod Aristoteles intelligit, quod scientiæ sunt (d) diversæ secundum diversitatem rationum considerandi.

Ad secundam dico, quod Mathematica est de separatis modo prædicto, quod conclusiones, quas demonstrat Mathematicus, non essent minus veræ, quam sint de facto, posito, quod omnia essent immobilia, insensibilia, et immaterialia. 9.

Ad tertiam si differrent hoc esset, etc.

concedo, et quando dicitur, quod naturalis, etc. dico, quod (e) naturalis definit motum per aliquod æquivalens, et aliter definit per motum in recto, vel in obliquo. Et quando dicitur de Mathematica, dico quod Mathematica non definit per motum, nisi capiendo motum improprie, et transumptive. Tunc de definitione numeri Mathematicus non curat, an sit aggregatio, vel non; sed sufficit sibi, quod numerus sit multitudo unitatum, vel ex unitatibus. Consimiliter de definitione circuli; Mathematicus non curat utrum illæ lineæ ducantur, vel non, sed sufficit sibi, quod omnes illæ lineæ sunt æquales, quarum unus terminus esset sicut centrum, et alius sicut circumferentia circuli, et hæc de quæstione.

ANNOTATIONES

Opinio duplex de medio demonstrationis.

10. (a) *Principium per quod probatur aliqua conclusio est definitio subjecti, vel passionis.* Nota quod ideo loquitur Scotus disjunctive: quia duplex est opinio de medio demonstrationis. Nam quidam sentiunt medium in demonstratione propter quid esse simpliciter passionis definitionem, quod probant per Aristotelem 2. Post. ubi per extinctionem ignis in nube demonstrat sonum in nubibus factum, ubi patet, quod definitio est medium dicens propter quid. Scotus vero et sequaces distinguunt demonstrationem propter quid; nam quædam est potissima, quædam non potissima. Potissima demonstratio est illa, ad quam tres requiruntur conditiones. Prima, quod in ejus conclusione prædicetur passio de proprio, et adæquato subjecto, vel aliquid, quod se habeat per modum propriæ passionis adæquatæ. Secunda conditio est, quod illa passio necessario et incorruptibiliter insit subjecto: Tertia quod procedat ex præmissis immediatis, quarum medium sit proxima et ultima causa inhærentiæ passionis ad subjectum, ultra quam non contingat ulterius quærere: sicut est demonstratio, quæ est per causam finalem, per quam nedum effectum, sed alias causas demonstramus. Nam cum finis sit causa causarum. 2. Physicorum, text. 31. totius quæstionis ultima resolutio stabit ad causam finalem, qua habita amplius non quæremus. Demonstratio non potissima ea dicitur, in qua demonstratur propria passio de subjecto per definitionem ipsius passionis, et in tali demonstratione definitio passionis est medium.

Demonstratio propter quid est duplex

Cæterum potissimæ demonstrationis definitio passionis non est medium: quia medium in demonstratione potissima facit simpliciter notitiam, ita ut ipsum in esse, sive in cognitione ab alio non dependeat, ut passionis definitio dependet in esse, et in cognitione a subjecto; quia à principiis subjecti, sicut et passio causatur, atque adeo definitio passionis non potest esse medium in demonstratione potissima, bene tamen potest esse medium in aliqua demonstratione: quia dicit Aristoteles 1. Post. quod ratio primi termini est medium in demonstratione. Passio autem uno modo dicitur primus terminus, alio modo ultimus. Considerando namque ordinem prædicatorum, sic passio est primus terminus, quia prædicatur in demonstratione, cum sit major extremitas, et nunquam subjicitur. Considerando vero ordinem naturæ, sic passio est ultimus terminus: quia passio posterior est secundum naturam subjecto, et etiam principiis subjecti, quia passio consequitur subjectum ratione principiorum subjecti. Relinquitur ergo, quod definitio subjecti est medium in demonstratione potissima. 11.

In qualibet scientia tria sunt.

(b) *Scientia dicitur Mathematica, non quia est de rebus abstractis*, etc. Nota primo, in qualibet scientia tria esse; videlicet passiones demonstrandæ causæ per quas demonstrantur, et subjectum de quo demonstrantur. Nota secundo, Physicam habere pro subjecto substantiam non quamlibet: non enim cujuslibet substantiæ passiones, causasque speculatur, sed solum illius quæ motus principium habet, et mutationibus sensibilibus est subjecta, erit igitur substantia de qua Physicus considerat, sensibilis, et naturalis. Mathematica vero habet pro subjecto accidens non quodcumque, sed illud quod ex se a mutatione non dependet, neque mutationis est causa, licet interdum cum motu acquiratur, qualis est quantitas, eaque accidentia, quæ quantitatem sequuntur: est enim in cælo quantitas, et figura non ex mutatione provenientes, et de hujusmodi subjecto ostendit passiones; de accidentibus vero mutationi obnoxiis, quales sunt qualitates corporis ad Physicam pertinet disputatio. 12.

Scientiæ Mathematicæ sunt in duplici differentia.

(c) *Astrologia dicitur scientia media*, etc. Nota primo, quod scientiæ Mathematicæ sunt in duplici differentia: quædam quæ hujusmodi accidentia in universali cognoscunt, ut quæ agit de figura in communi absque eo, quod determinet in qua sit materia, et hujusmodi dicuntur puræ Mathematicæ; quædam agunt de eisdem accidentibus in particulari, id est, de illis, quæ sunt in aliquo corpore; veluti Astrologia, quæ agit de figura, et motu cæli, et tales dicuntur Mathematicæ mediæ. Observa ta-

men, quod quamvis hujusmodi mediæ scientiæ Mathematicæ tractent de hujusmodi accidentibus in aliquo subjecto, et in substantia existentibus, non agunt de ipsis quatenus in tali existunt subjecto; sed de ipsis secundum se, ac si in subjecto non essent.

13. ([d]) *Scientiæ sunt diversæ secundum diversitatem rationum considerandi.* Nota quod licet Physica, et Mathematica conveniant in re considerata, non tamen conveniunt in subjecto : nam quamvis Physicus agat de accidentibus, de quibus et Mathematicus, agit tamen de illis prout substantiis naturalibus competunt; Mathematicus autem tractat de illismet, ut aliquæ passiones ipsis accidentibus, ut talia sunt, competunt, atque adeo sunt diversa subjecta Physicæ et Mathematicæ, quia Physicus habet pro subjecto substantiam, de qua demonstrat motus, et cæteras passiones; Mathematicus vero habet quantitatem pro subjecto, tractatque de motu quatenus est quoddam quantum, et demonstrat de quantitate passiones, et per consequens quamvis Physicus tractet de quantitate, et motu, hinc non sequitur idem habere subjectum, et ex hoc sequitur intellectus illius dicti communis innuentis differentiam inter Mathematicam, et Physicam; videlicet, Mathematicum, et Physicum non differre in re, sed in modo considerandi eamdem rem, quamvis enim uterque de quantitate agat, tamen Physicus agit de illa, ut de passione sui subjecti, Mathematicus vero, ut de subjecto suarum passionum.

14. (e) *Physicus et Mathematicus differunt in modo definiendi,* Nota quod in scientiis definiuntur et subjecta, et passiones, sed diversimode a Mathematico, et Physico definiuntur : quia Physicus definit per materiam sensibilem, motuique subjectam : Mathematicus vero definit sine sensibili motuique subjecta materia. Nam Physicus definit passiones per materiam, ut per subjectum, non tamen tanquam per partem rei definitæ, ut si definiat iram, dicens : Ira est ascensus sanguinis circa cor : definit etiam subjectum per materiam, ut per partem substantiæ, et sic definit hominem per corpus. Scientiæ autem Mathematicæ, quarum materia est quantitas : quia sicut materia, et forma substantialis efficiunt ens naturale, sic etiam quantitate, et figura fit ens Mathematicum, verbi gratia, triangulus, vel quadrangulus. Unde Mathematica per hanc suam materiam ostendit et subjectum, et passiones, ut *par*, et *impar* per numerum, triangulum per lineam, etc.

Ex his sequitur primo, quod Physicus, et Mathematicus differunt etiam in modo demonstrandi, quia Physicus frequentius utitur *demonstratione quia*, id est, qua procedit ab effectu ad causam : quia ejus causæ frequentius sunt occultæ. Mathematicus autem a priori frequentius procedit : quia ejus causæ sunt effectibus notiores; quia cum abstrahat a sensu, et id sit notius intellectui, quod est prius, causæque sint priores effectibus, efficitur ut per causas frequentius demonstret.

Secundo sequitur, quod Mathematica est certior scientia quam Physica : quia effectus Physici non semper, et indubitanter eveniunt, sed aliquando fit defectus : ratio est, quia cum materia ex qua res constant, sit multorum receptiva, impediri potest multis distracta, a qua cum res mathematicæ abstrahant, simpliciter sunt necessariæ. Semper enim triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis, non tamen semper homo habet oculos, duos pedes, manus, sed aliquando inest in his defectus.

EXPOSITIO TEXTUS

Cum autem (*1*) *natura duplex sit.* Hoc est secundum caput hujus tractatus, in quo Philosophus ostendit de quibus est consideratio naturalis, et primo ostendit quod naturalis habet determinare de materia, et forma. Secundo ostendit usque ad quantum habent determinare de forma. ibi, *Quousque ergo Physicum.* Item primo probat conclusionem duabus rationibus; secundo movet dubitationem : tertio adducit alias rationes : et quarto ostendit specialius, quod naturalis habet determinare de materia; et quinto specialiter, quod naturalis habet determinare de forma. Secundum ibi, *Etenim jam et de hoc.* Tertium ibi, *Si autem ars imitatur naturam.* Quartum ibi, *Quoniam et faciunt.* Quintum ibi, *Amplius eorum, quæ ad aliquid.* Est igitur prima conclusio ista : quod scientia naturalis habet determinare de materia, et forma. Probatur; quia naturalis habet determinare de natura; igitur naturalis habet determinare de materia, et forma, et hujus rationis solum ponit minorem. Secundo probatur : quia consideratio naturalis, est sicut consideratio de simo; sed consideratio de simo non est consideratio de materia tantum, nec de forma tantum, sed est de forma, ut est in determinata materia; igitur consideratio naturalis non est solum de materia, sed de forma et materia simul. 15. Text. 21

Naturalis habet determinare de materia et forma.

Vide Zimaram in tab. lit. N. fol. 184. col. 2.

Text. 22. *Etenim jam* (2) *et de hoc*, movet dubitationem : quia ex quo materia, et forma sunt duæ naturæ, et fit unum tertium compositum utriusque, scilicet compositum ex materia, et forma, de quibus tribus est scientia naturalis, et ideo dubium est utrum de istis debeat considerari secundum unam partem scientiæ naturalis, vel de una secundum unam partem ; et de alia secundum aliam. Et ratio dubitationis est ista : quia respicienti in antiquos, id est, in libros antiquorum tota consideratio apparebit de materia, excepto quod in modica parte Empedocles, et Democritus tetigerunt formam, et *quod quid erat*, esse aliquam partem.

Vide digressionem Aver. super isto textu.

16. *Si autem ars imitatur naturam.* Hic adducit alias rationes ad conclusionem, et sunt duæ. Secunda ibi, *Insuper ejusdem est.* Secunda ratio est de ista, quod sicut est in artificialibus, ita debet esse in naturalibus ; sed in artificialibus artifex habet considerare et materiam, et formam sui operis ; igitur similiter et in naturalibus. Major patet per simile : quia ars (a) imitatur naturam ; et minor apparet. Nam medicus, qui est Artifex, secundum artem considerat sanitatem, quæ est forma sui operis, et considerat quatuor humores, scilicet choleram, phlegma, sanguinem, et melancholiam ; quæ sunt materia sui operis. Unde notandum, quod Aristoteles in probatione suæ minoris addit, quod in artificialibus artifex habet cognoscere materiam usque ad hoc, id est, non resolvit materiam in omnia, in quæ resolubilis est. Unde domificator non curat, an lignum sit compositum ex elementis, sive ex materia, et forma, an sit omnino incompositum. Et ratio est : quia nulla est ars communis omnibus artibus ; quia si esset aliqua, oporteret illam prius addiscere, quam addisceretur aliqua ars particularis ; sed scientia naturalis resolvit materiam in omnia, in quæ resolubilis est, eo quod est una scientia naturalis communis omnibus rebus naturalibus.

Text. 24. *Insuper* (3) *ejusdem est.* Hic ponitur tertia ratio ad conclusionem : quia ejusdem scientiæ est cognoscere finem, et ordinata ad finem, sed forma est finis materiæ ; igitur ejusdem scientiæ, etc. Sed ad scientiam naturalem pertinet determinare de altero istorum, igitur et de utroque. Major nota est, et minor apparet : quoniam quorum est aliquis continuus motus, illud est finis motus, quod est ultimum, et gratia cujus ille motus fit ; et apponitur finis gratia cujus, quia non omne (b) ultimum est finis, sicut ultimum proveniens ex necessitate materiæ scilicet mors, sed ultimum, et optimum, gratia cujus aliquid fit, est finis.

Quoniam et (4) *faciunt artes materiam.* 17.
Hic ostendit, quod naturalis habet considerare de materia, et est secunda conclusio capituli. Probatur, quia sicut est in artificialibus, ita in naturalibus, sed in artificialibus artifex habet cognoscere materiam : igitur et in naturalibus ; major patet per simile, et minor per diversitatem entium. Nam (c) quædam sunt artes materiæ, ut ars factiva laterum : aliæ sunt operosæ, id est, disponunt materias factas per additionem, vel subtractionem, ut ars dolativa lignorum ; aliæ sunt usuales, quemadmodum nos utimur omnibus artefactis propter nos : quia nos (d) sumus quodammodo finis omnium, non finis qui est ultimum transmutationis, sed finis, gratia cujus alia sunt, et ordinantur. Sed, duæ sunt artes usuales, quædam utens, et cum hoc operans, et dicitur utens : quia utitur materia facta, et disposita, dicitur operans, quia inducit aliam formam substantialem ; sed alia est ars utens tantum, et illa est architectonica, id est, principalior : modo per istam distinctionem patet minor : quia in qualibet dictarum artium artifex cognoscit materiam suæ artis, sed architectonica magis cognoscit formam, sicut gubernator navis cognoscit, cujus figuræ debeat esse remus, sed ex quo ligno debeat esse, cognoscunt melius artes subservientes sibi. Et subdit Aristoteles, quod licet simile sit de artibus, et naturalibus, tamen in hoc est differentia, quod in artificialibus faciamus

Text. 24.

Vide Zimaram in tabul. lit. H. fol. 172.

Nos sumus quodammodo finis omnium.

Text. 25.

Vide contradictionem Zimaræ.

materiam propter opus, sed in naturalibus materia est, id est, præsupponitur.

18. Text. 26. *Amplius eorum* (b) *quæ ad aliquid.* Ponitur tertia conclusio, quod ad naturalem spectat consideratio de forma : probatur, quia ad quem spectat consideratio unius relativorum, et ad eumdem etiam spectat consideratio reliqui ; sed ad naturalem spectat consideratio de materia, ut dicitur in relatione ad formam ; ergo, etc.

Quousque ergo Physicum oportet, etc. Hic ostendit usque ad quantum spectat determinare de forma ad naturalem, dicens quod sicut medicus habet considerare nervum, et faber æs, ita naturalis habet considerare formam : nam medicus considerat nervum quantum ad omnes formas ejus usque ad ultimam formam, quam ipse intendit, scilicet sanitatem; ita similiter naturalis habet considerare omnes formas usque ad ultimam formam, existentem tamen in materia, quam vocat separatam, existentem tamen in materia, ista est forma humana, quæ dicitur separata : vel quia non educitur de potentia materiæ, vel quia non exercet suam operationem mediante determinato organo corporeo : sed dicitur existens in materia, quia informat materiam, licet non educatur de potentia materiæ. Et tunc respondet cuidam dubio : quia ex quo forma hominis est separata, non videtur, quod naturalis debeat de ipsa considerare, cum consideratio naturalis non sit de separatis, ut patuit capitulo præcedenti. Respondet Aristoteles, quod imo, quia de omni forma generata ex materia habet considerare naturalis : sed forma hominis est generata ex materia : quia homo generat hominem ex materia, et Sol ; et de isto dubio non ponit in textu, nisi probationem minoris, et subdit Aristoteles quomodo forma sit separabilis, et quæ sit forma separata, pertinet ad Metaphysicam.

Sol, et homo generant hominem.

ANNOTATIONES

19. (a) *Ars imitatur naturam.* Nota primo, quod ars dupliciter imitatur naturam. Primo in fine, ita habet Aristoteles 1. Ethicorum cap. 1. et 2. Cœli cap. 5. Quemadmodum enim natura facit de possibilibus, quod optimum est, et id, quod melius est, ita et ars. Secundo imitatur naturam in mediis tendentibus ad finem, et in modo consequendi finem ; nam quemadmodum agens naturale producit formam in materia disposita, ita artifex inducit formam in materia ab eodem præparata.

Ars bifariam naturam imitatur,

Secundo nota, quod hæc propositio, *Ars imitatur naturam*, potest habere triplicem sensum. Primus sensus est, quod effectus artis, sive ipsa artificialia, similia sunt naturalibus. Secundus sensus, quod agens per artem, imitatur agens per naturam. Tertius sensus est, quod forma artis est similis formæ naturali. Primus sensus est verus, præcipue in artibus, quæ versantur circa res factas, ut ars pingendi, et faciendi statuas : ratio est, quia forma specifica, cum non percipiatur sensu per figuram diversam ostenditur melius, quam per quæcumque alia accidentia, et ideo quamvis ars non imitatur naturam, producendo per artem formam specificam, satis est, quod imitetur ipsam exteriorem figuram, producendo similem figuræ exteriori rei naturalis. Secundus sensus etiam est verus : quia artifex imitatur agens naturale in modo operandi, quæ similitudo in duobus consistit : primo quod sicut agens naturale producit effectum sibi similem in forma, ita artifex producit effectus similes idolis, et imaginibus in mente artificis existentibus, et secundum eas imagines operatur : quapropter dicit Aristoteles, quod domus ad extra fit a domo ab intra. Secundo, quod artifex disponit materiam incipiendo ab imperfectis, quemadmodum agens naturale. Tertius sensus similiter est verus, quod scilicet forma artis est similis formæ naturali aliquo modo : producit enim ars sibi similem effectum, sicut et natura licet in arte non sit similitudo specifica in effectu facto ab arte, cum ipsa arte secundum quam fit.

(b) *Non omne ultimum est finis.* Nota quod ex hac ratione elicit Aristoteles quod Philosophus ille Euripides (ut Philoponus explicat) erravit asserens mortem esse finem : est enim operatio finis hominis, ut habet Aristoteles 2. Cœli, cap. 3. text. 6. Ratio est quia finis debet esse optimus ; sed, mors non est optima, quia est corruptio ; imo ut habet Aristoteles 5. Metaph. text. 21. est ultimum malorum, atque adeo mors non potest habere rationem finis. 20.

(c) *Quædam sunt artes materiæ, etc.* Nota, artes mechanicas multipliciter se habere ; quædam enim circa materiam versantur, quædam circa formam; et ex prioribus quædam sunt operativæ, quales sunt facientes

Artium diversit[as] explicat[ur].

materiam, ut ars conficiendi lateres ; aliæ sunt artes paulo altiores, et sunt, quæ non faciunt materiam,sed alteri arti præparant, ut faber lignarius præparat ligna ad naves construendas. Ex posterioribus autem quædam sunt quas architectonicas vocant, id est, imperantes, et dominantes artibus versantibus circa materiam, et ex his quædam versantur circa formam, quædam vero circa usum talis formæ ; verbi gratia, ars navifactiva versatur in conficienda navi, ars vero navigandi utitur navi, et dicitur usualis. Hæ artes sic se habent, quod usualis est præcipua, et architectonica respectu artis conficiendi navem : præcipit enim artifici navis, ut hoc, aut illo modo illam conficiat, et ars conficiendi navem est architectonica respectu artis, quæ præparat ligna : præcipit enim fabro quo pacto scindere, dolareque debeat ipsa ligna. Faber igitur considerare debet an ligna sint apta ut taliter dolentur, ut in ipsis talis forma introduci valeat.

21. (d) *Nos sumus quodammodo finis omnium.* Nota, quod reddens Aristoteles rationem, quare sint quædam artes materiam facientes, quædam vero disponentes ad formam, quædam ipsam formam fabricantes, et quædam usuales ; dixit rationem esse, quod nos sumus quodammodo omnium finis, atque adeo omnibus rebus uti debemus : et ratio est, quia omnes res inanimatæ sunt propter plantas,et plantæ propter bruta, et propter hominem bruta.Observa tamen duplicem esse finem, quidam est finis *cujus* ; alius est finis *quo* ; finis *quo* est ille, quo consequitur aliquid : finis *cujus* est ille cujus gratia præparatur res a natura, qui dicitur causa finalis : verbi gratia, servus habet duplicem finem, alterum *cujus*, estque dominus, quia gratia domini operatur. Alter est finis *quo*, et est obsequium ipsius servi. Unde supposita hac distinctione, quando Aristoteles dixit operationem esse finem hominis, loquebatur de fine *quo* ; quando vero hîc appellavit hominem finem omnium, loquitur de fine *cujus :* quia omnia sunt propter hominem.

nis est plex.

EXPOSITIO TEXTUS

22. Text. 27. *Determinatis* (1) *autem his,considerandum est de causis, et quæ et quot numero sunt.* Iste est tertius tractatus hujus secundi, in quo Philosophus determinat de causis per se rerum naturalium, et dividitur in duo capitula: in primo distinguitgenera,et in secundo determinat de modis causarum, ibi, *Modi autem causarum.* Primum dividitur : quia primo præmittit intentionem. Secundo prosequitur ibi, *Uno igitur modo.* Primo igitur ponit istam conclusionem : Ad scientiam naturalem pertinet determinare de omnibus causis, quæ et quot sunt, quia ad illam scientiam pertinet determinare de causis, quæ et quot sunt, quæ est gratia sciendi : sed scientia naturalis est gratia sciendi ; igitur. etc. Major est nota : quia res non scitur perfecte antequam cognoscamus ipsam quantum ad primam causam ejus, et quantum ad propinquissimam causam, et cum hoc secundum omnes causas intermedias ; et ideo isto modo determinandum est de generatione, et corruptione, et omni mutatione naturali, reducendo ipsas in sua principia, et determinando dubitabilia de eis. Et minor apparet ex 6. Metaphysicæ tex. 1. quia scientia naturalis est scientia speculativa, quæ procedit per causas. Sed contra majorem objicitur : quia consimiliter probaretur, quod Mathematica debet determinare de causis, quæ et quot sunt : quia ipsa est gratia sciendi. Respondetur, quod non : quia Mathematica demonstrat per unam solam causam, ideo in majori debet addi, quod illa debet considerare de causis, quæ est gratia sciendi secundum omne genus causæ.

De generibus et modis causarum.

Uno (2) *igitur modo.* Hîc prosequitur, et primo distinguit genera causarum. Secundo ponit quasdam proprietates ipsarum,et tertio illas proprietates reducit ad quatuor genera. Secundum ibi : *Accidit autem cum multipliciter dicantur causæ.* Tertium ibi : *Omnes autem nunc dictæ causæ.* Dicit igitur, quod uno modo dicitur causa (a) illud ex quo fit aliquid cum insit, et oportet addere ex quo præsupposito, ad differentiam formæ ; et exemplificat, sicut æs est causa statuæ, et argentum causa phialæ, *et horum genera* : et hoc exponitur quod non solum causa dicitur de nomine speciali significante causam : imo etiam de nomine generali, sicut dicitur ita bene, quod metallum est causa statuæ materialis, sicut dicitur quod æs est causa statuæ, et in hoc tangitur causa materialis. 23. Text. 23.

Causa quid.

Alio modo species et exemplum, et ratio quod quid erat esse est causa, id est, alio

Vide Zimaram in

tabul. lit. F. fol. 142, col 2.

modo forma (b) dicitur causæ, quæ forma dicitur species : quia per ipsam res ponitur in determinata specie, et vocatur exemplum, eo quod sicut ad instar fit aliquid simile, ita per formam compositum est natum generare sibi simile secundum speciem, et quod quid erat esse dicitur forma, id est, partes definitionis possunt dici formæ, et hoc valde improprie capiendo formam; sicut duo, et unum possunt dici forma hujus, quod est diapason, quæ consistit in proportione duorum ad unum. Consimiliter partes positæ in definitione possunt dici formæ isto modo, et hoc est valde improprie.

24. Text. 29. Tertio modo (3) causa efficiens dicitur (c) causa, quam Aristoteles vocat illud unde est principium motus, aut quietis, et hoc effective : et exemplificat in voluntariis ut consilians dicitur causa ; similiter in naturalibus, ut pater dicitur causa filii, et omnino faciens dicitur causa facti.

Quarto modo finis ( ) dicitur causa, scilicet finis gratia *cujus* fit aliqua operatio : ut verbi gratia, sanitas dicitur causa finalis ambulandi, et probat Aristoteles quod finis est causa : quia de fine est magis dubium, quam de aliis : quia illud est causa per quod convenienter respondetur ad quæstionem, quærentem propter quid : modo per finem convenienter respondetur ad quæstionem quærentem propter quid, ut si dicatur propter quid iste laborat ? convenienter respondetur, propter sanitatem; et subdit Aristoteles, quod omnia intermedia ad aliquem finem, quibus scilicet acquiritur finis, possunt dici fines, ut purgatio, macies corporis, potio medicinalis, et organa corporis possunt dici fines sanitatis, eo quod mediantibus istis acquiritur finis principaliter intentus, scilicet sanitas : sed isti fines medii differunt ab invicem, quia ipsorum quædam sunt opera, et quædam organa, et tandem recapitulat in fine, quod tot sunt causæ , et tot modis dicuntur.

Text. 30. *Accidit autem cum* (4) *multipliciter dicantur causæ*. In ista parte ponit quasdam proprietates causarum, et sunt tres. Prima est comparando diversas causas ad eumdem effectum, scilicet, quod (e) ejusdem effectus diversæ sunt causæ, non solum loquendo de causis per accidens, imo etiam loquendo de causis per se, ut statuæ æs est causa materialis, sed statuæ factor est causa efficiens. Secunda proprietas est comparando diversas causas ad invicem, quod causæ sunt sibi invicem causæ, ut labor est causa effectiva sanitatis, et sanitas est causa finalis laboris. Tertia proprietas est comparando eamdem causam ad diversos effectus, scilicet, quod (f) eadem est causa contrariorum effectuum ; sicut nauta per sui præsentiam est causa salutis, et per ejus absentiam est causa submersionis. Sed contra, quia absentia nautæ non est causa submersionis, nisi sit causa efficiens, et tamen forte nauta dormit tempore submersionis, igitur tunc non efficit eam. Respondetur, quod hoc est improprie dictum. Nauta per ejus absentiam est causa submersionis, sed per hoc non datur aliud intelligi, nisi habitus privationi contrarius, sicut si nauta fuisset præsens, fuisset causa salutis.

Proprietates causarum sunt tres.

Caus sunt si invicei causæ.

Omnes autem (5) *nunc dictæ causæ*. Reducit omnes causas in prædicta quatuor genera, quæ Aristoteles vocat modos manifestissimos propter eorum communitatem, verbi gratia, elementa, id est, litteræ sunt materia syllabarum, et illud ex quo fiunt vas, est materia vasorum ; et ignis, et hujusmodi corpora simplicia sunt materia mixtorum, et partes sunt quodammodo materia totius, et suppositiones, id est, principia sunt materia conclusionis ; et hoc est verum non secundum se tota, sed secundum extrema ipsorum : nam conclusio componitur ex extremis principiorum. Postea reducit aliqua ad causam formalem dicens, quod harum, id est, causarum quædam sunt sicut subjectum, ut partes, et aliæ sunt sicut forma, ut totum, et compositio et species ; et vocatur forma totum, eo quod per ipsam totum est hoc aliquid in actu ; et compositio vocatur forma artificialis, et species, id est, forma naturalis, per quam ponitur in determinata specie. Postea reducit 25. Text.

Causa quatu genera

Vide tradi nem maræ.

aliqua ad causam efficientem, dicens, quod semen est causa efficiens, scilicet illius, quod producitur ex semine : et exemplificat in voluntariis, ut Medicus, aut consilians, et omnino faciens dicitur principium mutationis, aut quietis, vel motus respectu facti, et sic non solum illud dicitur causa efficiens, quod producit, vel efficit, sed etiam illud, quod præparat, vel disponit aliquod, quod producit, et sic pater tuus dicitur causa efficiens tui, licet mortuus fuerit in tui productione. Postremo reducit aliqua ad causam finalem dicens, quod aliquæ causæ sunt sicut finis, et semper habent rationem alicujus boni, et ideo finis est causa potissima aliarum causarum. Nec refert ad propositum, si illud sit secundum veritatem, sive apparens bonum, et per hoc innuit Aristoteles differentiam inter naturalia et artificialia : nam in naturalibus semper finis est verum bonum existens ; sed in voluntariis est quandoque bonum apparens. Et subdit Aristoteles quod causæ sunt istæ, et tot specie : nec obstat, quod prius dicantur genera : quia idem potest dici genus, et species respectu diversorum.

Vide Zimaram in tabul. lit. B.

Idem sup. text. 31 et 2. Metaph. text. 8. et 5. Metaph. text. 3.

Ex hoc sumitur, quod finis est nobilior his quæ sunt ad finem, et quod habet rationem optimi

Idem 2. Metaph. text 8. et 5. text. 3.

ANNOTATIONES

26. (a) *Uno modo dicitur causa illud ex quo fit aliquid cum insit.* Nota, quod nomine materiæ Aristoteles intelligit omne receptivum formæ, sive materia prima, sive secunda sit : ut aurum est causa materialis vasis, et materia prima est causa materialis auri. Unde observa, quod causa materialis tribus modis potest considerari esse causa, quibus non est causa. Primo modo, quia producit formam, et hoc non sibi, sed efficienti causæ competit. Secundo modo, quia dat esse formæ, et isto etiam pacto non est causa. Tertio modo, quia forma ordinatur ad materiam tanquam ad finem, nec sic est causa : quia forma est finis materiæ, et non e contra, ut præcedenti capite docuit Aristoteles. Quapropter duplicem potest materia causalitatem habere : prima est recipere in se formam, eamque sustentare : et ratio hujus est, quia materia ex natura sua, est potentia passiva ; proprium autem potentiæ passivæ est in se recipere, atque adeo proprium est materiæ in se aliquid recipere. Verum quoad hanc causalitatem diversimode se habet materia respectu formarum corruptibilium, et incorruptibilium ; in ordine namque ad formas corruptibiles sic se habet, quod eas sustinet quantum ad esse, earumque conservationem, et quantum ad informationem. Dependent igitur formæ corruptibiles a materia in suo esse, et conservatione, ita ut materia destructa, destruatur et forma. Secundo dependent a materia in informatione, ita ut nequeant officium formæ exercere absque materia. Cæterum respectu formarum incorruptibilium, materia solum se habet quoad informari ab eis, ut in anima rationali videre licet : quia solum a materia dependet quantum ad informationem ; ex eo quod non potest forma officium exercere absque materia, non tamen ab ea dependet in esse, et conservari.

Materia duplex causalitas.

Secunda causalitas materiæ est limitare, et restringere formæ amplitudinem : quælibet namque forma absque materia est fere infinita, et indeterminata ; quia potest in qualibet materia recipi. Determinatur vero a dispositionibus ipsius materiæ, ut forma. Verbi gratia, ignis de se in qualibet potest esse materia, si tamen determinatur ad hanc materiam, hoc est ratione dispositionum in hac materia existentium. 27.

(b) *Alio modo forma dicitur causa.* Nota, quod causa formalis duas causalitates habet in munere Physico : prima est trahere rem de potentia in actum, eo quod nulla res ante adventum formæ potest esse actualis, lignum etenim nequit esse cathedra absque cathedræ forma : neque materia, verbi gratia, seminis potest esse leo absque leonis forma. Hujus rei ratio est, quia omnis actus, speciesque ex parte formæ se tenet. Ex hac causalitate elicitur formam duos habere effectus, primus est constituere intrinsece speciem : secundus, quod ab ea sumatur differentia constitutiva speciei, cum enim ad hoc, quod aliqua res de potentiali esse ad actuale procedat, sibi opus sit forma, sequitur, quod forma, quæ speciei præstat, atque communicat esse actuale : unde in definitione ponuntur partes formæ, et non materiæ, non sic quod materia non sit de quidditate speciei ; sed sic quod natura speciei constituta ex materia, et forma communi habet se ut forma respectu individuorum talem naturam participantium : et hoc est quod hic dicitur, quod partes quæ ponuntur in definitione, pertinent ad causam formalem. Secunda causalitas formæ est, quod forma limitat materiam : habetur enim 3. Physic. text. 59. quod materia est infinita in potentia : quia potest infinitas formas recipere : illa autem potentialitas determinatur per formam supervenientem, et ita materia constituitur per formam in determinata specie, verbi gratia, hominis, vel leonis.

Causa formalis duas causalitates habet.

Forma duos habet effectus.

28. *Efficientia sunt triplicis generis.* (c) *Tertio modo efficiens dicitur causa.* Nota quod causalitas efficientis est efficere rem secundum totam substantiam, vel secundum partem, vel secundum accidens : unde tria sunt agentia effectiva. Primum est quod producit rem secundum totam substantiam, ut prima causa, qui est Deus ipse. Secundum est, quod producit secundum partem, ut causæ naturales. Tertium est quod producit formam accidentalem, ut quando ignis calefacit aquam, producit in aqua calorem solum. Sumitur aliter causæ efficientis divisio, videlicet, quod sit quadruplex, perficiens, præparans, adjuvans, consilians. Causa perficiens est quæ dat complementum motui, sic quod introducit formam substantialem in generatione. Causa præparans, seu disponens est, quæ aptat materiam, seu subjectum ad ultimum complementum. Adjuvans est, quæ non ad proprium, sed ad alterius finem operatur. Consilians invenitur in his quæ agunt ad propositum, et quæ dant agenti formam per quam agit : agens namque a proposito agit per suam scientiam, quam consilians sibi tradit.

29. *Finis ad duo potest comparari* (d) *Quarto modo finis dicitur causa.* Nota, finem comparari posse ad agens propter finem, et ad media quibus finis comparatur, et secundum hanc duplicem comparationem possumus in fine duplicem causalitatem considerare ; prima causalitas in ordine ad agens est movere ipsum agens ad operandum : quasi si finis imprimeret inclinationem quamdam in ipso agente, ratione cujus moveretur ad prosequendum finem, ut sanitas movet infirmum ad sui prosecutionem. Secunda causalitas in ordine ad media stat in hoc, quod finis communicat ipsis mediis bonitatem quamdam, ratione cujus eliguntur ipsa media, ut sanitas communicat potioni bonitatem ratione cujus optatur : has duas causalitates expressit Aristoteles his verbis : *Finis est cujus gratia cætera sunt.* Quasi dicat, finis est ratione cujus agens operatur, et ratione cujus media desiderantur, et ideo omnia quæ sunt media inter primum movens, et ultimum finem quodammodo sunt fines : verbi gratia, Medicus ad inducendam sanitatem extenuat corpus, et sic sanitas est finis maciei, maciem autem inducit per purgationem, unde purgatio est propter maciem corporis; præparat autem purgationem per instrumenta, quæ habent pro fine ipsam purgationem.

30. *Conceptus est duplex* (e) *Ejusdem effectus diversæ sunt causæ.* Nota causarum aliam esse totalem, aliam partialem. Totalis ea est, quæ sola sufficit ad producendum effectum, ut ignis ad generandum ignem ; partialis vero ea est, quæ sola non sufficit, sed indiget alterius auxilio, ut si duo homines aliquem portent lapidem, quorum neuter per se posset portare, uterque dicetur causa partialis talis effectus. Rursus causarum quædam sunt ejusdem ordinis, ut causæ non subordinatæ, ut duo homines quoddam deferentes pondus ; quædam sunt diversi ordinis, ut causæ subordinatæ : verbi gratia homo, Sol, et Deus. Homo enim est causa effectiva particularis Petri subordinata efficientiæ Solis, quæ est universalior causa effectiva ejusdem effectus; Deus autem qui est universalissima causa omnium, est etiam causa effectiva ejusdem effectus, cujus efficientiæ reliquæ causæ subordinantur. Subordinari autem unum alteri causæ est dependere ab ea in sua efficientia, ita ut superiore non agente inferior non possit agere. Hoc posito sic intelligenda est hæc prima proprietas : nempe eumdem effectum a multis causis totalibus ejusdem ordinis nullatenus fieri posse. Petrus namque non posset generari a multis patribus, aut matribus, neque a multis Solibus, aut Diis : quia omnes hæ causæ sunt totales in suo ordine causandi, et ejusdem ordinis, a quarum cujuslibet causalitate taliter dependet effectus, quod nihil est sibi dependentiæ ad alteram causam illius ordinis. Item dicendum est in aliis generibus causarum. Potest tamen idem effectus a multis causis totalibus diversi generis causæ produci, ita ut ab una fiat materialiter, ab alia formaliter, ab alia effective, et ab alia finaliter: et ita intelligit Aristoteles, ut cum hîc explicat Scotus. Potest etiam fieri a multis causis ejusdem ordinis partialibus, ut si idem a diversis hominibus trahatur pondus. Potest tandem idem effectus fieri a diversis causis totalibus ejusdem causalitatis, subordinatis tamen, ut homo fit ab homine, Sole et Deo. In hoc triplici sensu intelligitur dictum Aristotelis, scilicet quod idem effectus multas potest habere causas.

(f) *Eadem est causa contrariorum effectuum.* Nota, quod alia est causa libera, alia naturalis : libera est rationalis, et hujusmodi causa operatur prævia deliberatione, quapropter contrariorum effectuum potest esse causa : quia libertas est facultas ad utramque partem contradictionis eligendam. Causa vero naturalis est, quæ operatur ex sola naturali inclinatione, ut ignis, et de hujusmodi causa dico duo : Primum quod respectu subjectorum suam efficientiam, et causalitatem recipientium potest esse causa contrariorum effectuum, ut Sol liquefacit ceram, et indurat lutum secundum eamdem operationem, et virtutem. Secundum dictum est, quod eadem causa naturalis potest esse causa contrariorum effectuum, unius quidem per se, alterius vero per accidens : verbi gratia in tempore hyemis, frigus est per se causa frigiditatis, per ac- 31. *Causa est duplex, alia liber[a] et altera naturalis*

cidens autem est causa caloris, ut patet in puteis, in quibus aqua est calida in hyeme, quia calor fugiens a frigiditate intensatur ibi, et calefacit per se aquam, frigus autem per accidens. Idem videtur in stomacho cujus calor in hyeme intensatur, meliusque sic digerit cibum, hujus autem rei causa per accidens est frigus. Aristoteles posuit exemplum in gubernatore navis, qui per se est causa gubernationis navis, per accidens autem, si absens sit, est causa submersionis navis. Hanc causalitatem habent omnes, qui tenentur assistere alicui loco, videlicet communitati, vel Reipublicæ, templo, vel ruri, quorum absentiæ causa committitur delictum ; talibus enim, si tunc temporis tenebantur assistere, imputatur delictum, quamvis Physice loquendo sint causæ per accidens.

QUÆSTIO VII

Utrum cujuslibet rei naturalis sint quatuor tantum causæ

Arist. *hic cap.* 3. *text.* 28. Averroes, Simplic. Themist. *hic.* Avicenna *in Metaph. tract.* 6. *cap.* 1. Albert. Magn. *hic tractat.* 2. *cap.* 7. *et* 3. *Metaph. cap.* 3. D.Thom. *hic, et opusc.* 31. Mayron. 2. *Phys. part.* 3. Suarez *tom.* 1. *Metaph. disp.* 12. *sect.* 3. Conimbr. 2 *Phys. cap.* 7. *quæst.* 2. Complut. *disp.* 8. *quæst.* 2. Ruvius *tract.* 1. *de causis. num.* 54. Roccus *quæst.* 5. Fuentes *quæst.* 2. *diffic.* 1.

1. Arguitur quod non ; quia accidentia, materia, forma, et Intelligentiæ sunt res naturales, et tamen non habent quatuor causas : nam materia non habet causam materialem ; forma, et accidentia non habent causam formalem ; Intelligentia non habet causam efficientem, cum sit æterna ; ergo, etc.

Secundo, quia eadem est magnitudo naturalis, et Mathematica, ut patet 2. hujus, text. 16. sed magnitudinis Mathematicæ, est tantum una causa per Commentatorem 1. hujus ; igitur magnitudinis naturalis est tantum una causa.

Tertio, quia cujuslibet effectus est tantum una causa sufficiens, igitur præter illam frustra ponuntur aliæ causæ. Antecedens patet : quia cujuslibet alterius causæ, Deus potest supplere causalitatem.

Quarto, quia quælibet causa per accidens est causa ; sed cujuslibet rei infinitæ sunt causæ per accidens, ut dicit Aristoteles 2. hujus, text. 50. igitur ejusdem rei sunt infinitæ causæ, et per consequens non solum quatuor.

Divisio quæstionis

Oppositum arguitur per Aristotelem 2. hujus tractatu 3. text. 28. et 31. In quæstione primo videbitur quid sit causa, et de quibus dicitur. Secundo videbitur de conditionibus causarum.

2. Causa est nomen relativum.

Quantum ad primum notandum, quod hoc nomen *causa* est nomen relativum, et dicitur in relatione ad effectum : sed contra ; igitur ista consequentia esset bona, causa est, igitur effectus est, et e contra, quod est falsum : quia quando effectus est, tunc causa efficiens est forte corrupta. Similiter non oportet, quod existente effectu causæ finalis, quod causa finalis sit ; et patet consequentia : quia relativa dicuntur ad convertentiam. Respondetur negando consequentiam : quia [a] relativa non dicuntur ad convertentiam secundum *esse :* unde non sequitur, prius est ; igitur posterius est, sed solum dicuntur ad convertentiam secundum *cognosci*, quia unum cognoscitur per reliquum, et e contra ; igitur non sequitur, causa est ; igitur effectus est, sed sufficit, quod fuit, vel est. Verbi gratia nos dicimus, quod ignis est causa caloris, dato quod nullum calorem de facto producat ; et ideo dictum fuit prius, quod isti termini, *causa*, et *principium* denotant aptitudinem.

Secundo notandum, quod causa potest sic definiri, scilicet, quod causa est propter quod alterum est, scilicet secundum *esse*, vel secundum *fieri*, aut *conservari*, aut secundum aliquam aliam dispositionem : et ideo albedo potest dici quodammodo causa hominis, quia propter albedinem homo est albus : et ideo quando Aristoteles definit causam in libro de bona fortuna dicendo, quod causa est ad cujus esse sequitur aliud ; non intelligit de sequela secundum locum, vel secundum tempus, sed intelligit, quod causa est ad cujus *esse*, id

est, propter quod requiritur aliud, id est, alterum est, vel fit, vel conservatur, vel aliquo modo disponitur. Sed contra objicitur : quia tunc sequeretur, quod omnis causa est finalis : nam Aristoteles in isto 2. vocat causam finalem, propter quod alterum est. Respondetur quod ista est communis definitio cuilibet causæ ; tamen propter excellentiam causæ finalis appropriatur causæ finali, et hoc innuit Aristoteles in isto 2. text. 9.

3. *Aliqua res est causa alterius.*

Nunc ponuntur conclusiones. Prima est : Aliqua res est causa alterius. Probatur, quia aliqua res est propter quam alterum est ; igitur aliqua res est causa alterius. Tenet consequentia per descriptionem causæ, et antecedens patet dicendo, Socrates est propter quod fuit genitus a patre, et ita possunt formari multæ tales, per quas exprimitur dependentia causati ad causam. Contra conclusionem arguitur : quia quando dicitur *B* est propter *A*, vel aliqua res importatur per illam propositionem, *B est propter A*, vel nulla ; si nulla, tunc non est aliud dicere *B est propter A*, quam dicere *A est B*. Eodem modo ad istud non sequitur, quod unum sit causa alterius ; si importetur aliqua res, sit illa *C*, cum *C* non sit independens, quia jam esset Deus ; tunc quæram de ista, *C* dependet ab *A*, vel importatur aliqua res, vel nulla ; si aliqua, proceditur in infinitum ; si nulla, arguitur ut prius. Respondetur quod argumentum non valet : quia consimiliter argueretur de ista, *homo est albus* ; quia per istam vel importatur aliud ab albedine et homine, vel non ; si non, tunc non est aliud dicere, quam *homo est, albedo est*, ex quibus non sequitur, quod homo sit albus : quia possibile est, quod albedo sit in alio subjecto, ut in pariete. Ideo dico, quod per istam *B est propter A*, nulla res importatur alia a *B*, et *A*, sed importatur unum dependere ab alio. Secundo, quia dicendo *A est propter B*, vel *A* est causa *B* ; *A* et *B* sunt duæ causæ diversæ, vel puta ignis et calor, igitur non implicat contradictionem unum separari ab alio, et per consequens unum non sequitur ad aliud ; igitur non est necesse unum esse propter alterum. Respondetur ut dictum fuit super primo, quod ad esse unius rei præcise sine cointellectione alicujus alterius, non sequitur esse alterius, sed cointelligendo, quod una res sit, et cum hoc intelligendo, quod sit necessaria causa alterius, sequitur quod alia res est, vel erit, et sic implicaret contradictionem.

4. *Causa quomodo dividatur in quatuor genera Causarum.*

Secunda conclusio. Causa sufficienter dividitur in[b] quatuor genera causarum ad istum sensum, quia quidquid significatur generaliter, et communiter hoc nomine *causa* significatur magis determinate altero istorum terminorum, scilicet materia, forma, efficiens, vel finis ; et est sensus conclusionis iste, quod omnis causa est materia, vel forma, efficiens, vel finis. Probatur, quia ad omnem quæstionem quærentem *quid* de aliquo, convenienter respondetur per alterum istorum terminorum ; igitur hoc nomen *causa* sufficienter dividitur in ista quatuor genera. Tenet consequentia, quia quæstio propter quid quærit causam ; et antecedens patet inducendo.

Secundo, quia omnis effectus (c) est ab aliquo tanquam a causa, et sic est efficiens ; vel ex aliquo, vel de aliquo, et sic est materia ; aut per aliud, et sic est forma ; aut propter aliud, et sic est finis.

Compositi naturalis sunt quatuor causæ.

Tertia conclusio : Cujuslibet compositi naturalis sunt quatuor causæ. Probatur, quia quodlibet compositum naturale, vel est compositum, vel de novo genitum ; si de novo genitum, igitur est productum ab aliqua causa, cum nihil efficiat se ipsum, et sic est causa efficiens, et cum omne agens agat propter finem, sequitur quod talis compositi est aliqua causa finalis, et cum sit compositum, sequitur quod habeat materiam et formam. Si sit æternum ut corpus cœleste, scilicet pro aggregato ex orbe et Intelligentia, tunc habet causam efficientem, quæ est conservans, licet (d) non producens, scilicet Deum. Similiter habet finem, quia finis corporis cœlestis est continuatio generationis istorum inferiorum.

Similiter habet materiam, scilicet orbem, et formam saltem appropriatam, scilicet Intelligentiam. Et notandum, quod notabiliter dicitur in conclusione compositi naturalis; quia si accipiatur res naturalis large, ut se extendit ad accidentia, et ad substantias simplices, tunc non cujuslibet rei naturalis sunt quatuor causæ, ut probat primum argumentum ante oppositum.

5\. *[N]aturalis [co]nsiderat [de] quolibet genere [ca]usarum.* Quarta conclusio; de quolibet genere causarum est consideratio naturalis. Probatur, quia de illo est consideratio naturalis, quod dicitur in ordine ad motum, et operationem : modo quælibet causa dicitur causa in relatione ad effectum, et ad operationem, igitur de qualibet causa est consideratio naturalis. Patet igitur, quid sit causa; quot sunt genera causarum, et quod de causis est consideratio naturalis, et hæc de primo.

Causæ [co]incidunt [i]n idem [n]umero. Quantum ad secundum est prima conclusio. Causæ coincidunt (e) in idem numero, quia quatuor sunt genera causarum; igitur sex possunt fieri combinationes, ideo combinando videbitur, quæ coincidunt, et quæ non : et Primo est efficiens et forma, quæ coincidunt in idem numero, sed diversimode : quia illud idem, quod est forma compositi, est finis transmutationis. Secundo est materia, et forma. Tertio materia et finis. Quarto materia, et efficiens, quæ non coincidunt nisi căpiendo materiam large pro quocumque subjecto receptivo alicujus dispositionis; quia sic coincidunt materia et forma, nam anima quæ est forma compositi, est receptiva accidentium ipsius animæ.

Causæ [s]unt sibi invicem [c]ausæ. Secunda conclusio. Causæ sunt sibi invicem causæ, et hoc in diversis generibus causarum. Probatur, nam materia est causa receptiva formæ, et forma causa perfectiva materiæ. Secundo, quia labor est causa effectiva sanitatis, et sanitas causa finalis laboris. Contra conclusionem arguitur, quia si causæ essent sibi invicem causæ, sequeretur, quod idem esset causa sui ipsius. Consequens est falsum, et probatur consequentia : quia quidquid est causa causæ, est causa causati. Secundo sequeretur, quod idem esset prius et posterius, nobilius, et ignobilius respectu ejusdem; quia causa est prior, et nobilior causato : et ideo si idem respectu ejusdem sit causa, et causatum, sequitur consequens. Tertio sequeretur, quod posset fieri demonstratio circularis. Consequens est falsum primo Posteriorum, text. 22. et inde : et consequentia probatur, quia contingit demonstrare per quodlibet genus causæ, patet 2. Post. text. 48. et inde ad 56. et ideo si materia sit causa formæ, et e contra, contingit demonstrare materiam per formam et e contra. 6.
Respondetur negando consequentiam.

Ad probationem dicitur, quod hoc intelligitur in eodem genere causæ. Ad secundum negatur consequentia : quia non omnis causa est prior, et nobilior suo effectu; quia in causis est talis ordo secundum perfectionem, quod primo est causa finalis, secundo formalis, tertio efficiens, et quarto materia. Ad tertium conceditur, quod potest fieri demonstratio circularis in diversis generibus sciendi, quorum unum est genus sciendi per causam, et aliud per effectum : vel unum per unum genus causæ, et aliud per aliud genus causæ.

Tertia conclusio. Eadem causa est causa diversorum effectuum, imo etiam quandoque oppositorum, secundum diversas dispositiones, sive etiam contrarias, ut nauta per sui præsentiam est causa salutis navis, et per sui absentiam est causa periclitationis : et non debet intelligi, quod absentia naturæ faciat ad periclitationem; sed si nauta fuisset præsens, navis non periclitata fuisset. *Causa eadem est diversorum effectuum causa.*

Ad rationes. Prima soluta est. Ad secundam dico, quod magnitudinis Mathematicæ, ut est naturalis, sunt quatuor causæ. Ad tertiam dico, quod Deus non potest concurrere, et ad quodlibet aliqualiter se habere; quia non potest concurrere instrumentaliter ad agendum aliquod, sicut non potest concurrere ad materialiter agendum, ut dicunt Theologi. Ad quartam in propo-

sito intelligitur de causis per se, et hæc de quæstione.

ANNOTATIONES

7. *Relativa possunt considerari bifariam.*

(a) *Relativa non dicuntur ad convertentiam secundum esse*, etc. Nota, quod relativa bifariam considerari possunt : uno modo pro formali, id est, pro ipsis relationibus, quibus relativa referuntur; altero modo pro substrato, seu pro denominato, id est, pro subjectis, quæ referuntur. Priori modo relativa sunt simul natura, dicuntur ad convertentiam, et posita se ponunt, et perempta se perimunt ; posteriori autem modo non est necesse, atque adeo sola substantia causæ potest manere destructo effectu, licet causa manere non possit. Et si dicas, causa ex eo dicitur causa, quia produxit effectum, impossibile est autem illud, quod produxit, non produxisse : quia omnis propositio vera de præterito est necessaria, igitur impossibile est illud, quod aliquando est causa, non esse deinde causam : necessario igitur causa manet, etiam destructo effectu. Dico, si concedatur aliquando causam non posse non esse causam, concedendum est aliquando effectum non posse non esse effectum : quia sicut de illo, quod effecit, superest verum dicere, quod effecit ; ita de eo, quod effectum est, semper verum est dicere, quia effectum est, licet non semper existat, et per consequens semper manet effectus, sicut et causa, quoad *cognosci*, ut hic dicit Scotus. Et si iterum dicas causa existente, et nullo existente effectu, verum est dicere, quod causa est, et effectus non est : quia *esse* quando prædicatur secundum adjacens prædicat esse existere secundum Boetium ; igitur non sunt simul natura. Dico quod relativa sunt simul natura secundum illud esse, quod est eis proprium in quantum sunt relativa, sed illud non est esse existere ; quia hoc accidit eis in quantum referuntur, et ideo unum relativum potest sic esse non existente alio ; unde hæc consequentia non tenet, causa est, hoc est, existit, igitur effectus est, scilicet existit : licet teneat sumendo esse, ut est proprium causæ in quantum refertur, et consimiliter *esse* effectus ; istæ ergo relationes causa, et effectus, prius et posterius referuntur ad invicem, et sunt simul natura ; sed non res, quæ subsunt.

8. *Causarum quatuor esse genera inductione probatur.*

(b) *Causa sufficienter dividitur in quatuor genera causarum.* Nota quod hæc conclusio potest inductione in hunc modum probari. In omni re naturali debet inveniri quo res est ipsum quod est, hæc autem est forma ; ergo danda est causa formalis : rursus forma est actus, sed actus refertur ad potentiam, ergo dandum est aliquid cujus forma sit actus, hæc autem est materia, ergo danda est causa materialis. Deinde forma est aliquando actu in materia, interdum in potentia, ergo necessum est dare aliquid, quod reducat de potentia ad actum, hoc est efficiens, ergo danda est etiam hæc causa. Tandem natura nihil agit frustra, ergo dandum est aliquid cujus gratia fiat, hoc autem est finis, ergo danda est causa finalis ; ergo dantur hæc quatuor genera causarum. Item tot sunt genera causarum, quot formæ, seu modi interrogandi causam : at tantum quatuor sunt modi diversi, ergo et quatuor diversa genera causarum. Minor probatur, ipsas formas modosque interrogandi causam enumerando. Interrogamus enim propter quid fiat res, et hæc est causa finalis ; ex quo fiat res, quæ est causa materialis ; et a quo fiat res, quæ est causa efficiens ; et per quod, vel quo fiat res, quæ est causa formalis : non sunt autem plures modi interrogandi causam, ergo neque plures causæ.

9. *Causæ p[...] sunt a[...] multa[...] compara[...]*

(c) *Omnis effectus est ab aliquo tanquam a causa.* Nota, causas multipliciter posse comparari. Primo ad effectum, et sic prima causa est materia. Secunda est forma, quæ sunt intrinsecæ partes effectus. Tertia est efficiens, quæ est principium exterius motus, quo fit effectus : tandem sequitur finis, qui est ultimum in quo consistit motus. Secundo possunt comparari ad intentionem operandi ; et sic prima causa in ordine causandi est finis, quæ movet agens ad operandum. Secunda ipsum efficiens, quod movetur a fine. Tertia ipsa forma. Quarta materia, quæ perficitur forma. Possunt tertio considerari causæ secundum esse, et tunc prima est efficiens, secunda materia, tertia forma, quarta finis. Quarto modo considerantur secundum rationem agendi, et sic Prima est forma, ipsa enim est qua agens operatur. Secunda efficiens, quod operatur. Tertia est finis propter quem efficiens operatur. Ultima est materia, quæ recipit actionem, et movetur ab agente ad formam recipiendam.

Deus an causa e[...] ciens o[...] nium.

(d) *Cœlum habet causam efficientem conservantem, sed non producentem.* Nota quod difficultas est inter Philosophos, quid senserit Aristoteles de efficientia primi, nempe Dei, respectu aliorum. Quidam enim volunt eum sensisse multa esse penitus improducta, ipsumque Primum nihil immediate producere, neque etiam actione, velut motor immediatus alicui orbi appropriatus aliquod cœlum movere, quo mediante sit causa inferiorum, sed tantummodo per modum finis. Ita sensit Gregorius de Arim. in 2. dict. 1. quæstione 1. artic. 1. et Joannes Bavo in eodem loco.

Alii vero dicunt eum sensisse omnia alia entia a primo, qui est Deus, fuisse ab illo, 10.
vel immediate, vel mediate producta, immediate externa, ut sunt Intelligentiæ, et cœli ; mediate vero generabilia, et corruptibilia, ad quorum generationem concurrit

mediante motu cœli, quod ipse movet, vel immediate in genere causæ efficientis, ut aliqui volunt, vel genere causæ finalis, ut sensisse videtur Scotus quæst. 7. Quodl. et in 1. d. 8. quæst. 3. Et hanc sententiam defendit Scotus locis proxime relatis, et in 2. d. 1. quæst. 2. Observa tamen quod aliquid bifariam potest produci ; uno modo per motum, et transmutationem materiæ : quo modo agunt omnia agentia naturalia, et res naturales producuntur. Alio modo per simplicem emanationem, et hanc distinctionem tangit Commentator in lib. de substantia orbis, dicens, quoddam est agens, sive efficiens, sine motu, quoddam cum motu. Primum, inquit, præcedit actum natura, non tempore. Secundum vero præcedit effectum et natura, et tempore. Quando ergo hic dicit Scotus quod cœlum habet causam efficientem quæ est conservans, licet non producens, loquitur de productione Physica, quæ fit per motum, et mutationem.

Res aliqua bifariam produci potest.

11. *Causæ combinationis quot sint.*

(e) *Causæ coincidunt in idem numero.* Nota, quod littera Scoti scriptoris vitio est manca, et imperfecta, ut videre est : nam ex sex combinationibus non enumerat nisi quatuor. Posset autem in hunc modum corrigi, et suppleri, et primo est efficiens et forma, quæ coincidunt in idem numero ; sed diversimode, quia anima est efficiens respectu suarum operationum, nempe intellectionis, et volitionis, et est forma corporis. Secundo est forma et finis, quæ coincidunt in idem numero, quia illud idem, quod est forma compositi, est finis transmutationis. Tertio est materia, et forma, quæ coincidunt, accipiendo materiam large pro receptivo cujuscumque formæ : quia anima, quæ est forma corporis, est receptiva suarum operationum. Quarto est materia et finis, quæ coincidunt sumendo materiam large, quia forma quæ est finis generationis, est materia, seu subjectum propriarum operationum. Quinto est efficiens, et finis : quia anima, quæ est efficiens suarum operationum, est finis naturalis generationis. Sexto est materia, et efficiens ; quæ non coincidunt, nisi capiendo materiam large pro quocumque subjecto receptivo alicujus dispositionis, quia sic coincidunt materia, et efficiens : nam anima quæ est efficiens suarum operationum, est etiam ipsarum operationum receptiva. Observa insuper, quod non solum sex, imo duodecim possunt fieri causarum combinationes; nam primo potest combinari efficiens cum materia. Secundo efficiens cum forma. Tertio efficiens cum fine. Quarto materia cum efficiente. Quinto materia cum forma. Sexto materia cum fine. Septimo forma cum efficiente. Octavo forma cum materia. Nono forma cum fine. Decimo finis cum efficiente. Undecimo finis cum forma. Duodecimo finis cum materia. In his autem omnibus combinationibus si materia presse, et proprie sumatur, cum nulla alia causarum coincidit in idem numero.

EXPOSITIO TEXTUS

Modi autem(1) *causarum numero quidem sunt multi.* Hoc est secundum capitulum hujus tractatus, in quo Aristoteles agit de modis causarum, et primo proponit intentionem dicens, quod modi causarum sunt multi numero, principaliores tamen sunt in numero minori, et secundum Commentatorem modi causarum dicuntur proprietates, quibus causæ ejusdem generis differunt ab invicem. 12. Text. 32.

Dicuntur enim causæ multipliciter. Hic prosequitur, et primo proponit modos causarum. Secundo dividit ipsos per se invicem. Tertio ostendit quis modus est maxime quærendus, et Quarto ponit duas proprietates causarum. Secundum ibi : *Attamen hæ omnes*, Tertium ibi : *Oportet autem semper*. Quartum ibi : *Amplius aliæ quidem.* Ponit igitur quatuor modos causarum. Primus modus est, quod quædam sunt causæ priores, et quædam posteriores, ut Medicus est causa posterior sanitatis, et artifex est causa prior ; similiter si duplum sit causa formalis diapason, et numerus sit causa formalis dupli ; tunc duplum est causa posterior diapason, et numerus causa prior, et universaliter continens est causa prior contento.

Causarum modi sunt quatuor.

Notandum, quod ista proprietas non potest intelligi de rebus, quia ex quo idem est Medicus, et artifex sanitatis, idem non potest esse prior se ipso, et ideo intelligitur de terminis significantibus causas : modo istorum terminorum quidam est universaliter, et ille dicitur causa prior, et alius minus universalis, et ille dicitur causa posterior. 13.

Amplius (2) *autem ut accidens.* Ponit secundum modum, et est, quod (a) causarum quædam est causa per se, ut artifex dicitur causa per se statuæ ; aliæ sunt causæ per accidens, ut Polycletus est causa per Text. 33.

Vide contradictionem Zimaræ.

accidens statuæ. Sed contra, quia ex quo statuæ factor est idem cum Polycleto, sequitur quod si Polycletus sit causa per accidens statuæ, quod statuæ factor sit etiam causa per accidens statuæ, per Syllogismum expositorium ; ideo dicendum est, quod istæ dictiones, *per se, per accidens,* in proposito sunt determinationes totius propositionis, et faciunt propositiones in sensu composito : et tunc est sensus, quod terminorum de quibus dicitur causa statuæ, quidam sunt de quibus dicitur in propositionibus per se, ut dicendo, statuæ factor est causa statuæ. Alii sunt de quibus dicitur in propositione per accidens, ut dicendo Polycletus est causa statuæ. Et subdit Aristoteles quod causa per se dicitur secundum primum modum : nam animal est prior causa statuæ quam homo, et similiter de causa per accidens : quia albus est causa prior statuæ quam musicus, eo quod longius, id est, eo, quod iste terminus *albus* est communior.

Vide contradictionem Zimaræ.

14. Text. 34. *Præter* (3) *omnes autem.* Tertius modus est, quod causarum quædam sunt causæ in actu, ut ædificans, quia actu ædificat : aliæ sunt causæ in potentia, ut aliquis dicitur ædificator, quia potest ædificare, licet actu non ædificet ; et subdit (4) Philosophus, quod sicut dividuntur causæ, ita possent dividi causata.

Text. 35. *Amplius* (5) *autem connexæ, et hæ, et illæ dicentur.* Hîc ponitur quartus modus, et exponitur de terminis sicut primus, quod terminorum, de quibus dicuntur causæ, quidam sunt incomplexi, ut Polycletus est causa statuæ ; alii sunt complexi, ut Polycletus statuæ factor est causa statuæ.

Text. 36. *Attamen omnes hæ.* Hic dividit istos modos per se invicem, dicens, quod quilibet istorum modorum dividitur per alium. Nam causa per accidens quædam est prior, et quædam posterior, quædam in actu, et quædam in potentia, et quædam complexa, et quædam incomplexa. Similiter causæ complexæ, quædam sunt priores, et quædam posteriores, quædam actu operantes, et quædam secundum potentiam, et ita de aliis : nulla tamen est complexa causa ex propinquo, et remoto, ex actu operante, et in potentia solum operante, quia hoc est impossibile. Et subdit Philosophus quod (6 causæ in actu, et in potentia ab invicem differunt : quia causæ simplices actu operantes simul sunt, et non sunt cum effectibus, quorum sunt causæ : ut Medicus simul medicatur, quando aliquis sanatur, sed causæ in potentia non sunt cum suis effectibus simul, sicut non oportet, quod simul sint ædificator, et domus, quia unum manet reliquo corrupto. Text. 37

15. Text. 38. *Oportet* (7 *autem semper.* Ostendit quæ istarum causarum maxime est quærenda, dicens, quod maxime oportet quærere summam causam, et per summam intelligit causam propinquissimam effectus : sicut in principio hujus tractatus dixit, quod oportet quærere cognitionem omnium causarum a prima, quæ est remotissima, usque ad propinquissimam, vel e contra.

Universalium causæ sunt universales, et singularium singulares.

Amplius alia quidem genera sunt generum. Ponit duas proprietates causarum. Prima est, quod causarum generalium sunt effectus generales, id est, quod sicut terminorum, qui significant causas, quidam sunt generales, ita eis correspondent termini generales, significantes effectus, et terminis singularibus significantibus causas, correspondent termini singulares, significantes effectus. Secunda proprietas est, quod causæ in potentia sunt causæ effectuum potentialium, et causæ actu operantes sunt causæ effectuum operatorum, scilicet illorum, qui sunt in operari, et nunc incomplete operata sequuntur.

ANNOTATIONES

16. (a) *Quod causarum quædam sunt per se, quædam sunt per accidens* : causæ per se sunt a quibus effectus per se, et necessario dependent aliquo genere illorum quatuor. Causa per accidens est, a quo non per se, et necessario dependet effectus. Rursus causarum quædam sunt priores, seu universales, quæ etiam remotæ dicuntur : quædam vero posteriores, seu particulares, quæ proximæ appellantur. Rur-

sus causarum alia est simplex, alia conjuncta, illa scilicet, quæ conjungitur ex causa per se, et per accidens. Causarum insuper quædam sunt in potentia, quædam vero in actu : inter quas hoc est discrimen, quod causæ in actu cum suis effectibus actu mutuo convertuntur, ut si est curans in actu, est qui sanatur in actu, etsi non ponitur causa neque effectus : unde valet consequentia a causa in actu ad effectum in actu, sive affirmative, sive negative : causa tamen in potentia non ita se habet cum suo effectu, potest enim hic ædificator existere, quando ædificium non existit, si ipse non ædificet actu.

Alia divisio causarum ab aliis additur, videlicet quod alia sit causa univoca, alia vero æquivoca. Causa univoca est, quæ producit sibi similem effectum in specie, ut leo leonem. Causa æquivoca est, quæ producit effectum dissimilem in specie, ut Sol respectu effectuum inferiorum. Rursus etiam dividitur causa in principalem, et instrumentalem. Principalis causa ea est, quæ virtute propria operatur; instrumentalis autem, quæ dependenter a principali operatur. Ex divisione causarum colligitur ab Aristotele membra dividentia causam esse sex, videlicet per se causam universalem, per se causam particularem, causam per accidens universalem, causam per accidens particularem, causam simplicem, causam conjunctam. Non autem numeravit causam in potentia, et in actu : quoniam quælibet prædictarum potest esse in actu et in potentia.

QUÆSTIO VIII

Utrum sit aliqua causa efficiens

Aristot. *cap.* 3 *text.* 29 Aver. *comm.* 29. *et* 8. *Metaph. comm.* 7. Simplic. et Themist. *hic.* Augustinus 7. *de Civit. cap.* 30. Avicembron. *in lib. Fontis vitæ.* Avicenna *lib.* 1. *suffic.cap.* 10 *et* 9. *Metaph. cap.* 4. *et* 5. D. Thomas *lect.* 5. *et* 3. *con. Gen. cap.* 69. *et* 1. *par. quæst.* 105. *art.* 5. *et in* 2. *dis.* 1. *quæst* 1. *art.* 4. Aliacus *in* 4. *dist.* 1 *art.* 1. Scotus *ibid.* Capreol. *in* 1. *dist.* 42 *art.* 3. Mayron. *in* 2. *Phys. par.* 6. Conimbric. *in cap.* 7. *quæst.* 11. Ruvius *tract.* 4. *de causa efficiente, quæst.* 2.

1. Arguitur quod non : quia vel efficiens esset causa quando agit, et hoc non : quia tunc effectus adhuc non est, quia quando fit non est, ut patet *primo Perihermenias* : modo ejus quod non est, nulla est causa. Vel quando non agit, et hoc non : quia tunc nihil efficit, et per consequens non est causa efficiens.

Secundo, quia causa, et effectus simul sunt, et non sunt, ut dicit Aristoteles 2. hujus, text. 3. sed efficiens, et effectus non sunt simul; igitur efficiens, non est causa. Minor est nota, quia pater quandoque mortuus est, prius quam sit formatus filius in utero matris, et tunc efficiens, et effectus nunquam sunt simul.

Tertio, quia causa est nobilior causato, ut patet 2. hujus, text. 4. et præcipue intelligitur de causa efficienti, ut patet in 3. *de Anima. text.* 19. ubi dicitur, quod agens est præstantius passo, sed efficiens non est nobilior effectu : nam in generatione univoca, effectus est æque nobilis, nam homo generat hominem 2. hujus, et tamen unus homo non est nobilior alio ; similiter in generatione æquivoca, agens est minus nobile passo, seu efficiens effectu, ut calor est minus nobilis, quam genitum a calore per putrefactionem, igitur efficiens non est causa.

Quarto sequeretur, quod quodlibet efficiens esset infinitæ virtutis, consequens est falsum, et probatur consequentia : nam producit rem ab infinita distantia : nam si medietas effectus præfuisset, tunc produxisset effectum ab aliqua distantia, et si præcise in quadruplo præfuisset, tunc produxisset ipsum a majori distantia, et sic in infinitum ; igitur cum nihil ipsius effectus præfuerit, sequitur, quod produxit ipsum ab infinita distantia.

Quinto quando agens, et passum sunt applicata ad invicem, vel aliquid postea est in passo, quod prius fuit in agente, vel nihil ; si nihil, tunc sequitur, quod solus contractus corporum sufficiat ad actionem, quod est falsum ; si aliquid, tunc sequitur, quod effectus non est productus de novo, sed præfuit in agente. 2.

Sexto, si efficiens esset causa alicujus effectus, sit ille effectus *A* ignis, qui imaginetur dividi in partes proportionales, ita ut partes minores terminentur versus agens.

Tunc sit prima pars proportionalis, videlicet medietas remotior ab agente, quæ vocetur *B*, secunda *C*, tertia *D*, et sic in infinitum : tunc arguitur sic, *B* non producitur ab agente dato *C*, non producitur ab eodem, nec *D*, et ita de aliis ; igitur *A* non producitur ab ipso. Tenet consequentia, quia aliter aliquod causatum produceretur ab aliquo agente, cujus tamen nulla pars produceretur ab ipso : et antecedens patet, quia inter *B*, et agens est pars intermedia similis agenti, et per consequens agens non agit per ipsam in *B* partem distantem, et ita arguitur de qualibet alia parte.

Divisio quæstionis

Oppositum arguitur per Aristotelem 2. hujus, tract. 3. c. 1. tex. 29. In quæstione primo videbitur, an sit aliqua causa efficiens, et quæ sit. Secundo videbitur de quibusdam modis causæ efficientis.

Quantum ad primum notandum, quod causa (a) efficiens est illud, propter quod alterum est tanquam ab illo, ut ignis est causa efficiens caloris : quia calor est propter ignem tanquam ab igne, et per illam particulam *tanquam ab illo*, differt causa efficiens ab aliis causis, et ideo quando Aristoteles dicit, quod causa efficiens est unde est principium motus, intelligit, quod causa efficiens est unde est principium motus tanquam ab illo, scilicet effective.

3. Secundo notandum, quod effectus causæ efficientis potest esse res permanens, vel successiva nova, vel æterna. De æterna, verbi gratia, dicimus, quod Intelligentia cognoscit, et intelligit per cognitionem æternam.

Aliquid est de novo productum.

Nunc sunt duæ suppositiones. Prima est, quod aliquid est de novo productum. Patet ex quæstionibus primi libri. Secunda suppositio, quod nihil producitur de novo a se ipso. Probatur, quia producens de novo saltem principale est nobilius effectu producto; modo idem non est nobilius se ipso, et ista suppositio debet accipi tanquam nota, quia non indiget probatione.

Aliqua est causa efficiens.

Ex his ponuntur conclusiones. Prima est ista ; aliqua est causa efficiens. Probatur, aliquid producitur de novo per primam suppositionem, et non a se ipso per secundum, igitur ab aliquo alio ; ergo per definitionem causæ efficientis illud aliud est causa efficiens.

Secunda conclusio. De nullo effectu potest sciri evidenter, scilicet evidentia simpliciter, quod fuerit productus ab isto agente quocumque demonstrato probato. Probatur sic ; quia si sic, sit ille calor productus in stupam per ignem ; non potest evidenter ostendi, quod ignis fuerit causa hujus caloris propter duo. Primo, quia diceretur, quod esset aliquod agens ignotum productum ab igne, quod produceret illum calorem, et non ignis. Secundo, quia diceretur quod Deus (b) producit illum calorem ; sed non nisi præsente igne ; et neutrum istorum potest demonstrative improbari. Verum est tamen, quod habemus evidentiam naturalem sufficientem, quod aliquis effectus sit productus ab aliquo agente, ut de lumine medii, quod producitur a candela, de calore stupæ, qui producitur ab igne approximato ; nec oportet demonstrare tales hujusmodi causas, de quibus non habemus sensum, aut experientiam, aut verisimilem conjecturam ex sensatis. 4.

Res suc siva de det co nue a efficien

Tertia conclusio. Res (c) successiva, si aliqua sit, dependet continue a suo efficiente. Probatur : quia non fit sonus nisi dum sonans percutit, nec motus nisi dum motor movet, et sic de aliis successivis. Sed de aliis effectibus, qualiter dependeant, et qualiter non, patebit ex modis causæ efficientis. 5.

Causa ciens causa trinsec

Ex suppositione, et conclusionibus sequitur, quod causa efficiens sit causa extrinseca. Secundo sequitur, quod de aliquo effectu est notum, et evidens, quod fit a causa efficiente, et tamen de causa efficiente, ignotum est, quod sit illud, de quo notum est, quod fiat a motore, a quo tamen fiat forte non est evidens. Tertio sequitur, quod aliqua est causa producens, ut ignis qui producit calorem, et aliqua conservans, ut corpus lucidum, quod conservat lumen. Patet igitur, quod aliqua est causa efficiens, et quæ sit definitive, et hoc de primo.

Quantum ad secundum nota, quod Aristoteles in littera enumerat quatuor modos causarum communes quatuor generibus causarum, ut puta, quædam est causa per se, quædam per accidens, quædam prior, quædam posterior : quædam in actu, quædam in potentia, quædam complexa, quædam incomplexa ; de quibus dictum est in textu, ideo ad præsens nihil de eis. Sed ad præsens specialiter est dicendum de modis causæ efficientis, qui possunt reduci ad quinque modos. Primus modus est, quod quædam est causa efficiens producens tantum, quædam conservans. Secundus modus, quoddam est efficiens totale, aliud partiale. Tertius modus, quoddam est efficiens mediatum, aliud immediatum. Quartus modus, quoddam est efficiens universale. Quintus modus, quoddam est efficiens principale, aliud instrumentale. Ad præsens dicam de primo, et de aliis in alia quæstione.

a effi- ntis ...que modi.

6\. Quantum ad primum modum notandum, quod aliquid dicitur causa conservans tripliciter, uno modo sicut locus dicitur causa conservativa locati, ut patet 4. hujus, text. 48. propter hoc, quod habet aliquam qualitatem similem qualitati locati. Secundo modo dicitur causa conservans, quæ est occasio conservandi, ut nauta dicitur causa conservativa navis, et isti duo modi sunt improprii. Sed tertio modo dicitur causa conservans, et propria, quæ continue influit in effectum, virtute cujus influentiæ ille effectus est, et manu tenetur : quia subtracta illa influentia causæ conservantis ille effectus non esset, et sic effectus dependet a causa conservante, non solum in *fieri*, imo etiam in *facto esse*, et in *conservari*. Sed causa producens tantum est illa, a qua dependet tres in *fieri*, licet non in *conservari*, ut calor dum manet remoto agente, a quo producebatur.

...a con- ...ns di- ...r tri- modis.

Nunc ponuntur aliquæ conclusiones. Prima est ; Possibile est aliquem effectum æternaliter dependere a causa conservante. Probatur, et accipiam lumen, quod est in orbe Lunæ, et lumen quod in orbe Solis ; tunc ista duo lumina sunt ejusdem rationis; igitur unum non minus dependet a suo efficiente, scilicet Sole, quam reliquum, sed unum scilicet lumen orbis Lunæ dependet a Sole ; igitur cum corrumpitur per umbram terræ, generatur simile a Sole remota umbra ; igitur lumen quod est in orbe Solis dependet a Sole, et illud est æternum ; igitur possibile est, quod aliquis effectus dependeat æternaliter a suo efficiente.

Secundo, quia a Deo dependet cœlum, et tota natura, ut patet in 1. Metaph. text. 38. non solum in genere finis conservantis, igitur in genere causæ efficientis, ut debet videri in 12. Metaph. text. 13. sed cœlum est æternum, ut patet 8. hujus, tex. 38. igitur possibile est quod aliquis effectus dependeat æternaliter a causa efficiente.

Tertio per exemplum : nam si pes fuisset in pulvere æternaliter, vestigium fuisset causatum a pede ab æterno ; ergo, etc. Ex isto sequitur, quod potest convenienter salvari, mundum esse creatum a Deo, et tamen hoc non esse contra demonstrationem Aristotelis 8. hujus, text. 10. et inde. Probatur, quia Aristoteles nititur ibi ostendere, quod mundus est perpetuus, et tamen per conclusionem præsentem possibile est, quod aliquid perpetuo dependeat a sua causa.

Secunda conclusio. Effectus causæ conservantis non minus dependet a causa sua, postquam factus est, quam dependeat in *fieri*. Probatur, quia Sol non habet se aliter conservando lumen productum, quam producendo novum ; imo non cum majori conatu producit, quam conservet, imo omnino eodem modo dependet lumen in *conservari*, sicut in *fieri*. Et sicut dicitur de lumine respectu luminosi, ita potest dici de istis inferioribus respectu Dei, scilicet quod quodlibet istorum inferiorum tam dependet a Deo, quando productum est, sicut quando producitur ; et ideo si *A* sit causa conservans *B*, sequitur quod si *A* non est, vel non conservet *B*, quod *B* non est. 7.

Effectus nedum in fieri, sed etiam in facto esse dependet a causa conservante.

Sed contra objicitur : quia sicut patuit super primo in quæstione de modo natura- 8.

lis conservationis, res naturalis potest conservari sub minori dispositione, quam produci potest; igitur res naturalis non tantum dependet ab efficiente in *conservari*, quantum in *fieri*. Secundo, quia si Deus continue influeret in istis inferioribus, sequeretur, quod quælibet res esset successiva ex quo continue per novam influentiam fieret de novo.

Ad primum istorum dico, quod non est simile de causa prima conservante, et aliis dispositionibus naturalibus, mediantibus quibus effectus conservatur: nam prima causa conservat, et agit sine conatu; sed dispositiones naturales, ut caliditas, frigiditas, et hujusmodi, sæpe conservant cum conatu, scilicet quando contrarium est applicatum.

Ad secundum, dico, quod non debet intelligi, quod quælibet res alia a Deo continue noviter producatur, sed debet intelligi, quod continue conservatur per primam causam, ita ut si vellet non conservare, illa res esset.

9. *Causa producens tantum, et causa conservans septem modis differunt.*

Ex quo possunt inferri quædam differentiæ inter causam producentem tantum, et causam conservantem. Differunt enim primo quia causa conservans est nobilior, et perfectior suo causato: ut luminosum est perfectius lumine, et prima causa est perfectior aliis: sed de causa producente, quæ non est conservans, non oportet, ut argutum fuit ante oppositum. Secundo differunt, quod causa conservans non necessario præcedit suum effectum: imo simul est cum effectu. Unde si luminosum esset subito præsentatum medio disposito ad receptionem luminis, subito produceret lumen; sed causa producens necessario præcedit suum effectum. Tertio differunt ex parte motus: quia agens producens agit per verum motum, vel mutationem; sed conservans non nisi improprie. Quarto differunt, quia agens producens agit successive; sed conservans agit subito quantum est ex parte sui. Quinto differunt ex parte effectus: quia possibile est, quod aliquis effectus dependeat æternaliter a causa conservante; sed hoc est impossibile de causa producente tantum. Sexto, quia effectus causæ conservantis dependet a causa sua in *conservari*, et in *fieri*, sed effectus causæ producentis dependet a causa sua in *fieri* solum. Septimo, quia effectus causæ conservantis non habet contrarium, ut patet de lumine, sed effectus causæ producentis habet; patet igitur, quid sit causa conservans, et quæ producens, et quomodo differant ab invicem, et hoc de primo modo.

Quantum ad secundum modum, notandum, quod quando plures causæ concurrunt ad eumdem effectum, vel illæ causæ sunt sibi invicem causæ subordinatæ, vel non. Si non; tunc vel omnes concurrunt per modum unius causæ, vel per modum diversarum causarum. Exemplum primi, quia ad (p) generationem Socratis concurrunt pater suus, cœlum, Intelligentiæ, et Deus: et in talibus causis subordinatis nulla dicitur totalis, vel partialis: imo quælibet talis producit totum effectum. Unde non est imaginandum, quod de igne genito Deus producat unam partem, et ignis generans aliam, imo quælibet causarum subordinatarum producit totum effectum, ad quem concurrunt. Exemplum secundi; ut si plures homines traherent navem mediante una chorda, omnes illi concurrunt per modum unius causæ, et in illis non invenitur causa totalis, vel partialis, quia quilibet trahit totam navem, et ex hoc non sequitur, quod alii superfluant: quia nullus trahit totam navem totaliter, ut ly *totaliter* designat totam virtutem trahentis. Exemplum tertii, ut si Socrates, et Plato applicentur ad levandum unum lapidem a diversis partibus, quem neuter illorum sufficeret levare solitarie, tunc ad levationem lapidis, isti duo concurrunt per modum diversarum causarum, et ideo uterque eorum est causa partialis levationis, et hoc de secundo modo.

Quantum ad tertium modum, notandum, quod aliqua causa dicitur universalis tripliciter: uno modo in prædicando, et sic, terminus communior significans causam est

Cau... citu... vel... trip...

universalior, quam terminus minus communis, ut artifex est causa universalior, quam ædificator, et hoc dictum est in textu. Alio modo dicitur causa universalis in causando, et tunc universalitas causæ attenditur penes diversitatem effectuum, quos illa causa potest producere. Secundo penes diversitatem locorum, in quibus potest simul producere diversos effectus; et tertio penes diversitatem temporum, in quibus potest producere diversos effectus successive, ita quod illa causa dicatur universalior, quæ potest simul producere effectus plures in pluribus locis, aut in pluribus temporibus potest plures effectus producere.

Ex quibus sequitur, quod Deus est causa universalior, quam cœlum, et cœlum causa universalior sole, et sol causa universalior quam ignis hîc inferior; et ideo causa dicitur maxime particularis, quæ unius solius effectus est productiva. Et sic patet quæ causa dicatur universalis, et quæ particularis, et hoc de tertio modo.

12. *Causa potest tripliciter dici immediata vel mediata.*

Quantum ad quartum, notandum, quod aliqua causa potest dici mediata, vel (e) immediata alicujus effectus tripliciter: uno modo dicitur causa mediata, quia non est conjuncta effectui secundum locum, et sic cœlum dicitur causa mediata hujus effectus: scilicet ignis hîc producti; sed isto modo Deus dicitur causa immediata; non quia proprie conjungatur effectui, sed quia cuilibet rei ipse est indistans. Secundo modo dicitur causa mediata, quia non influit in effectum: et isto modo agens consiliativum, vel occasionale potest dici causa mediata, et tunc illa causa dicitur immediata, quæ influit in effectum, et sic cœlum dicitur causa immediata effectus hîc producti, quia licet non attingat effectum, immediate tamen in ipsum influit, ut patet *primo Meteororum*, et sic tangit ipsum secundum influentiam. Tertio modo dicitur causa immediata, quæ non determinatur per aliud agens magis particulare ad producendum hoc, vel illud, sed dicitur causa mediata, quæ determinatur per unum, vel plura agentia particularia, ad productionem istius effectus, magis quam alterius. Verbi gratia, causæ universales ut Deus, et cœlum, dicuntur causæ mediatæ effectus hîc producti, eo quod ad productionem illius effectus determinantur per agentia particularia, ut puta per ignem, et calorem, et per motum, et lumen: et sic ignis dicitur causa immediata, vel etiam calor, quia non determinatur per aliquod agens magis particulare ad producendum hoc, vel illud, et sic patet quæ causa dicatur mediata, et quæ immediata.

De quinto notandum, quod de causis 13.
concurrentibus ad eumdem effectum semper causa principalior est perfectior, et nobilior; et e contra causa minus principalis, seu instrumentalis est causa minus perfecta sive ignobilior, ita ut principalitas causæ sit per comparationem plurium effectuum ad invicem respectu ejusdem effectus, quæ cognoscitur penes comparationem ipsarum ad invicem in perfectione, et nobilitate. Et si quæratur penes quid attenditur perfectio, et nobilitas causæ: respondetur, quod perfectio et nobilitas causæ potest cognosci ex tribus, primo, supponendo, quod in ordine causarum sit una causa prima independens ab aliquo alio, et a quo omnia alia dependent, ut patet 2. *Metaphysicæ*, quæ causa est perfectior, et nobilior omnibus aliis causis.

Perfectio causæ ex tribus cognosci potest.

Tunc dico primo, quod perfectio causæ cognoscitur per appropinquationem ad causam primam secundum perfectionem, ita ut demonstratis duabus causis, quarum una est propinquior causæ primæ, et alia remotior, tunc illa propinquior est perfectior remotiori. Secundo cognoscitur perfectio causæ per modum agendi: quia illa causa est perfectior, quæ agit conservando, et cum hoc producendo, quam illa quæ agit producendo tantum. Similiter modus agendi subito, est perfectior quam modus agendi successive. Tertio cognoscitur per nobilitatem effectuum, et ideo dicitur, quod magnitudo effectus demonstrat omnipotentiam conditoris.

Ex quibus sequitur comparando causas

ad invicem, quod dispositio accidentalis est causa minus principalis, quam forma substantialis, et quod omnium causarum concurrentium ad aliquem effectum causa prima est principalissima, nec potest ministerialiter concurrere ad aliquem effectum. Et sic patet, quæ causa dicatur principalis, et quæ instrumentalis, et hæc de quinto modo.

14. Nunc ad rationes. Ad primam dico, quod causa est efficiens, quando agit : nec obstat, quod effectus non est ; quia causa dicitur efficiens effectus, eo quod est effectiva transmutationis ad effectum.

Ad secundam, causa et effectus simul sunt, etc. dico, intelligitur maxime de causa conservante ; sed de producente exponitur sic, quod dum effectus actu producitur, causa actu producit.

Ad tertiam dico, quod in omni actione causa principalis, ut est Deus, est nobilior effectu producto, sed de minus principalibus, et instrumentalibus non oportet.

Ad quartam, negatur consequentia, ut est proprie illa distantia. Ad probationem dico, quod non fit ibi additio secundum proportiones (f) multiplices, sed præcise secundum proportiones superpartientes, vel superparticulares, et ideo producere totum est præcise duplo difficilius, quam producere medietatem. Ideo nego consequentiam.

Ad quintam dico, quod nihil est in passo, quod prius fuit in agente, nec actio fit per exitum alicujus ab agente ; nec ex hoc sequitur, quod solus contactus sufficiat ad actionem ; imo requiritur, quod agens habeat in se aliquod principium, mediante quod sufficiat transmutare passum.

Ad sextam nego consequentiam, et propter istud dico, quod nullis duobus ignibus determinatur, verum est de uno, quod sit productus ab alio præcise, sed semper ab alio mediante adminiculo partium prædictarum prius, et hoc sufficit ad demonstrandum hoc esse agens illius, et hæc de quæstione.

ANNOTATIONES

(a) *Causa efficiens est illud, per quod alterum est tanquam ab illo :* Nota causam esse ad cujus esse aliud sequitur emanatione reali, ubi ly *aliud* denotat effectum aliam naturam numero distinctam habere a causa, ex quo sequitur Theologice, quod Verbum divinum non est effectus Patris æterni, nec pater est ejus causa : similiter Spiritus sanctus non est effectus Patris, et Filii, neque Pater, et Filius ejus causa, quamvis enim Pater producat Filium, et Pater, et Filius, Spiritum sanctum, tamen eamdem numero naturam divinam habet Filius cum Patre, et Spiritus sanctus cum Patre, et Filio. 15. *Definitio causæ.*

(b) *Diceretur, quod Deus producit illum calorem.* Nota quod Gabriel Biel in 4. d. 1. quæst. 1. tenet solum Deum producere quotquot effectus hic in inferioribus producuntur, causasque secundas nihil agere, sed solum esse præsentes ad tales effectus producendos, ita quod Deus ad præsentiam ignis calefacit, et ad præsentiam aquæ frigefacit. Cæterum hæc Gabrielis opinio est erronea, adversatur enim sacræ Scripturæ. Nam Gen. 1. dicitur, *Germinet terra herbam virentem, et lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum.* Ubi datur virtus agendi rebus. Et Dam. 2. de fide Orthodoxa, cap.9. inquit : Dedit Deus plantis virtutem altricem, auctricem, et generatricem ; et D. Ambros. 3. Hexaemeron, cap. 6. et 8 : Dedit, inquit, Deus terræ virtutem generandi herbas ex semetipsa sine alterius adjutorio.

(c) *Res successiva si aliqua sit, etc.* Nota quod ideo dicit Scotus, si aliqua sit : quia fuit aliquorum sententia, motum non distingui a mobili, et a termino *ad quem* ; sed esse idem realiter, et formaliter cum mobili, et cum termino ; quæ opinio est valde improbabilis : nam cum in motu alterationis acquiratur accidens, et mobile sit substantia, idem formaliter erit substantia, et accidens. Aliorum sententia fuit, motum idem esse realiter cum mobili, distingui autem realiter a termino. Hæc opinio in hoc, quod dicit motum esse idem realiter cum mobili, coincidit in idem fere inconveniens, in quod prima opinio ; in hoc autem quod asserit motum distingui realiter a termino, videtur contradicere Aristoteli affirmanti motum non esse præter rem ad quam est. Propter ergo has duas opiniones locutus est hic Scotus dubitative ; quæ autem sit ejus sententia videbimus in 3. hujus, quæst. 7. 16.

(d) *Ad generationem Socratis concurrunt pater suus, cœlum, Intelligentiæ, et Deus.* Nota quod Deus immediate concurrit cum *Deus immediate concurrit*

n omni ... sa secunda. omni causa particulari ad quemcumque effectum, quod non solum est verum secundum Philosophos, sed etiam est certum secundum Theologos. Nam Job 10. dicitur, *Manus tuæ Domine fecerunt me*: et Psal. 146. *Qui producit in montibus fœnum*: et Matth. 6. *Fœnum agri sic vestit Deus*, etc. et Joan. 5, *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*. Patet etiam ex Proclo Philosopho in lib. de causis, c. 1. dicente, omnis causa primaria plus est influens, super causatum suum, quam causa universalis secunda: quia causa universalis prima agit in causatum causæ secundæ, antequam agat in ipsum causa universalis secunda; et parum infra dicit, omnem operationem, quam causa secunda efficit, prima etiam causa efficit. Unde D. Augustinus 3. de Trinit. cap. 3. et 4. vocat creaturas proximas causas; Deum vero primam, quæ si suspenderet actionem suam, causæ inferiores non agerent, ergo Deus cum illis operatur.

17. *...urandi ...ronea ...ntentia.* Ex hoc sequitur erroneam esse Durandi sententiam in 2. Sententiarum d. 1. asserentis ita causas particulares suos effectus producere, ut nulla superiori causa, neque ipso Deo indigeant adjuvante: quia virtute (inquit) jam ab ipso tradita Deo operantur.

...ausam ...mediate ...tingere ...ffectum ...fariam ...ontingit. (e) *Aliqua causa potest dici mediata, vel immediata, etc.* Nota quod aliquam causam immediate attingere effectum dupliciter contingit. Uno modo in mediatione suppositi, altero vero modo immediatione virtutis. Agere immediatione suppositi est, quod ipsum suppositum agens attingat suppositum patiens, ut si ignis applicetur combustibili; et e contra, illud dicitur agere mediate mediatione suppositi, quod applicat aliud suppositum ad agendum: Ut pictor penicillo attingit tabulam, in qua pingit, et faber lignarius per serram scindit lignum. Illud autem dicitur agere immediate immediatione virtutis, quod agit virtute propria, non attingens per se ipsum recipiens; ut Sol virtute sua attingit hæc inferiora, quæ calefacit, ipsum vero suppositum Solis non jungitur ipsi terræ, quam calefacit: et e contra illud dicitur agere mediate mediatione virtutis, quod agit virtute aliena, ut serra non propria virtute scindit lignum, sed quia mota est ab artifice. Causæ igitur particulares attingunt ad suos effectus producendos, aliquando immediate immediatione suppositi, et semper immediatione virtutis. Causæ vero universales secundæ, ut Sol, et cœlum attingunt immediate immediatione virtutis tantum: Deus autem qui est prima et universalissima causa intimius, et immediatus, quam omnes causæ utroque modo immediationis attingit effectus: quia ut hic dicit Scotus cuilibet rei est indistans, quia in omnibus est per essentiam.

Observa tamen, Deum quadrupliciter habere causalitatem in his inferioribus. Primo quia dat virtutem operandi aliis causis. Secundo: quia conservat virtutem illarum causarum, earumque esse ut operentur. Tertio, quia moventur a Deo, prius enim natura Deus movet orbes cœlestes, causasque particulares ad agendum, quamvis omnes simul concurrant ad operationem, neque datur instans, in quo Deus sine causis, aut e contra operetur. Quarto ut artifex operatur per instrumenta; sic Deus cum istis causis. Similitudo autem stat in hoc, quod sicut artifex diversis instrumentis diversa operatur: sic Deus diversis causis. Est autem dissimilitudo: quia Deus ex eo quod essentia ejus est infinita immediatissime quacumque immediatione attingit effectum; artifex autem non nisi mediante instrumento. Secundo etiam sunt dissimiles, quod instrumentum nullam a se actionem habet: quia nullam habet virtutem agendi in se ipso permanentem, sed tantum motum recipit ab artifice; causæ vero secundæ receperunt a Deo virtutes, quibus vere operantur, quamvis a Deo dependenter. 18. *Deus quatuor modis causat in his inferioribus.*

(f) *Non fit ibi additio secundum proportiones multiplices*, etc. Nota (ut diffusius videbimus lib. 7. Physic.) quod proportio est multiplex, scilicet alia rationalis, alia irrationalis. Proportio rationalis alia æqualitatis, alia inæqualitatis. Proportio inæqualitatis alia est majoris, alia minoris inæqualitatis, quarum quælibet quid sit, videbimus ubi supra. Pro nunc observa, quod proportio majoris inæqualitatis alia est multiplex, alia superparticularis, et alia superpartiens. Proportio multiplex est habitudo duarum quantitatum, quarum una continet aliam adæquate aliquoties, qualis est quaternarii ad binarium. Proportio superparticularis est proportio duarum quantitatum, quarum major semel minorem continet, et unam ejus partem aliquotam, qualis est proportio ternarii ad binarium. Ternarius enim continet binarium semel, et præterea unum, quod est pars aliquota binarii. Proportio superpartiens est proportio duarum quantitatum, quarum major continet semel minorem, et ejus aliquot partes aliquotas, id est, quarum quælibet sit aliquota, dummodo non faciant simul conjunctæ unam aliquotam: nam si faciant unam aliquotam, erit proportio superparticularis supra dicta. Hujusmodi proportionem habet quinarius ad ternarium: quinarius enim continet semel ternarium, et duas unitates, quarum quælibet est pars aliquota ternarii, ambo vero simul nullo modo sunt ejus pars aliquota. Istarum autem proportionum sunt multæ species, ut videbimus loco supra relato, applica ad propositum et speculare. 19. *Proportio est multiplex.*

QUÆSTIO IX

Utrum finis sit causa

Aristot. *cap.* 3. *text.* 29. *et* 32. *cap.* 8. *text.* 77. *et* 1. *de partibus animal. cap.* 1. *et* 1. *Metaph. cap.* 3. Simplic. Philopon. Themist. 2. *Physic. text.* 29. Averroes *comm.* 29. Albert. 2. *Physic. tract.* 2. *cap.* 5. D. Thom. 2. *Physic. cap.* 3. *et* 1. *par. quæst.* 6. *art.* Mayron. 2. *Physic. part.* 7. Suarez *tom.* 1. *Met. disp.* 23. Fonseca *tom.* 2. *Metaph. lib.* 5. *cap* 2. *quæst.* 11. Canonic. 2. *Physic. quæst.* 3. *art.* 1. Conimbr. 2. *Physic. cap.* 7. *quæst.* 20. Compluten. *disp.* 14. *quæst.* 2. Ruvius *tract.* 5. *q.* 1. Roccus *q.* 7. Fuentes 2. *Phys. q.* 7. *diffic.* 2. Faber. *Theorem.* 56.

1. Arguitur quod non : quia principium, et causa sunt idem, sed finis non est principium : igitur non est causa. Major patet per *quid nominis* istorum terminorum *causa*, et *principium*. Et minor est nota : quia principium, et finis ex opposito distinguuntur.

Secundo : quia vel finis est causa, quando effectus est, et hoc non : quia quando est labor, nondum est sanitas propter quam homo laborat, vel quando effectus non est : et hoc non, quia bene sequitur, hoc non est, igitur hoc non est causatum, et si non est causatum, illius finis non est causa.

Tertio, illud non est causa, quod sequitur ad aliud, sed finis est hujusmodi, cum effectus sensibilis præcedat finem, ergo, etc.

Quarto, causa est prior, et nobilior causato, et hæc præcipue intelligitur de causa finali, cum finis sit causa causarum : sed finis non est prior, aut nobilior suo effectu, nam operatio rei est finis illius, cujus est operatio, et tamen est minus nobilis, et posterior operante.

Quinto, vel accipitur finis pro intentione agentis, vel pro illo, quod intenditur ab agente ; non primo modo, quia propter illud agens non agit ; nec secundo modo, quia agens debet moveri a fine, et tamen res intenta non movet cum fine, cum adhuc non sit, ergo, etc.

2. Sexto, si finis esset causa, tunc esset nobilior ordinatis in finem, quod est falsum : cum corpora cœlestia sint nobiliora inferioribus, propter quæ tamen agunt.

Divisio quæstionis

Oppositum arguitur per Aristotelem 2. hujus cap. 1. tract. 3. text. 29. In quæstione, primo intelligendæ sunt diversæ distinctiones de fine, quas posuit Aristoteles et Commentator in diversis locis. Secundo respondebitur ad quæsitum.

Finis multipliciter sumitur

Quantum ad primum, notandum, quod finis accipitur multipliciter. Nam aliquando accipitur pro ultimo rei, sicut dicimus, quod punctus est finis lineæ, instans finis vitæ. Alio modo accipitur finis pro ultimo bono, gratia cujus agens agit, et hoc innuit Aristoteles 2. hujus : et tunc finis, ut est ultimum bonum, quandoque accipitur pro intentione agentis : quandoque pro re intenta ab agente. Exemplum primi, ut similitudo domus, quam domificator habet in mente, dicitur finis, qui est in mente cognoscentis, et iste finis reducitur ad causam efficientem, eo quod movet agens ad executionem boni intenti : exemplum secundi : domus est res intenta a domificante, et est finis, gratia cujus agit domificator.

De quo fine notandum est, quod res intenta ab agente, seu finis quandoque intenditur appetitu animali, qui est cognitio determinans agens, ut quando domificator intendit domum ; quandoque intenditur appetitu naturali, ut locus deorsum intenditur a gravi existente sursum appetitu naturali, quæ est inclinatio, seu impetus formæ substantialis gravis, seu gravitatis.

Tertio est notandum de fine, qui est bonum intentum ab agente, quod quidam est 3.
finis primaria intentione, et est ille, quem agens principaliter intendit ; verbi gratia, prius natura corpora cœlestia primaria intentione cum Intelligentiis agunt propter Deum, et Deus propter se ipsum, sed secundaria intentione propter ista inferiora. Exemplum secundi, quia agens naturale in agendo, ut ignis in agendo, primaria intentione intendit assimilationem passi, sed secundaria intentione intendit corruptionem sui contrarii ; et sic finis secundaria inten-

tione est ille, qui minus principaliter intenditur ab agente.

is quo-do sit bilior æque lis his e sunt finem. Differunt autem isti fines ab invicem : quia finis primaria intentione est æque nobilis, vel nobilior ordinatis in finem ; sed hoc non est verum de fine secundariæ intentionis : quia ista inferiora sunt minus nobilia Deo, et Intelligentiis, qui tamen agunt secundaria intentione propter ista inferiora.

is du- gra- cujus, uo. Quarto notandum, quod quidam est finis *gratia cujus*, et alius est finis *quo* ; finis *gratia cujus*, est finis principaliter intentus ab agente ; finis *quo* est ille, mediante quo intenditur finis principaliter intentus, ut quando aliquis laborat propter sanitatem ; labor est finis *quo* acquiritur sanitas, quæ est finis gratia cujus respectu prioris ; et finis prior est finis *quo* respectu posterioris.

4. Sed objicitur : quia omnis finis *gratia cujus* est finis *quo*, igitur divisio non valet. Tenet consequentia, quia bonæ divisionis membra debent ab invicem separari saltem particulariter. Probatur antecedens : quia si esset aliquis finis *gratia cujus*, qui non esset *quo*, maxime esset Deus : modo est finis *quo* omnia sunt et fiunt. Ad istud, negatur antecedens. Ad probationem, quando dicitur, quod Deus est *quo* omnia, etc. dico, quod Deus est finis *gratia cujus*, et nullo modo finis *quo* ; et tunc dico, quod ista dictio *quo*, vel denotat causam efficientem principalem, et tunc conceditur, quod Deus est id, quo omnia sunt, vel fiunt ; vel denotat causam instrumentalem, quo acquiritur finis principaliter intentus ; et tunc nego, quod Deus est id, quod omnia sunt, et fiunt.

is est plex, icet ge-ationis ei geni- Quarto notandum, quod quidam est finis generationis, alter est finis rei genitæ. Finis generationis est forma substantialis rei genitæ. Sed finis rei genitæ est ipsa res generata, ut postea probabitur ; vel operatio ipsius, ut felicitas est finis hominis, esse felicem, vel esse perfectum per operationem est finis generatæ, et hæc de primo.

is est usa. Quantum ad secundum, sit prima conclusio ista, finis est causa. Probatur. Illud est causa propter quod alterum est, ut patet ex definitione causæ ; sed propter finem alterum est : ergo, etc. Minor est nota : quia propter sanitatem est labor, et ita inducendo in aliis : quia sanitas non est causa laboris in genere causæ efficientis, quia efficiens præcedit tempore suum effectum, vel saltem simul est cum effectu, et tamen sanitas sequitur laborem, nec labor est propter sanitatem, tanquam propter materiam, vel formam, ut notum est ; igitur est propter ipsam tanquam propter finem.

Secundo : quia illud est causa, per quod 5.
convenienter respondetur ad quæstionem quærentem, quid est hoc ; sed hoc fit per finem, igitur, etc. Major est nota, quia quæstio propter quid quærit causam, et minor patet : quia si quæratur, propter quid Socrates laborat, respondetur, ut sanus efficiatur.

Secunda conclusio. Quælibet res mundi agit naturaliter propter seipsam tanquam propter finem principaliter intentum, et primaria intentione. Et dico notabiliter *naturaliter*, quia aliquis voluntarie potest eligere alium finem propter quem principaliter agat, ut puta Deum. Probatur conclusio, quod quælibet res mundi agit naturaliter propter illud, quod est sibi maxime bonum, et summe dilectum, intelligendo de dilectione naturali, vel animali ; sed cuilibet rei est ipsamet sibi summe bona, et maxime dilecta : ergo, etc. Major est nota : quia propter hoc dicimus, quod Deus agit propter se ipsum, eo quod maxime diligit se ipsum ; et minor patet, quia quælibet res diligit seipsam permanere, et esse inquantum potest, per Commentatorem in fine primi hujus, comm. 81. Igitur si aliquid aliud magis diligeret esse, quam se ipsum, sequeretur quod aliquid aliud magis diligeret quam potest diligere, quod implicat contradictionem.

Secundo, quia in imminenti casu non esse alicujus rei, illa res plus fugeret suum non esse, quam fugeret non esse alicujus alterius rei, igitur illa res plus se diligit

esse, quam aliquam aliam rem. Tenet consequentia ; et antecedens apparet in his, quæ fugiunt contrarium applicatum. Contra conclusionem arguitur : quia de duobus bonis melius est eligendum ; sed Deus est melior Socrate, igitur Deo, et Socrate positis, Socrates potius habet diligere Deum, quam Socratem. Secundo si Socrates magis diligeret se quam Deum, tunc sequeretur, quod magis vellet Deum non esse, quam Socratem non esse. Consequens est falsum ; quia ad Deum non esse, sequitur Socratem non esse, et per consequens volendo Deum non esse, vult Socratem non esse.

6 Tertio, quia manus diligit se non esse potius, quam aliquod membrum principale non esse ; igitur manus non agit propter se ipsam finaliter. Tenet consequentia ex prædictis, et antecedens apparet : quia manus exponit se pro aliis membris.

Quarto, per experientiam de gallina, quæ exponit se milvo pro pullis, et de homine, qui exponit se periculo propter animata.

Ad ista ; ad primum dico quod de duobus bonis majus non est eligendum, nisi ambo sint æque proxima eligenti, et ideo cum quodlibet sit proximum sibi ipsi, quodlibet est magis eligibile sibi ipsi, quam aliquod aliud.

Ad secundum, conceditur consequens ; ad probationem falsitatis dico, quod Socrates non vellet consequentiam esse bonam : imo in infinitum plus vellet Deum non esse, quam vellet illam consequentiam esse bonam.

Ad tertium de manu dico, quod si manus haberet inclinationem distinctam, ita quod non regeretur a corpore, potius vellet omnia membra non esse, quam ipsam non esse, sed quia homo habet unam inclinationem quæ regit omnia membra, ideo per illam in casu necessitatis exponit membrum minus nobile pro nobiliori.

De experientiis dico, quod tales exponunt se spe evasionis, cujus signum, quod gallina multum afflicta a milvo fugit et dimittit pullos. Nunc ad rationes. Ad primam soluta est : quia ibi accipitur *principium* æquivoce, et etiam finis.

Ad secundam, vel quando est, etc. Propter istam rationem notandum, quod finis rei, quandoque est substantia, sicut probatum est, quod quælibet res mundi est finis sui ipsius ; similiter sic dicimus quod Deus est finis omnium, sic etiam dicit Aristoteles 2. hujus, text. 24. quod nos sumus quodammodo finis omnium : et isto modo causa finalis, et ejus effectus sunt simul, imo aliquis finis præexistit effectui, sicut Deus. Alius est finis, qui est actus, vel operatio rei, sicut dicimus quod felicitas est finis hominis, et tunc finis sequitur effectum, cujus est finis ; et isto modo conceditur quod finis est causa effectus, quando finis non est, quia hoc nomen *causa*, est nomen ampliativum, ut dictum fuit prius, et ideo non sequitur, finis est causa, igitur finis est. Et si objiciatur, quod talis qualitas, vel operatio non potest esse finis : quia finis est perfectior, nobilior, et melior ordinatis ad finem, sed talis operatio, vel qualitas, cum sit accidens, non est nobilior ordinato in finem, qui est substantia ; igitur talis qualitas, vel operatio non est finis. Secundo, a verbo *est* tertio adjacente, ad verbum *est* secundum adjacens est bona consequentia, igitur sequitur, finis est causa, igitur finis est. Respondetur ad primum uno modo, quod qualitas, vel operatio alicujus rei, et substantia, cujus est operatio illa, non possunt ad invicem comparari in perfectione, bonitate, et nobilitate : quia bonum accipitur dupliciter ; uno modo pro perfectione essentiali, et alio modo pro bono moris : modo si substantia, et qualitas, et operatio comparentur ad invicem primo modo, tunc non est dubium, quin substantia est in infinitum perfectior qualitate, et operatione : sed si comparentur ad invicem secundo modo, tunc est comparatio abusiva : quia comparatio non convenit in illo, in quo comparatur ; felicitas non est bona moraliter, sed est id, quo homo est bonus moraliter. Aliter dicitur, quod felicitas circumscripto homine, non est melior homine, sed homo felix est melior, quam homo sine felicitate, et ita homo agit finaliter non prop- 7.

Bonum duplex

ter felicitatem, sed ut sit felix per felicitatem, et hoc patuit in tertio modo. Ad secundam instantiam dicitur, quod illa regula intelligitur in terminis non ampliativis, et ideo non sequitur, *Antichristus est possibilis : ergo Antichristus est:* Tertio modo accipitur finis secundum aliquos pro significato per unum singulare complexe, et sic diceretur quod felicitas non est finis hominis, sed hominem esse felicem est finis hominis.

Ad tertiam rationem dicitur sicut ad se-
8. cundam.

Ad quartam dico, quod hoc intelligitur de fine primaria intentione, et hoc ultimato, quia talis est nobilior ordinato in finem, vel saltem æque nobilis. Et si exponatur de significato per singulare complexe, diceretur quod hominem esse felicem est nobilius, et perfectius quam hominem, et inquirere quid sit illud, pertinet ad Metaphysicum.

Ad quintam, dico quod accipitur finis pro illo, quod intenditur ab agente, et quando dicitur, quod finis movet, hoc est verum de fine, qui est intentio agentis.

Ad sextam concedo eo modo, quo est expositum : modo cœlum non agit primaria intentione propter ista inferiora, sed secundaria intentione. Ideo non oportet, quod cœlum sit minus nobile istis inferioribus.

EXPOSITIO TEXTUS

Dicitur autem (1) *et fortuna et casus.* Iste
9. est quartus tractatus hujus 2. in quo Phi-
[T]ext. 39. losophus determinat de casu, et fortuna, scilicet de causis per accidens rerum naturalium : et dividitur in quatuor capita. In primo determinat de casu, et fortuna secundum opiniones antiquorum : in secundo ostendit, quid sint casus et fortuna definitive : in tertio ostendit quomodo differunt casus et fortuna : et in quarto ostendit ad quod genus causæ reducuntur casus et fortuna. Secundum ibi, *Primum igitur cum videamus.* Tertium ibi, *Differunt autem quoniam casus in plus est.* Quartum ibi, *At de modis causarum.* Primum dividitur : quia enim primo præmittit intentionem ;
[F]ortuna et secundo prosequitur, ibi, *Quidam enim et si sint, an non.* Primo dicit, quod casus, *casus quatenus causæ.* et fortuna dicuntur causæ multorum effectuum, et etiam dicuntur de genere causarum, et ideo considerandum est primo in quo genere sunt casus et fortuna : secundo, utrum idem sint casus, et fortuna ; et tertio quid sit fortuna, et quid casus.

Quidam enim etsi sint, an non dubitant. Text. 40.
Hîc exequitur intentum, et recitat tres opiniones. Secunda ibi, *Sunt autem quidam.* Tertia ibi, *Sunt autem.* Primo recitat primam opinionem, et rationes eorum. Secundo solvit ibi, *Sed et hoc mirabile.* Prima opinio fuit, quod nihil fit a casu, vel fortuna. Probatur, quia illud non evenit a casu, et fortuna, cujus est aliqua determinata causa, sed cujuslibet rei est aliqua determinata causa, ergo, etc. Major est nota ; et minor patet de isto effectu, quem dicimus a fortuna, ut si aliquis veniens ad forum reperiat debitorem, quem non est opinatus invenire, a quo recipiat pecuniam, pro qua emat equum ; emptio equi est a fortuna, sicut inventio debitoris, et tamen hujusmodi inventionis est aliqua determinata causa, scilicet *venisse ad forum.*

Quoniam (2) *si aliquid esset fortuna.* Poni- 10.
tur secunda ratio : quia si casus, et fortuna Text. 41.
essent aliquid, magnum inconveniens esset quod nullus antiquorum sapientium considerantium causas generationis, et corruptionis determinasset aliquid de casu, et fortuna, quasi casus, et fortuna nihil essent.

Sed et hoc (3) *mirabile.* Hîc solvit istas Text. 42.
rationes. Secundam ibi, *Quocirca et quodammodo.* Unde Aristoteles dicit, quod mirabile videtur, quod casus et fortuna non essent, cum multa sint, et fiant a casu et fortuna ; nec nos ignoramus, quod effectus casualis, vel fortuiti sit aliqua determinata causa, sed non est determinata respectu illius effectus : verbi gratia, licet transitus ad forum sit causa determinata, tamen non respectu hujus effectus, qui est *invenire debitorem,* non opinatum invenire, eo quod in paucioribus accidit, et præter intentionem agentis.

Quo (4) *circa et quodammodo.* Removet

secundam rationem, et ostendit Aristoteles quod antiqui fecerunt mentionem de casu, et fortuna. Nam quidam, ut Empedocles posuit entia naturalia quandoque congregari, et quandoque segregari a casu, et fortuna per litem, et amicitiam. Similiter posuerunt partes aliquando sic disponi a fortuna, qualiter disponuntur, et ideo antiquis fuit determinate considerandum de casu et fortuna : et sic ratio eorum magis accusabat antiquos, quam probet casum, et fortunam non esse.

11. Text. 44 *Sunt autem* (5) *quidam, qui et cæli.* Recitat secundam opinionem, quæ erat, quod omnia fiunt a casu, et fortuna, ita quod casus et fortuna fuit esse motus cœli, et omnium mundanorum, ibi, *a casu enim fieri dicunt*, etc. Improbat illam opinionem tripliciter. Primo, quia si casus, et fortuna essent causæ cœli, sequeretur quod omnia quæ sunt, essent a casu, et a fortuna. Consequens est falsum, et consequentia patet : quia omne illud est a casu, quod est ab illo, quod est a casu, sed omnia quæ sunt, sunt a cælo, quod per te est a casu : igitur omnia quæ sunt, sunt a casu : et istam probationem ponit Commentator, et contra Aristotelem objicitur, com. 44, quia in casu prædicto emptio equi est ab eo, quod est a casu, et tamen emptio equi non est a casu, cum sit cum intentione ementis. Respondetur, quod major debet intelligi, quod omne illud est a casu, quod fit ab eo, quod est a casu, si non potest evenire ab alio, quam ab illo : modo impossibile est, quod entia sint quia sint a cœlo, ideo probatio fuit bona. Tunc ibi,

Text. 45. *Et valde*, hæc est 2. ratio, (6) quia istud est valde admirabile dicere, quod animalia, et plantæ nec sunt, nec fiunt a fortuna, sed fiunt a natura, vel ab intellectu, vel ab alia causa ; verbi gratia, oliva fit ex semine olivæ, et homo ex semine hominis : et tamen cœlum, quod est multo divinius ani-

Text. 46. malibus, et plantis, fiat a casu, et non ab aliqua causa : sequitur, ibi, *Atqui si sic* (7) *se habeat.* Ponitur tertia ratio, quod dignum non est aliqualiter insistere circa istam opinionem : quia in istis inferioribus videmus multa fieri a casu, et fortuna, et in cœlo videmus omnia uniformiter evenire, nec apparet aliquid evenire a casu, vel fortuna in cælo : igitur potius debuissent dixisse e contrario, scilicet, quod ista inferiora fiunt a casu et fortuna, sed corpora cœlestia non.

Sunt (8) *autem quidam.* Recitat tertiam 12.
opinionem, et est quorumdam, qui ponebant quod fortuna est causa, sed tamen est immanifesta humano intellectui tanquam quoddam existens felicius et divinum. Sed istam opinionem non improbat hîc Aristoteles, sed ejus improbatio patebit ex sequentibus, et ideo determinandum est, quid sit casus, et quid fortuna, et quomodo differunt, et ad quæ genera causarum reducuntur.

Text. 47

Primum igitur (9) *cum videamus.* Hoc est secundum capitulum hujus tractatus, in quo Philosophus inquirit definitionem casus, et fortunæ. Et primo facit hoc. Secundo ostendit, quid veritatis contineant opiniones antiquorum. Tertio movet quoddam dubium. Et quarto ponit quasdam dispositiones fortunæ. Secundum ibi, *Indefinitas igitur causas.* Tertium ibi, *Quare cum indefinitæ.* Quartum ibi, *Fortuna autem bona.* Primum dividitur : quia primo ponit quasdam divisiones. Secundo inquirit particulas ponendas in definitione : et Tertio concludit definitionem fortunæ. Secundum ibi, *Nunc autem sit.* Tertium ibi, *Manifestum itaque.* Primo ponit quatuor divisiones. Secunda ibi, *Eorum autem.* Tertia ibi, *Horum autem.* Quarta ibi, *Hujusmodi igitur.* Est igitur prima divisio, quod eorum quæ fiunt, quædam fiunt semper eodem modo ; ut *ortus, occasus, et eclipsis stellarum*, et quod homo fiat ab homine, et hujusmodi : alia sunt, quæ frequenter fiunt eodem modo, ut quod in hyeme sit gelu, et in æstate calor : alia sunt quæ nec fiunt semper, nec frequenter, ut inventio thesauri. Modo Aristoteles ponit istam propositionem, quod casus et fortuna sunt eorum, quæ eveniunt extra semper et frequenter : quia quod istæ sint causæ Aristoteles supponit tanquam

Text. 4[8] *Fortun[a] casus q[ua]tenus c[au]sæ.*

Vide [di]gressi[o]nem A[...] super textu.

manifestum : quia multa scimus evenire a fortuna, tunc igitur vel sunt causæ eorum, quæ semper, frequenter, et eodem modo veniunt, et hoc non, ut notum est : igitur oportet quod sint causæ eorum, quæ veniunt in minori parte,

Eorum autem quæ fiunt. Secunda divisio,
13. quod eorum quæ fiunt alia sunt *propter hoc*, id est, notabilis bonitatis, vel malitiæ, ut inventio thesauri, qui dicitur effectus *propter hoc*, eo quod si fuisset præscitus, dignum fuisset, ut egisset propter ipsum : sed alia sunt, quæ non sunt *propter hoc*, id est, quæ non sunt notabilis bonitatis, vel malitiæ, ut fricatio barbæ, disruptio festucæ, vel casus pilei, vel capilli.

Text. 49. *Horum autem* (10) *alia quidem.* Tertia divisio, quod eorum quæ fiunt alia fiunt, secundum propositum, id est, quædam fiunt secundum intentionem agentis, ut illa quæ intenduntur ab intellectu : alia fiunt, non secundum propositum, id est, præter intentionem agentis, ut quod evenit cum intento, vel loco intenti : et in utroque istorum effectuum invenitur effectus notabilis bonitatis, vel malitiæ ; quia propter illos effectus, qui non sunt notabiliter boni, vel mali, non dicitur aliquis fortunatus, vel infortunatus, et ideo manifestum est, quod in his quæ eveniunt in minori parte, scilicet, nec necessario, nec frequenter, invenitur effectus *propter hoc*, id est, notabiliter bonus, vel malus, sed universaliter, quæcumque aguntur ab intellectu, vel fortuna, aguntur *propter hoc*, id est, propter finem ; et sic capitur ibi *propter hoc* aliter quam prius.

Hujusmodi (11) *igitur*, etc. Quarta divisio,
14. Text. 50. quod sicut est quoddam ens ([a]) per se, et quoddam per accidens, ut patuit prius, ita quædam est causa per se, et quædam per accidens, et differunt ab invicem ; quia causæ per se alicujus effectus sunt finitæ, sed causæ per accidens sunt infinitæ, id est, indeterminatæ ; quia infinita uni accidunt, id est, indeterminata sunt, quæ accidunt uni. Et ideo subdit Aristoteles quod tunc aliquid dicitur fieri a casu, vel fortuna, quando illud quod fit præter intentionem

Causæ per se sunt finitæ, sed causæ per accidens sunt infinitæ.

agentis, est notabilis bonitatis, vel malitiæ, sed differentia istorum, scilicet casus, et fortunæ ab invicem, postea patebit.

Nunc vero (12) *hoc sit manifestum.* Hic inquirit particulas ponendas in definitione fortunæ, et est prima conditio, quod tam casus quam fortuna sunt causæ in his, quæ fiunt *propter hoc*, id est, quæ sunt notabilis bonitatis, vel malitiæ, cujusmodi est receptio argenti ab aliquo, quem non opinatus est invenire, nec gratia illius ivit. Secunda conditio, quod casus, et fortuna sunt causæ in his, quæ eveniunt in minori parte, ita ut non frequenter, nec de necessitate ; patet de illo, qui reportavit pecuniam, cui non accidit frequenter, nec necessario talis effectus. Tertia conditio, quod effectus fortuitus debet evenire præter propositum agentis, et ideo si reportans pecuniam, ivisset ad illum finem, quod reportaret pecuniam, tunc non diceretur a fortuna.

Manifestum (13) *itaque.* Concludit definitionem fortunæ, quod *fortuna est causa per accidens secundum propositum extra semper et frequenter eorum quæ propter hoc fiunt.* Et ponitur ibi, *causa* tanquam genus ad differentiam effectus. Et ponitur ibi *per accidens* ad differentiam causæ per se. Et ponitur *secundum propositum*, ad denotandum, quod licet casus et fortuna sint agentium secundum propositum, tamen non dicuntur casus et fortuna nisi respectu effectuum, qui eveniunt præter intentionem. Et ponitur *extra semper, et frequenter* : quia si effectus esset natus consequi de necessitate, vel frequenter ad illas causas, non diceretur fortuitus respectu illarum causarum. Et ponitur *eorum, quæ propter hoc fiunt* : quia propter effectus inutiles, qui non sunt notabilis bonitatis, vel malitiæ, non dicitur aliquis fortunatus, vel infortunatus. Et subdit Aristoteles quod intellectus et fortuna sunt idem, sed dicitur fortuna respectu effectus non intenti, et dicitur intellectus respectu effectus evenientis secundum intentionem.

15. Text. 52. *Definitio fortunæ.*

Indefinitas (14) *igitur causas.* Hic ostendit, Text. 53
quid veritatis contineant opiniones antiquo-

rum : et primo de tertia. Secundo de prima. Et tertio regreditur ad tertiam. Dicit igitur, quod fortuna est quodammodo immanifesta. Hanc probat, quia fortuna est causa per accidens : modo causæ per accidens sunt infinitæ, et infinitum, secundum quod est infinitum, est ignotum, ut patet primo hujus. Nunc quantum ad primam opinionem dicit, quod dicentes nihil fieri a fortuna, quodammodo recte dicunt : quia fortuna est causa per accidens, et nullius rei fortuna est causa per se : modo illud quod non est per se, quodammodo non est. Et declarat Aristoteles quomodo sunt multæ causæ per accidens, ut reportationis pecuniæ causa potest esse, veniens, aut volens aliquid emit, vel quia voluit aliquod prosequi, vel fugere, vel quia fuit visurus aliquid. Nunc regreditur (15) ad tertiam opinionem, probans istam conclusionem, quod fortuna (b) est quodammodo immanifesta humano intellectui, quia per rationem practicam comprehendi non potest : nam ratio practica est eorum, quæ semper sunt, aut frequenter fiunt eodem modo.

Text. 55.

Attamen etiam in quibusdam dubitabit, etc. Hic movet dubium, scilicet quod quando ejusdem effectus fortuiti sunt plures causæ, quæ illarum causarum dicitur fortuna ; ut si aliquis habens caput infirmum faciat radi caput non ex intentione sanandi, sed ex consuetudine, et vadat ad Solem etiam non ex intentione sanandi, ita ut per ventum, vel calorem Solis extrahantur mali humores, et fiat sanus : quæritur quæ istarum causarum sit causa sanitatis, quæ debeat dici fortuna, vel casus, scilicet vel ventus, vel calor, vel depilatio. Et dicit Aristoteles quod istarum causarum quædam fiunt remotæ, quædam proximiores, et per hoc videtur innuere, quod causa proximior potius debet dici causa, quam remotior.

Text. 56.

Fortuna (16) *autem bona quidem dicitur.* Hic declarat quasdam dispositiones fortunæ, dicens, quod quædam est fortuna bona, scilicet quando aliquod bonum evenit, et quædam mala, scilicet quando aliquod malum evenit ; sed eufortunium, et infortunium dicuntur secundum excellentiam, ita ut quando aliquod magnum bonum evenit, tunc dicitur eufortunium, vel etiam quando magnum malum evitatur. Sed tunc dicitur infortunium, quando aliquod magnum bonum amittitur, vel evenit magnum malum : et sicut ille dicitur fortunatus, qui acquirit unum magnum bonum, ita similiter ille, qui est prope acquirere magnum bonum, dato quod non acquirat ; quia quod parum distat, nihil distare videtur. Et subdit Aristoteles quod eufortunium est valde incertum, quia fortuna est valde incerta : modo eufortunium est quædam fortuna, et hoc dicit pro tanto secundum Commentatorem, ne homo in ista vita humana nimis confidat de eventu fortuito alicujus magni boni ; et ideo concludit quod fortuna non est causa in his, quæ fiunt semper, vel frequenter, et tandem recapitulat, quod ambæ istæ causæ secundum accidens in his, quæ non fiunt semper, vel frequenter, et quæ sunt *propter hoc*, id est, notabilis bonitatis, vel malitiæ.

Differunt (17) *autem*. Istud est 3. cap. hujus tractatus de differentia Casus et Fortunæ. Et primo ponit differentiam. Secundo declarat quoddam dictum. Tertio ostendit in quibus maxime apparet illa differentia. Secundum ibi, *Signum autem est*. Tertium ibi, *Maxime autem*. Primo ponit duas differentias. Secunda ibi, *Quocirca et necesse est*. Prima differentia est, quod casus se habet in plus, quam fortuna. Nam quidquid evenit a fortuna, evenit etiam a casu, et non e contra : quia solum illis evenit aliquid a fortuna, quibus potest bene contingere, vel male,

17. Text. 57. *Fortuna casus qu*

Quocirca (18) *et necesse est.* Hic ponit secundam differentiam ; et est quod fortuna semper est circa practica, id est, circa operationem voluntariam, cujus signum est quod fortuna, (c) vel est felicitas, vel prope felicitatem : modo felicitas est quædam praxis, id est, operatio voluntatis, imo est eupraxia, id est, bona operatio voluntatis ; et ideo quibus non convenit aliquid agere

Text. 58. *Felicita est quæ dam acti*

Text. 59. *Fortuna non est in rebus anima carentibus, neque in infantibus neque in brutis, idem 1. et 1. cap. 13. eth. et 10. ethi. cap. 10.*

voluntarie, non accidit aliquid a fortuna. Et ex hoc infert corollarium ibi. *ob* (19) *idque*, quod nullum inanimatum, nec infans, nec bestia agit aliquid a fortuna. Probatur quia nullum istorum agit aliquid a proposito, ex quo non habent usum rationis, et ideo non accidit eis aliquid eufortunium, vel infortunium, sed similitudinarie solum, quemadmodum Poeta dicebat lapides fortunatos, ex quibus fiebant statuæ, et aræ Deorum, quia tales honorantur, et illos infortunatos, qui conculcantur pedibus :

Text. 60. sed tam animatis, (20) quam inanimatis convenit aliquid a casu, ut si equus fugiens ab exercitu veniat salvatus ad domum, dicimus quod salvatus est a casu : exemplum de inanimatis, ut si tripes cadat deorsum super pedes, dicimus quod cecidit a casu. Et ideo (21) dicit Aristoteles quod

Text 61. universaliter illa dicuntur fieri a casu, quæ eveniunt præter intentionem agentis, sive hoc sit in agentibus a proposito, vel sine proposito : et illa dicuntur a fortuna, quæ eveniunt præter intentionem agentis secundum propositum, et ex ista parte patet in quibus invenitur casus, et in quibus fortuna.

18. Text. 62. *Signum* (22) *autem est.* Ponit istam conclusionem, quod casus est causa a qua non evenit finis intentus. Probatur quia a causa inani et vacua non evenit finis intentus, sed casus est causa inanis, et vacua, igitur a casu non evenit finis intentus. Major est nota ; quia in rebus naturalibus est universaliter verum, quod quando causa deficit ab intento fine, quod tunc causa illa dicitur frustra ; ut verbi gratia, si aliquis laborat propter sanitatem, et non consequitur, dicimus quod frustra laboravit ; sed si finem illum non intendisset, non diceretur frustrari, dato quod non eveniret ; ut si dicatur, quod iste frustra balneaverat se : quia Sol non eclipsatur, non esset nisi derisio, quia

Text. 63. non intendebat illum finem. Et minor (23) patet ex *quid nominis* Casus : nam Casus dicitur in Græco *αὐτόματον* id est, per se frustra, ut si lapis cadat projectus ab aliquo ad percutiendum aliquem, et non percutiat, dicimus quod lapis cecidit a casu.

Maxime (24) *autem est separatum.* Ostendit in quibus patet differentia casus, et fortunæ, dicens, quod in his, quæ eveniunt a natura, scilicet a non agente secundum propositum, eveniunt multa a casu, scilicet illa, quæ eveniunt præter intentionem hujusmodi agentium : sed in agentibus voluntariis, quæ eveniunt præter intentionem, dicuntur fieri a fortuna : et videtur innuere differentiam inter actionem naturalem, et voluntariam : quia (d) actio voluntaria fit in extrinsecam materiam, ut domificator agit in lapides et ligna, sed naturalis fit in materiam intrinsecam, ut gravitas agit in proprium subjectum. Text 64. *Vide contradictionem Zimaræ.*

At de modis (25) *causarum.* Hoc est quartum capitulum hujus tractatus, in quo Philosophus ostendit ad quod genus causæ reducuntur casus, et fortuna, et ponit tres conclusiones. Secundam ibi : *Quoniam autem.* Tertiam ibi : *Quare si quam maxime.* Prima conclusio. Casus et fortuna sunt causæ agentes. Probatur, quia intellectus et natura sunt causæ agentes : igitur casus, et fortuna. Antecedens patet, intelligendo per naturam agens naturale, et per intellectum agens voluntarium : et probatur consequentia, quia illa causa, quæ dicitur natura respectu effectus intenti, dicitur casus respectu effectus non intenti, evenientis tamen cum intento, vel cum loco intenti. Similiter illa causa, quæ dicitur intellectus, vel voluntas respectu effectus intenti, dicitur fortuna respectu effectus non intenti. Et ideo subdit Aristoteles quod multitudo causarum per accidens est indeterminata, ut dictum fuit prius. 19. Text. 65. *Casus et fortuna sunt causæ agentes*

Quoniam autem (26) *Casus atque Fortuna.* Text. 66. Ponitur secunda conclusio, intellectus et natura sunt causæ priores, quam casus et fortuna. Probatur, quia illæ sunt causæ priores, quæ sunt causæ per se, quam illæ quæ sunt causæ per accidens ; sed intellectus et natura sunt causa per se, et casus et fortuna sunt causæ per accidens, ut patuit prius : ergo, etc. Major est nota : nam prius est illa conditionalis vera, per quam deno-

tatur habitudo causæ per se ad suum effectum, quam per quam denotatur habitudo causæ per accidens ad suum effectum, ut per prius ista est vera : *terra aratur, quia germinabit*, quam ista *terra aratur, quia invenietur thesaurus*, et minor patet ex præcedentibus.

Text. 67. *Casus et fortuna non sunt causæ cœli* *Quare* (27) *si quam maxime.* Ponitur tertia conclusio quod casus, et fortuna non sunt causæ cœli. Probatur primo : quia tunc sequeretur quod causæ istorum inferiorum essent priores causis cœli, consequens est falsum, et consequentia tenet : quia casus et fortuna non dicuntur causæ cœli nisi quia sunt intellectus et natura, id est, causæ per se aliorum effectuum, et quia causæ per se sunt priores causis per accidens, sequitur quod intellectus et natura, quæ sunt causæ per se istorum inferiorum, essent priores casu, et fortuna, quæ essent causæ cœli.

ANNOTATIONES.

20. *Definitio causæ per se, et per accidens.* (a) *Sicut duplex est ens per se, et per accidens*, etc. Nota quod causa per se est certa, et determinata, determinatum habens effectum, sed causa per accidens est indeterminata, quæ dupliciter dicitur indeterminata. Primo, quia una causa non habet unum, sed plures, et indeterminatos effectus. Secundo, quia unus effectus per accidens, non unam, sed multas causas indeterminatas potest habere ; nam causa per accidens ædificii est Musicus, et Grammaticus, etc. Rursus causa per accidens adhuc, est duplex, prior quæ conjungitur cum causa per se, ut Musicum respectu ædificii : quia Musica conjuncta est cum arte ædificandi in ædificatore. Secundo modo causa per accidens est illa eadem, quæ est per se, comparata ad id, quod per accidens conjungitur effectui, ut faciens per se sepulchrum, invenit per accidens thesaurum. Et ex hac divisione causæ sequitur divisio effectus in effectum per se ut ædificium respectu ædificatoris, et in effectum per accidens, ut est inventio thesauri ab ædificatore, dum intendit ædificare. Est autem effectus per accidens duplex ; uno modo dicitur effectus per accidens, quia accidit effectui per se : quo pacto album statuæ est effectus per accidens statuarii. Secundo modo effectus per accidens est ipsemet effectus per se comparatus cum eo, quod accidit causæ per se, ut statua est effectus per accidens Musici ædificatoris, ut ædificator est Musicus. Vult ergo Aristoteles fortunam et causum esse causas per accidens et non per se, et effectus fortuitos, et casuales esse per accidens, et non per se. Vult insuper non quamlibet causam per accidens esse fortunam et casum, neque quemlibet effectum per accidens esse fortuitum, et casualem, sed causa ipsa, quæ est per se respectu effectus intenti, est fortuna, et casus, respectu effectus, qui per accidens conjungitur effectui per se, et hujusmodi effectus per accidens sunt fortuiti, et casuales.

21. *Fortunæ qualitates* (b) *Fortuna est quodammodo immanifesta.* Nota quod Aristoteles ponit quædam vulgaria dicta fortunæ accommodata. Primum est, fortuna est causa indefinita, et incerta hominumque ingenio ignota. Secundum, fortuna est cæca et præter rationem : quia non est determinata ad aliquem effectum, ita ut ab ea ad effectum, aut e contra ratiocinari possimus. Tertium dictum, fortuna est inconstans, volubilis, et insana. Quartum dictum, fortuna est bona si effectus est bonus, et mala si malus, prospera si effectus est prosperus : dicitur etiam infortunata, seu infortunium cum effectus est magnus, et malus. Cum enim quis privatur magno, ac imminenti bono proximo a se possidendo, dicitur infortunatus. Quando autem aliquis liberatur ab aliquo ingenti malo, dicitur fortunatus.

Fortuna idem est quod felicitas. (c) *Fortuna vel est felicitas, vel prope felicitatem.* Nota, quod fortuna idem est, quod felicitas, ut dicunt ponentes felicitatem in bonis fortunæ, aut prope felicitatem, ut dicunt asserentes bona fortunæ maxime ad felicitatem conducere.

22. *Causam esse extra suum effectum bifariam contingit.* (d) *Actio voluntaria fit in extrinsecam materiam.* Nota (ultra hanc Scoti explicationem quæ optima est) quod aliquam causam esse extra suum effectum dupliciter contingit. Primo quantum ad intentionem : quando videlicet causa non intendit in sua intentione effectum, sed effectus sequitur præter intentionem agentis, et sub hac consideratione casus, et fortuna habent causam extrinsecam, et in hoc conveniunt. Secundo dicitur causa esse extra suum effectum, quoad suum esse reale, et est quando causa non est intrinseca ipsi effectui, qui potius est extra compositionem effectus : et isto modo casus est causa intrinseca multoties, quia intrat, et manet in effectu, ut contingit in monstris (sunt enim monstra effectus casuales;) quæ propter malam dispositionem materiæ, quando producendum erat animal perfectum, præter intentionem generantis producuntur.

Ex his, quæ de fortuna dicta sunt, patet quam incaute vulgus nonnunquam videtur loqui, et sentire de fortuna, existimans fortunam esse unam causam intendentem effectus fortuitos agentem præter Dei intentionem, cum nullus sit effectus extra Dei efficientiam, et intentionem.

QUÆSTIO X

Utrum aliquid fiat a casu, vel a fortuna

August. 4. *de Civit. Dei, cap.* 18. *et* 3 *de Trinit. c.* 4. Lactant. *lib.* 3. *cap.* 28. *et* 29. Gregor. *hom.* 10. *Epiphan.* Aristot. *cap.* 5. *et interpretes. ibid.* Albert. Magn. *tract.* 2. *cap.* 10. D. Thom. *lect.* 8 Mayron. 2. *Phys. part.* 6. Canon. *quæst.* 4. *art.* 2. Suarez *tom.* 1. *Metaph. disp.* 19. *sect.* 11. *et* 12. Conimbr. 2. *Phys. cap.* 6. *quæst. unica.* Complut. *disput.* 13. *quæst.* 1. *et seq.* Ruvius *tract.* 6. *quæst.* 1. *et sequent.* Fuentes *quæst.* 10. *diffic.* 1. Roccus *quæst.* 6.

1. Arguitur quod non; quia nulla res fit præter intentionem naturæ; igitur nihil fit a casu, vel a fortuna. Tenet consequentia; quia casuale, et fortuitum eveniunt præter intentionem agentis. Antecedens patet per Commentatorem 12. Metaph. com. 44. ubi dicit, quod natura non agit nisi rememorata Intelligentiis, quæ semper intendunt effectum, quem producunt.

Secundo, quia nihil fit a casu cujus est aliqua determinata causa, sed cujuslibet effectus est aliqua determinata causa : igitur nullus effectus est a casu, vel a fortuna. Major patet, text. 40. quia effectus qui est *recipere pecuniam in aliquo foro*, est determinata causa, scilicet venisse ad forum.

Tertio, quia nullum inordinatum fit a natura; sed casuale, vel fortuitum est inordinatum, ergo, etc. Major est nota, quia inordinatio est mala, ut patet 12. Metaphysicæ, et tamen natura semper fertur in bonum verum existens, et non in bonum apparens solum, ut patet 2. hujus, text. 52.

Quarto, quia semper natura agit propter finem; sed casuale, vel fortuitum non fit propter finem : igitur nullum casuale, vel fortuitum fit a natura. Major patet in fine hujus secundi, text. 75. et minor est nota; quia casuale, vel fortuitum non intenditur ab agente, et tamen finis intenditur ab agente.

2. Quinto, quia natura non deficit in necessariis, nec abundat in superfluis : igitur a natura non fit aliquod casuale, vel fortuitum. Tenet consequentia, quia casuale, vel fortuitum provenit ex superabundantia, vel ex defectu, ut patet de monstris.

Oppositum arguitur per Aristotelem 2. hujus tract. 4. text. 48. et inde. Notandum, quod aliquis effectus dicitur casualis, vel fortuitus propter duo. Primo, quia provenit præter intentionem agentis; sive capiatur intentio pro cognitione primaria determinante agens ad agendum, sive pro inclinatione rei naturalis ad agendum, quæ inclinatio non est cognitio, cujusmodi est inclinatio gravis deorsum. Secundo dicitur effectus casualis, vel fortuitus, eo quod raro, et contingenter natus est evenire ad hujusmodi causas, et ideo senectus, mors, cæcitas, et hujusmodi, licet eveniant præter intentionem naturæ, tamen non sunt casualia, et fortuita; eo quod *ut in pluribus*, vel necessario nata sunt evenire cum effectibus intentis a natura : verbi gratia, natura intendit actionem, de necessitate sequitur senectus et mors, si illud in quod fit actio debeat diu durare.

Effectus dicitur casualis propter duo.

Secundo notandum, quod ad effectum casualem, et fortuitum oportet, quod diversæ causæ agentes concurrant ad eumdem effectum, quarum quælibet intendat unum effectum per se; ex quarum agentium confluentia ad invicem præter effectus intentos proveniat aliquis effectus inopinatus : ut lapis sursum intendit locum deorsum; et Socrates intendit transire per vicum; et tunc ex confluentia lapidis, et Socratis ad invicem præter duos effectus intentos, provenit tertius inopinatus, scilicet fractio capitis Socratis : et ideo si ille effectus tertius sit inopinatus respectu utriusque agentis, tunc dicitur simpliciter casualis, vel fortuitus; sed si intendatur per unum, et non sit opinatus a reliquo, tunc dicitur casualis, vel fortuitus, non simpliciter, sed secundum *quid*, scilicet respectu unius illorum agentium, et non respectu alterius.

Ad effectum casualem quæ requirantur.

Nunc ponuntur conclusiones. Prima conclusio. Aliquid fit a casu, vel a fortuna. 3.
Probatur; quia sicut in arte, ita in natura;

Aliquid fit a casu, et a fortuna.

sed in arte aliquid evenit a casu, vel a fortuna; igitur similiter in natura. Secunda patet ex quadam fama hominum : nam fama, quam omnis populus sequitur, tenet, ut patet in lib. de Somno, et Vigilia.

Ex conclusione sequitur, quod illa opinio recitata in textu est falsa, quæ posuit nihil fieri a casu, vel a fortuna.

Non fiunt omnia a casu, vel a fortuna.

Secunda conclusio. Non omnia fiunt a casu, vel a fortuna. Probatur; quia aliqua fiunt ex intentione agentis, ut patet in naturalibus, et etiam in artificialibus; igitur non omnia fiunt a casu, vel a fortuna. Tenet consequentia, quia facta a casu, vel a fortuna eveniunt præter intentionem agentis.

Secundo, quia non est verisimile, nec rationabile, quod cœlum, vel motus cœli fiant a casu, vel a fortuna, cum sint valde ordinati.

Tertio, quia aliqua semper necessario, et frequenter eveniunt eodem modo; igitur illa a casu, vel a fortuna non eveniunt. Tenet consequentia; quia evenientia a casu, vel a fortuna nata sunt in paucioribus evenire ad hujusmodi causas. Antecedens apparet, quia ortus, et occasus stellarum semper, et necessario fiunt eodem modo. Similiter semper accidit, quod homo generatur cum quinque digitis, et quod planta fiat ex semine, homo ab homine, et ita de aliis. Pro sequenti conclusione ponuntur aliquæ suppositiones.

Prima, quod ad effectum casualem, vel fortuitum confluunt diversæ causæ. Patet per Linconiensem in isto secundo, et notabile prius dictum.

4. Secunda, quod si plures causæ concurrunt ad aliquem effectum, illæ causæ sunt sibi invicem subordinatæ, vel ambæ sunt subordinatæ alicui tertiæ. Patet ex ordine causarum, quia si non essent sibi invicem subordinatæ, nec alicui tertiæ causæ; quælibet illarum esset causa prima, cum esset independens ab aliqua alia, modo impossibile est, quod plures sint causæ primæ.

Tertia suppositio, quod causa prima, cui omnes aliæ subordinantur, cognoscit, et intendit omnem effectum, ad quem concurrit producendo; patet 12. Metaph. text. 37. quia causa prima per cognitionem dirigit causas secundas in actionibus earum, et ideo dicit Commentator in eodem 12. comm. 44. quod natura non agit nisi rememorata Intelligentiis.

Nihil est simpliciter casuale vel fortuitum.

Istis suppositis, sit tertia conclusio ista, quod nihil est simpliciter casuale, vel fortuitum; imo de necessitate, si sit casuale, vel fortuitum respectu unius causæ, est intentum per aliam causam, et per consequens non est casuale, vel fortuitum respectu ipsius. Probatur, quia per primam suppositionem ad omnem effectum casualem, vel fortuitum confluunt diversæ causæ; igitur per secundam illæ sunt sibi invicem subordinatæ, aut ambæ sunt subordinatæ causæ tertiæ, scilicet primæ, et per tertiam causa prima cognoscit, et intendit omnem effectum, ad quem concurrit; igitur nullus effectus est casualis, vel fortuitus respectu causæ primæ, cum nullus eveniat præter intentionem ipsius.

Ex quo sequitur, quod nullus effectus est simpliciter casualis, vel fortuitus respectu cujuslibet causæ concurrentis ad ejus productionem. Secundo declaratur per exemplum; ut si paterfamilias mittat Socratem, et Platonem per diversas vias ad eumdem locum, ubi jacet bos in puteo, et nec Socrates, nec Plato sciat aliquid de bove, nec unus de alio, aut e contra : tunc obviatio istorum duorum ad puteum, et extractio bovis de puteo, sunt a fortuna respectu Socratis, et Platonis; quia neuter illorum effectuum intendebatur ab aliquo illorum, et tamen illi effectus non sunt fortuiti respectu patrisfamilias, qui intendebat illos effectus. 5.

Ex quibus patet, quod non omnia fiunt a casu. Secundo, quod aliqua fiunt a casu. Tertio, quod quantumcumque aliquid fiat a casu, vel a fortuna respectu causæ secundæ, tamen impossibile est aliquid esse casuale, vel fortuitum respectu causæ primæ.

Ad rationes : ad primam concessum est, quod respectu Intelligentiæ, quæ est causa prima, nullus evenit effectus casualis, vel fortuitus ; imo quilibet effectus evenit ab intentione ipsius.

6. Secunda ratio solvitur in textu ; quia non sequitur, hujus effectus est determinata causa : igitur non est a casu, vel a fortuna : quia possibile est, quod ille effectus eveniat præter intentionem illius causæ determinatæ, et quod raro, et contingenter natus sit evenire ad hujusmodi causas, licet sint determinatæ causæ illius effectus.

Ad tertiam dico, quod non est inconveniens ; quia licet aliquid eveniat inordinate respectu unius causæ, quin possit tamen evenire ordinate respectu alterius, et per idem potest responderi ad sequentes.

QUÆSTIO XI

Utrum definitio fortunæ sit bona, in qua dicitur, Fortuna est causa per accidens extra semper et frequenter eorum, quæ propter hoc fiunt secundum propositum

Vide auctores citatos *quæst. antecedenti*. Averroes *com.* 52. Picus Mirandula *lib. 4. contra Astrologos*. Aulus Gellius 4. *noct. Atticar. cap.* 1. Boetius 1. *de consolat. prosa* 4.

1 Arguitur quod non ; quia cœlum est fortuna, et tamen cœlum non est causa per accidens. Major est nota per Astrologos, qui per aspectus corporum cœlestium judicant de fortuniis, et infortuniis istorum inferiorum, quod non esset nisi cœlum esset causa istorum fortuitorum, et per consequens fortuna. Minor nota est.

Secundo, illa definitio competit aliis a definito ; ergo, etc. Tenet consequentia per Aristotelem 6. Topicorum, cap. 1. Antecedens patet, posito quod domificator sit musicus, tunc musicum est causa per accidens, ut patet 2. hujus, text. 33. *extra semper, et frequenter*, quia raro contingit, quod domificator sit musicus eorum, quæ propter hoc sunt ; quia musicus est causa domus, qui est effectus notabilis bonitatis. Similiter musicus agit secundum propositum, et per consequens musicus est fortuna.

Tertio, quia ponuntur per accidens, et extra semper, et frequenter : modo idem est *per accidens, et extra semper, et frequenter*, et per consequens frustra ponuntur illæ duæ particulæ.

Quarto, quia illa definitio implicat contradictionem, igitur non est bona. Tenet consequentia, et probatur antecedens : quia ibi ponitur *per accidens*, et *secundum propositum*, modo ille effectus qui est per accidens non est intentus, et qui est secundum propositum est intentus, igitur idem effectus est intentus, et non est intentus, quod est contradictio.

Quinto, quia illud non est definibile, 2
quod est ignotum, et immanifestum, sed fortuna est immanifesta ; ergo, etc. Major est nota ; quia definitio notificat suum definitum ; et minor patet : quia fortuna est immanifesta, et extra rationem, ut dicit Aristoteles in hoc secundo, text. 47.

Sexto, illud non est definibile, de quo non potest esse scientia, sed sic est de fortuna, cum sit causa per accidens : nam de ente per accidens non est scientia, ut patet 6. Metaph. text. 6.

Septimo, contra illam partem *per accidens* : quia definitio debet prædicari per se de definito, ut patet 1. Poster. text. 9. et per consequens non per accidens. Secundo æque per se fortuna est causa effectus fortuiti, sicut natura est causa effectus naturalis.

Oppositum arguitur per Aristotelem 2. *Divisio.*
hujus tract. 4. cap. 2. text. 52. In quæstione primo explicabo definitionem fortunæ. Secundo, quæ res sit fortuna, et de quibus dicitur.

Quantum ad primum notandum, quod ad quæstionem quærentem propter quid *Definitio fortunæ explicatur*
de effectu fortuito, convenienter respondetur, quod a fortuna, et ideo in definitione fortunæ convenienter ponitur hoc nomen *causa*, ad exprimendum habitudinem for-

tunæ ad effectum fortuitum. Et si quæratur in quo genere causæ fortuna sit causa; respondetur per aliquas propositiones. Prima est, quod fortuna non est causa in genere causæ finalis. Probatur quia semper finis intenditur ab agente, et tamen fortuna non intenditur ab effectu fortuito; nec e contra, imo ex hoc effectus dicitur fortuitus, quod eveniat præter intentionem.

3. Contra hoc objicitur, quia Deus est causa finalis omnium; igitur effectus fortuitus est propter Deum tanquam propter finem. Secundo : quia inventio thesauri est a fortuna, et tamen est propter finem, quia ordinatur ad sustentationem vitæ.

Respondetur. Ad primum concedo quod effectus fortuitus finaliter ordinatur propter Deum, et ideo respectu Dei nullus effectus est fortuitus, imo quilibet est præordinatus, et evenit ex intentione, patet quinto de Consolatione. De secundo dico, quod effectus fortuitus dum est in *fieri*, non est propter aliquem finem : quia nullus illorum agentium respectu quorum effectus dicitur fortuitus intendit illum effectum : sed postquam ille effectus fuerit, bene ordinatur ad finem.

Secunda propositio est, quod fortuna non est materia. Probatur : quia causa dicitur fortuna propter aliquam innaturalitatem, vel extraneitatem, scilicet quia effectus non intenditur ab illa causa : modo materiæ nihil est innaturale, vel contrarium, imo utriusque contrariorum receptio est materiæ naturalis, ut dicit Commentator. Similiter nihil recipitur in materia præter ejus intentionem : imo ad cujuslibet rei receptionem materia inclinatur saltem passive.

Tertia propositio, quod fortuna non est forma. Probatur : quia totus effectus dicitur a fortuna; et per consequens forma ejus dicitur a fortuna; modo idem non est a se ipso.

Quarta propositio est, quæ sequitur ex prædictis, quod fortuna est causa efficiens, cujus signum est, quod habitudo fortunæ ad effectum fortuitum, exprimitur per hanc propositionem *A*, quæ denotat habitudinem causæ efficientis.

Secundo notandum est, quod quidam est 4.
effectus intentus ab agente, et respectu illius nullus dicitur fortunatus, vel infortunatus : alter est effectus non intentus, et ideo in definitione fortunæ ponitur hæc dictio *per accidens*, ad denotandum, quod effectus fortuitus non sit intentus ab agente, sed eveniat cum effectu intento, aut cum loco intenti. Et ex hoc potest exponi illa auctoritas. Ubi maximus intellectus, ibi minima fortuna, quia fortuna non dicitur, nisi respectu effectus non intenti, modo apud maximum intellectum, scilicet apud sapientem, paucissima eveniunt præter intentionem, vel saltem pauciora, quam apud minus prudentem, cum plura prævideat. Ideo paucissima contingunt sibi a fortuna, eo quod quasi omni præmeditatur.

Ubi plurimum de intellectu, ibi minimum de fortuna.

Vide Scotum d. 21. quol. sub littera I.

Tertio notandum, quod effectuum non intentorum ab agente, quidam nati sunt necessario, vel frequenter evenire cum effectibus intentis, ut mors, et senectus sunt effectus non intenti per naturam, et tamen necessario, vel frequenter eveniunt cum effectibus intentis, scilicet cum actione caloris in humidum. Ideo respectu istorum effectuum nullus dicitur fortunatus, vel infortunatus, sed alii sunt effectus non intenti, qui raro, et in paucioribus nati sunt provenire cum effectibus intentis, ut inventio thesauri, fractio capitis, et hujusmodi : et ideo in definitione fortunæ ponitur *extra semper, et frequenter*, ad designandum, quod effectus non intentus, respectu cujus agens dicitur fortuna, debet raro, et in paucioribus evenire cum effectu intento illius agentis.

Sed objicitur : quia Sol est raro in Can- 5.
cro, et tamen Solem esse in Cancro non est a fortuna. Respondetur, quod Solem esse in Cancro non est a fortuna, eo quod intenditur ab agente : secundo, quia necessario evenit ad suas causas, et non contingenter. Tertio, quia licet raro eveniat simpliciter loquendo, tamen evenit semper respectu suarum causarum

Quarto notandum, quod effectuum non intentorum, quæ eveniunt raro, vel contingenter cum effectibus intentis, quidam sunt inanes, et supervacui, scilicet quia nullius sunt bonitatis, vel malitiæ, vel saltem non notabilis, ut casus pili propter fricationem barbæ, aut disruptio festucæ : et respectu Text. 383 istorum effectuum nullus dicitur fortunatus, vel infortunatus ; sed alii sunt effectus notabilis bonitatis, vel malitiæ, qui dicuntur *propter hoc* : non quia agens ex intentione agat propter illos effectus, sed quia dignum fuisset egisse propter ipsos si fuissent præsciti ; et ideo in definitione fortunæ ponitur hæc particula *propter hoc*, ad designandum, quod effectus fortuitus sit notabilis bonitatis, vel malitiæ.

Quinto notandum, quod tunc aliquis proprie dicitur fortunatus, vel infortunatus, quando per actionem suam propriam voluntariam præhabita deliberatione agit aliquem effectum intentum, cum quo evenit aliquis effectus inopinatus notabilis bonitatis, vel malitiæ; et ideo inanimata, et illa, quæ non habent usum rationis, ut ebrius, infans, bestiæ, furiosus, et hujusmodi, non agunt aliquid a fortuna nisi similitudinarie ; et ideo in definitione fortunæ ponitur *secundum propositum*, ad designandum, quod effectus fortuitus eveniat cum effectu intento agentis voluntarie per deliberationem.

6\. Ex his sequitur ista conclusio ad quæsitum, quod definitio fortunæ est bona. Probatur, illa definitio est bona, quæ significat explicite, et convenienter quidquid per definitum significatur, sed ista est hujusmodi : ergo, etc. Quod ista sit hujusmodi, patet inducendo ; quia ibi ponitur nomen *causa*, loco generis. Secundo, ponitur ibi hoc nomen *per accidens*, ad denotandum, quod effectus respectu cujus agens dicitur fortuna, non sit intentus. Tertio ponitur *extra semper, et frequenter*, ad denotandum, quod effectus fortuitus raro eveniat cum effectu intento. Quarto ponitur *eorum quæ propter hoc sunt*, ad denotandum, quod effectus fortuitus sit notabilis bonitatis, vel malitiæ. Quinto ponitur *secundum propositum* ad denotandum, quod agens agat libere, et ex intentione per deliberationem effectum non fortuitum, scilicet illum cum quo evenit effectus fortuitus inopinatus. *Fortuna in quo differt a casu.*

Et notandum, quod si ista particula *secundum propositum* removeatur a definitione, tunc manet definitio casus : nam per illam particulam differt fortuna a casu, et tunc per hanc particulam, *eorum quæ propter hoc sunt*, debet notari notabile bonum, ut apertio loci thesauri per grave descendens deorsum, aut notabile malum, ut fractio colli, aut aliquid aliud notabile admirationis, aut inconsuetudinis, ut casus tripedis super pedes deorsum. Patet igitur quid sit fortuna, et quid casus, et quomodo differunt ab invicem, et hoc de primo.

Quantum ad secundum, notandum, quod fortuna (a) dicitur uno modo de causa principali remota, ut puta de cœlo, quod pro tanto dicitur fortuna, quia est causa fortuitorum in his inferioribus, et sic accipiendo fortunam, solet fortuna depingi per modum rotæ volubilis : et sic non accipit Aristoteles in proposito ; quia cœlum intendit effectus, quorum est causa in istis inferioribus. *Fortuna de quibus dicatur.* Secundo modo dicitur fortuna de influentia cœli, et sic definit Albertus ipsam super 7. Ethicorum, dicens, quod fortuna est qualitas causata a Cœlo secundum periodum nativitatis, a qua aliquis redditur aptus, vel ineptus ad felices successus. Tertio modo dicitur fortuna de causa principali immediata, cujusmodi est voluntas, vel intellectus, qui dicitur fortuna respectu effectus non intenti, et forma gravis dicitur casus, et sic capit Aristoteles fortunam, et casum in isto secundo. Et ideo dicit, quod casus, et fortuna sunt intellectus, et natura. Quarto modo dicitur fortuna de dispositione, mediante qua agens principale immediatum agit, effectum intentum, mediante quo evenit effectus fortuitus inopinatus, et sic volitio, cognitio, desiderium, aut aliquid hujusmodi potest dici fortuna ; sic etiam gravitas potest dici casus, quia gravitas est dispositio, mediante qua forma

gravis movet deorsum. Quinto modo fortuna dicitur de effectu intento, cum quo immediate evenit effectus non intentus : et sic patet, quod de quolibet agente concurrente ad effectum fortuitum potest dici fortuna, licet diversimode, tamen in proposito definitur fortuna, ut dicitur de agente principali immediate, sicut est intellectus, aut forma substantialis. Et hoc de secundo.

7. Ad rationes. Ad primam concedo, quod cœlum potest dici quodammodo fortuna, ex eo, quod concurrat ad effectum fortuitum, tamen non dicitur proprie fortuna, eo quod fortunia, vel infortunia quæ eveniunt in istis inferioribus intenduntur a cœlo.

Ad secundam negatur minor ; quia per istum terminum *per accidens*, differt fortuna a Musico ; nam in proposito non accipitur *per accidens*, ut est determinatio propositionis, quandoque veræ, quandoque falsæ, quemadmodum dicimus, quod musicum est causa per accidens domus : sed accipitur *per accidens*, eo quod denotat effectum fortuitum non intentum esse ab agente.

Ad tertiam dico, quod ista particula *extra semper, et frequenter* est determinatio hujus particulæ *per accidens* ; quia non quilibet effectus non intentus est fortuitus, sed ille qui raro, et in paucioribus natus est evenire, cum effectu intento.

Ad quartam dico, quod non implicat : quia istæ particulæ *per accidens*, et *secundum propositum* referuntur ad diversa : quia ly *per accidens* denotat, quod effectus non sit intentus : sed ly *secundum propositum* denotat, quod agens agat effectum intentum voluntarie, et per deliberationem; et sic hæc particula *per accidens* refertur ad effectum fortuitum ; sed hæc particula *secundum propositum* refertur ad effectum intentum,cum quo evenit effectus fortuitus.

8. Ad quintam dico, quod fortuna est ignota, quantum ad causales factas ex terminis specialibus ; ut puta, quia fodiens terram, invenies thesaurum : tamen quoad multas alias proprietates, et passiones fortuna est nota, ut puta, quod fortuna, sit causa agens. Et sic de aliis, ut patet 2. hujus.

Ad sextam dico, quod debet intelligi de ente per accidens, id est, de propositione per accidens, vera non est proprie scientia tanquam de conclusione demonstrata ; licet bene tanquam de re significata per conclusionem : modo fortuna non est tale ens per accidens, sed prædicto modo.

Ad septimam dico, quod non accipitur ibi *per accidens*, ut est determinatio propositionis, sed ut denotat effectum fortuitum non esse intentum ab agente respectu cujus dicitur fortuitus.

ANNOTATIONES

(a) *Fortuna dicitur uno modo*,etc.Nota primo discrimen esse inter hæc omnia nomina. Videlicet *casum*, *fortunam*, *frustra*, *temere*, *vanum*, *et Fatum*. Casus, et fortuna eo dicuntur causæ, quia ad earum per se effectus sequitur alius non ab illis intentus. Frustra dicitur causa, quæ suum non consequitur effectum, et in hoc solo stat ejus ratio. Temere dicitur actio, quæ in illum finem dirigitur,in quem de se non est ordinata ; ut si infirmus propter valetudinem consequendam faciat aliquid, quod de se non ordinatur ad salutem, ut si pisces comedat, salus tunc ex tali comestione secuta fuit effectus temerarius. Vanum dicitur actio, quæ non ordinatur in finem, in quem ordinari posset. 9.

Quoad Fatum nota secundo, quod Picus Mirandulanus lib.4.contra Astrologos, quatuor antiquas de Fato refert opiniones.Prima naturam ipsam Fatum dicebat, unde effectus naturales non distinguebant contra eos, qui per electionem, et casum a Fato procedere dicuntur. Secunda opinio, quæ est Stoïcorum : quia ponit æternam seriem causarum necessario connexarum. Hinc dicit, ut ait Aulus Gellius 4. Nocti. Atticarum cap. 1. quod *Fatum est sempiterna quædam, et indeclinabilis series rerum, et catena volvens semetipsam sese, atque implicans per æternos consequentiæ ordines, ex quibus apta nexaque est.* Tertia opinio dicit sidera esse Fata. Quarta opinio divini consilii executionem Fatum appellat. *Joan. Picus. Opinio quadruplex de Fato.*

Cæterum his opinionibus dimissis, nota tertio, Deum optimum ab æterno antequam res crearet ordinasse omnes res in suos fines per media convenientia, ut quælibet earum operaretur secundum convenientiam suæ naturæ : scilicet quod ignis ascenderet per levitatem, terra descenderet per gravitatem,ac denique suum sibi similem effectum unumquodque produ- 10.

ceret, quæ ordinatio activa Dei,(ut existit in Deo) dicitur providentia,quæ ita definitur : *Providentia est ordinatio rerum in suos fines per media convenientia in mente divina* ; ut autem hujusmodi ordinatio est passiva, et est in his inferioribus, dicitur Fatum.

[...]finitio [...]viden-

Nota quarto Deum suam hanc ordinationem rerum observandam, et exequendam tradidisse causis secundis dominantibus his rebus corruptibilibus, ut rectoribus, et gubernatoribus, quæ quidem sunt Planetæ, et alia sidera, quæ vario situ, motu, conjunctione, atque aspectu in hæc inferiora influunt. Tradidit autem Deus causis secundis illam ordinationem exequendam, non quia ipse solus non posset providere, suæque providentiæ executionem facere ; sed quia propter suam infinitam bonitatem voluit causis secundis communicare dignitatem gubernandi, et causandi, et ita accepit causas secundas, non ut providentes suæ providentiæ. Fatum igitur non est aliud, quam illa ordinatio rerum in suos fines, ut exequenda, et servanda per causas cœlestes.

[...]finitio [...]i.

Hoc posito, sic licet fatum definire : *Fatum est executio divinæ ordinationis corporibus cœlestibus indita, per quam inferiora moventur in suos præordinatos fines* : vel sic,ut ex Boetio de Consolatione colligitur : *Fatum est ordo causarum naturalium præordinatus, et præscitus a Deo.* Quæ causæ ita influunt in hæc inferiora,ut nihilominus ex sua natura possint deficere, et ex divina libertate dependeant : nam quamvis constellationes cœlestes agant aliquid ad mores hominum, id tamen faciunt disponendo, et non necessitando, eoque possunt impediri tam per alias causas naturales, quam per educationem, et consuetudinem, et voluntatis libertatem.

[...]11 [...]tum dif- [...]t a cas [...]fortuna

[...]ero, et [...]i male [...]ali sunt [...]fato.

Ex hac definitione fati infertur primo, fatum differre a casu,et fortuna : quia fatum est causa per se intendens suum effectum fatalem; fortuna vero et casus sunt causæ per accidens. Secundo, infertur Stoicos, et Ciceronem male locutos fuisse de fato. Stoicos quidem: quia dixerunt fatum esse ordinem causarum ex necessitate producentem omnes effectus horum inferiorum, etiam humanas actiones,quæ sententia Fidei Catholicæ adversatur,cum tollat liberum arbitrium, hominumque libertatem. Ciceronem vero : quia, ut refert Divus Augustinus 5. de Civitate Dei, cum videret multas res fieri contingenter, hominesque esse liberos ad operandum, dixit non solum non esse fatum,verum etiam Deum nullam habere rerum providentiam, nec ordinationem : nam si Deus haberet providentiam, et scientiam rerum, evenirent, inquit, omnes res necessario ; quæ positio etiam Fidei Catholicæ adversatur. Unde Divus Augustinus 5. de Civitate Dei, cap. 9. notavit, quod Cicero, dum vellet facere homines liberos, fecit eos sacrilegos.

Omnia quæ sub cœlo sunt subjacent fato,

Tertio infertur, quod omnia quæ sub cœlo sunt fato subduntur, et subjacent, eoque motibus cœlorum aliis a cœlo, et elementis passionibus provenientibus subduntur,excepta voluntate humana,quæ non subditur cœlis,sed a solo Deo regitur,et ab uniuscujusque intellectu,quamvis per accidens moveatur a cœlis : quia cum influant in corpus humanum, in quo residet voluntas, inclinatur a talibus passionibus corporeis, ut amet, et velit, quæ corpori placent, juxta illud Sapientiæ 2. *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam*, præcipitque intellectui, ut vacet a consideratione malorum, quæ proveniunt ex consensu talium corporearum passionum, tantumque delectabile sibi offert, ut sub ratione illius boni, quod apparet, inclinetur ad talia amplecteda. Non sunt autem quæcumque corporeæ passiones, et inclinationes sufficientes ad libertatem voluntatis cogendam,si ipsemet homo nolit assentiri ; sed ut sapientem Astris dominari, et sic nullus propter has passiones impulsus sufficienter a peccato excusabitur.

QUÆSTIO XII

Utrum in contingenti ad utrumlibet possit reperiri casus, et fortuna

Vide Auctores citatos *quæst.* 10 *et* 11.

Arguitur quod sic : quia nisi ita esset, 1.
sequeretur, quod determinatio Aristotelis in isto 2. tract. de casu, et fortuna text. 48. esset insufficiens,quod est falsum. Probatur consequentia, quia in cap. 2. hujus tractatus ponit istam divisionem, quod eorum quæ fiunt, quædam fiunt semper, vel frequenter, et quædam extra semper, et frequenter : modo in isto secundo membro ponit casum, et fortunam, sed in isto secundo membro continetur tam contingens ad utrumlibet, quam contingens in paucioribus, quod non esset nisi in contingenti ad utrumlibet reperiretur casus.

Secundo, quia per Aristotelem ultimo tractatu hujus 2. omne quod fit, aut fit ex intentione agentis, scilicet propter finem, et tunc fit semper, aut frequenter, aut fit a

casu, vel fortuna ; sed aliquod contingens ad utrumlibet fit præter intentionem agentis : igitur illud eveniet a casu, vel fortuna. Et tenet consequentia per prædictam divisionem Aristotelis.

Decisio quæstionis

Oppositum arguitur per Commentatorem in isto secundo, text. 52. Et probatur ratione, quia ambulare, vel sedere est contingens ad utrumlibet, et tamen non dicimus aliquem ambulare a casu, vel sedere a casu. In quæstione primo recitabuntur dicta Commentatoris com. 48. contra Avicennam in ista materia. Secundo respondebitur ad quæsitum.

Quantum ad primum notandum, ut recitat Commentator, quod Avicenna posuit, quod casus, et fortuna possunt reperiri in contingenti ([a]) ad utrumlibet : et probatur per rationes ante oppositum. Secundo, solvebat rationes Commentatoris post oppositum : quia ambulare potentiæ motæ est contingens ad utrumlibet, et ideo ut sic potest fieri a casu, supposito, quod eveniat præter intentionem ; sed ambulare respectu desiderii ambulandi, est contingens *ut in pluribus :* quia *ut in pluribus*, quando homo appetit ambulare ambulat, ita potest dici conformiter de *sedere*. Per hoc patet solutio rationis Commentatoris : quia ambulare, et sedere est contingens, *ut in pluribus,* respectu desiderii ambulandi, sed est contingens ad utrumlibet respectu potentiæ motæ, et ideo quia evenit cum intentione agentis, non dicitur a casu, vel fortuna.

2. Et ex hoc infert Avicenna, quod idem vel consimile, quod est contingens ad utrumlibet respectu unius, est contingens *ut in pluribus* respectu alterius, et necessarium respectu tertii. Quarto, dicit quod *necessarium* est cujus non est impedimentum extrinsecum : sed *contingens* est cujus est impedimentum extrinsecum.

Idem non est necessarium respectu unius, et contingens respectu alterius.

Sed contra ista dicta ponit Commentator quatuor conclusiones. Prima est, quod idem, vel consimile non est necessarium respectu unius, et contingens respectu alterius. Probatur, quia si ita esset, sequeretur quod nihil esset naturaliter necessarium. Consequens est falsum. Et probatur consequentia, quia per ipsum nihil est necessarium, nisi in respectu ad alterum : modo necessarium naturaliter est necessarium per suam naturam intrinsecam, circumscripto quocumque extrinseco, ad quod habeat respectum : quia natura est principium intrinsecum, patet per definitionem naturæ.

Definit[io] necessa[rii] tradita Avicen[na] est inep[ta].

Secunda conclusio. Definitio necessarii est inepta. Probatur sic, quia si esset bona, sequeretur, quod quodlibet esset naturaliter necessarium, quod est falsum. Probatur consequentia, quia illud dicitur naturaliter necessarium, quod circumscripto quocumque alio, est necessarium, sed quodlibet ens, circumscripto quocumque alio, est necessarium : igitur quodlibet ens est naturaliter necessarium. Major nota est. Et minor patet per definitionem prædictam, quia quodlibet, circumscripto quocumque alio, non haberet extrinsecum impedimentum, et per consequens esset necessarium.

3. *In po[ten]tiis acti[vis] non conting[ens] ad utr[um]libet.*

Tertia conclusio. In potentiis activis non reperitur contingens ad utrumlibet. Probatur, quia formæ est agere, et materiæ pati ; modo forma est determinata, et non indifferens: igitur in iis, quibus attribuitur *agere*, non invenitur potentia indifferens ad agendum, et non agendum; sed semper determinata ad alterum. Secundo si potentia activa esset contingens ad utrumlibet, sequeretur, quod nunquam produceretur effectus. Consequens est falsum. Et probatur consequentia : quia ex quo agens est indifferens, et etiam materia indeterminata ; qua ratione produceretur unum contrariorum, eadem ratione et reliquum : igitur vel ambo simul producerentur, quod est impossibile ; vel neutrum, et habetur consequens. Et ex hoc infert Commentator, quod contingentia ad utrumlibet reperitur in causa naturali, quæ de sui natura est indifferens ad diversos, et oppositos effectus in diversis temporibus secundum diversitatem alterationum agentium, ut ista

Contin[gen]tia [ad] utrum[libet] in quo [re]periat[ur].

inferiora in æstate nata sunt recipere caliditatem, et siccitatem propter appropinquationem Solis; sed in hyeme nata sunt recipere frigiditatem, et humiditatem propter remotionem Solis.

sus et rtuna i sunt contin- nti ad umlibet

Quarta conclusio. Casus et fortuna non reperiuntur in contingenti ad utrumlibet. Probatur, quia casus, et fortuna sunt causæ agentes; modo in causis agentibus non reperitur contingens ad utrumlibet per præcedentem conclusionem; ergo, etc.

Ad rationes Avicennæ respondens, Commentator negat consequentiam: determinationem autem Aristotelis præhabitam, videlicet quod casus et fortuna sunt causæ agentes: quia illa, quæ fiunt extra semper, et frequenter a causa agente, oportet, quod fiant contingenter raro: quia in agentibus non reperitur contingens ad utrumlibet, et hæc de primo.

4. Quantum ad aliud, videlicet quid veritatis contineant dicta Commentatoris, primo videbitur utrum in potentiis activis possit reperiri contingens ad utrumlibet. Secundo, utrum contingens ad utrumlibet reperiatur in potentiis passivis. Tertio, utrum idem sit necessarium respectu unius, et contingens respectu alterius. Et quarto utrum casus, et fortuna reperiantur in contingenti ad utrumlibet.

tentia duplex, tionalis irratio- lis.

Quantum ad primum, notandum, quod quædam est potentia rationalis, ut voluntas: quædam irrationalis, ut ignis. Secundo notandum, quod potentiam activam esse contingentem ad utrumlibet, potest intelligi dupliciter. Uno modo, quod agente approximato passo sufficienter disposito ad actionis suæ receptionem, utrum tunc potentia activa potest contingenter agere, vel non agere. Et dico notabiliter *approximato passo sufficienter disposito*, propter duo:

Primo, si agens non sit approximatum, tunc contingit ipsum ad utrumlibet approximari, vel non approximari; et per consequens contingit ad utrumlibet ipsum agere, vel non agere.

Secundo, quia si passum fuerit indispositum; tunc contingit ipsum agere, vel non agere, secundum quod contingit passum disponi, vel non disponi. Alio modo intelligitur, quod aliquis effectus producatur ab agente, a quo natus est contingenter ad utrumlibet produci, vel non produci.

Nunc ponuntur conclusiones. Prima est, 5.
quod potentia rationalis, ut voluntas, est de se indifferens ad agendum, et non agendum, ita ut contingenter ad utrumlibet possit unum actum elicere, vel suum oppositum positive, vel privative. Probatur, quia aliter sequeretur, quod voluntas non eliceret libere suos actus, quod est falsum. Et patet consequentia, quia si voluntas determinaretur, hoc esset per agens naturale, cujus actio non esset in potestate voluntatis, et per consequens nec actio voluntatis dependens ex illa actione.

Secundo patet, quia priusquam per intellectum fuerit judicatum de aliquo objecto, sufficit quod voluntas possit elicere actum volendi, vel nolendi illud objectum, tunc voluntas judicio stante, quod eliciat, adhuc potest actum suum differre, vel ejus oppositum elicere; igitur de agente libero quæstio non est dubia.

Secunda conclusio. Agente naturali approximato passo sufficienter disposito ad receptionem suæ actionis, agens illud non est indifferens ad *agere*, vel *non agere*: imo determinatum est ad agendum. Probatur, quia per hoc differt potentia activa naturalis a potentia libera.

Secundo, quia si agens sit indifferens ad producendum istum effectum, vel ejus oppositum, cum etiam passum sit indifferens, qua ratione producit unum ipsorum, eadem ratione reliquum, et per consequens ambos effectus simul, vel neutrum, quod est impossibile.

Sed contra objicitur, quia si ista ratio valeret, probaretur, quod nunquam contingens rarum produceretur ab aliquo agente: quia sit *A* contingens rarum, et *B* contingens *ut in pluribus*, et quod agens determinetur; tunc si *A*, et *B* essent effectus contingentes ad utrumlibet, ita ut agens esset indifferens æqualiter ad illos, nun-

quam aliquem illorum produceret, per prædictam rationem ; igitur, cum agens sit minus determinatum ad agendum aliquid, quam si esset indifferens æqualiter ad A, et ad B, sequitur, quod semper producet B, et nunquam A.

6. Respondetur concedendo, quod si agens non impediretur, semper produceret effectum, ad quem magis determinatur, et quando impeditur, tunc producit effectum, ad quem determinatur in paucioribus ; et ideo consequentia non valet, nisi circumscriberetur impedimentum.

Tertia conclusio. Aliquis effectus potest produci ab aliquo agente, a quo natus est indifferenter produci, vel non produci, et potentia activa est contingens ad utrumlibet. Probatur, quia licet agens naturale sit determinatum ad effectum intentum, non tamen ad effectum, qui evenit præter intentionem ; imo agens est indifferens, ut quilibet diversorum, imo multorum effectuum eveniat præter ejus intentionem

Secundo, probatur de effectibus intentis : quia licet (b) agens sit determinatum ad effectum secundario intentum, v. g. ludens ad taxillos primaria intentione intendit ludere ; et quantum ad secundariam intentionem est indifferens ad lucrum, vel perditionem.

Ex quibus patet, quod cum casus, et fortuna dicantur respectu effectuum, qui non intenduntur ab agente, et respectu illorum agens sit indifferens, et contingens ad utrumlibet ; sequitur, quod in contingenti ad utrumlibet potest inveniri casus, et fortuna, dummodo illud contingens eveniat præter intentionem.

7. Secundo patet, qualiter diversimode est contingentia in agentibus liberis, et in agentibus naturalibus : quia agens liberum est indifferens ad ejus primarium effectum, et etiam secundarium ; sed agens naturale est determinatum ad effectum primario intentum ; sed est indifferens ad effectum secundario intentum evenientem præter intentionem. Et hoc de primo.

Potentia Quantum ad secundum, scilicet de potentia passiva, est distinguendum, quod quædam est potentia passiva receptiva, alia terminans, ut homo : et hujusmodi potentia receptiva est duplex, quædam pure receptiva, ut materia prima, et alia quæ est quodammodo activa, ut visus, auditus, et aliæ potentiæ cognitivæ. *passiva duplex.*

Nunc sit prima conclusio. Potentia pure passiva de sui natura est indifferens ad utrumque oppositorum. Probatur, quia materia prima de sui natura est indeterminata ad unum, vel alterum : ideo simul potest recipere utrumque. Et si arguatur, si sit indifferens ad utrumque, qua ratione recipiet unum, eadem ratione reliquum : igitur vel simul recipiet ambo, vel neutrum. *Potent[ia] pure p[as]siva est [in]differe[ns] ad utr[um]que op[po]situm.*

Respondetur negando consequentiam ; quia licet non sit determinatio ad receptionem unius contrariorum, quantum est de natura materiæ ; tamen est determinatio ex parte agentis, cujus est producere unum, et non reliquum.

Et si objiciatur ; si materia potest simul 8.
recipere utrumque. ponatur illa de possibili in esse, sequitur, quod simul recipiet utrumque : dico, quod non debet poni in esse per unam positionem, sed per diversas successive ; et propter hoc hæc dictio *simul* determinat hoc verbum *potest*, et non hoc verbum *recipere*, quia tunc jam ipsa esset falsa. Eodem modo dicitur de virtute cognitiva, quod ipsa est indifferens moveri ab uno objecto, vel alio indifferenter, quantum ex parte sui, non obstante, quod ipsa habeat majorem inclinationem, ut moveatur ab uno, et non a reliquo, cujus inclinationis signum est delectatio, quam habet potentia cognitiva tam in apprehensione unius objecti, quam alterius.

Sed potentia passiva resistente. vel terminante, cujusmodi est mixtum, vel elementum, est distinguendum : quia vel hujusmodi passum est indifferens, ut patiatur ab hoc agente, vel illo, quod est sufficienter approximatum, et sufficiens agere in ipsum ; vel quantum ad effectum, quem agens natum est producere ex illo passo

tanquam ex termino *a quo* ; tunc dico, quod tale passum est contingens, et indifferens ad utrumlibet primo modo. Sed secundo modo non ; quia sæpe agens determinatur per passum, seu per dispositiones passi alias, et alias ad producendum unum, et alium effectum ; verbi gratia, calor Solis per dispositionem materiæ in uno loco determinatur ad producendum vermes, in uno loco ad desiccandum, et alibi ad dissolvendum, et ita diversimode per diversas dispositiones passi. Et hoc de secundo.

9\. *finitio essarii endum mmen- rem.* Quantum ad tertium nota, quod Commentator definit *necessarium* in isto secundo, dicens, quod *necessarium est, in cujus natura non est potestas ad efficiendum* : et ex hoc Commentator reprehendit definitionem Avicennæ prius datam male ; quia definitio Avicennæ, quam dat de *necessario*, sequitur ad definitionem Commentatoris. Quia si in natura necessarii non sit potestas ad efficiendum, sequitur, quod necessarium non habet extrinsecum impedimentum.

tingens ipitur liciter. Secundo notandum, quod contingens (c) accipitur dupliciter : uno modo communiter ad necessarium, et ad contingens ad utrumlibet, ut patet *primo Priorum*. Alio modo ut distinguitur contra necessarium ; et tunc dividitur in contingens *ut in pluribus*, et in contingens *raro*, et in contingens *æqualiter*, quod vocatur contingens *ad utrumlibet*.

Nunc sit ista conclusio. Idem, vel consimile, quod est necessarium respectu unius, est contingens respectu alterius ; vel quod est contingens ut in pluribus, est necessarium respectu alterius. Probatur primo, quia dies esse majores noctibus est contingens, et quandoque ita est, et quandoque non, et tamen est simpliciter necessarium respectu æstatis : quia de necessitate dies sunt majores noctibus in æstate.

Secundo, quia Deum creare est simpliciter contingens, accipiendo *creare* pro productione rei de *non esse* ad *esse* nullo subjecto præsupposito ; et tamen Deum creare est necessarium respectu voluntatis divinæ efficacis ad creandum : quia de necessitate Deus creat, quando vult efficaciter creare.

Tertio, quia quoddam est necessarium simpliciter, et aliud est necessarium ex conditione, ut patet tractatu ultimo hujus 2. text. 87. modo necessarium ex conditione est contingens simpliciter, et tamen est necessarium respectu alicujus : verbi gratia, Socratem habere oculum est contingens simpliciter, et tamen est necessarium ex conditione, videlicet, si Socrates debeat videre.

Quarto, quia diem esse est contingens æqualiter ; quia toties est dies, quoties est nox ; et tamen diem esse est necessarium respectu Solis elevati super Horizontem nostrum.

Quinto, quia ambulare est contingens ad utrumlibet respectu potentiæ motæ, et tamen non est contingens ad utrumlibet respectu desiderii ad ambulandum.

Sexto, per Aristotelem in isto 2. text. 77. ubi dicit, quod pluere est contingens raro in æstate, Sole existente sub cane, et tamen est contingens *ut in pluribus* in hyeme.

Ex quibus sequitur, quod Commentator male reprehendebat Avicennam in hoc, quod ponebat idem esse necessarium, et contingens respectu diversorum. Secundo sequitur, quod idem potest esse casuale respectu unius, et fortuitum respectu alterius, et non casuale, vel fortuitum respectu tertii. Et hoc de tertio.

Casus et fortuna contingunt in contingenti ad utrumlibet Quantum ad quartum, videlicet an reperiatur casus et fortuna in contingenti ad utrumlibet, respondetur, quod sic : quia si effectus contingens ad utrumlibet eveniat præter intentionem agentis ; tunc per definitionem casus evenit a casu, quia evenit extra semper, et frequenter, etc. Verbi gratia, dormire est effectus contingens ad utrumlibet, id est, æqualiter : forte toties, et tantum dormimus, quantum vigilamus ; et ideo dicit Aristoteles 1. Ethicorum, quod felix non differt a misero, nisi per dimidium vitæ ; et ideo quando dormire evenit

præter intentionem dormientis, ut patet in ebriis, tunc dicitur evenire a fortuna : quia evenit cum effectu intento, scilicet cum potatione. Tamen notandum est, quod casus, vel fortuna possunt accipi tripliciter ; uno modo propriissime, et tunc solum invenitur in contingenti raro, et quanto rarius invenitur, tanto potius dicitur a fortuna. Secundo modo communiter, et tunc potest reperiri in contingenti ad utrumlibet : verbi gratia ; sicut dicimus istum a fortuna habere pedes maculatos. Tertio modo magis improprie in tantum, quod quando dicimus effectus intentos evenire a casu, vel fortuna, ut dicimus, quod lusor ad taxillos lucratur a casu, et tamen intendebat.

Casus et fortuna tripliciter sumi possunt.

11. Tunc circa hoc dubitatur de eclipsi Lunæ, an eveniat a fortuna, et videtur, quod sic : quia eclipsis est quidam defectus luminis ; igitur motor, scilicet Intelligentia non intendit ipsum, imo potius intendit perfectionem orbis, quem movet, et tunc sequitur, cum eveniat raro præter intentionem agentis, quod fiat a casu. Respondetur, quod non fit a casu : quia licet simpliciter loquendo fiat raro, tamen ut in pluribus : imo semper fit respectu suarum causarum : quia quotiescumque Sol, et Luna diametraliter opponuntur, ita ut unum sit in capite Draconis, et aliud in cauda, fit eclipsis. Sed contra : quia ita sequeretur, quod inventio thesauri non fiat a casu ; quia ut in pluribus evenit respectu suarum causarum, imo semper : quia quotiescumque aliquis fodit terram, in qua est absconditus thesaurus, invenit thesaurum. Respondetur, quod non est simile : quia eclipsis evenit per motus regulares, et uniformes, et per media necessaria, quæ non possunt impediri, et per quæ præscitur eclipsis, priusquam eveniat ; sic autem non est de inventione thesauri, quia illa potest evenire per alias causas, etiam media ad illum effectum possunt impediri ; nec per illa media potest præsciri ille effectus : imo quantum ad hoc fortuna est immanifesta homini, ut dicit Aristoteles 2. hujus, text. 47. Ex quibus patet qualiter in contingentibus *ad utrumlibet* inveniatur casus, et fortuna, et qualiter non. Et hoc de quarto. Rationes sunt solutæ.

ANNOTATIONES

(a) *Casus et fortuna possunt reperiri in contingenti ad utrumlibet.* Nota, quod triplex est contingens, scilicet *ad utrumlibet*, *ut in plurimum*, et *raro*, quod magis determinatum est ad non esse, quam ad esse. Contingentia primi modi sunt simpliciter contingentia ; secundi autem modi vocantur a Physicis necessaria, ut hominem nasci cum quinque digitis in qualibet manu, Solem oriri, et Lunam eclipsari, quia habent causas naturaliter tales effectus producentes. Tertii vero generis judicantur impossibilia, omnia tamen Logice loquendo sunt contingentia : quia possunt evenire, vel non evenire. 12.

Contingens est triplex.

Unde observa, quod cum non sit aliquod efficiens alicujus rei, illa talis res non est effectibilis, raro autem contingentis causæ assignantur fortuna et casus, quæ sunt causæ per accidens, ut patet in hoc 2. text. 66. et 67. Causa ergo hujusmodi contingentis reduci debet ad causam per se : quia in nullo genere causæ, causa per accidens est prima causa. In contingentibus autem *ut in plurimum*, causæ etiam assignantur naturales, et per se : omne autem agens per se agit propter finem, aut est agens a proposito, vel saltem ordinatum ab agente a proposito. Tertii etiam generis contingentium, scilicet eorum, quæ sunt ad utrumlibet, proprie loquendo, causa debet assignari libera : ex quo sequitur, quod omnium contingentium causa sit libera immediate, vel mediate, propinque, aut remote.

(b) *Quia licet agens sit determinatum ad effectum secundario intentum.* Nota, quod hæc littera videtur corrupta, seu manca. Unde debet sic corrigi : quia licet agens sit determinatum ad effectum primario intentum, est tamen indeterminatum ad effectum secundario intentum, v. g. ludens, etc. vel sic tamen potest esse indifferens ad effectum secundario intentum, verbi gratia, etc.

(c) *Contingens accipitur dupliciter, uno modo communiter*, etc. Nota, quod *possibile* tripliciter capi potest ; primo pro possibili Logico, et tale stat cum necessario, tunc enim solum dicit non repugnantiam ad esse, sive necessario sit, sive contingenter sit, et sic ipse Deus est possibilis. Secundo modo sumitur magis stricte pro re, quæ 13.

Possibi[le] potest f[ieri] triplicit[er]

contingenter potest esse, quamvis non sit : et isto pacto in plus se extendit possibile, quam contingens : quia omne contingens est possibile, non autem omne possibile est contingens : quia multa possunt fieri, quæ nunquam fient. Tertio modo sumitur possibile, ut convertitur cum contingenti.

Definitio possibilis contingentis.

Unde Aristoteles 9. Metaph. text. 7. definit possibile in hunc modum : *Est autem possibile hoc, si extiterit actus, cujus dicitur habere potentiam nihil erit possibile* ; et idem Aristoteles definit contingens eodem modo lib. 1. Priorum, cap. 12. Dico autem contingere, et contingens, quo non existente necessario, posito autem in esse, vel non in esse, propter hoc nihil erit impossibile. Unde apparet possibile, et contingens pro eodem accipi.

QUÆSTIO XIII

Utrum omnia eveniant de necessitate

Arist. *lib.* 1. *Prior. c.* 12. *et* 2. *Phys. text.* 50. *et* 52. *et* 6. *Metaph. text.* 7. *et* 8. Averr. *com.* 48. Avic. 6. *Met. c.* 9. Albert. Mag. *tract. c.* 2. 10 *et tract.* 3. c. 5. D. Thom. 6. *Met. lect.* 3. *et* 1. *p. q.* 116. *art.* 1. *et* 3. *cont. Gent. c.* 86. Canon. *q.* 4. *art.* 2. Fonseca *tom.* 8. *Met. lib.* 5. *c.* 5. *q.* 1 Suar. *tom.* 1. *Met. disp.* 29. *per totum.* Conimbr. 2. *Phys. cap.* 7. *q.* 13. Complut. *disp.* 11. *q.* 1. Fuentes *q.* 5. *diffic.* 2. Ruvius *in exposit. c.* 9.

1. Arguitur quod sic : quia omne futurum præscitur scientia infallibili : igitur omne futurum necessario eveniet. Consequentia tenet, quia si *A* effectus sit præscitus inevitabiliter evenire ; vel de necessitate eveniet et habetur propositum : vel potest non evenire ; tunc ponatur in esse, quod non eveniat, et tunc sequitur, quod hæc scientia est falsa, quæ ponebatur infallibilis, quod est contradictio.

Secundo, omne corruptibile de necessitate corrumpetur ; sed omne futurum est corruptibile : ergo omne futurum de necessitate corrumpetur, sed non potest corrumpi nisi primo fuerit : igitur omne futurum de necessitate erit. Confirmatur, quia non apparet aliquid magis contingenter fieri, quam corruptio Socratis : quia potest indifferenter fieri hodie, vel cras, et tamen corruptio Socratis de necessitate eveniet : quia ex nunc positæ sunt causæ ad quas necessario sequitur corruptio Socratis : igitur consimiliter, ita videtur de quolibet alio futuro.

Tertio, quia altera istarum duarum, *Socrates curret cras, Socrates non curret cras*, nunc est vera, cum sint contradictoriæ ; sit igitur ista : *Socrates curret cras*, quæ sit vera, et transeat in præteritum ; tunc ista de præterito, *Socrates cucurrit*, est necessaria : quia omnis propositio vera de præterito est necessaria : igitur illa, *Socrates curret cras*, erit necessaria. Tenet consequentia : quia veritas illius de præterito dependet ex veritate ejus de futuro ; et per consequens ad unam sequitur alia, et per consequens sequitur, quod de necessitate Socrates curret cras.

Quarto, omne præsens de necessitate est 2.
præsens, et omne præteritum de necessitate est præteritum : igitur omne futurum de necessitate est futurum. Tenet consequentia ; quia multa sunt de præsenti, ad quas sequuntur illæ de futuro, sicut sequitur, *homo movetur* : *igitur homo movebitur*. Secundo patet, quia æque necessaria est ista, *futurum est futurum*, sicut ista, *præsens est præsens*, aut ista, *præteritum est præteritum*. Tertio patet, quia si ista de præsenti sit vera, *A* de necessitate est præsens : igitur prius sibi correspondebat una de futuro vera, scilicet, *A* de necessitate erit præsens. Antecedens patet pro prima parte, primo Perihermenias, ubi dicitur, quod omne quod est, quando est, de necessitate est. Secunda patet in primo Cœli, text. 138, ubi dicitur quod potentia non est ad præteritum.

Quinto, nisi omne futurum de necessitate eveniret, sequeretur, quod possibile fieret impossibile, nulla mutatione facta ex parte rei. Consequens est falsum ; quia mutatio contradictionis non potest fieri, nisi per mutationem rei significatæ. Consequentia patet, capiendo istam, *Socrates curret cras*, quia vel Socratem currere cras

eveniet de necessitate, et habetur propositum ; vel poterit non evenire ; et si sic, ponatur quod non eveniat : tunc pro cras illud erit impossibile ; quia tempus non potest reiterari.

Sexto, quia de necessitate omne futurum est futurum ; igitur omne futurum de necessitate eveniet. Tenet consequentia, quia idem est futurum, et eveniet. Et antecedens apparet ; quia ista est necessaria, *omne futurum est futurum*. Confirmatur, quia si non omne futurum de necessitate eveniret, tunc aliquod futurum potest non evenire. Ponatur igitur in esse, quod non eveniat, sequitur contradictio, quod futurum non est futurum.

3. Septimo, quia Socratem currere cras, vel non currere, est necessarium ; sed Socratem currere est Socratem currere, vel non currere cras : igitur Socratem currere cras est necessarium. Confirmatur, quia cursus Socratis primo significatur per propositionem de præterito. Secundo, per propositionem de præsenti. Tertio, per propositionem de futuro ; igitur si una illarum sit necessaria, et reliqua. Tenet consequentia, quia ab eo quod res est, vel non est, dicitur oratio vera, vel falsa, in Prædicamentis, cap. de Substantia, etc. de Priori ; sed illa de præterito est necessaria ; igitur, et illa de futuro.

Octavo, quia ut patet 1. Cæli, text. 124. semper ens est necessarium, et semper non ens est impossibile : igitur contradictorium non entis semper est necessarium, scilicet, *aliquod ens* ; sed omne futurum aliquando est, igitur omne futurum de necessitate est.

Nono, quia possibile, et impossibile opponuntur evenire, et non evenire ; sed omne impossibile de necessitate non eveniet ; igitur omne possibile de necessitate eveniet, per illam regulam, *si oppositum in opposito, et propositum in proposito.*

Oppositum arguitur per Aristotelem in in isto secundo, text. 50. et 52. ubi ponit aliqua evenire a casu, et a fortuna, et per consequens contingenter : et Commentator dicit, quod sermo dicens omnia de necessitate evenire, est falsus.

Notandum, quod aliquid dicitur futurum tripliciter : uno modo, quod est, et erit sine successione temporis, sicut dicimus, quod Deus est, et hoc est improprie ; quia in æternitate non est prius, nec posterius, cum æternitas sit interminabilis possessio vitæ tota simul, et perfecta, ut patet 1. de Consolatione, et ideo omnia præterita, et futura sunt æque præsentia Deo ; imo multo perfectiori modo, quam aliquid sit præsens mihi, cum Deus sit indistans cuilibet morosæ durationi. Alio modo dicitur aliquid futurum quod est, et erit cum temporis successione, ut creaturæ præsentes circa Deum, ut cœlum, homo, et hujusmodi. Alio modo dicitur futurum, quod nondum est, sed erit, et de tali quæritur in proposito. 4.

Aliquid dicitur f[...] turum tr[...] pliciter.

Secundo notandum, quod tale futurum evenire de necessitate potest intelligi dupliciter ; uno modo, quod ejus eventus per nullam potentiam possit impediri, et sic nihil est futurum de necessitate : quia Deus de potentia absoluta posset facere, quod nihil esset futurum, imo quod nihil esset aliud a se ipso. Alio modo dicitur evenire de necessitate : quia eventus ejus non potest impediri stante concursu naturæ, qui dicitur potentia Dei ordinata, et sic multa evenirent de necessitate, ut ortus, et occasus stellarum, et hujusmodi, et sic intelligitur in proposito.

Futuru[...] evenire necessita[...] potest i[...] telligi d[...] pliciter.

Tertio notandum, quod aliquando necessitas attribuitur priori, ex suppositione posteriorum, ut patet 1. hujus : ut homo habet de necessitate oculum, supposito, quod debeat videre, sed quandoque est e contra, quod necessitas attribuitur posteriori ex suppositione priorum ; ut quia hodie est dies Sabbati, cras de necessitate erit dies Dominica. Similiter qui corpora cœlestia intersecant se in tali dispositione, et moventur uniformiter : igitur de necessitate tali tempore erit eclipsis. Similiter quia Socrates est compositus ex contrariis ;

Necessit[...] divers[...] modo att[...] buitur r[...] bus.

igitur de necessitate corrumpetur, licet tempus sit indeterminatum in quo fiet ejus corruptio.

5. *Aliquid evenit contingenter.*

Nunc ponuntur conclusiones. Prima conclusio. Aliquid (a) evenit contingenter. Probatur; quia voluntas nostra est libera libertate contradictionis : igitur aliquid evenit contingenter. Patet consequentia, quia aliter non diceretur libera, nisi quia potest contingenter elicere aliquem effectum, vel ejus oppositum, vel utrumque omittere, et ideo voluntas ex hoc est libera, quia potest elicere aliquem actum, vel ejus oppositum positive, vel privative.

Secundo sequeretur, quod mali injuste punirentur, quia punirentur propter hoc, cujus oppositum non possunt facere, nec ipsum non facere.

Tertio sequeretur, quod nullus esset laudandus, nec vituperandus, cum non esset in potestate sua facere, vel non facere illud propter quod meretur laudem, vel vituperium. Item frustra consiliaremur de eveniendis, cum de necessitate evenirent.

Sublata libertate voluntatis omnia de necessitate evenirent.

Secunda conclusio. Si non esset (b) libertas voluntatis, omnia evenirent de necessitate, ita ut de facto res sunt taliter dispositæ, qualiter ad ipsas de necessitate sequerentur omnia futura, circumscripto libero arbitrio, quod potest impedire eventus aliquorum, et etiam prohibere, quæ evenirent aliter, si non esset libera voluntas. Probatur, supponendo primo, quod ad productionem alicujus effectus requiruntur omnes causæ requisitæ ad productionem illius effectus, et eo modo dispositæ, qualiter sufficiunt producere illum effectum.

Secundo supponitur, quod positis causis necessario requisitis, et sufficientibus ad productionem alicujus effectus, et eodem modo dispositis, qualiter sufficiunt illum effectum producere de necessitate producitur ille effectus : patet, quia si non produceretur, aut causæ non essent sufficientes, aut non essent dispositæ eo modo qualiter sufficerent. Istis suppositis, arguitur sic, et capiatur aliquis effectus futurus, ut puta Antichristus, vel Socrates, quia sicut arguitur de uno, ita potest argui de quocumque alio. Vel causæ necessario requisitæ, et sufficientes ad productionem Socratis, nunc sunt eodem modo dispositæ, qualiter sufficiunt producere vel non. Si sic, tunc per secundam suppositionem Socrates de necessitate producetur. Si non : igitur Socrates nunquam producetur, nisi dicatur, quod causæ sufficientes ad productionem Socratis, nunc non sunt dispositæ, qualiter sufficiunt Socratem producere, sed postea poterunt disponi. Et tunc arguam de causis mediantibus, quibus producentur causæ productivæ Socratis : quia vel causæ sufficientes ad producendum causas productivas Socratis nunc sunt eo modo dispositæ, qualiter sufficiunt producere, vel non. Si sic, igitur de necessitate producent causas productivas Socratis per secundam suppositionem : igitur per eamdem Socrates de necessitate producetur. Si non, sequitur, quod illæ causæ productivæ Socratis nunquam producerentur ; nisi dicatur sicut prius, quia licet illæ causæ nunc non sint sufficienter dispositæ, tamen poterunt postea sufficienter disponi. Tunc arguam de causis illarum causarum sicut prius, et ita per talem anticipationem tandem devenietur ad tempus præsens, in quo causæ præsentes sint sufficienter dispositæ ad producendum causas causarum Socratis, vel non : si sic, illæ causæ de necessitate producerent, et per consequens Socrates de necessitate produceretur. Et si non, nunquam produceretur. Istam rationem facit Aristoteles 6. Metaph. text. 5. quæ non potest solvi, nisi negando secundam suppositionem propter agens liberum : nam positis omnibus causis requisitis, et sufficienter dispositis eo modo, quo sufficiunt effectum illum producere, adhuc agens liberum potest illum effectum non producere.

Secundo probatur conclusio. Quia omnia ista inferiora reguntur secundum inclinationem corporum cœlestium : igitur omnia

evenirent hîc tanta necessitate, quanta in corporibus eveniunt, circumscripta voluntate, quæ impedit; verum est tamen, quod licet omnia hîc inferius evenirent tanta necessitate, tamen ordo illius necessitatis non posset ita faciliter percipi sicut in corporibus cœlestibus, propter irregularitatem motuum, et mutationum, quibus fiunt hæc inferiora.

Contra conclusionem arguitur. Primo, quia voluntas non est libera : igitur non impedit necessarium eventum futurorum. Consequentia tenet ex prædictis : probatur antecedens, quia Astrologi, et sublimatores præjudicant de actibus voluntatis, respectu quorum voluntas dicitur maxime libera, quod non esset, si hujusmodi actus contingenter evenirent a voluntate.

Secundo, quia vel voluntas dicitur libera respectu actuum, quos elicit insequendo suam naturalem inclinationem, ut leve insequendo motum sursum, et grave insequendo motum deorsum : aut respectu illorum, quos elicit contra suam inclinationem. Non secundum, quia nullus est actus elicitus a voluntate, ad quem voluntas non inclinetur, licet quandoque insensibiliter, ut patet in exemplo, ut gladius positus super cuspidem, apparet indifferens ad omnem situm, et tamen propter inclinationem insensibilem movetur ad unam partem, et non ad aliam.

Tertio, quia circumscripta libertate voluntatis, adhuc si unus canis famelicus poneretur æque distanter inter duos panes, a quorum quolibet æque moveretur æqualiter omnino, tunc non est ratio, quare magis vadit ad unum, quam ad reliquum, nisi determinat se contingenter ad eundum ad alterum illorum.

8. Quarto, quia circumscripta voluntate, adhuc aliquid fieret a casu, ut patet de casu tripedis super pedes ; igitur circumscripta voluntate, adhuc aliquid fieret contingenter.

Quinto, ut videtur, aliquid evenit de facto contingenter in centro terræ infra concavum orbis Lunæ, et in terra inhabitabili, et tamen in istis non apparet, quod voluntas humana aliquid operetur : igitur præter humanam voluntatem aliquid evenit contingenter.

Ad ista respondetur. Ad primum, quod Astrologi, et sublimatores meditantur de inclinationibus hominum, et quia ut in plurimum homines sequuntur suas naturales inclinationes ; igitur quandoque accidit quod illi judicant verum ; nihil tamen obstat, quin actus illi fiant libere, quia voluntas potest in oppositum, imo sæpe voluntas hominis virtuosi agit oppositum suæ inclinationi, et ideo dicit Ptolemæus, quod Sapiens dominabitur Astris.

Ad secundum dico, quod respectu utrorumque, quia utrumlibet potest elicere, vel suum oppositum, vel saltem omittere, et actum suum suspendere, nec oportet dominare hujusmodi insensibilem inclinationem.

Ad tertium dico, quod canis per motum phantasiæ statim determinatur ad alteram partem, et hoc de necessitate, et ideo non potest stare per tempus saltem diu indifferenter, quin determinetur ad unum.

Ad quartum dico, quod aliquid dicitur evenire contingenter dupliciter. Uno modo; quia quandoque est, et quandoque non est, et sic illud, quod fit a casu, fit contingenter ; et ita salvaretur natura contingentis, posito, quod omnia evenirent de necessitate. Alio modo dicitur evenire contingenter, quia cum hoc, quod quandoque est, et quandoque non est, eventus potest impediri : et sic dico, quod illud quod fieret a casu, non fieret contingenter, sed necessario : sed diceretur casuale, eo quod fieret præter intentionem agentis.

9. *Aliquid dicitur evenire contingenter dupliciter*

Ad quintum dico, quod aliquid fieri contingenter potest intelligi tripliciter : uno modo, quod immediate fit a voluntate, et sic in centro terræ, et in concavo orbis Lunæ, vel in terra inhabitabili nihil fiet contingenter. Alio modo, quia illud de sui natura est impedibile, et potest impediri si agens liberum sit approximatum, et sic in quolibet illorum locorum fit aliquid con-

tingenter; quia de facto aliter fit, quam si non fuisset libera voluntas, et tunc supposito, quod mundus fuisset ab æterno, et quod sub qualibet portione materiæ primæ aliquando fuisset anima humana; tunc dico, quod in istis inferioribus omnia fierent contingenter isto modo; imo de facto in illis partibus fiunt multæ variationes per liberum arbitrium. Verbi gratia in centro terræ accidit variatio per actualem inclinationem gravitatis ab una parte potius, quam ab alia, ut propter constructiones civitatum, et turrium, quæ fiunt per voluntatem, variatur centrum terræ. Similiter per combustionem civitatum, et nemorum prope terram inhabitabilem possunt turres fieri, et deferri ad terram inhabitabilem, vel ad superiorem regionem aeris, aut sphæram ignis, et per consequens ibi aliter accidere, quam si nunquam fuisset libera voluntas.

10. Ad rationes. Ad primam, concedo (c) antecedens, et nego consequentiam: quia omne futurum præscitur a Deo scientia infallibili, seu inevitabiliter, quod contingenter eveniet. Tunc ad probationem concedo, quod potest non evenire, et quando dicitur: ponatur igitur in esse, dico, quod hoc non repugnat jam posito.

Ad secundam dico, quod major est falsa; quia significatur copulative, quod omne quod est corruptibile de necessitate corrumpetur, et quod omne quod potest esse corruptibile, de necessitate corrumpetur, quæ copulativa est falsa pro secunda parte: sed Aristoteles intelligit eam in isto sensu, quod omne quod est corruptibile, de necessitate corrumpetur, et tunc minor est falsa. Ad confirmationem dico, quod corruptio Socratis de necessitate eveniet, quia ex nunc positæ sunt causæ, ad quas de necessitate sequitur corruptio Socratis, quæ per liberum arbitrium non potest impediri: nec constat quod Socrates contingenter corrumpatur uno tempore, vel alio: et negatur consequentia, quod ita sit de aliis, quia multa sunt futura, quorum causæ non sunt positæ in esse, ad quas de necessitate sequantur illa futura, imo possunt impediri, ut dictum est.

Ad tertiam negatur consequentia, pro quo notandum, quod tripliciter potest inveniri immutatio contradictionis. Uno modo per mutationem rei significatæ per alterum extremum propositionis: alio modo per mutationem in aliquo alio, quod non significatur per aliquod extremum, et tertio modo per solum lapsum temporis. Exemplum primi: ut ista, *homo est albus*, quæ est vera, potest fieri falsa per mutationem, scilicet per corruptionem albedinis, quæ significatur per alterum extremum. Exemplum secundi, ut si quis sit judicatus ad triremes per decem annos, illa potest falsificari per mutationem in alio, ut puta, per preces alterius. Exemplum tertii, ut si fiat edictum, quod qui egreditur aulam Regis die Lunæ, condemnabitur ad mortem, et qui egreditur die Martis, salvabitur. Tunc per solum lapsum temporis est mutatio contradictionis, ita in proposito, quod possibile potest fieri impossibile, nulla mutatione facta ex parte rei alia a lapsu temporis. 11. *Immutatio contradictionis potest tripliciter inveniri.*

Ad quartam admitto casum tactum, et dico, quod illa de præterito est contingens, eo quod ejus veritas dependet ex veritate alterius de futuro contingenti.

Ad quintam negatur consequentia. Unde sciendum, quod diversimode attribuitur necessitas præsentibus, futuris, et præteritis. Unde præsens de necessitate est pro illa mensura pro qua est præsens, licet possit non esse pro alia mensura. Sed præteritum de necessitate est præteritum pro omni mensura. Sed futurum nullo modo de necessitate est futurum; unde pro eadem mensura pro qua Antichristus est futurus, pro illa eadem potest non esse futurus, et ideo consequentia non valet. Ad probationem concedo, quod æque necessaria est ista in sensu composito de necessitate *futurum est futurum*, sicut ista, *præteritum est præteritum*; sed refertur in sensu diviso. Ad aliam particulam, quia 12. *Necessitas diversimode attribuitur.*

ad aliquas, etc. concedo, et ideo concedendum est quod aliqua futura de necessitate eveniant, scilicet quorum causæ sufficientes nunc sunt positæ, et taliter dispositæ, qualiter ad ipsas sequantur illa futura. Ad tertiam probationem negatur consequentia.

Ad sextam, concedo tam antecedens, quam consequens in sensu composito : sed utrumque est falsum in sensu diviso. Ad confirmationem concedo, quod aliquod futurum potest non esse futurum ; et concedo quod ponatur in esse quod non eveniat, sed tunc non erat futurum ; igitur, neganda est consequentia.

Ad septimam, negatur major ; nisi fuerit disjunctiva, et si sic, neganda est minor. Ad confirmationem negatur consequentia : quia aliter cursus Socratis significatur per propositionem de præterito ; ideo non oportet, quod si una sit necessaria, et reliqua.

Ad octavam dico, quod semper non ens non est impossibile : imo multa sunt impossibilia, quæ nunquam evenient.

Ad nonam dico, quod illa regula non tenet in verbis de necessario in sensu diviso, sicut est in proposito.

ANNOTATIONES

13. (a) *Aliquid evenit contingenter.* Nota, quod de hac re variæ sunt opiniones. Nam Avicenna relatus a S. Thom. 6. Metaph. text. 7. asserit in sua Metaph. nullam dari contingentiam, neque dari causam aliquam contingentem. Nam posita causa sufficienti necessario sequitur effectus, alias non esset causa sufficiens. Unde si aliquando contingat effectum non sequi posita causa, provenit hoc ex insufficientia causæ, et non ex contingentia. Tum etiam, quia agens naturale agit ex necessitate naturæ: quod vero ex necessitate naturæ agit, non agit contingenter, atque adeo non datur agens naturale contingens.

Stoicorum opinio de contingentia. Secunda opinio Stoicorum est non dari contingentiam in rebus propter divinam providentiam. Cum enim Deus prævideat, et præcognoscat ab æterno quæcumque futura sunt, necessario erunt : nam si Deus ab æterno prævidit, et prænovit me futurum Philosophum, necessitate quadam factum est, ut evadam Philosophus : quoniam aut hoc quod a Deo præcognitum est ab æterno, aliter evenire potest, aut non. Si primum, fallitur providentia Dei, et incurrimus in graviorem errorem, tollimus namque providentiam, ut defendamus contingentiam. Si secundum, ergo necessario eveniet, quoniam necessarium simpliciter est, quod non potest aliter evenire.

Academicorum opinio de contingentia. Tertia opinio Academicorum in alium est prolapsa errorem : asserebant quidem contingentiam esse in rebus naturalibus, negabant autem providentiam divinam, et dixerunt Deo non esse curam de nobis. Unde D. August. ait : Stoici, ut nos facerent pios, fecerunt servos ; Academici, ut nos liberos facerent, fecerunt impios. Hujus dementiæ fuit Cicero *primo de natura Deorum*, quam refert D. Augustinus 5. *de Civit. Dei, cap.* 9.

Arist. fundamenta de rerum contingentia. Quarta sententia fuit Peripateticorum, 14.
quorum Princeps fuit Aristoteles qui admittit rerum contingentiam, et non omnia fieri ex necessitate, ut patet primo lib. Priorum, cap. 12, 6. Metaph. text, 7. et 8. 1. Perihermenias, et in hoc 2. Physic. in tract de casu et fortuna ; ubi dividit agens in necessarium, et in ut plurimum, et quod raro et contingenter agit. Hujus opinionis triplex potest assignari fundamentum. Primum desumptum est ab experientia, quæ docet quasdam res esse immutabiles, alias mutationi obnoxias. Considerabant enim motum corporum cœlestium, et advertebant illum esse certum, regularem, et conformem, et nunquam in illo visum fuisse errorem. In rebus tamen sublunaribus advertebant non semper res eodem modo agere, sed plerumque impediri. Videbant enim in hominis generatione aliquando fieri hominem perfectum ; interdum vero monstruosum ; hinc collegerunt dari contingentiam. Secundum fundamentum desumebant ex modo operandi : nam modus operandi sequitur modum essendi, modus autem operandi non est immutabilis in multis rebus, sed in multis mutatur, atque adeo natura aliquando agit necessario, aliquando contingenter : agens enim naturale aliquando producit sibi similem, aliquando monstruosum effectum. Tertium fundamentum accipiebant ex materia, et contrarietate. Nam res naturales habent materiam, et habent contrarium, et ideo sunt contingentes ; nam materia habet potentiam contradictionis ad esse, et ad non esse ; similiter res naturales habent contrarium, ut ignis aquam, et per consequens hæc inferiora ratione materiæ, et ratione qua sunt contraria, sunt contingentiam. Unde Aristoteles 9. Metaph. tex. 17 inquit, in æternis nulla est potentia : quia omnis potentia est contradic-

tionis ; et subjungit corpora cœlestia tantum habere potentiam ad *ubi* : quia Sol scilicet potest esse in hoc loco, et in illo, et 12. Metaph. text. 10. inquit, cuncta materiam habent, cœlestia vero corpora, vel non habent ad *ubi :* et 1. de Cœlo, text.20. volens probare cœlum esse incorruptibile, probat sic ; quia non habet contrarium, neque materiam ex qua factum sit

15. His addi potest quartum fundamentum ex rebus moralibus desumptum ; quia datur liberum arbitrium, et contingentia. Antecedens probatur 3. lib. Ethic. per totum. Consequentia patet : quia liberum arbitrium est potentia, qua sponte nostra possumus velle, et nolle ; ergo contingenter volumus, et nolumus.

(b) ***Si non esset libertas voluntatis, omnia evenirent de necessitate.*** Nota, quod non parva est controversia inter D. Thomam, et Scotum, quænam sit prima radix contingentiæ. Nam S. Thomas 6. Metaph. text. 7. et 8. 1. part 5.quæst.19.artic.8.et quæst. 115. art. 6. et ibi Cajet. ad rerum contingentiam ponendam plura dicit, quæ paucis explicabo. Primum dictum S. Thomæ est, quod triplex invenitur causarum gradus : est enim prima causa universalis, incorruptibilis, et immutabilis, nempe Deus Opt. Max. Sunt etiam causæ, quæ partim sunt universales, partim vero particulares ; cujusmodi sunt corpora cœlestia, quæ sunt incorruptibilia, sed mutabilia. Sunt tandem causæ corruptibiles, et mutabiles, quales sunt causæ particulares, ut ignis,et homo. Istæ causæ tertii generis, dicuntur particulares ; quia sunt limitatæ ad unum certum et determinatum effectum, ut ignis ad generandum ignem, et homo ad generandum hominem. Causæ vero mediæ sunt partim particulares, scilicet respectu Dei : quia effectus immateriales in Intelligentiis, et actiones humanæ, quæ sunt liberi arbitrii, non subjiciuntur efficientiæ cœli. Sunt etiam universales, si comparentur cum causis particularibus : quia corpora cœlestia sunt causæ multorum effectuum : nam Sol et homo generant hominem, et Sol et Planta generant plantam, et sic de aliis. et universaliter omnes effectus, qui producuntur per motum naturalem cadunt sub efficientiam corporum cœlestium. Causa tandem primi gradus est simpliciter universalis : ejus enim effectus proprius est *esse*. Unde quidquid est, et quomodocumque est, sub causalitate illius continetur.

16. Secundum dictum S. Thomæ, ille effectus vocatur per accidens, et contingens respectu alicujus causæ,qui est extra efficientiam illius : verbi gratia sunt duæ herbæ, quæ simul florent ; flores cujusque habent causam propriam, quæ promovet illas ad florescendum ; sed florere simul est per accidens : quoniam est extra efficientiam cujusque causæ propriæ : vocatur igitur effectus per accidens ille, qui est extra efficientiam illius causæ. Et quia fieri potest quod eadem res sit intra efficientiam alicujus causæ, et extra efficientiam alterius ; hinc fit,ut eadem res dicatur per accidens respectu unius causæ, et per se respectu alterius. Addit etiam sanctus Thomas non solum illum effectum esse per accidens, qui est extra efficientiam illius causæ, sed etiam illum, qui quamvis sit intra efficientiam causæ, non est tamen intra efficientiam ordinariam, et constitutam. Ille autem effectus non producitur productione ordinaria, et constituta : qui non producitur eo tempore, quo produci debet, neque eo modo, et ordine, cujusmodi sunt monstra : quæ ideo dicuntur effectus per accidens.

Tertium dictum S. Thomæ. Multi effectus possunt esse per accidens respectu causarum particularium, qui erunt per se respectu causarum cœlestium : quod patet in exemplo de floritione plantarum simul,quæ si ad plantas reducatur, est effectus per accidens. Si vero ad virtutem corporis cœlestis invenitur esse per se, et ordinatum a superiori causa movente simul utramque herbam ad floritionem.

Quartum dictum. Multi effectus possunt 17.
esse per accidens etiam in ordine ad causas cœlestes. Nam corpus cœleste agit movendo : tale autem agens requirit materiam determinatam, et dispositam. Potest autem contingere, quod materia sit indigentia, quo posito, virtus cœlestis non consequitur suum effectum intentum, atque ita effectus tunc productus erit contingens in ordine ad corpora cœlestia ; modificatur enim actio cœli secundum conditionem agentium particularium, quorum conditiones sunt posse deficere ab *agere*, pati, et habere contrarium, et ita quamvis defectus non sit a cœlo agente, impeditur tamen propter defectum causæ particularis, et ideo Aristoteles probat contingentiam propter materiam, et potentiam passivam, ita quod radix contingentiæ naturalium effectuum est natura potentiæ intenta in naturalibus, qua possunt deficere, et sunt in potentia contradictionis, complementum vero contingentiæ, provenit ex concursu accidentali causarum.

Quintum dictum.Effectus, qui procedunt 18.
ex libero arbitrio, si referantur in causas superiores, possunt esse contingentes ; quia virtus cœlestis inclinat corpus ad hanc, vel illam actionem ; sed vir sapiens reprimit talem inclinationem, juxta illud, *Sapiens dominabitur astris* : ergo ea quæ subjiciuntur libero arbitrio, possunt esse per accidens respectu cœli.

Ultimum dictum S. Thomæ. Respectu

Dei Opt. Max. nihil potest esse per accidens; quia ipse est causa prima, et maxime universalis, quæ pro effectu habet ipsum ens: quidquid enim est ens, est sub potentia divina, et si respectu Dei esset aliquod contingens, hoc esset, vel quia posset effugere cognitionem Dei, et sapientiam, et hoc est impium: Deus enim est sapientissimus, cujus sapientia conditi sumus, et providentia gubernamur. Vel quia non esset sub potentia Dei, quod etiam est plusquam falsum; cum omnia a Deo dependeant. Concludit ergo aliqua posse esse per accidens respectu causarum particularium, et respectu liberi arbitrii, atque respectu cœli, tamen respectu Dei nihil potest esse per accidens; atque ita, inquit ipse D. Thom. secundum Fidem Catholicam dicitur, quod nihil fit temere, sive fortuito in mundo, et quod omnia subduntur divinæ providentiæ.

Et si quæratur a D. Thom. quomodo hæc duo possint stare simul, videlicet, quod omnium contingentium detur causa per se, nempe Deus, ejusque providentia, et quod simul sint contingentia: nam periret ratio Philosophi, qua probat si omnes effectus habeant causam per se, omnia necessario eveniunt. Item, hæc duo sunt incompossibilia, quod aliquid sit prævisum a Deo, et non fiat: at omnia sunt a Deo prævisa; ergo omnia necessario fient.

19. Respondet, multum differre agere de particularibus causis, quæ propter sui defectum multoties frustrantur a suis effectibus. Corpora etiam cœlestia, et eorum motus, et influentiæ, quamvis quantum in se ipsis est, necessitatem habeant, tamen effectus eorum in istis inferioribus possunt deficere; vel propter indispositionem materiæ, vel propter liberam electionem, et sic frustrata a sua causatione contingenter producuntur eorum effectus. De providentia autem Dei altius sentiendum est: ipsa enim est causa prima efficacissima, et non impedibilis, a qua procedit omne ens, et omnes modi essendi, inter quos sunt necessarium, et contingens, ita ut et producit ens, et producit ipsum necessarium, vel contingens secundum quod determinat: non solum enim fiunt ea, quæ Deus vult fieri, sed eo modo quo vult; quædam autem vult fieri necessario, et ideo præparat causas necessarias, quæ deficere non possunt, ex quibus sequuntur effectus. Vult etiam producere effectum contingentem, et ideo præparat causas defectibiles, ex quibus contingenter sequatur effectus, secundum quod ejus providentia divina ordinat. Quando ergo dicitur, omnia sunt prævisa a Deo; ergo necessario evenient. Consequentia infertur ex mala antecedentis intelligentia; sic enim debet haberi; omnia sunt prævisa a Deo ut contingenter, vel necessario sint, et tunc non sequitur illarum, sed quod sequitur est, quod necessarium est, effectus esse contingentes, vel de necessitate, quod quidem singulare est in hac causa, reliquæ enim causæ non constituunt legem necessitatis, vel contingentiæ, sed utuntur sua causandi lege, secundum quod constitutæ sunt a superiori causa, unde solum dant effectus, quod sint. Hæc autem altior causa, quæ est causa entis in quantum ens, dat ordinem necessitatis, et contingentiæ.

Breviter sententia Divi Thomæ est, quod licet Deus sit prima radix contingentiæ, et libere, et contingenter agat ad extra, tamen sua contingentia, et libertas non est causa contingentiæ in rebus, sed efficacia suæ voluntatis, qua voluit quasdam causas esse naturales, et necessarias, alias vero liberas; et ita quamvis Deus ageret necessario ad extra, ut posuit Aristoteles, posset esse contingentia in rebus, vel propter defectibilitatem causarum, aut secundo propter libertatem hominis. 20.

Contingentia in rebus unde proveniat.

Scotus autem omnem contingentiam reducit in primam causam contingenter agentem. Unde dicit primo, quod si in universo non esset aliqua causa libera, sed omnes naturaliter de necessitate agerent, tunc non esset aliqua contingentia in rebus, sed omnia de necessitate fierent: quia si aliquid, quod fit nunc, potuit non fieri, vel causæ ejus erant contigentes, vel non; si conceditur primum, patet esse causas contingentes. Si autem conceditur secundum, scilicet quod sunt necessariæ, sed quia impeditæ sunt non fuit factum, quod potuit fieri, tunc quæro de causa impediente, an fuit contingens, vel non. Si primum, ergo datur causa contingens. Si secundum, ergo quod factum fuit non potuit non fieri, sed necessario, et per consequens ablata causa libera, nihil fit contingenter.

Secundo dicit, quod ad salvandam contingentiam in rebus necessario requiritur libertas in prima causa, scilicet Deo, neque libertas sola causæ secundæ sufficiens est ad salvandam contingentiam. Tum quia causa, quæ movet in quantum mota, si necessario movetur, necessario movet, et causa secunda, etiam voluntas hominis movet, seu agit in quantum mota a Deo; quia sine eo nihil agere potest, atque adeo si necessario movetur a Deo, necessario movet se ipsam, et operatur. Tum quia si causa secunda moveat libere, et contingenter, est quod prima necessario, et sufficienter moveat, vel fieret effectus necessario, et habetur intentum, scilicet, quod movendo necessario prima causa effectus fiet necessario, vel si non fieret, frustraretur causa prima suo effectu, quod non est dicendum: est ergo necessario ponenda libertas in prima causa ad salvan-

dum contingentiam; et hoc, inquit Scotus, est maxime mirandum in Aristotele quod concedendo contingentiam in rebus non concedat contingentiam in prima causa, sed dicat eam agere necessario ad extra, quem tamen nituntur defendere Thomistæ, quorum primus est Cajet. 1. part. quæst. 19. art. 8.

22. Tertio dicit, quod ex concursu divinæ voluntatis libere cum causis secundis naturalibus, provenit contingentia in rebus, quod probat in 1. sent. dist. 8. q. 4. et d. 17. et in 2. d. 25. et in 3. d. 33. et in Quodl. q. 16. hac ratione: Si principium naturale concurrat cum libero, a quo in efficientia dependet, tota illa operatio erit libera, a qua omnis causa in causando dependet; ergo voluntas divina cum causa secunda naturali producet operationem liberam. Ex quo sequitur quoddam valde notandum, quod habetur ab Scoto 1. sent, d. 8. q. ult. in fine, quod nulla causa secunda quantumcumque naturalis, causat simpliciter necessario, sed tantum secundum quid. Patet quia omnis causa secunda dependet in causando a prima, et per consequens simpliciter contingenter causat: at quia sunt multæ causæ naturales, quæ quantum est ex parte earum, non possunt non causare effectus, ideo necessario causant; sed non causant simpliciter necessario; ergo secundum quid, scilicet ex parte earum, sicut ignis non potest non comburere apposito combustibili, id est, necesse est, quod comburat, non necessitate simpliciter, sed secundum quid; quia simpliciter potest non comburere Deo non cooperante, sicut patuit de tribus pueris in camino ignis. Deus autem cooperatur semper libere, et contingenter; ergo, absolute effectus est liber, et contingens.

Nulla causa naturalis causat simpliciter necessario

23. Ex his facile apparet falsitas opinionis Avicennæ. Nam falsum supponit, nempe, quod non sit causa sufficiens, si ipsa posita non sequatur effectus: non enim provenit ex insufficientia agentis, sed ex concursu impedientis. Sicut enim ad producendum effectum non sat est efficientia, et sufficientia causæ sola, sed ipsa cum omnibus circumstantiis requisitis ex parte subjecti, ita ipsa sola posita non ponetur effectus, nisi ponantur requisitæ circumstantiæ, inter quas est liber concursus primæ causæ. Avicenna ergo non distinxit inter sufficientiam causæ, quæ attenditur penes ipsam solam, et inter sufficientiam circumstantiarum actualis causalitatis. Ad causam hoc secundo modo necessario sequitur effectus, non autem ad causam primo modo. Ideo Aristoteles loquens de causis primo modo, dixit, quod quædam sunt causæ per se, et sufficientes, quæ necessario inferunt suos effectus non simpliciter, sed cum limitatione, nisi impediantur. Avicenna vero non sic limitavit; ideo erravit. Et quando dicit, quod agens naturale agit de necessitate naturæ; distinguo, aut enim est sensus, quod agens naturale non agit libere, ita ut sit in manu illius agere et non agere; et hic sensus est verus, vel secundo est sensus, quod non potest impediri ejus effectus extrinsecus, et sic est falsus: imo quia potest impediri, ideo non semper ejus effectus necessario sequitur.

Ratio Stoicorum solvitur in sequenti annotatione. Error autem Academicorum cum aperte sit contra fidem, ejus falsitas convincitur ex illo Matth. 10. ubi Christus ait, *Nonne duo passeres veneunt asse, et unus ex illis non cadit in terram sine patre vestro?* etiam D. Paulus ad Hebræos 1. Portans omnia verbo virtutis suæ, etc.

(c) *Ad primam concedo antecedens, et nego consequentiam.* Nota duobus modis rem aliquam dici necessariam, aut simpliciter, et absolute, quando spectata sua natura, non potest aliter evenire; aut necessariam secundum quid, et ratione habita alicujus alterius: quia scilicet, cum ex natura sua sit contingens, et proinde possit aliter evenire, posita tamen re aliqua non possit; verbi gratia, Petrum currere simpliciter est contingens, sed si ponamus Petrum currere, hujusmodi res necessariæ dicuntur necessitate consequentiæ, eo quod tantum sunt necessariæ, quia ex aliquo inferuntur, scilicet; quia facta hypothesi, et posito in actu cursu Petri, sequitur necessario necessitate consequentiæ Petrum currere. Res vero quæ priori modo appellantur necessariæ, dicuntur necessariæ necessitate consequentis: quia ideo sunt necessariæ non solum quia necessario inferuntur, sed quia per se consideratæ non possunt aliter se habere. Res ergo futuræ contingentes, quia Deus illas præcognoscit eventuras, dicuntur necessariæ necessitate consequentiæ; quia bene infertur, ***Deus præcognoscit Petrum cursurum***; *ergo Petrus curret necessario* necessitate consequentiæ. Hoc posito sic Scotus respondet ad argumentum: Omne id, quod Deus præcognoscit eventurum, necessario eveniet necessitate consequentiæ; concedo, sed hæc necessitas non tollit a rebus contingentiam. Sed nego necessitate consequentis: quia si res futuræ quas Deus præcognoscit eventuras, essent necessariæ necessitate consequentis, non essent contingentes. Quod vero dicitur in probatione, si potest non evenire, ponamus, quod non eveniat. Non est admittendum stante scientia Dei, quod res non sit eventura: repugnat enim scientiæ Dei, quod aliter eveniat res, quam Deus scit eventurum: : et hoc est quod vult dicere Scotus cum inquit: dico quod hoc repugnat jam posito. Illud autem axioma Aristotelis

24. *Res duobus modis dici potest necessaria*

possibili posito inesse, etc. intelligendum est quando id, quod ponitur, non repugnat alicui rei ante jam positæ a nobis, sicut est scientia Dei, vel actus oppositus rei ponendæ; quia quamvis spectata contingentis rei natura in instanti, in quo est, possit non esse: tamen ex hypothesi, quia non simul se compatiuntur actus contradictorii, repugnat, quod si sit in actu, etiam ponatur in actu quod non sit: quia esse, et non esse, simul non compatiuntur. Et ideo neque Deus fallitur, neque falli potest in sua scientia: quia aliter quam ipse scit non eveniet; quamvis futurum contingens aliter evenire potest.

QUÆSTIO XIV

Utrum monstrum *intendatur a natura*

Aristot. *hîc text.* 82. *et lib.* 4. *de generat. animal cap.* 4. Plutarc. *lib.* 5. *de placitis Philos. cap.* 8. Galenus *de histor. Philos. cap.* 113. August. *lib.* 83. *quæst.* 9. Albert. Magn. 2. *Phys. tract.* 3. *cap.* 3. *quæst.* 24. D. Thom. 2. *Phys. lect.* 14 *et* 3. *cont. Gent. cap.* 9. *et* 1. *part. quæst.* 103. *artic.* 7. *et quæst.* 22. *art.* 4. *et de verit. quæst.* 5. *art.* 5. D. Bonavent. *in* 2. *dist.* 37. *quæst.* 2. *num.* 32. *et in* 1. *dist* 45. Richard. *ibid, quæst.* 2. *circa* 4. *principale* Conimbr. 1. *Phys. cap.*9. *quæst.* 6. Ruvius *ibid. quæst. unica.* Roccus *quæst.* 9.

1. Arguitur quod sic, quia demonstrato effectu monstruoso, vere dicitur, a natura est hoc monstrum; igitur monstrum intenditur a natura.

Secundo, quia nisi ista esset, sequeretur, quod natura statim cessaret agere, quando non producit rectum, quod est contra experientiam. Tenet consequentia, ex quo non intenderet aliud, quam rectum.

Tertio, quia illud intenditur a natura, quod natura producit ex determinato principio per determinata media, et ad determinatum finem; sed natura producit ex determinato principio, etc. igitur natura intendit monstrum. Major est nota, quia ille est modus procedendi naturæ circa effectus intentos: et minor patet, quod fiat ex determinato principio, quia ex semine. Item, per determinata media, quia illud semen primo est liquidum, et indispositum. Secundo, digeritur per calorem in sanguinem, et tertio consolidatur in carnes, nervos, et ossa, et alia membra. Item, ad determinatum finem; quia easdem, et consimiles operationes exercet monstrum, sicut et rectum, et per consequens ad eumdem finem ordinatur unum, ad quem ordinatur reliquum.

Quarto, quia natura producit monstrum, nutrit, et conservat; igitur natura intendit monstrum. Tenet consequentia, quia hoc non facit nisi circa effectus intentos: et antecedens apparet ad experientiam.

Oppositum arguitur; quia nullum casuale, vel fortuitum intenditur a natura; sed monstrum est casuale, ut patet 2. hujus, text. 77. ergo, etc. Secundo, quia nullum malum intenditur a natura, sed monstrum est malum, cum sit peccatum naturæ ergo, etc.

Divisio quæstioni

In quæstione primo videbitur propter quas causas eveniant (a) monstra. Secundo qualiter intendantur a natura.

Quantum ad primum notandum, secundum Isidorum, quod (b) monstrum est eventus alicujus rei præter communem, et consuetum cursum naturæ ad designandum aliquod futurum. Sed contra hoc objicitur primo, quia monstrum non dicitur de eventu, sive de motu ad effectum, sed de effectu. Secundo, quia sicut in artibus artifex potest errare sine hoc, quod finis erroris sit præsagium futuri, ita videtur in naturalibus non oportere errorem vere designare aliquod futurum. Et ideo aliter definitur, quod *monstrum est effectus eveniens præter communem, et consuetum cursum naturæ deficiens, aut superabundans in aliquo, quod necessario requiritur ad perfectum esse in sua specie*: et de causa finali dicetur postea. 2.

Definitio monstri.

Monstra quadrup cij caus eveniun

Secundo notandum, quod quadruplici de causa proveniunt monstra. Primo ex superabundantia materiæ. Secundo ex defectu materiæ. Tertio ex indispositione primarum qualitatum; et Quarto ex indispositione continentis. Prima causa

est superabundantia materiæ, et tunc vel materia superabundat proportionabiliter in omnibus membris, et tunc fit aliquis nimis magnus ultra consuetum cursum naturæ, ut gigas. Quandoque superabundat materia in uno membro, et non in aliis, et tunc contingit aliquem nasci cum uno membro excedente aliud improportionabiliter, et quando contingit per abundantiam materiæ aliquod foramen corporis obstrui, aut fieri nimis strictum, ut introitus aurium, narium, et hujusmodi.

3. Secundo proveniunt monstra propter defectum materiæ; et tunc vel materia deficit proportionabiliter, et accidit effectus nimis parvus, ut nanus; quandoque improportionabiliter, et tunc accidit unum membrum esse nimis parvum in respectu aliorum membrorum. Item, quandoque accidit superabundantia materiæ in quantitate discreta, et tunc contingit effectum fieri cum duobus membris, puta cum duobus pollicibus in eadem manu, aut hujusmodi, et quandoque accidit defectus in quantitate discreta, et tunc contingit effectum nasci cum una tibia solum, aut dimidio naso.

Tertio provenit monstrum ex indispositione primarum qualitatum; quia quandoque contingit materiam esse nimis calidam, et propter hoc quædam mulieres apparent viriliores et barbatæ propter abundantem calorem materiæ. Secundo accidit materiam esse nimis frigidam; propter hoc accidit aliquos esse frigidos, et maleficiatos, scilicet impotentes ad coeundum. Tertio contingit materiam esse nimis siccam, et propter hoc homo est directæ staturæ in juventute, qui tamen statim post efficitur curvus, et hoc pro tanto; quia humiditas, quæ abundat in juventute, erat sufficiens, ut dilataretur materia. Quarto contingit materiam esse nimis humidam, et propter hoc aliqui sunt impotentes ad eundum propter defectum consolidationis membrorum, et ista est causa, quare aliqua animalia vadunt statim post partum, et alia non.

Quarta causa est indispositio continentis; unde continens propinquum ipsius fœtus, est quædam subtilis pellicula, quam Albertus super isto secundo, vocat secundinam, et tunc quando contingit istam pellem esse adeo strictam, quod propter violentam compressionem quandoque contingit duo membra fœtus conjungi in unum membrum, ut brachium capiti, et tibiæ insimul, et quandoque contingit illam secundinam frangi, ita ut per fracturam exeat aliquid ipsius fœtus, et efficitur gibbus, et propter hoc aliqui fiunt gibbosi: sed continens remotum esse cœlum, ratione cujus proveniunt multa monstra et diversa, secundum diversitatem qualitatum, et dispositionum, quas influit in ista inferiora.

4. *Monstra nedum in animalibus, sed etiam accidunt in plantis.* Item notandum, quod non solum accidunt monstra in corporibus animalium; imo etiam in plantis, ut quando aliqua planta portat fructum inconsuetum. Similiter in corporibus inanimatis, ut quandoque contingit pluere sanguineum humorem, et quandoque ignem, quorum causæ debent videri in libris Meteororum, et hoc de primo.

Natura est duplex, universalis, et particularis. Quantum ad secundum notandum, quod duplex est natura; quædam universalis, et quædam particularis. Unde universalitas naturæ attenditur penes diversitatem locorum, et temporum, quibus eadem natura conjungitur ad diversos effectus.

Res aliqua dupliciter intenditur a natura. Secundo notandum, quod aliquid intenditur a natura dupliciter: uno modo primaria intentione, et sic natura producens monstrum intendit ipsum producere rectum; alio modo secundaria intentione, ut quando impeditur natura a fine primario intento, agit meliori modo, quo potest, et ideo natura agit de possibilibus, quod melius est.

Monstrum duobus modis potest intendi a natura. Tertio notandum, quod monstrum intendi a natura intelligitur (c) dupliciter: uno modo quod res illa, quæ est monstrum, intendatur a natura. Alio modo quod ipsa a natura intendatur sic esse disposita, qualiter denominatur monstrum.

Nunc sunt conclusiones. Prima est, monstrum intenditur a natura. Probatur expositorie, hic homo intenditur a natura, demonstrato effectu monstruoso: hoc est monstrum,

igitur monstrum intenditur a natura.

5. Secunda conclusio : A natura non intenditur monstrum, id est, non intenditur res sic esse disposita, qualiter denominatur monstrum. Probatur, quia sicut est in arte, sic est in natura ; sed aliqua eveniunt in arte præter intentionem artificis ; ita similiter et in natura, et ista conclusio intelligitur de primaria intentione. Et notandum, quod diversitas istarum conclusionum est propter connotationem hujus termini *monstrum*, quod positum a parte prædicati appellat formam, scilicet dispositionem, a qua denominatur monstrum, et a parte subjecti non. Sed objicitur, quia in illis de præsenti æque appellat formam subjectum sicut prædicatum. Respondetur, quod non : verbi gratia, possibile est quod idem sit transmutatio, et motus, et tamen quod sit velocior transmutatio, quam motus : et ideo de præsenti est concedendum, quod transmutatio sit velocior quam motus quod potest probari expositorie, patet practico.

Natura particularis intendit monstrum.

Tertia conclusio : Natura particularis intendit (d) monstrum secundaria intentione. Probatur per similitudinem in arte ; quia in artificialibus, quando aliquid evenit præter intentionem artificis, artifex corrigit meliori modo, quo potest ; igitur ita videtur esse in naturalibus, ut patet in exemplo ; quia grave naturaliter inclinatur ad moveri deorsum per lineam brevissimam, quæ est perpendicularis supra centrum, et cum fuerit impeditum a descensu per illam lineam, tunc descendit per lineam obliquam meliori modo, quo potest, ut patet de gravi descendente super tabulam transversaliter positam in aere.

Natura universalis intendit monstrum.

6. Quarta conclusio : Natura universalis intendit monstrum utroque modo, scilicet, et primaria intentione, et secundaria. Probatur, quia monstrum est effectus casualis, ex quo evenit præter intentionem agentis : igitur fit ex confluentia plurium causarum, a quarum aliqua effectus ille est præintentus, et ab aliqua non : ut patuit ex præcedentibus quæstionibus. Et quandoque monstra, cum fuerint nimis inconsueta, et mirabilia, fiunt ad designationem alicujus futuri. Secundo, quia hujusmodi monstra ordinata sunt ad determinatum finem ; igitur sunt intenta. Consequentia tenet, quia finis est ex intentione. Antecedens apparet, quia ordinata sunt ad pulchritudinem universi. Unde sicut facies redditur pulchrior quandoque ex una parva macula, et harmonia ex interpositione alicujus inconsonantiæ ; ita etiam et universum est pulchrius ex hoc, quod quandoque monstrum producitur. Rationes sunt solutæ ex præcedentibus.

ANNOTATIONES.

(a) *In quæstione*, etc. Nota, quod quæstio non movetur de monstro in ordine ad primam causam, præter cujus intentionem certum est nihil evenire, neque in ordine ad causas universales, ut conjunctas tali, vel tali signo; quia ipsæ, ut sic necessario causant talem, et talem effectum, quamvis, præcise loquendo, respectu virtutis cœlorum productivæ talis, vel talis speciei sit etiam monstrum ; quia virtus data illis a Deo non est, nisi ut perfectos effectus producant : accidit autem, ut ex revolutione eorum taliter sic jungantur , ut monstrum et propter inclinationem propriam operentur ; movetur ergo quæstio principaliter respectu causæ secundæ particularis, quæ est natura particularis. 7.

(b) *Monstrum est eventus alicujus rei* etc. Nota, quod monstrum est effectus casualis cum difformitate extranea suæ speciei, ut homo habens in fronte oculum dicitur monstrum, quia est casuale, et præter intentionem agentis, et habet deformitatem extraneam speciei humanæ. Potest autem (ut ex Aristotele in hoc lib. colligitur cap. 8.) sic definiri : *Monstrum est peccatum naturæ agentis ob aliquem finem a quo frustratur aliquo principio corrupto*; vel sic, *Monstrum est effectus naturalis a recta et solita secundum speciem dispositione degenerans* : ex quibus patet quam sapienter Scotus impugnet definitionem traditam ab Isidoro.

Defini[tio] monstr[i]

8. (c) *Monstrum intendi a natura intelligitur dupliciter*. Nota, monstrum dupliciter posse accipi : uno modo materialiter pro subjecto deformitatis, ut pro illo homine, qui habet deformitatem. Altero modo formaliter pro ipsa deformitate, quæ est privatio, et carentia perfectionis.

Monst[rum] bifari[am] sumi p[otest]

(d) *Natura particularis intendit monstrum*. *In gen[ere]*

one nstri causæ icula- oncur-.

Nota, in productione monstri duas causas particulares reperiri, quarum una intendit perfectum effectum, et hæc dicitur causa particularis impedita ; altera vero est quæ illam impedit, cujusmodi est excessivus humor, aut calor, aut quodvis aliud impedimentum. Monstrum autem per se intenditur a causa impediente, primo quidem quoad esse materiale, secundario quoad esse formale, et quidem quod intendat illud quoad esse materiale, patet : quia calor excedens ex intentu efficit exilem effectum. Quod vero secundario intendat, formale, ex eo patet ; quia sicut ignis calefaciens lignum primo intendit producere ignem, secundario autem corrumpere lignum : quia non potest aliter producere ignem, ita causa illa particularis impediens primo intendit illum effectum, secundario vero ipsam deformitatem, quæ necessario sequitur ad talem effectum. Causa vero impedita, neque quoad formale, neque quoad materiale simpliciter intendit monstrum. Quoad formale, inde manifestum est, quod cum sit privatio, nunquam talis primario, intenditur. Quod autem neque quoad materiale, ex eo probatur : quia agens naturale intendere effectum, ut finem, est habere virtutem in ordine ad alium, sicut sagittam intendere scopum, est habere virtutem in ordine ad illum. Agens autem naturale non habet virtutem in ordine ad monstrum, sed in ordine ad effectum perfectum, et sibi similem, ac proinde agens naturale simpliciter, non intendit monstrum. Hæc videtur sententia Aristotelis in hoc 2. ubi loquens de monstro materialiter ; (sic enim loquebantur antiqui) dixit monstrum evenire præter intentionem naturæ, seu causæ impeditæ, quæ aliud intendebat. Potest tamen dici, quod hujusmodi causa impedita etiam intendebat monstrum non simpliciter, eo quod fuit causa naturalis ad illum effectum producendum attingens : causa enim impediens non ita proprie appellatur causa naturalis respectu illius effectus ; quia non habet causalitatem producendi, sed impediendi illum effectum. Ex his sequitur monstrum comparatum cum causa particulari, quæ impeditur, esse effectum casualem, cum eveniat raro, et præter ejus intentionem, quamvis non sit prôprie casualis : quia non potest per se compati cum effectu per se intento, sicut compatiuntur effectus casuales cum effectibus per se intentis.

EXPOSITIO TEXTUS

9. t. 68. *Quæ autem* (1) *sint causæ, et quod tot numero, quot diximus, manifestum est,* etc. Iste est quintus tractatus hujus secundi, in quo Philosophus ostendit, quod ad naturalem spectat determinare de omnibus causis, et dividitur : quia primo ostendit quot sunt causæ. Secundo ostendit, quod de qualibet causarum habet determinare naturalis. Et tertio determinat modum, quo naturalis habet determinare de prædictis causis. Secundum ibi : *Cum autem causæ quatuor sint.* Tertium ibi : *Et penitus reddendum est ipsum propter quid.* Est igitur prima conclusio. Omnis causa est materia, vel forma efficiens, vel finis. Probatur, quia tot sunt causæ, quot modis contingit respondere ad quæstionem propter quid ; sed quatuor modis, et non pluribus contingit sic respondere ; ergo, etc. Major est nota, quia quæstio propter quid quærit causam. Minor probatur exemplariter, primo de causa formali : quia in Mathematica conclusiones resolvuntur usque ad causam formalem, ut in definitiones terminorum mathematicalium, cujusmodi sunt rectum, et curvum, commensurabile, et hujusmodi.

Causarum consideratio quatenus ad Physicum

Secundo exemplificat (2) de efficiente ; Text. 69.
quia si quæratur propter quia isti certaverunt ? respondetur, quia furati sunt ; ita ut furtum est causa movens, quare certaverunt.

Tertio exemplificat de causa finali, ut si quæratur propter quid ipsi bellaverunt ? respondetur finaliter, ut dominentur sibi invicem. Sed de materia patet exemplariter, ut si quæratur propter quid homo est corruptibilis ? respondetur, quia habet materiam.

Cum (3) *autem causæ quatuor sint.* Hic ostendit, quod naturalis habet considerare de 10. Text. 70.
quolibet genere causarum ; et probat hoc tripliciter. Secundo ibi : *Atque omnino, quæcumque mota.* Tertio ibi : *Quare ipsum propter quid.* Est igitur secunda conclusio. Naturalis habet considerare quatuor genera causarum. Probatur ; quia naturalis habet cognoscere materiam, et formam : igitur habet cognoscere efficientem, et finem. Antecedens patet : quia materia, et forma sunt naturæ : modo naturalis habet consi-

Naturalis habet considerare quatuar genera causarum.

derare de natura : igitur, etc. Consequentia tenet ; quia efficiens (a), et finis multoties coincidunt cum forma. Nam forma, et finis coincidunt in idem numero ; quia illud quod est forma rei genitæ, est finis generationis ; sed efficiens et finis coincidunt in idem specie, ut quando homo generat hominem, tunc forma generans, et forma generata sunt ejusdem speciei. Et dicit Aristoteles *multoties :* quia non semper efficiens, et forma coincidunt in idem specie, ut patet in illis,quæ generantur per putrefactionem.

Text. 71. *Atque omnino* (4) *quæcumque mota.* Ponitur secunda ratio, quod quæcumque sunt moventia mota sunt de consideratione naturalis : igitur quatuor causæ sunt de consideratione naturalis. Tenet consequentia; quia de moventibus motis contingit quærere a quo moventur, et per hoc innuitur causa efficiens. Contingit etiam quærere quid movetur, et per hoc etiam tangitur causa materialis ; et contingit quærere quid est id, quod per motum acquiritur, et per hoc innuitur causa formalis : et contingit quærere ad quem finem movetur, et per hoc tangitur causa finalis. Et antecedens patet : quia tres sunt scientiæ speculativæ, quarum una est circa immateriale, ut puta Metaphysica ; alia circa mobile corporale, ut puta, Mathematica ; et alia circa corporalia moventia, et mota, ut puta, scientia naturalis ; et qualiter hoc sit verum apparebit in quæstione de scientia Mathematica.

Scientiæ speculativæ sunt tres

11\. Text. 72. *Quare* (5) *ipsum propter quid.* Ponitur tertia ratio : quia ille habet considerare quatuor causas, qui habet considerare de generatione ; modo naturalis habet considerare de generatione : igitur, etc. Major est nota : quia determinans de generatione habet considerare causam ipsius, ut puta a quo sit facta generatio, et quid sustinuit, id est, quid fuit subjectum generationis, et per hoc tangit causam efficientem, et materialem ; et innuit Philosophus quod duplicia sunt moventia : quædam (b) immobilia, ut motor primus, qui non habet in se principium motus, et hoc passivum, licet habeat principium effectivum : et de isto non est consideratio naturalis : et hoc est verum quantum ad prædicata, quæ habent attributionem ad motum, et ideo si sit aliud tale movens quod non movetur, illud est penitus immobile, et principium omnium aliorum entium. Et subdit Philosophus quod naturalis habet considerare quod quid est, id est, formam, et hoc capit tanquam manifestum, ex eo quod forma est natura, et postea probat, quod consideratio de fine pertinet ad naturalem : quia de illo pertinet consideratio ad naturalem : propter quod venit necessitas in rebus naturalibus, sed in rebus naturalibus provenit necessitas ex fine, ut postea probabitur : ergo, etc.

Text. 73. *Vide contradictionem Zimaræ.*

Et penitus (6) *reddendum est ipsum propter quid.* Ostendit modum quo(c) naturalis debet demonstrare per istas causas : et primo de causa materiali, dicens, quod ex causa materiali ostenditur effectus esse, vel de necessitate, vel frequenter : quemadmodum sequitur conclusio de necessitate ex præmissis : exemplum de necessitate, quia quando Sol est in signo Cancri, dies de necessitate sunt longiores habitantibus in Septentrione, quam Sole existente in aliquo alio signo. Exemplum de *frequenter :* quia quando homo generatur ex spermate, frequenter solet evenire, quod nascatur cum quinque digitis; sed per causam formalem demonstratur efficiens : nam si forma asini sit, sequitur de necessitate quod asinus est. Sed per causam finalem sequitur effectus respectu hujus verbi *potest*, ut si finis sit possibilis, et ordinatum in finem est possibile; et ideo medium ad aliquem finem debet ordinari meliori,et digniori modo, quo facilius natus est evenire finis ad hujusmodi medium, et non debet ordinari, quod est simpliciter melius, sed secundum ordinationem naturæ uniuscujusque. Text.

Vide maran... tab. li... fol. 1 col. 1 sub lit... fol. ... col. 3.

ANNOTATIONES

(a) *Efficiens et finis multoties coincidunt.* Nota, quod Aristoteles hanc eamdem propositionem habet, 2. de Anima, cap. 2. et 12.

primo de generatione animalium, cap. 5. Idem habuit primo Phys. cap. 9. ubi dicit, quod forma est quid divinum, et isto pacto est forma, quatenus vero est optimum, est finis. Unde forma duplicem habet respectum, primum in ordine ad suppositum in quo est, quo pacto habet rationem causæ formalis : quia dat esse supposito, et sic est quid divinum. Secundum respectum habet in ordine ad efficientem, ut si forma equi consideretur in ordine ad generantem ; et sub hac consideratione forma habet rationem finis, et causæ finalis, et est quid optimum, ita ut eadem forma sit finis respectu generantis, quæ est forma respectu suppositi geniti, atque adeo eadem forma numero est forma, et finis, eademque specie cum forma generantis, intellige de generante univoco.

rma du- cem ha- respec- n.

(b) *Quædam immobilia ut motor primus*, etc. Nota, quod ex hoc videtur sequi ad Physicum non pertinere agere de primo motore ; qui est movens, et non movetur ; quod videtur falsum ; quia Aristoteles ipse in 8. Physic. agit de primo motore. Dicas, quod dupliciter potest considerari primus motor : primo quoad ejus quidditatem, et essentiam, quoad hoc scilicet, quod sit æternus, et immaterialis, et ut sic, ad Metaphysicum spectat talis disputatio de primo motore, et juxta hunc modum procedit præsens divisio Philosophiæ. Secundo modo considerari valet, quoad existentiam : et hoc modo pertinet ad Physicum agere de primo motore ; et ratio est, quia primus motor est causa cujuscumque motus. Possumus ergo probare per motum primum motorem existere, et hoc probat Aristoteles 8. Physic. atque ita non est sibi contrarius.

rimus tor bi- ıriam sidera- potest.

13. (c) *Ostendit modum per quem naturalis debet demonstrare per istas causas.* Nota, quod Aristoteles declarat hoc ; primo in causa efficienti, ut si quis petat propter quid sit homo natus bipes ? respondebitur ei, quia generans illum est bipes. Secundo, ostendit in causa materiali sic ; si quis petat propter quid orta sit oliva ? respondetur, quod emersit ex semine olivæ. Ostendit etiam in causa formali ; ut si quis petat propter quid homo est capax disciplinæ : respondetur, quia constat anima rationali. Tandem ostendit in causa finali, ut si quis quærat, quare homo natus est cum duobus oculis ? respondetur quidem per causam finalem, ut melius dirigat motum ; nam finis particularis, quem Physicus reddit, est ipsum bonum et optimum, non quidem simpliciter, sed illi rei cujus est finis, ut homini est bonum habere duos oculos, non autem Angelo.

EXPOSITIO TEXTUS

Dicendum (1) *igitur primum quidem*, etc. **Text. 75.** Iste est 6. tractatus hujus secundi, cujus sunt duo capitula ; in primo ostendit, quod natura agit propter finem ; et in secundo, quod necessitas in naturalibus provenit ex fine, ibi : *Quod autem ex necessitate.* Primum dividitur, quia primo præmittit intentionem. Secundo prosequitur, ibi : *Ad hanc enim causam.* Primo dicit, quod nunc determinandum est, quod natura agit propter finem ; et hoc quantum ad istud capitulum, et postea unde veniat necessitas in naturalibus ; et hoc quantum ad secundum. *Ad hanc enim causam*, etc. Hîc prosequitur, et primo recitat opinionem ponentium naturam non agere propter finem. Secundo, ponitur opinio contraria eis. Et tertio, respondet eorum rationibus. Secundum ibi : *Sed impossibile est ista hoc se habere modo.* Tertium ibi : *Peccatum autem fit.* Item, primo ponit opinionem ipsorum. Secundo, rationem. Et tertio, responsiones ipsorum quibusdam objectionibus. Secundum ibi : *Habet autem dubitationem.* Et tertium ibi : *Quare quid prohibet.* Opinio antiquorum fuit, quod natura non agit propter finem, sed omnis necessitas in naturalibus proveniat ex causa materiali, scilicet ex parte quatuor elementorum, et ex parte qualitatum suarum : et sic ponebant alias causas, ut puta concordiam, discordiam, vel intellectum ; dimittebant illas causas gaudere, id est, non utebantur eis in assignatione causarum naturalium.

14. *Habet* (2) *autem dubitationem.* Ponit rationem ipsorum : quia sicut est de pluvia, **Text. 76.** ita videtur de aliis operationibus naturalibus ; sed pluvia fit de necessitate materiæ, et non propter finem ; ergo, etc. Major patet per simile. Et minor apparet : quia cum vapor fuerit alleviatus per calorem, tunc de necessitate leviter ascendit sursum, et cum pervenerit ad mediam regionem aeris, quæ est frigida, de necessitate efficitur gravis per congelationem, et per consequen

tunc ex necessitate gravitatis descendit deorsum. Et si descenderet propter finem, maxime esset propter augmentum vegetabilium, ut frumenti; et hoc non : quia sæpe contingit, quod frumentum perditur per pluviam.

Quare quid prohibet. Ponit responsiones ipsorum quibusdam objectionibus. Prima objectio est, quod dentes in parte anteriori sunt acuti propter *dividere* tanquam propter finem; sed a parte posteriori sunt lati finaliter ad conterendum cibos. Respondent, quod hoc non est ex necessitate finis, sed ex necessitate materiæ : nam dentes sunt acuti a parte anteriori, eo quod materia est subtilis, et parva ibidem; sed sunt grossi a parte posteriori propter grossitiem, et abundantiam materiæ.

Ubi igitur omnia acciderint, etc. Secunda objectio est, quod si dispositiones rerum naturalium provenirent ex parte materiæ, tunc aliquando contingeret, quod caput esset sub pedibus, et oculus in gutture, et hujusmodi : quod est contra sensum. Respondetur concedendo, sicut dixit Empedocles, quod quandoque fuerunt bovigenæ, et viripara, id est, chimæræ factæ ex partibus diversorum animalium; et cum quærebatur, quare non apparent nobis ? respondebant, quod quando res naturales fiunt tali modo, ac si essent factæ propter finem, tunc augmentantur, et fiunt sensibiles, et apparent nobis; sed quando contingit ipsas fieri aliter, statim corrumpuntur, priusquam fiant sensibiles.

15. Text. 77. *Sed* (3) *impossibile est esse hoc se habere modo.* Hic probat quod natura agit propter finem quinque rationibus. Secunda ibi : *Amplius in quibuscumque.* Tertia ibi : *Omnino autem ars.* Quarta ibi : *Maxime autem manifestum.* Quinta ibi : *Et quoniam natura duplex est.* Est igitur conclusio ista : Natura agit propter finem. Probatur, quia illa, quæ fiunt a natura semper, vel frequenter, fiunt eodem modo; sed illa quæ fiunt a casu, vel fortuna, non fiunt semper, vel frequenter consimiliter : igitur actiones naturales non fiunt a casu, sed quod accidit materiam taliter, vel taliter disponi. Tenet consequentia, ex quo illa, quæ eveniunt a casu raro eveniunt eodem modo. Et exemplificat Aristoteles sicut pluere in hyeme non est casuale, quia hoc sæpe evenit; sed pluere sub cane, id est, in diebus canicularibus, forte est casuale. Ex quo sequitur, quod si actiones naturales non fiunt a casu, vel fortuna, eo quod fiant propter finem.

Natura agit propter finem

Amplius (4) *in quibuscumque.* Secunda ratio, quia illæ actiones fiunt propter finem, quæ fiunt per media ordinata, quibus melius, et facilius potest attingi finis intentus; sed actiones naturæ aguntur per talia media, quibus facilius natus est evenire finis intentus; igitur actiones naturales fiunt propter finem, et per consequens natura agit propter finem. Major est nota, quia universaliter in omnibus, in quibus est aliquis finis intentus, signum est quod illa aguntur propter finem, quæ aguntur per media ordinata ad illum finem. Et minor patet, quia ars, quæ agit propter finem, si faceret res naturales, faceret ipsas eodem modo, quo fiunt de facto; et e contra, si natura faceret res artificiales, utique faceret res ipsas, sicut nunc fiunt, quod non esset, nisi ars, et natura agerent propter finem. Text. 8

Omnino (5) *autem ars.* Tertia ratio, quia sicut se habet ars ad operationes artificiales, ita natura ad naturales; sed ars agit propter finem; igitur et natura. Major patet, quia ars, et natura conveniunt in multis operationibus : nam natura aliqua incipit, quæ consummantur per artem, ut quando corpus sanatur per medicinam; et e contra, ars inchoat aliqua, quæ complentur per naturam; ut patet de sedationibus vegetabilium. Et minor est nota. 1 Text.

Maxime (6) *autem manifestum.* Quarta ratio, et est per inductionem : quia videmus, quod araneæ faciunt telas propter capere muscas, formicæ faciunt provisiones in æstate ut nutriantur in hyeme, et plantæ producunt folia ad cooperiendum fructus, et habent radices, ut per ipsas suscipiant nutrimentum; et hirundo facit nidum propter pullos; igitur omne ens naturale agit propter aliquem finem. Et subdit Aristoteles quod Text.

de istis animalibus dubitaverunt aliqui, utrum faciant ista per intellectum, per artem, vel deliberationem, aut aliquo alio principio cognitivo. Et dicit Commentator comm. 80. quod non : quia si facerent ista per discursum, et deliberationem, tunc discurrerent de uno in aliud, et sic non omnes formicæ operarentur consimiliter, quod est falsum : ubi dicit Commentator quod principium universale in naturalibus, quod non est per se notum, accipitur notum per inductionem in aliquibus similibus, licet non inducatur in omnibus, et hoc est propter inclinationem naturalem intellectus ad veritatem.

17. Text. 81. *Et* (7) *quoniam natura duplex est.* Quinta ratio quia actiones naturales fiunt propter formam ; et forma est finis ; igitur actiones naturales fiunt propter finem. Et per consequens natura agit propter finem. Major est nota, quia materia disponitur ab agente finaliter propter formam. Et minor patuit prius.

Text 82. *Peccatum* (8) *autem fit et in iis, quæ fiunt secundum artem.* Hîc Aristoteles removet motiva, quibus antiqui movebantur, quod natura non ageret propter finem, et sunt quinque. Secundum ibi : *Et in iis, quæ a principio.* Tertium ibi : *Amplius necesse est.* Quartum ibi : *Id autem cujus gratia.* Quintum ibi : *Inconveniens autem est.* Primum motivum erat, quod videmus, quod in actionibus naturæ accidit error, et monstrum quod non esset si natura ageret propter finem. Et Aristoteles ponit istam conclusionem : Peccatum accidere in actionibus naturæ non tollit naturam agere propter finem. Probatur, quia sicut est in artificialibus, ita in naturalibus : sed in artificialibus peccatum accidere in actionibus artis non tollit artem agere propter finem ; ergo, etc. Major patet per simile. Et minor apparet ; quia scriptor scribit propter finem, et tamen quandoque accidit ipsum non recte scribere. Similiter Medicus dat potionem amaram propter finem, et tamen quandoque errat dando potionem. Secundo, quia ex hoc, quod in actionibus naturæ accidit peccatum, sequitur quod actiones naturæ fiunt propter finem. Probatur, quia tunc dicuntur actiones recte fieri, quando evenit finis, ad quem ordinantur illæ actiones ; sed quando ille finis non evenit propter impedimentum ; tunc actiones illæ non recte fiunt, et accidit peccatum ; sicut patet in artificialibus.

Et in iis quæ a principio. Ponit secundum motivum ; et movebantur propter opinionem Empedoclis, qui ponebat bovigenas, et hujusmodi monstra. Tunc removet istud motivum : quia talia monstra fiunt non ex eo, quod natura non agit propter finem, sed ex defectu alicujus principii concurrentis ad productionem eorum, cujusmodi esset semen corruptum, aut abundantia, vel defectus seminis in qualitate, vel quantitate, ut patet in quæstionibus. 18.

Amplius (9) *necesse est.* Removet tertium motivum. Unde dicebant omnia fieri a casu, et a fortuna, quod non esset si agerent propter finem. Tunc removendo, ponit istam conclusionem : Res naturales non fiunt a casu. Probatur primo, quia illa non fiunt a casu, quæ fiunt ex determinatis principiis, et per determinata media ; modo entia naturalia fiunt hujusmodi, ut animal, quod fit ex semine per determinata media; quia primo est molle, ut natura melius possit operari, deinde induratur, ut patet in generatione embryonis. Secundo, quia si animalibus acciderent tales bovigenæ, multo fortius fierent in plantis, quod est falsum, et contra experientiam. Et patet consequentia ; quia plantæ sunt minus dearticulatæ, quam animalia, et etiam natura est magis sollicita in animalibus, quam in plantis. Tertio, quia (10) tunc non oporteret, quod animalia, et plantæ fierent ex determinatis seminibus, cum casuale esset, quod fierent ex istis, vel ex illis, quod est contra experientiam. Text. 83. *In hoc textu Arist. arguit ad hominem.* Text. 84.

19. Text. 85. *Id autem cujus gratia.* Removet (11) quartum dubium : quia dicebant quod licet natura ageret eo modo, quo nata esset agere, si ageret propter finem ; tamen modo agit propter finem : verbi gratia, si quis veniens

ad socium suum in domo non putans illum balneari, et reveniat balneatus ; tunc iste egit illo modo, ac si egisset propter finem, et tamen non egit propter finem. Contra istud objicitur dupliciter : Primo, quia quæcumque sunt continue mota a principio intrinseco , mota sunt ad aliquem finem ; sed entia naturalia sunt hujusmodi : igitur, etc. Major est nota, quia si moverentur indifferenter a quolibet, non oporteret, quod agerent propter aliquem finem : sed accideret casualiter, quod moverentur ad hoc, vel ad illud ; sed ex quo moventur ex determinato principio, moventur ad determinatum finem, ad quem semper tendunt, nisi sit impedimentum aliunde. Secundo ; quia illa quæ eveniunt a natura, semper, et *ut in pluribus* eveniunt eodem modo, nisi fuerit impedimentum, quæ autem fiunt a casu, raro fiunt consimiliter ; igitur quæ fiunt a natura, non fiunt a casu.

Text. 86. *Inconveniens* (12) *autem est.* Removet secundum dubium ; unde dicebant quod quia natura cognoscit finem, neque deliberat ; igitur non agit propter finem. Dicit Aristoteles quod hoc non valet quia ars agit propter finem, quamvis non deliberat. Sed respondebant, quod non est simile, cum ars sit principium extrinsecum, et natura principium intrinsecum. Dicit Aristoteles quod hoc non valet, quia si ars factiva navis esset intrinseca lignis, eodem modo faceret navem, qualiter nunc est facta. Similiter ars medicativa est principium intrinsecum, quo Medicus sanatur, cui natura maxime assimilatur, et ideo cum illa agit propter finem, sequitur quod natura agit propter finem.

20. *Quod autem ex* (13) *necessitate est.* Hoc est

Text. 87. *De necessitate in rebus naturalibus.* secundum caput hujus tractatus, in quo Philosophus ostendit, quod necessitas dispositionum naturalium in rebus naturalibus proveniat ex fine. Et primo proponit intentionem. Secundo ostendit, quid super hoc dixerunt antiqui. Et tertio, determinat veritatem. Secundum ibi : *Nunc enim opinantur.* Tertium ibi : *Attamen non sine his.* Pro prima parte notandum, quod rebus naturalibus potest attribui necessitas dupliciter, scilicet simpliciter, vel conditionaliter. Unde illæ dispositiones dicuntur *Necessitas duobus modis potest attribui rebus naturalibus.* simpliciter necessariæ, ad quas res naturales determinantur per materiam, ut equus de necessitate morietur. Et hoc est, quia materia de necessitate est, et de necessitate præsupponitur transmutationibus naturalibus. Sed illæ dispositiones sunt necessariæ conditionaliter, ad quas res naturales determinantur per formam, et hoc est, quando forma non est necessaria in essendo. Et ideo tales dispositiones sunt necessariæ conditionaliter, ut si talis finis debeat evenire, necesse est hoc sic esse dispositum. Nunc igitur quærit Aristoteles istam quæstionem, utrum res (a) naturales determinentur ad suas dispositiones de necessitate simpliciter, scilicet per materiam, vel de necessitate ex suppositione, id est, per finem.

Nunc enim opinantur. Hic ostendit opi- 21.
niones antiquorum, dicens quod antiqui opinabantur res naturales sic, vel sic esse dispositas ex necessitate materiæ, et non propter finem ; hujus signum est, quod in factione domus, illa quæ sunt graviora, ponuntur deorsum, ut lapides, deinde ponuntur sursum ligna, et ea quæ sunt leviora.

Attamen (14) *sine his quidem factum est.* Hic determinat veritatem, et ponit duas Text. 88.
conclusiones, quas probat simul per tres rationes. Secunda ibi : *Est autem necessarium.* Tertia ibi : *Et finis is cujus gratia.* Prima conclusio est, quod (b) materia est necessaria in dispositionibus rerum naturalium. *Necessitas in rebus naturalibus unde proveniat.* Secunda est : causa necessitatis rerum naturalium est finis, ita ut materiæ sit attribuenda necessitas ; et fini causa necessitatis. Primum patet : quia illud est necessarium in dispositionibus naturalibus, sine quo res naturales, aut earum dispositiones non possunt fieri ; sed sine materia non possunt fieri ; ergo, etc. Secundum probatur, quia illud est causa necessitatis, et determinationis rerum naturalium, per quod convenienter respondetur ad quæstionem

propter quid de necessitate, et de determinatione dispositionum rerum naturalium ; sed hoc est per finem : igitur, etc. Major est nota, quia quæstio propter quid quærit causam. Et minor patet in exemplo, quod declarat utramque conclusionem ; quia serra de necessitate fit ex ferro, et si quæratur causa, quare ex necessitate fit ex ferro ? respondetur propter finem ; quia per ipsam oportet secare dura. Notandum, quod hic Commentator comment. 87. probat valde efficaciter, quod causa necessitatis dispositionum naturalium non proveniat ex materia, quia tunc sequeretur, quod in animalibus habentibus testas duras, illæ testæ deberent esse deorsum ; quia illa testa est pars gravior, et magis terrestris inter alias. Et ideo cum non ponatur deorsum, signum est, quod illa dispositio non accidit ex necessitate materiæ, sed ex fine, scilicet ut conservetur animal. Secundo sequeretur, quod in animalibus omnia ossa deberent esse inferius, deinde nervi, postea caro, deinde sanguis, et ultimo spiritus.

22. *Est autem*(15)*necessarium.* Ponitur secunda
ext. 89. ratio; et secundo infert corollarium ibi : *Et utræque quidem.* Secunda ratio est, quia sicut (c) in doctrinis demonstrativis præmissæ se habent ad conclusionem, ita in rebus naturalibus finis se habet ad ordinata in finem ; sed in doctrinis demonstrativis tam præmissæ, quam conclusio sunt necessariæ, et conclusio est necessaria propter præmissas : igitur in rebus naturalibus tam finis, quam ordinata in finem erunt necessaria ; sed ordinata in finem, erunt necessaria propter finem, et per consequens finis est causa necessitatis. Major est nota : quia sicut in demonstrativis, si præmissæ sunt veræ; igitur conclusio est vera, et non e contra, ita in naturalibus sequitur, quod si finis est, quod ordinata in finem sunt, vel fiunt, et non e contra. Secundo probatur(16)major : quia in naturali-
ext. 90. bus finis est ultimum in executione operis, sed est primum in discursu rationis : ut volens facere domum, primo habet intentionem domus, qualem vult facere, et postea ordinat media; modo principium in demonstrativis habet similitudinem finis. Tertio patet exemplariter; quia sicut non est serra neque domus, nisi sint lapides, et ferrum, ita conclusio non est necessaria, nisi propter necessitatem præmissarum. Et tunc
ibi : *Et utræque* (17) *quidem.* Infert corolla- Text. 1.
rium, scilicet, quod tam materia, quam finis sint dicendæ causæ a naturali. Probatur, quia sine ipsis non possunt fieri dispositiones naturales.

Et finis is cujus gratia. Ponitur tertia ra- 21.
tio ; quia demonstrationes propter quid, quæ sunt causales, fiunt per definitionem tanquam per medium : ideo talis definitio est causa, vel significat causam rei naturalis, et suarum dispositionum, quæ per hujusmodi definitionem notificantur : modo definitio potissima per causam finalem datur, ut patet primo Posteriorum, text. 29. ideo causa finalis, quæ significatur per præmissas est causa necessitatis dispositionum rerum naturalium, quæ significantur per conclusiones. Sed (18) aliquis
forte dubitaret, quia tunc in definitione na- Text. 92.
turali non deberet materia exprimi. Dicit Aristoteles quod imo, quia definitio erit completior et perfectior. Nam sicut opus naturale fit ad determinatum finem, ita fit per determinatam materiam ; et ideo in definitione naturali oportet exprimere utrumque, scilicet, et finem, et materiam, etc. Explicit expositio 2. lib. Physicorum.

ANNOTATIONES

(a) *Utrum res naturales determinentur,* 24.
etc. Nota, quod sensus quæstionis est: Utrum dispositio, ordoque universi, et membrorum animalium, ut quod ossa sint dura, oculi molles, dentes anteriores acuti, maxillares lati, caput sursum, et pedes deorsum, proveniat ex materia duntaxat, ex qua est necessitas simpliciter ; an ex fine ex quo est necessitas ex hypothesi. Antiqui enim existimabant, ut supra dictum est, ex sola necessitate materiæ res naturales, earumque dispositiones provenire, quod declarabant in artefactis. Domus enim ideo sic erat constructa, affirmabant, ut lapides deorsum, ligna vero sursum apponeren-

tur ; quia lapides sunt natura graves, ligna vero levia.

(b) *Materia est necessaria in dispositionibus naturalibus.* Nota, quod Aristoteles non est sibi contrarius. Nam licet asserat necessitatem sumi ex parte materiæ, quod ut falsum contra Philosophos antiquos refutavit ; tamen eamdem quam ipse ponit necessitatem ex parte materiæ, non ut illi ponebant. Philosophi enim omnimodam et ultimatam necessitatem ex parte materiæ esse affirmabant ; Aristoteles vero non ultimam, quia talis a fine accipienda est.

(c) *Sicut in doctrinis demonstrativis*, etc. Nota, quod similitudo stat in hoc, quod sicut principium est ratio assentiendi conclusioni in speculabilibus, ita finis est ratio appetendi media ad finem. Est tamen discrimen inter conclusionem in scientiis, et ipsum finem. Nam præmissis in hac comparatione, correspondent media, et conclusioni finis ; est itaque discrimen inter finem Physicum, et finem speculativum, videlicet conclusionem ; quia in fine speculativo a præmissis ad conclusionem valet consequentia, et non e contra, ut *Petrus currit, ergo movetur*, non tamen valet *movetur, ergo currit.* In fine autem Physico contingit aliter, est enim a fine ad media valida consequentia, non tamen a mediis ad finem. Ut bene valet consequentia, *domus est, ergo lapides sunt*, non tamen valet, *lapides sunt, ergo domus est.*

QUÆSTIO XV

Utrum necessitas in rebus naturalibus proveniat ex materia, vel ex fine

Aristot. *hic text.* 78. *et* 91. *et* 4. *de generat. animal. cap.* 2. Themist. *ad text.* 81. *et* 1. *de anima, ad text.* 83. Simplic. *hoc in libro ad text.* 78. Averroes *hic. com.* 91. *et* 12. *Metaphys. com.* 18. Albert. Magn. *tract.* 3. *cap.* 1. *et sequent.* Scotus 5. *Metaph. qu.* 1. Conimbr. 2. *Physic. cap.* 9. *qu.* 1. Complut. *disput.* 14. *quæst.* 3. Ruvius. *cap.* 9. *quæst. unica.* Roccus *quæst.* 7.

1. Arguitur quod ex materia. Primo, quia sicut est de pluvia, ita videtur de aliis rebus naturalibus ; sed pluvia fit ex necessitate materiæ : quia cum vapor fuerit elevatus superius ad locum frigidum, ibi virtute frigiditatis condensatur, et sic ex necessitate gravitatis descendit deorsum, et non propter finem. Confirmatur, quia si pluvia fieret propter finem, maxime esset propter augmentum frumentorum ; sed propter hoc non, quia sæpe contingit frumentum corrumpi per pluviam.

Secundo, sicut est in artificialibus, ita in naturalibus ; sed in artificialibus necessitas provenit ex materia ; igitur etiam in naturalibus. Minor patet, quia ex necessitate materiæ est, quod graviora subjiciantur levioribus : modo ita est in compositione domus, quia primo ponuntur lapides, secundo ligna, et ita de aliis.

Tertio, quia ab illo provenit necessitas in rebus naturalibus, per quod respondetur ad quæstionem quærentem de necessitate in dispositionibus naturalibus ; sed hoc est per materiam ; ergo, etc. Minor patet, quia si quæratur propter quid Socrates de necessitate corrumpitur, respondetur, quia habet materiam, quæ est in potentia ad aliam formam.

Quarto, quia dispositiones naturales, vel sunt simpliciter necessariæ, et tunc dicit Aristoteles quod proveniunt ex materia ; vel sunt contingentes, et tunc necessitas illarum a nullo proveniet, cum sint contingentes, et non necessariæ.

Quinto, quia natura non cognoscit finem ; igitur non agit propter finem. Tenet consequentia, quia intendere finem, seu agere propter finem, est per cognitionem appetere finem. 2.

Sexto, quia finis semper habet rationem boni ; sed aliqua mala fiunt per naturam : igitur illa non fiunt propter finem, et per consequens in illis operationibus natura agit propter finem.

Oppositum arguitur per Aristotelem 2. hujus, cap. ultimo, text. 91. In quæstione primo videbitur, quod natura agit propter finem. Secundo, qualiter necessitas dispositionum naturalium diversimode proveniat ex materia, et ex fine. *Divisio quæstion[is]*

Quantum ad primum, notandum quod quoddam est agens liberum, et aliud est agens naturaliter. Hoc stante, sit prima conclusio. Non semper agens liberum intendit finem. Probatur, ut quando homo *Agens e[st] duplex, l[iberum], naturale*

disrumpit festucam, aut fricat barbam, nullum finem intendit.

Secunda conclusio : Omne agens naturaliter agit propter finem. Probatur, quia illa operatio naturaliter fit propter finem, ad quam media sunt eo modo ordinata, et disposita, qualiter per ipsa natus est consequi finis intentus : sed agens naturale ordinat media sua illo modo ad effectum, qualiter per ipsa natus est consequi effectus, seu finis intentus ; ergo, etc.

Secundo, quia necessitas dispositionum naturalium, vel proveniet ex materia, vel ex fine ; non ex materia, ut patet in 2. art. igitur ex fine.

3. Tertio, patet inductione, quia aranea facit telam propter *capere muscas*, grave descendit propter *conservari*, et ita de aliis.

Aranea per quod principium facit telam. Sed dubitatur, per quod principium aranea facit telam, aut formica colligit granum, aut hujusmodi. Videtur quod non per cognitionem, aut enim hoc esset per cognitionem sensuum exteriorum, vel interiorum ; non exteriorum, quia forte colligunt propter *evitare* pericula hyemis sequentis, et tamen nunquam experti sunt hyemem : nec per cognitionem sensuum interiorum ; quia sensus interior præsupponit exteriorem. Secundo patet, quia nulla cognitio est indita nobis a natura ; igitur nec hujusmodi brutis. Tenet consequentia, quia natura est magis sollicita de nobis, quam de brutis ; et antecedens patet *primo Posteriorum.*

Propter istas rationes dico, quod hujusmodi animalia operantur ex quodam principio, qui est instinctus naturæ, et non est cognitio, sed est quædam qualitas infusa a cœlo, vel consequens naturam hujusmodi animalium a tota specie, et etiam in his qualitatibus, vel dispositionibus infusis a cœlo aliquis dicitur fortunatus, vel infortunatus.

4. *Dispositiones naturales sunt duplices.* Quantum ad secundam, notandum quod duplices sunt dispositiones naturales, quædam sunt utiles ; quædam inutiles, ut monstruositas, corruptio, senectus, et hujusmodi ; et tales dispositiones sunt necessariæ propter materiam, ita ut in illis dispositionibus materia sit necessaria, et etiam causa necessitatis hujusmodi dispositionum. Sed de dispositionibus dico, quod determinatio ipsarum ad sic esse, qualiter utiles sunt ad dispositiones naturales, non est a materia, sed a fine, quod patet exemplificando ; quia quantum est ex parte materiæ, non esset ratio, quare oculus potius poneretur in capite, quam in pede, aut quare palpebræ potius ponerentur super oculum, quam super nasum. Et hoc probatur, quia in principio generationis, materia, scilicet semen est uniforme, et consimilium partium ; igitur quantum esset ex parte materiæ effectus genitus esset consimilium partium ; igitur determinatio ad diversas dispositiones est ab agente, quod per hujusmodi dispositiones intendit diversos fines.

Et notandum, quod dispositiones, ut mors, senectus, et hujusmodi, licet sint inutiles respectu præcedentium, tamen sunt utiles ad operationes sequentes, hoc tamen non obstante, necessitas eorum provenit ex materia, et non ex illis operationibus sequentibus; quia illæ operationes sequentes non determinant materiam ad hujusmodi dispositiones. Ex hoc ponuntur conclusiones. Prima in rebus, et dispositionibus naturalibus materia est necessaria. Secunda, causa necessitatis dispositionum naturalium est attribuenda fini, et non materiæ. Probatur primum, quia illud est necessarium in dispositionibus naturalium, per quod respondetur de rebus naturalibus, quod est necessarium in dispositionibus ipsarum ; modo hoc est per materiam, ut patet exemplificando in naturalibus, ut si quæratur, quid est necessarium ad hoc quod fiat cultellus, respondetur ferrum.

Secunda conclusio probatur ; quia illud est causa necessitatis in rebus naturalibus, 5.
per quod convenienter respondetur ad quæstiom quærentem propter quid est talis dispositio necessaria, vel talis ; sed hoc est per finem ; ergo, etc. Minor patet, quia si quæratur propter quid ferrum est

necessarium ad cultellum, respondetur per finem, ut possit secare dura : et si quæratur propter quid oculus est aqueus, respondetur per finem, ut possit videre. Confirmatur ista conclusio, quia nisi causa necessitatis dispositionum naturalium esset attribuenda fini, sequeretur in animalibus habentibus testas, quod tota testa poneretur inferius, et residuum superius. Item sequeretur, quod in animalibus omnia ossa deberent esse deorsum, consequenter nervi, postea sanguis, et ultimo spiritus, quod est contra experientiam. Et patet consequentia ; quia iste est ordo membrorum, quantum est ex parte materiæ. Et hæc de secundo.

Ad rationes. Ad primam dico, quod pluvia fit propter finem, scilicet propter augmentum frumenti, et aliorum vegetabilium, et si quandoque frumentum corrumpatur per pluviam, ex hoc non sequitur, quin pluvia fiat propter finem ; quia hoc contingit, ut *in paucioribus*. Similiter ad alium finem ordinatur pluvia, scilicet ad æquationem elementorum.

Ad secundam dico, quod domus non fit propter materiam ; sed quia sic potest melius durare ad finem, ad quem ordinata est. Similiter non est verum, quod semper graviora ponantur deorsum ; quia regulæ sunt de partibus gravioribus.

6. Ad tertiam concedo, quod aliquæ dispositiones inutiles, et habentes rationem mali proveniunt ex necessitate materiæ.

Ad quartam, negatur consequentia : quia quidam (a) est appetitus naturalis sine cognitione.

Ad quintam dico, quod sunt necessariæ ex suppositione, scilicet finis, vel operationis sequentis, ut puta, si homo debeat videre, necesse est, quod habeat oculum taliter dispositum.

Ad sextam dico, quod illæ dispositiones, quæ habent rationem mali, fiunt ex necessitate materiæ, et non finis. Expliciunt quæstiones 2. lib. Physicorum.

ANNOTATIONES

(a) *Quidam est appetitus naturalis sine cognitione.* Nota, quod agentia naturalia 7.
inanimata non cognoscant finem, propter quem operantur ; quia carent potentia cognitiva. Et si dicas, nihil potest certo tendere in finem, quem non præcognoscit, atque adeo naturalia inanimata non attingunt certo finem suum : imo potius finem suum cognoscunt, quia certissime illum attingunt, nisi impediantur ; dico verum esse nihil posse tendere in finem, nisi prius cognitum ; vel a se, si agit per cognitionem ; vel ab alio illud dirigente, si non agit per cognitionem ; atque adeo sicut sagitta dirigitur in scopum, quem non cognoscit, sed quia dirigitur a cognoscente : ita etiam agentia naturalia dicuntur agere propter finem, et a fine moveri, quem non cognoscunt, in quantum moventur a Deo dirigente, et cognoscente finem, danteque unicuique agenti instinctum naturalem, et virtutem ad suum finem consequendum. Ex quo infertur aliquam esse causam universalem, omnes fines omnium rerum prævidentem, atque omnia in suos proprios fines inclinantem, præbentemque illis virtutem, eos assequendi ; qualis est Beatissimus Deus, qui omnia disponit, providet, gubernat, omniaque in suos dirigit fines.

Agentia naturalia quomodo finem suum cognoscunt.

Nota secundo, quod quædam agentia naturalia cognoscunt materialiter suum finem, non formaliter, id est, cognoscunt rem particularem, quæ est finis, non tamen cognoscunt ipsam sub ratione finis, neque applicant media ad talem finem consequendum, quamvis illum materialiter etiam cognoscant. Hæc sunt bruta omnia. Cognoscit enim, verbi gratia, equus famem, quam patitur, et herbam quam comedit, sentitque se saturari, non tamen cognoscit herbam ordinari ad famem sedandam, ut ad finem, sed comedit propter delectationem, quam sentit, et ita sedat famem. Unde observa, quod animalibus, concessa est a natura quædam facultas cognitiva, qua sibi convenientia appetant, et disconvenientia fugiant, quæ facultas, (ut videbimus 2. de Anima) dicitur æstimativa : hæc potentia non est discursiva, quapropter tantum præsentia objecta per illam cognoscit animal brutum, de futuro autem nequit judicare. Quando ergo dicimus, quod bruta non cognoscunt finem nisi materialiter, volumus ipsa non operari propter aliquem futurum eventum ab illis cognitum ; sed tantum moventur ab objecto præsente, cujus convenientia, seu disconvenientia percepta prosequuntur ea, vel fugiunt ab eis, ex qua actione nascitur, quod finem consequantur, quem non nove-

runt, neque perceperunt. Et sic quando brutum videt aquam, cognoscit sibi esse convenientem, et ideo illam appetit, et bibit, et ex hoc secuta est sedatio sitis, quam ipsum ignorabat secuturam, neque in his actionibus aliquo discursu, consultatione, aut deliberatione utuntur, sed tantum naturali inclinatione illius potentiæ cognitivæ feruntur in ipsa objecta, vel ab eis refugiunt. Non est tamen negandum, quod bruta perfecta, aliquando ex memoria præteritorum multa faciant, ut bos recordatur cibi, quem comedit, properat ad præsepe, juxta illud : *Bos præsepe Domini sui cognovit.* Finis tamen horum animalium formaliter est cognitus a Deo ipsa animalia ad illum dirigente, sicut inanimata dirigit.

Nota tertio quod quædam agentia naturalia sunt,quæ ipsum finem formaliter,et sub ratione finis cognoscunt,et ordinem mediorum ad ipsum finem ; hæc autem agentia inter res naturales sunt soli homines. Cognoscit enim homo sitim,quam patitur,applicatque aquam, quam cognoscit tanquam medium aptum ad illam sedandam. Est autem hoc de homine intelligendum in actionibus moralibus, seu humanis, ut cum emit alimenta ad sustentationem. In naturalibus enim operationibus, quales sunt *generare sibi simile, nutriri, et augeri*, et hujusmodi, eodem modo se habet, ac reliqua agentia naturalia.

Agentia naturalia inanimata bruta et homines in quibus conveniunt et in quibus non.

Ex hoc sequitur, quod est convenientia, et disconvenientia inter inanimata animalia bruta, et homines.Conveniunt siquidem in hoc, quod omnia agunt propter finem. Secundo conveniunt, quod in omnibus sunt aliquæ operationes ita naturales, ut absque præcognito fine illas operentur, quales sunt operationes animæ vegetativæ, in his enim nulla est consultatio, et hoc intelligendum est secundum quod operationes tales sunt. Homo enim per potentiam vegetativam non cognoscit finem ad quem dirigit illas operationes, quamvis per intellectum cognoscat.

Differentia autem est ; quia insensibilia dicuntur agere propter finem ; quia ex se, et ex natura sua ad tales fines inclinantur, nulla prorsus finis cognitione ducta. Bruta vero agunt propter finem in quem naturaliter feruntur, quemque materialiter cognoscunt, quæ sunt ad finem, quando illis præsentantur, quamvis, quod talia media ad talem finem ordinentur, ignorent : quia hoc esset formaliter cognoscere finem. Homo vero in operationibus humanis, ut homo est, præcognoscit finem sub ratione finis, et sic per electionem ordinat media ad finem : quare inter alia agentia naturalia, quæ propter finem agunt, solus homo dicitur agere secundum propositum.

FINIS LIBRI SECUNDI

LIBER TERTIUS

PHYSICORUM

EXPOSITIO TEXTUS

1. Text. 1. Quoniam (1) *natura quidem est Principium motus*, etc. Iste est tertius liber Physicorum, in quo Aristoteles determinat de passionibus intrinsecis rei naturalis, seu mobilis, quæ dicuntur intrinsecæ, eo quod non sunt extra rem natur lem ; quæ sunt motus et infinitas. Et dicuntur intrinsecæ ad differentiam loci, vacui, et temporis ; quæ sunt passiones extrinsecæ corporis naturalis, de quibus determinatur in quarto. Iste liber dividitur in duos tractatus : in primo determinatur de motu : in secundo de infinito, ibi, *Quoniam autem de natura scient'a est*, etc. Primus tractatus continet tria capitula. Primum est de quibusdam, quæ præmittit ad definitionem motus. Secundum est de definitione ; et tertium movet quædam dubia de definitione motus. Secundum ibi, *Divisio autem secundum*. Tertium ibi, *Et dubitatum autem*. In primo capitulo præmittit intentionem. Secundo prosequitur, ibi, *Est igitur*. Primo præmittit quinque conclusiones. Secunda ibi, *Cum autem determinaverimus*. Tertia ibi, *Infinitum autem*. Quarta ibi, *Adhuc autem sine loco*. Quinta ibi, *Manifestum igitur est*.

Motus cognitio Physico necessaria Prima conclusio est. Naturalis habet determinare (a) de motu. Probatur, quia naturalis habet determinare de natura ; igitur, et de motu. Tenet consequentia, quia motus ponitur in definitione naturæ, ut dicendo : Natura est principium motus, et mutationis ; igitur necesse est ignorare naturam, scilicet definitive.

2. Secunda conclusio. Naturalis habet determinare de continuo. Probatur, quia naturalis habet determinare de motu : igitur et de continuo. Tenet consequentia ; quia (b) motus est de numero continuorum ; et antecedens patet ex præcedenti conclusione. *Vide contradictionem Zimaræ.*

Naturalis habet determinare de infinito. Tertia conclusio. Naturalis habet determinare (c) de infinito. Probatur, quia qui habet determinare de continuo, habet etiam determinare de infinito, per præcedentem conclusionem : igitur et de infinito. Major patet, quia multoties infinitum ponitur in definitione continui, ut dicendo, continuum est in infinitum divisibile : et dicit Aristoteles multoties, quia aliquando definitur aliter, ut dicendo, continuum est cujus partes copulantur ad terminum communem.

Text. 2. Quarta conclusio. (2) Consideratio de vacuo, loco, et tempore pertinet ad naturalem. Probatur, quia consideratio de illis pertinet ad naturalem, sine quibus impossibile est fieri motum, sed sine istis impossibile est fieri motum, : igitur, etc. Major patet ; quia naturalis habet considerare de motu : et minor est nota : nam secundum opiniones antiquorum, motus non potest fieri sine vacuo, sed secundum veritatem motus non potest fieri sine loco, et tempore, ut probabitur in quarto. *Naturalis habet considerare de vacuo, loco, et tempore.*

3. Quinta conclusio. Consideratio de omnibus istis pertinet ad istum librum. Probatur, quia istæ sunt communes passiones omnium corporum naturalium, et iste liber determinat de rebus naturalibus secundum passiones communes ipsorum : igitur de ipsis determinare pertinet ad istum librum, cum iste liber sit primus, et inter alios

communior : quia semper speculatio de propriis passionibus est posterior consideratione de passionibus communibus.

'ext. 3. *Vide contradictionem Zimaræ.* *Est igitur* (3) *eorum quæ sunt.* Hîc ponit quasdam divisiones valentes ad definitionem motus. Prima divisio est, quod eorum quæ (d) sunt, alia sunt in actu tantum : et quædam in potentia tantum ; alia partim in actu, et partim in potentia : sicut album intensum dicitur album in actu, sed nigrum dicitur album in potentia, sed album remissum, quod est in via, ut intendatur, est partim in actu, et partim in potentia. Secunda divisio, eorum, quæ sunt in actu quoddam est Substantia, aliud Quantitas, aliud Qualitas, aliud Ad aliquid, et sic de aliis Prædicamentis. Tertia divisio, eorum, quæ dicuntur (e) *ad aliquid* ; quædam dicuntur secundum superabundantiam, et defectum, ut *duplum*, et *dimidium*, quædam actionem, et passionem, et omnino secundum motum, et mobile ; nam mobile est motivi mobile, et motivum est mobilis motivum.

4. 'ext. 4. *Vide digressionem Aver. super isto textu.* *Non est* (4) *autem motus præter res.* Ponit unam conclusionem, quod omnis motus est in aliquo dictorum Prædicamentorum. Probatur, quia omne illud, ad quod est motus, vel mutatio, est in aliquo dictorum Generum ; igitur omnis motus, vel mutatio est in aliquo dictorum Prædicamentorum. Tenet consequentia : quia motus non est aliud præter res, ad quas est mutatio : et antecedens patet, quia non est accipere aliquam rem communem ad ista Prædicamenta, ad quam possit fieri motus vel mutatio, et ideo non invenitur motus extra prædicta.

'ext. 5. *Unumquodque* (5) *autem dupliciter.* Ponit quartam divisionem, scilicet quod in quolibet Prædicamento, in quo invenitur motus, vel mutatio, invenitur motus dupliciter. *Motus est duplex.* Nam quidam est motus acquisitivus, et quidam deperditivus, ut in Genere Substantiæ generatio, et corruptio, et in genere Qualitatis acquisitio qualitatis perfectioris, ut albedinis, dicitur mutatio perfecta, et acquisitio minus perfectæ, ut nigredinis, dicitur motus imperfectus. Similiter in motu locali motus sursum potest dici acquisitivus, et motus deorsum deperditivus; quia locus sursum est nobilior. Similiter in Genere Quantitatis inveniuntur augmentatio, et diminutio, et ita (f) de aliis Generibus. Ex quo infert Aristoteles quod tot sunt species motus, et mutationis, quot sunt species entis, et hoc est, quia in quolibet genere entis invenitur mutatio. *Vide Zimaram in tab. lit. m. fol. 158. col. 3.*

ANNOTATIONES

(a) *Naturalis habet determinare de motu.* Nota quod Aristoteles 2. Physicor. cap. 2. text. 11. dicit, supponendum est motum esse : et 6. Physicorum cap. 3. text. 26. dicit, quod nullus est, qui ignoret motum esse. Videtur ergo Aristoteles his locis, et hîc, ubi docet naturalem disserere de motu tanquam de re ignota, et difficillima, sibimet contrarius. Dicas quod de motu possumus loqui dupliciter ; primo per quæstionem *si est*, et sub hac consideratione intelligendus est Aristoteles locis citatis. Secundo modo possumus loqui de motu per quæstionem *quid est*, quærentes quid est ejus quidditas, et sub hac consideratione tractat Aristoteles de motu in hoc tertio. 5. *De motu duplex potest esse consideratio.*

(b) *Motus est de numero continuorum.* Nota, quod Aristoteles 5. Metaph. text. 18. dicit, quod motus est quantus per accidens : ergo de per se non spectat ad Physicum naturalem disserere de motu : quia ens per accidens excluditur a scientiis. Dicas, quod ens per accidens dupliciter dicitur ; primo ens per accidens dicitur illud, quod importat congregationem diversorum Prædicamentorum, ut *homo albus* ; et hujusmodi entia excluduntur a scientiis. Alio modo accipitur ens per accidens, ut idem est, quod ens per aliud, et hoc modo homo est ens per accidens : quia per suam formam est ens, et talia entia per accidens non excluduntur a scientiis. Et hoc modo intelligendus est Aristoteles loco citato, quando inquit, motum esse quantum per accidens, id est, per aliud, ratione scilicet continui. *Ens per accidens dupliciter dicitur.*

(c) *Naturalis habet determinare de infinito*, etc. Nota quod Aristoteles in Prædicamentis agit de continuo, et tamen non definit continuum per infinitum : videtur ergo sibi contrarius hîc et ibi. Dicas quod, ut Aristoteles 5. Metaph. habet, continuum tripliciter accipitur. Primo modo a posteriori et a signo, quando scilicet sumit denominationem ab opere, quod exercetur, et hoc modo continuum est una operatio : verbi gratia, lectio est continua ab hora octava usque ad nonam, quia est una opera- 6. *Continuum sumitur tripliciter.*

tio continua, et hoc modo non loquimur de continuo hîc. Secundo modo accipitur in ordine ad partes ex quibus constituitur, vel per ordinem partium ad ipsum continuum, et sub hac ratione loquitur in Prædicamento Quantitatis, dicens : *continuum est, cujus partes copulantur ad unum terminum communem*, et sub hac ratione non loquitur hîc Aristoteles de continuo. Tertio modo accipitur in ordine ad partes in quas dividitur, et secundum hanc rationem loquitur hîc Aristoteles de continuo, dicens : *continuum est quod est divisibile in infinitas partes.*

(d) *Eorum quæ sunt, alia sunt in actu tantum*, etc. Nota quod sub primo membro comprehenduntur Angeli, homines, et aliæ substantiæ, quoad suum esse substantiale ; si tamen entia considerentur in ratione entis, sic quidem solus Deus est purissimus actus, et in purissimo actu, et nullo modo in potentia. Item si considerentur in ordine ad materiam, et potentiam Physicam, etiam Angeli sunt in actu. Sub secundo membro continetur res, quæ cum possit esse talis, nihil habet illius, ut res quæ potest esse calida, et nihil habet caloris ; vel homo, qui cum possit existere, non existat, ut Antichristus. Sub tertio autem membro continentur res, quæ quoad aliquid sui existunt, et quoad aliquid sui non existunt ut res quæ potest esse calida, ut octo dicitur esse actu, et potentia, dum est calida, ut quinque : in actu quidem quoad calorem, ut quinque, in potentia vero quoad calorem ut tria, quem non habet, et potest
7. habere.

(e) *Eorum quæ dicuntur ad aliquid*, etc. Nota, Aristotelem 5. Metaph. cap. de *ad aliquid* dicere, relationum quasdam fundari in unitate, sive quantitatum, sive qualitatum, sive essentiæ, quæ sunt æqualitas, similitudo, et identitas ; ea enim, inquit, sunt æqualia, quorum quantitas est una secundum speciem ; ea sunt similia quorum qualitas est una secundum speciem ; illa vero sunt eadem quorum substantia est eadem. Quasdam item fundari in Actione, et Passione, ut paternitatem, et filiationem ; paternitas enim fundatur in actione generativa, hoc est quod paternitas fundatur in potentia generativa, ratio autem fundandi, et sine qua non fundatur, est quod actu generet.

Motus in genere est quadruplex.

(f) *Et ita de aliis generibus.* Nota, quod Aristoteles docet motum in genere quadruplicem esse : quia motus non est præter res, ad quas tendit, res autem, ad quas tendit, sunt tantum quatuor, scilicet Substantia, Quantitas, Qualitas, et Ubi ; quia in his tantum quatuor Prædicamentis reperitur motus, vel mutatio : in specie autem motum octo modis esse contingit, nam cum motus sit in quatuor Prædicamentis, et quodvis Prædicamentum contineat sub se rem perfectam, et imperfectam, sive habitum, et privationem, efficitur, ut motus qui est in illo Prædicamento, dividatur in motum, qui est ad rem perfectam, qui dicitur acquisitivus, et in motum qui est ad rem imperfectam, qui dicitur deperditivus. Unde colligit tot esse species, sive modos particulares motus, quot modi entis, id est, quot modi illius Prædicamenti ad quos est motus ; diversitas enim specifica motuum ex diversitate specifica terminorum ad quos, sumenda est.

QUÆSTIO I

Utrum ignorato motu necesse sit ignorare naturam

Aristot. 3. *Physic. text.* 1. Averroes. *comment.* 1. Themist. Simplic. D. Thom. *ibid.* Albert. *hic tract.* 1. *cap.* 1. Canonic. *quæst.* 1. *art.* 1. Mayron. *hic partit.* 1. Conimbr. *in exposit textus, et quæst.* 1. Compluten. *disp.* 16. Ruvius *tract.* 1. *q.* 1. Fuente *quæst.* 1. *diffic.* 1. Roccus *summa* 1. *cap. unico, et quæst.* 1.

1.

Arguitur quod non : quia quod est per se manifestum, non ignoratur quocumque alio ignorato ; sed natura est per se manifesta, et evidens : igitur quocumque alio ignorato, non ignoratur, et per consequens ignorato motu, non est necesse ignorare naturam. Major nota est ; et minor patet : quia dicit Aristoteles 2. hujus, text. 6. quod naturam esse probare ridiculum est.

Secundo : quia ignorato illo, quod de difficili est cognoscibile, non est necesse illud ignorari, quod de facili cognoscitur ; sed motus de difficili cognoscitur, natura vero est de facili cognoscibilis : ergo, etc. Minor patet primo, difficile est cognoscere, quid sit motus, ut patet in isto tertio. Secundo, quia difficile est cognoscere motum esse ; quia una pars ejus est præterita, et alia futura ; et ita de modo cognoscendi est maxima difficultas. Item motus non potest sentiri a sensu ; quia sensatio saltem visus fit in instanti, motus autem fit successive.

Tertio : quia ignorato posteriori non est necesse ignorare prius ; sed motus est pos-

terior natura : igitur non est necesse ignorato motu, ignorare naturam. Major patet, quia cognitio posterioris dependet ex cognitione prioris, et non e contra ; et minor apparet, quia motus est accidens, et natura substantia ; et modo substantia prior est accidente natura, cognitione, et tempore, ut patet 7. Metaph. text. 4.

Quarto : quia causæ sunt notiores suis effectibus, ut patet primo hujus, text. 4. sed natura est causa motus : igitur natura est notior motu, et per consequens cognitio motus præsupponit cognitionem naturæ magis quam e contra.

2. Quinto : si ita esset, sequeretur quod determinatio de motu deberet præcedere determinationem de natura, cujus tamen oppositum fecit Aristoteles. Probatur consequentia, ex quo cognitio naturæ præsupponit cognitionem motus, et non e contra.

Sexto : quia motus, et natura sunt duæ res ab invicem distinctæ ; igitur non implicat contradictionem unum illorum cognosci sine alio : igitur posito, quod ignoretur motus, non est necesse ignorare naturam.

Septimo : quia tunc sequeretur quod ignorata quiete necesse esset ignorare naturam ; consequens est falsum : quia cognitio positivi non præsupponit cognitionem privativi, imo semper e contra, ut patet 1. *de anima, text. 70.* Et patet consequentia : quia motus, et quies opponuntur : igitur eadem est cognitio quietis et motus. Nam idem est judex recti, et obliqui, ut patet 1. *de Anima, text. 35.* ideo si ignoretur quies, necesse est ignorare motum, et per se ignorato motu necesse est ignorare naturam ; ergo, etc.

Octavo : quia antiqui negaverunt motum esse, qui tamen non negaverunt naturam esse ; quod non esset, si motum esse esset notius, quam naturam esse.

[Di]visio. [Qu]æstionis Oppositum arguitur per Aristotelem in principio hujus tertii, text. 1. qui ponit quod ignorato motu, necesse est ignorare naturam. In quæstione ista primo præmittendæ sunt quædam distinctiones declarantes titulum quæstionis quantum ad sensum textualem. Secundo respondebitur physice ad quæsitum.

Quantum ad primum, notandum quod hoc nomen *natura*, est nomen connotativum de Genere *Ad aliquid*, cujus genus est hoc nomen *principium* ; et ideo multum refert ponere istos terminos, *natura, principium*, et hujusmodi terminos connotativos a parte subjecti, vel prædicati respectu verbi de præterito, vel de futuro ; vel respectu verbi de præsenti includentis præteritum, vel futurum : quia semper a parte prædicati hujusmodi termini appellant suam formam, ita ut restringantur ad tempus verbi, tam pro significato, quam pro connotato, sed non est ita, quando ponuntur a parte subjecti. 3. *Natura est nomen connotativum*

Secundo notandum, quod ista verba *scio, cognosco, ignoro*, faciunt propositionem in sensu composito, scilicet, quando præcedunt, vel sequuntur totam propositionem ; seu in sensu diviso, quando ponuntur inter partes propositionis ; propriissime tamen dicuntur de dicto, ut *cognosco hominem esse, cognosco hominem currere*, et sic de similibus : et multum refert quando aliquis terminus ponitur a parte ante respectu istorum verborum et quando ponitur a parte post, et ideo Aristoteles in *primo Elenchorum* ponit differentiam inter istas, *venientem cognosco, et cognosco venientem* : quia ad veritatem primæ sufficit, quod illa res, quæ est veniens cognoscatur, ignorato adhuc an sit veniens vel non ; sed ad veritatem secundæ requiritur, quod veniens cognoscatur, et cognoscatur esse veniens, ita est in proposito : quia ad veritatem istius, *cognosco naturam*, non sufficit illam rem cognoscere, quæ est natura, scilicet conceptu quidditativo, ut puta quod est substantia, vel hujusmodi, imo cum hoc requiritur, quod cognoscatur taliter se habere, qualiter connotatur per hoc nomen *natura*. *Verba scio, cognosco, ignoro, faciunt propositionem in sensu composito, et diviso.*

Tertio notandum, quod hoc participium *ignoratum*, et etiam verbum a quo descendit, includit negationem, et ideo con- 4.

fundit terminum immediate sequentem distributive : sequitur enim *ignoro motum, igitur nullum motum cognosco.*

Quarto notandum, quod titulus quæstionis potest æquipollere uni temporali, videlicet isti : *Dum ignoratur motus, necesse est, quod ignoretur natura,* quod est falsum : quia veritas temporalis præsupponit veritatem copulativæ factæ ex partibus illius temporalis.

Secundo potest æquipollere uni causali, et est sensus : *quia ignoratur motus, necesse est, quod ignoretur natura* , et ista est falsa propter eamdem causam.

Tertio, potest æquipollere uni conditionali ; ut isti, *si ignoratur motus, necesse est quod ignoretur natura* : et tunc accipio quæstionem in isto sensu ; dum tamen hæc dictio *necessario* faciat propositionem in sensu composito, dicendo necessario si ignoratur motus, ignoratur natura : et hæc de primo.

Quantum ad secundum notandum, quod tam de motu, quam de natura scitur quod est. Deinde quid est definitive, et tertio, quia est quantum ad proprietates, et conditiones convenientes motui, et naturæ, et hoc tam de proprietatibus communibus, quam specialibus : unde proprietates communes sunt, quod omnis motus est divisibilis in infinitum, omnis motus est in loco, et sic de aliis ; proprietates vero speciales sunt, quod motui circulari nihil est contrarium, quod motus habet calefacere, et sic de aliis : sed proprietates communes naturæ sunt, quod omnis natura est mota, vel mobilis ; proprietates vero speciales sunt, ut quod cœlum est ingenerabile, et incorruptibile, et sic de similibus. Quarto scitur *propter quid* tam de natura, quam de motu, scilicet causa propter quid hujusmodi passiones insunt naturæ, et motui.

5. Nunc ponuntur conclusiones. Prima conclusio. Impossibile est de aliqua re cognoscere, quod sit natura, non cognoscendo motum. Probatur, quia impossibile est de aliqua re cognoscere quod sit natura, non cognoscendo, quod sit principium, et causa motus ; igitur impossibile est de aliqua re cognoscere, quod sit natura, non cognoscendo motum. Antecedens apparet : quia esse naturam, est esse principium movendi, et quiescendi. Tenet consequentia, quia de nullo potest cognosci quod sit principium motus, non cognoscendo motum.

Secundo : quia implicat contradictionem esse naturam, et non esse principium motus; igitur implicat contradictionem cognoscere naturam non cognoscendo motum; et propter hoc dicit Aristoteles 1. hujus, text. 6. quod negantes motum loquebantur innaturaliter.

Secunda conclusio. Necesse est ignorato motu, quantum ad *si est,* ignorare naturam, quantum ad *quid est,* et est sensus conclusionis, quod ad cognoscendum naturam definitive, oportet præcognoscere motum esse. Probatur, quia natura definitur per motum : nam in conceptu hujus termini *natura* includitur motus, ut dictum fuit prius : igitur ad cognoscendum definitionem naturæ, oportet præsupponere motum esse. Et dico notabiliter quantum ad *si est :* quia dicit Aristoteles in 1. hujus, text. 11. quod in determinando de naturalibus, oportet præsupponere omnia, aut quædam moveri ; et ideo oportet præsupponere, quod motus est et aliqua moveri ; sed non oportet præsupponere, quid sit motus definitive, quia habita definitione naturæ in secundo, inquiritur quid sit motus definitio in tertio.

Tertia conclusio. Ignorato motu quantum 6.
ad *quia est,* necesse est ignorare naturam quantum ad *quia est.* Hoc est dictu, quod ad cognoscendum conditiones, et proprietates speciales naturæ, oportet præcognoscere conditiones, et proprietates motus. Probatur, quia ex proprietatibus motuum, et operationum rerum naturalium concludimus naturam earum, ut quia hoc calefacit, concludimus ipsum calidæ naturæ. Similiter ex proprietatibus motuum cœli

concludimus cœlum ingenerabile, et incorruptibile : igitur, etc. Patet ergo, qualiter *si est* motus, et *si est* naturæ, simul cognoscuntur : quia non prius cognoscitur, quod motus est, quam quod natura est. Secundo, quia *si est* motus, præsupponitur ad cognoscendum definitive naturam : quia in conceptu naturæ includitur motus ; sed *quid est* motus non præsupponitur *ad quid est* naturæ. Tertio patet, quia tam *quia est* naturæ quam *quia est* motus præsupponitur ad cognoscendum proprietates naturæ : et istum ordinem servavit Aristoteles in rebus naturalibus. Unde in primo libro Physicorum præsupponit motum esse. Deinde isto præsupposito; in secundo inquirit quid est natura, et deinde in tertio inquirit, quid sit motus, et in aliis quinque libris inquirit de passionibus motus, ex quibus passionibus inquirit proprietates naturarum in rebus naturalibus tam generales quam speciales, scilicet in aliis libris naturalibus sequentibus, et hæc de secundo.

7. Ad rationes. Ad primam dico, quod naturam esse [a] est per se evidens; tamen quid sit natura non est adeo evidens; et ad hoc præsupponitur motus. Vel potest dici negando majorem : quia possunt esse duo evidenter nota, et notitia unius potest dependere ex notitia alterius, sicut est in proposito; et ideo necesse est, quod ignorato motu, ignoretur aliquid per se et evidenter notum. Et quando dicitur, quod motus non potest sentiri, dico quod non solo sensu exteriori, sed a sensu exteriori mediante interiori, id est, mediante memoria, et virtute discursiva.

Ad secundam dico, quod motus est de difficili cognoscibilis, quantum ad *quid est*; sed de facili cognoscitur, quantum ad *si est*, scilicet per experientiam, et hoc præsupponitur definitioni naturæ.

Ad tertiam, negatur major : quia licet motus sit posterior quantum ad *esse*, eo quod est effectus naturæ, et loquor de posteriori secundum naturam, et non secundum tempus, tamen motus [b] est prior via cognitionis, quia per motum devenimus in notitiam naturæ ; et ideo auctoritas Aristotelis verificatur indefinite.

Ad quartam, Causæ sunt notiores, etc. dico quod causæ sunt notiores propter *quid*, sed effectus sunt notiores quantum ad *quia*. Sed simpliciter loquendo effectus sunt notiores causis, loquendo de notitia nostra : quia de notitia divina non est ad propositum.

Ad quintam. Negatur consequentia : quia *quid est* motus non præsupponitur ad *quid est* naturæ, sed *si est* solum. 8.

Ad sextam. Negatur consequentia : quia licet sint res diversæ, tamen cognitio definitiva unius necessario dependet ex cognitione alterius.

Ad septimam. Negatur consequentia, quia natura potest cognosci per motum, nullo modo cognoscendo quietem. Ad probationem : Idem est judex recti et obliqui, id est, cognosco obliquum privative, per cognitionem recti, et habitus : sic cognitio quietis habetur per motum, licet non e contra.

Ad octavam de antiquis, dico quod erant inepti propter ignorantiam Logicæ, ut dicit Commentator, vel quod pertinaciter hoc sustinebant.

ANNOTATIONES

(a) *Naturam esse est per se evidens.* Nota naturam accipi dupliciter : primo secundum suam essentiam ; quo pacto essentialiter dicitur de materia, et forma. Altero modo accipitur secundum suam proprietatem, quæ est *causare motum.* Si natura sumatur primo modo, non includit motum essentialiter, neque per illum definitur. Si accipiatur secundo modo respicit motum, et per illum definitur tanquam per passionem, cujus est principium et causa ; ex hoc sequitur, quod naturam esse est per se notum, quia sensu cognoscitur esse : quid autem natura sit non recte cognoscitur, nisi per motum : quia causæ per suos effectus cognoscuntur. 9. *Natura bifariam sumitur.*

(b) *Motus est prior natura via cognitionis.* Nota quod natura eo modo, quo est prior in esse, est etiam in cognitione, videlicet a priori ; eo autem modo quo est posterior, cognoscitur per motum, videlicet a poste-

riori ; nostra autem cognitio oritur ab effectu, per cujus cognitionem cognoscimus ejus causam ; et talis est, quam habemus de natura per motum. Et si dicatur : sicut res se habet ad esse, sic se habet ad cognosci : sed natura est causa motus in esse : ergo est causa cognitionis motus, et non e contra. Dicas, concedendo quod natura est causa motus : illa autem causa, quæ nullo modo est effectus, semper est prior, et causa cognitionis sui effectus ; si vero uno modo est causa, et altero effectus, in eo quod causa est prior suo effectu, et causat ejus cognitionem ; in eo vero quo est effectus, et posterior, et cognoscitur per effectum : modo natura est causa motus, quia efficit motum, tamen motus est causa finalis naturæ, quo pacto sine motu neque definiri, neque intelligi potest. Aristoteles ergo quia locutus est de natura secundum hanc proprietatem optime dixit, quod ignorato motu, ignorabitur et natura.

EXPOSITIO TEXTUS

10. Text. 6. *Motus an actus, et qualis. Definitio motus.*

Divisio autem secundum(1)*unumquodque genus*, etc. Hoc est secundum cap. hujus tract. in quo ponit duas definitiones motus. Secunda ibi : *Movetur autem et movens.* Item primo ponit definitionem. Secundo declarat partes definitionis. Tertio concludit totam definitionem. Secundum ibi, *Quod autem hoc sit motus.* Et tertium ibi, *Quod igitur est hic.* Dicit igitur, quod cum in unoquoque genere aliquid dicitur secundum actum, et aliquid secundum potentiam. Motus est entelechia, id est, actus existentis in (a) potentia, secundum quod hujusmodi, id est, secundum quod in potentia : ut alteratio actus est alterabilis, secundum quod alterabile, et ita inducendo in aliis motibus, et mutationibus dicit Aristoteles quod augmentationi, et diminutioni, non est aliquod nomen commune, sicut in aliis motibus. Est notandum, quod definitio est communis ad mutationem. Patet per Aristotelem, qui inducit de generatione, et corruptione. Secundo notandum, quod in definitione motus ponitur *actus* tanquam genus ad differentiam illius, quod solum est in potentia ad aliquam dispositionem, et ponitur *existentis in potentia* ad differentiam illius, quod habet aliquam dispositionem complete in actu, quia illud, quod aliquo istorum modorum se habet ad aliquam mutationem, non movetur ad illam : sed ponitur ibi, *secundum quod hujusmodi*, ad designandum continuationem motus ; et ideo si aliquid moveatur ad caliditatem, et desinat moveri, cum fuerit tepidum, tunc illud est in actu per aliquid caloris, et non est in potentia ad ulterius acquirendum : igitur illud non movetur.

Vide contradictionem Zimaræ.

11. Text. 7

Quod autem (2) *hoc fit motus.* Hic declarat partes definitionis ; et primo quod sit actus ; secundo, quod sit entis in potentia ; et tertio, quod secundum quod in potentia. Secundum ibi, *Quoniam autem quædam eadem et potentia.* Tertium ibi, *Dico autem quatenus.* Primo probat, quod motus sit actus ; quia illud est actus per quod aliquid dicitur in actu, quod prius erat in potentia solum ; sed per motum aliquid est in actu, quod erat in potentia solum : igitur motus est actus. Major patet per descriptionem actus : et minor apparet exemplificando. Nam ædificabile, quod prius erat in potentia mobile tantum, per ædificationem est actu motum, et per consequens ædificatio est motus. Hoc exemplum est de motu locali ; et ponit aliud exemplum de motu alterationis, ut *doctrinatio, medicatio, adolescentia, senectus*, et hujusmodi, et per adolescentiam intelligit augmentationem, et per senectutem diminutionem.

Vide a... gressi... nem A... super ... textu.

Text. ... *Res p... dici in ... tu, vel ... poten... tripli...*

Quoniam (3) *autem quædam eadem*, etc. Hic probat secundam particulam, scilicet quod motus est actus existentis in potentia ; præmittit unam divisionem quod aliquid potest dici in actu, et in potentia tripliciter : uno modo respectu ejusdem, sed successive, ut quod est in actu calidum, et in potentia, quod sit non calidum, scilicet in alio tempore. Alio modo dicitur in actu, et in potentia simul, licet non secundum idem, ut aliquid dicitur in actu calidum, et in potentia frigidum. Tertio modo dicit aliquid in actu et in potentia respectu ejusdem, et in eodem tempore, licet non

eodem modo, ut illud, quod agit in aliud, et partitur ab eodem. Isto præmisso probat conclusionem, quia omnis motus est actus corporis naturalis, quod simul est movens, et mobile; et mobile est existens in potentia: igitur motus est actus existentis in potentia. Et licet aliqui dubitaverint, utrum omne movens esset mobile, tamen postea manifestum erit, scilicet in 8. hujus, text. 45. quod aliquod est movens immobile; et sic patet quod motus est actus entis
12. Text. 9. in potentia.

Dico autem (4) *quatenus sic.* Probat quod motus sit actus existentis in potentia secundum quod in potentia. Probat exemplariter, quia æs est mobile ad formam statuæ, secundum quod est actu æs, vel secundum quod est in potentia ad illam formam; si moveatur ad illam formam, ut est actu æs, tunc semper moveretur ad illam formam: si ut est in potentia ad illam formam, tunc sequitur, quod motus est actus existentis
Text. 10. in potentia, secundum quod in potentia. Et subdit Philosophus, quod non (5) est idem æs esse in actu, et ipsum esse in potentia; et hoc est verum secundum rationem. Similiter dicit, quod posse sanari, et posse laborare, licet sit eadem res, tamen differunt secundum rationem: et similiter licet sit idem color, et visibile, tamen secundum aliam rationem dicitur color, et secundum aliam visibile. Ita in proposito licet sit idem mobile, quod est in actu per illud, quod est acquisitum, et in potentia per illud, quod est acquirendum, tamen hoc est secundum diversas rationes. Text. 11.

Quod (6) *igitur est hic.* Concludit totam definitionem motus: quia illud est motus, quo præsente in mobili, mobile movetur, et quo non præsente non movetur; sed actu existentis in potentia secundum quod in potentia existente in mobili, mobile movetur, et non prius, nec posterius, ut exemplificat de ædificatione et ædificabili: igitur motus est actus existentis in poten-
13. Text. 12. tia secundum quod in potentia.

Quod autem (7) *bene dictum sit.* Hic declarat definitionem motus per dicta antiquorum; et secundo infert unam conclusionem, ibi: *Et motu quidem.* Primo dicit quod ex dictis antiquorum manifestum est, quod non est facile definire motum, aliter quam prædicto modo. Quia vel motus est definiendus modo prædicto, vel sicut antiqui(b)dixerunt, quorum aliqui dixerunt motum esse alteritatem; alii inæqualitatem, et alii, quod motus est non ens; sed nullo istorum modorum debet motus definiri; igitur definitio motus data fuit bona. Minor patet, quia per illos terminos non debet definiri motus, quibus non plus convenit motus quam quies, vel quomodo. Sed (8) ut contingit altera, vel inæqualia Text. 13.
moveri, ita contingit ipsa quiescere. Et causa (9) quare posuerunt motum esse non Text. 14. ens, erat ista, quia motus est ens indeterminatum, ita ut non sit actus in aliquo genere, nec etiam potentia: igitur non debet poni de aliquo Prædicamento entium, sed de coordinatione privativorum.

Et motus (10) *quidem.* Infert conclusionem, quod motus est actus imperfectus. Text. 15. *Motus est actus imperfectus.* Probatur: quia illud quod medio modo se habet inter actum perfectum, et puram potentiam, est actus imperfectus; sed motus est hujusmodi: ergo, etc. Major patet: quia tale nec est actus completus, nec pura potentia: et minor apparet; quia si illud, quod movetur, esset in actu completo, jam cessaret moveri, et si esset in pura potentia, adhuc nondum moveretur.

Movetur (11) *autem et movens.* Ponit aliam Text. 16. definitionem motus: et primo præmittit suppositionem, quod idem aliquando movet, et movetur. Probatur, quia movens quandoque est in potentia, ut moveatur, et per consequens quandoque actu movetur. Secundo, quia movens quandoque quiescit: igitur quandoque movetur: quia motus, et quies sunt privativa opposita, et ideo cui inest unum, natum est inesse reliquum. *Vide contradictionem Zimaræ.* Tertio, quia in his, quæ agunt, et patiuntur ad invicem per contactum, idem simul agit; et patitur; quod non esset, nisi quandoque simul idem moveret, et moveretur

Definitio motus. Ex istis infert aliam definitionem, quod Motus est (c) actus mobilis secundum quod mobile. Et probatur ex prima definitione : quia illud quod est actus entis in potentia secundum quod in potentia, est actus mobilis secundum quod mobile ; sed motus est hujusmodi : ergo,etc. Major patet : quia mobile est ens in potentia; et minor est nota per primam definitionem. Et subdit Aristoteles quod in omni motu est aliqua species movens, id est, aliquod principium effectivum motus, ut in generatione hominis, homo est principium effectivum.

ANNOTATIONES

15. *Definitio motus explicatur.* (a) ***Motus est actus entis in potentia***, etc. Nota, quod illa dictio *entis in potentia*, accipitur hîc uno ex illis tribus modis supra capitulo præcedenti citatis in divisione prima, nempe pro ente partim in actu, et partim in potentia ; ita ut definitio hunc habeat sensum : Motus est actus ad differentiam illius, quod est in mera potentia entis in potentia, ad differentiam illius, quod est in ultimo actu : aqua enim quæ potest esse calida, ut decem, et calefit ut quinque, est quidem in actu respectu illorum quinque graduum caloris, estque in potentia respectu aliorum graduum, quos adhuc non acquisivit, ideo dicitur *entis in potentia* ; et additur *secundum quod est in potentia*, id est, ea ratione, qua tale ens est in potentia, non enim aqua calefit in quantum est in actu, sed in quantum est in potentia.

16. (b) *Antiqui dixerunt motum esse vel alterationem*, etc. Nota quod hæc fuit sententia Pythagoreorum, quorum quidam dicebant motum esse diversitatem : quia quod movetur, semper se habet alio, et alio modo : alii dicebant motum esse inæqualitatem, aut quia procedit ab inæqualitate, aut quia tendit ad inæqualitatem. Alii tandem dicebant motum esse non ens : quia quod movetur, nondum est perfecte sub illa forma, ad quam movetur. Cæterum hæc sententia absurdissima est, quia ex illa sequeretur, quod id moveretur, quod habet diversitatem, aut inæqualitatem, aut non ens, quod est plusquam falsum.

17. (c) *Motus est actus mobilis secundum quod mobile.* Nota pro plena intelligentia definitionis motus, quod subjectum in ordine ad suam formam habet triplicem statum, et respectum. Primus est in pura potentia, quando videlicet est expoliatum omni forma : verbi gratia aqua, quando est in summa frigiditate, est in pura potentia ad calorem, et sub hac consideratione nullus est motus naturalis. Secundus status est in ordine ad formam, quando scilicet, est in actu perfecto, et completo : verbi gratia, quando aqua habet calorem in summo, et sub hoc statu etiam nullus est motus. Tertius status quando habet formam imperfectam,et incompletam. Quando ergo in definitione dicitur,quod est actus entis in potentia,vel mobilis,est idem, ac si diceretur, motus est actus subjecti, quod partim est in actu,partim in potentia, quia motus est actus illius,in quo necessario et semper est, sed semper est motus in ente in potentia,hoc est,in mobili : ergo est actus entis in potentia, vel mobilis. Major patet in anima, quæ ideo est actus corporis animati, quia semper reperitur in corpore alato : et minor patet ; quia in ente in pura potentia non est motus, et in ente in actu completo finitur motus : ergo necessario reperitur motus in ente in potentia, quod partim est in actu.

Secundo nota, quod subjectum habens formam potest considerari, vel in esse quieto, ut quando aqua acquirit duos gradus caloris, et ibi sistit, ita ut non amplius calefiat. Secundo modo prout est in continua tendentia ad formam,ut in aqua,quæ acquirit duos gradus caloris,et progreditur ulterius quousque habeat perfectum calorem ; quando ergo subjectum est in hac continua tendentia, est motus in eo : et hoc innuit Aristoteles illa particula, *quatenus est in potentia*, vel quatenus mobile ; ac si dixisset, quatenus est in continuo processu ad perfectam formam.

QUÆSTIO II

Utrum motus possit percipi a sensu visus

Averroes 8. *Physic. comment.* 22. D. Thomas 2. *de An. cap.* 6. *lect.* 13. *et* 1. *part. quæst.* 78. *art.* 3. Scotus *in* 4. *distinct.* 12. *quæst.* 3. Ægidius 2. *de An. cap.* 6. Simon Portius *cap.* 5. *de dolore.* Jandun. *in libros de An. quæst.* 18. Conimbr. 2. *de An. cap.* 6. *quæst.* 5.

Arguitur quod non, quia vel percipitur super partem spatii pertransitam,vel super 1.
pertranseundam, vel super partem supra quam actu existit : non super partem pertransitam, quia super illam non est motus, sed jam factus est motus : nec super partem pertranseundam eadem ratione, quia super illam non fit motus, sed fiet ; nec in spatio in quo est mobile, quia in illo mobile non movetur.

Secundo, quia illud non percipitur a visu, cujus nulla pars percipitur a visu ; sed nulla pars motus percipitur a visu : ergo, etc. Major est nota,quia impossibile est totum videri sine hoc, quod partes videantur; et minor patet : quia partes motus sunt præteritum, et futurum, quorum neutrum illorum est, et per consequens neutrum illorum movet sensum.

Tertio, si motus videretur, vel hoc esset visione intuitiva, vel abstractiva ; non abstractiva : quia nulla potest fieri visio nisi in præsentia objecti,et ideo omnis visio est intuitiva; nec intuitiva,quia sequeretur, *motus est, ideo motus fuit* : modo non video intuitive, quod motus fuit : quia jam transiit in præteritum, et amplius non est.

2. Quarto, quia omnis visio fit in instanti ; nullus motus fit in instanti ; igitur nullus motus est visio. Major patet in 2. de Anima, text. 70. et in de Sensu, et Sensato : et probatur ratione ; quia si inter visum, et astrum ponatur manus, non citius remota est manus, quam videatur astrum, quod non esset nisi visio fieret subito. Minor apparet in 6. hujus, text. 37. et in 7. text. 38. scilicet quod omnis motus fit in tempore.

Quinto, quia ista, *mobile movetur*, æquipollet isti, *mobile movebatur, mobile movetur, et immediate post movebitur* ; sed visus non potest percipere, qualiter illa copulativa significat, ideo non potest percipere, quod mobile movetur.

Sexto, non potest videri, quod hoc movebitur : igitur non potest videri, quod hoc movetur. Tenet consequentia, quia ad istam, *hoc movetur*, sequitur hoc movebitur : modo qui cognoscit consequentiam esse bonam, et non cognoscit consequens, non cognoscit antecedens. Probatur antecedens, quia hoc movebitur est futurum, contingens: igitur de illo quod movebitur possibile est quod non movebitur, et tunc ponatur in esse, quod non movebitur, sequitur, quod de aliquo judicat ipsum moveri, et tamen non movebitur, et per consequens judicium totum erit falsum, quia sequitur non movebitur, igitur non movetur. Confirmatur : quia possibile est quod mobile, quod movetur, sit movens voluntarium : igitur supposito, quod nunc moveatur, possibile est, quod postea non movebitur : igitur de illo nunquam potest judicari evidenter, quod ipsum movetur.

Oppositum arguitur per experientiam. In quæstione, Primo videbitur de perceptione motus. Secundo videbitur de erroribus contingentibus circa motum. 3. *Divisio quæstionis*

Quantum ad primum, notandum quod illa, quæ percipiuntur a sensu, sunt in triplici differentia : quædam enim percipiuntur a sensu exteriori solo, sine adminiculo interiorum, ut luces, et colores, quantum ad *si est* percipiuntur solo visu. Alia sunt quæ percipiuntur a sensu exteriori mediante adjutorio memoriæ, sicut luces, et colores non percipiuntur a visu solo, quantum ad *quid est :* unde de luce nullus judicat per visum an sit lux Solis, vel ignis, nisi per memoriam lucis alias visæ, faciendo comparationem lucis, quam nunc videt ad luces, quas alias vidit. Alia sunt quæ percipiuntur a sensu exteriori mediante adjutorio sensus interioris, scilicet tam memoriæ, quam imaginativæ ad discurrendum, et ratiocinandum ; et sic percipitur situs, corporeitas, proportio unius rei ad aliam rem, et quies, ut postea dicetur. *Quæ percipiuntur a sensu sunt in triplici differentia*

Secundo notandum, quod percipere motum per visum, aut alium sensum, loquendo de motu locali, non est aliud, quam percipere mobile in duobus sitibus diversis successive, et in duobus instantibus diversis, inter quæ cadit tempus sensibile medium : et dico in duobus sitibus diversis, et non in duobus locis, propter motum circularem : quia quod movetur circulariter, non movetur de loco ad locum, sed mutat situm secundum partes. Secundo dico, inter quæ cadit tempus sensibile medium ; quia si tempus medium esset insensibile, tunc mobile non judicaretur moveri, sed occupare totum spatium continue, ut patet de baculo, cujus extremum est ignitum velociter circumducto. 4. *Quid sit percipere motum per sensum.*

Motus non potest percipi solo sensu exteriori.

Ex isto sequitur, quod motus non potest percipi solo sensu exteriori sine adjutorio memoriæ. Probatur,quia oportet recordari, quia mobile prius fuit in alio situ. Secundo sequitur virtus distincta scilicet cogitativa, vel imaginativa,quæ distinguit inter situm in quo prius fuit mobile, et inter situm in quo nunc est mobile. Tertio sequitur, quod oportet esse aliquod quiescens, vel aliquod motum diverso motu, ad quod sensus comparet illud, quod judicat moveri : et ideo si totus mundus moveretur motu recto, a nullo posset percipi ille motus, quia nihil esset respectu cujus posset fieri comparatio unius ad alterum, scilicet moti ad quiescens, vel ad aliud alio modo motum.

Motus alii a motu locali quomodo percipiantur a sensu.

5. Tertio notandum de aliis motibus a motu locali qualiter percipiuntur : unde alteratio, quæ est de una qualitate ad aliam alterius speciei percipitur per hoc, quod mobile prius movebat seipsum sub una qualitate,et postea in alio tempore sub alia, inter quæ tempora cadit tempus sensibile medium : et dico hoc pro tanto : quia si tempus medium non est sensibile,non bene percipimus motum,ut patet de illuminatione de qua propter insensibilitatem mensuræ nescimus,an fiat subito,vel successive : sed intensio qualitatis percipitur per hoc, quod mobile prius movetur intensius, et postea remissius, sub eadem qualitate, et remissio per oppositum. Ex quo patet quod in perceptione intensionis potest accidere error : Primo propter meliorem dispositionem organi.Secundo propter meliorationem dispositionis medii. Et Tertio propter meliorem applicationem mobilis, quod videtur : quia in quolibet istorum trium casuum mobile apparebit intendi, nulla tamen ejus qualitate intensa. Istos tamen errores expertus bene potest deprehendere. Item condensatio percipitur per hoc, quod visibile terminat visum, quod primo non terminabat ; et rarefactio per hoc, quod per aliquod visibile tanquam per medium videtur aliud,quod prius non poterat videri, et eodem modo percipitur diaphaneitas.

Motus percipitur a sensu.

6. Nunc ponitur ista conclusio. Motus percipitur a sensu, et non solum a visu, imo cum hoc ab aliis sensibus. Ista conclusio est per se nota, nec indiget probatione : et ideo dicit Aristoteles 1.hujus,quod in naturalibus oportet supponere omnia, aut quædam moveri.Item Commentator in 8. hujus, comm. 22. dicit, quod sermo dicens omnia quiescere est falsus, et repugnat experientiæ. Patet igitur, quod motus percipitur a sensu, et per quod medium, et hoc de primo.

Motus es in triplic differenti

Quantum ad secundum,ut videatur qualiter ad perceptionem motus requiritur memoria: notandum quod motus est in triplici differentia, quidam enim est motus quo in quolibet tempore sensibili pertransitur ad spatium sensibile, ut quando equus currit, et ad perceptionem talis motus non requiritur reservatio memoriæ ; sed sufficit reservatio per phantasiam, aut per sensum exteriorem, si sensus exterior aliquo modo reservat.Alter est motus,quo non in quolibet tempore sensibili pertransitur spatium sensibile, sed in quatuor, vel quinque temporibus sensibilibus pertransitur unum spatium sensibile, et ad perceptionem talis motus requiritur memoria ad reservandum, quod mobile prius fuit in alio situ,sicut patet de motu Solis.Unde aspicientes ad Solem non statim percipiunt, quod movetur, nisi continuent visionem per tempus aliqualiter magnum. Sed alius est motus, quo in multis temporibus sensibilibus non pertransitur spatium sensibile ; imo vix infra spatium unius horæ pertransitur spatium sensibile, sicut est de motu octavæ sphæræ : et ad perceptionem talis motus non sufficit memoria, sed requiritur magna reservatio, et observantia per libras, et sic patet qualiter ad diversitatem motus in velocitate,et tarditate diversimode requiritur virtus cognitiva ad percipiendum motum.

Error mu tiplex con tingit in perceptione motus.

Deinde de erroribus contingentibus notandum, quod multiplex contingit error in perceptione motus. Primo propter nimiam velocitatem, et ideo tractus velocior apparet nobis quiescere. 7.

Secundo propter nimiam distantiam ;

quia licet motus sit sufficienter velox, ut percipiatur, tamen propter nimiam distantiam, aut elongationem non percipitur, ut de motu Solis.

Tertio propter nimiam tarditatem : ut de motu octavæ sphæræ, et de motu augmenti, et decrementi in animalibus, et in plantis, qui propter nimiam tarditatem non percipitur in modico tempore.

Quarto propter parvitatem mobilis, et ideo atomi, qui moventur in aere, non percipiuntur moveri propter parvitatem.

Quinto propter imaginationem, ut equitanti juxta murum prope, apparet murus moveri, eo quod non cogitat de motu proprio.

Sexto propter hoc, quod oculus simul movetur cum illo quod movetur, et ideo existens in navi non percipit navem moveri.

Septimo judicatur aliquid quiescere, quod tamen movetur, eo quod videns, et visum consimili motu moventur : verbi gratia, existenti in navi apparet alia navis mota tanta velocitate quiescere, posito quod non videat aliud quam aliam navem.

Octavo propter indispositionem organi quandoque accidit error in judicando de motu.

Nono propter motum speciei in oculo, et hoc de secundo.

8. Ad rationes. Ad primam dico, quod motus percipitur super partem spatii, super quam mobile est, tamen memoria quod prius fuit alibi, et tamen æstimatione, quod postea erit alibi ; et ideo potest concedi, quod visus non percipit motum, saltem solus, sed mediante visu, memoria, et æstimatione, vel imaginatione percipit motum. Vel sub alio modo loquendi dicitur, quod percipitur supra partem spatii, supra quam mobile est, dimittendo partem spatii, supra quam prius fuerat, et acquirendo partem, super quam postea erit.

Ad secundam, conceditur major, et negatur minor : quia per visum percipimus, quod nunc est in hoc loco, et per memoriam recordamur, quod prius fuit in alio loco.

Ad tertiam dico, quod major debet intelligi, quod omne quod videtur est lux, ut color, aut videtur per lucem, vel colorem.

Ad quartam, quia omnis visio fit in instanti, etc. Negatur consequentia, quia supposito visionem fieri subito, tamen continuatur successive : propter quam continuationem successivam potest percipere motum.

Ad quintam, concedo modo dicto, quod mediante visu habeo certam cognitionem de qualibet parte illius copulativæ, scilicet per visum mediantibus aliis virtutibus interioribus.

Ad sextam, negatur consequentia. Ad probationem dico, quod necessario si movetur, movebitur : et quando dicitur de agente voluntario dico, quod non obstante, quod agens sit voluntarium, necessario si ipsum movetur, movebitur.

QUÆSTIO III

Utrum in alteratione (a) *qualitas acquiratur subito tota simul, vel pars post partem*

Averroes 3. *Phys. com.* 4. Gotfredus *quodl.* 7. *quæst.* 7. Alber. 3. *Phys. tract.* 3. *cap.* 4. *et* 5. D. Thom. 1. 2. *quæst.* 52. *art.* 2. D. Bon. *in* 1. *dist.* 17. *quæst.* 2. Scotus *ibid. quæst.* 3. Gabriel, Capreolus et Gregorius *ibid. quæst.* 2. Occhamus *quæst.* 6. Conimbric. *cap.* 2. *quæst.* 2. *et de generat. cap.* 4. *quæst.* 2. Compluten. *disp.* 16. *quæst.* 2. Ruvius *tract.* 1. *quæst.* 2. Faber *Theorem.* 40.

Arguitur primo, quod tota simul : quia vel proveniret successio propter partes quantitativas subjecti, vel propter partes formæ graduales : non primo modo, quia alteratio luminis fit subito, ut patet 2. *de Anima*, text. 70. Item contingit aliquod totum simul alterari, et non dimidium prius, ut tota aqua congelatur, ut patet lib. de Sensu, et sensato. Nec secundo modo : quia cum illæ partes sint ejusdem rationis, qua ratione una produceretur, eadem ratione alia : ideo vel omnes simul producerentur, et habetur propositum ; vel nulla produceretur, quod est contra experientiam. 1.

Secundo ; quia vel illæ partes formæ essent ejusdem rationis, vel diversarum rationum, quia solius substantiæ compositæ est proprium habere partes diversarum rationum. Nec ejusdem rationis, quia omnis multitudo est rerum differentiarum secundum speciem, vel secundum quantitatem, ut dicit Commentator primo hujus, comm.13. modo illæ partes formæ non differunt secundum quantitatem, quod patet ex duobus : Primo, quia plures gradus formæ sunt simul in eadem. Secundo, quia multæ sunt qualitates in subjectis indivisibilibus, ut patet de actibus animæ, qui sunt in intellectu.

2. Tertio sequeretur, quod quodlibet alterans aliquod passum, esset infinitæ virtutis intensivæ ; consequens est falsum, 3. hujus, text. 37. Consequentia tenet, quia omnis effectus, scilicet qualitas producta, esset infinite intensa ; quia in qualibet parte temporis, secundum quod est successio in alteratione, producitur aliquis gradus qualitatis ; et cum sint infinitæ partes temporis, sequitur, quod in fine horæ essent infinitæ qualitates productæ, et per consequens illa qualitas esset infinita, præcipue cum in parte posteriori temporis plus acquiritur de qualitate : verbi gratia, de caliditate, quam in priori, cum in parte posteriori minor sit resistentia in passo.

Quarto, forma gradualis, ut caliditas, non deperditur successive : igitur non acquiritur successive. Tenet consequentia, quia idem est modus acquisitionis, et deperditionis. Probatur antecedens, quia ex quo quilibet gradus caliditatis est æque præsens et æque approximatus corrumpenti, qua ratione corrumperetur unus gradus, eadem ratione alter : igitur vel nullus corrumpetur, vel omnes simul, et habetur propositum.

Quinto sequeretur, quod alteratio non esset unus motus, consequens est falsum, ut patet 5. hujus. Probatur consequentia, quia ad unitatem motus requiritur unitas termini *ad quem*, ut patet ibidem ; modo in alteratione non est unus terminus, imo continue alter, et alter, scilicet alia, et alia pars formæ : igitur continue est alia, et alia operatio, et per consequens alteratio non est unus motus.

Sexto. Nullum indivisibile acquiritur successive ; sed omnis forma est indivisibilis, ut patet per definitionem formæ, scilicet, quod *forma est compositioni contingens simplici, et invariabili essentia consistens*, ut patet in lib. 6. Principiorum. 3

Septimo, de qualitatibus non habentibus contrarium. Unde non apparet, unde in generationibus hujusmodi qualitatum proveniat successio.

Oppositum arguitur per Commentatorem 3. hujus, comm. 4. et 3. Physic. 4. et 5. 48. ubi ponit, quod motus est acquisitio partis post partem ejus perfectionis ad quem mobile tendit, donec perficiatur; et sic in actu, quam definitionem intelligit de motu alterationis acquisitivo.

Secundo, nisi fieret successio in alteratione secundum partes formæ, sequeretur, quod alteratio non esset verus motus, quod est falsum ; ut patet. Et patet hujus consequentia, quia de ratione veri motus est, quod fiat successive de affirmato in affirmatum in subjecto in actu.

Tertio, sicut est in motu locali, et augmentationis, ita videtur esse in motu alterationis : sed tam motus localis, quam augmentationis fiunt successive ; ergo, etc. 4.

Quarto aliter sequeretur, quod agens in alteratione esset infinitæ virtutis, quia ageret in infinitum modica mensura ; modo agens in mensura divisibili, est aliquantæ virtutis, et agens, in minori mensura, est majoris virtutis : igitur quæ est proportio mensuræ ad mensuram, est proportio agentis ad agens.

Notandum, quod quædam sunt qualitates habentes contrarium, ut caliditas, frigiditas, et consimiles : aliæ sunt quæ non habent contrarium, ut lumen, species coloris, et aliqui actus animæ.

In alter[a]tione ex tribus pr[o]venire p[o]test succe[s]sio.

Secundo notandum, quod in alteratione tripliciter potest provenire successio ; uno modo quantum ad partes quantitativas sub-

jecti; ut ignis successive calefacit lignum, primo partem propinquiorem; secundo remotiorem. Secundo provenit successio ex parte graduum formæ; ut ignis calefaciens lignum, primo introducit caliditatem remissam; postea intensam, et hoc in eamdem partem ligni. Tertio provenit successio utroque modo : ut quando agens non est sufficienter approximatum ad omnes partes passi : tunc primo calefacit partem propinquam, deinde remotam. Idem partem propinquam primo alterat remissius, postea intensius.

5. Tertio notandum, quod aliqui posuerunt, quod gradus formæ distinguitur a forma, ita ut gradus caliditatis non est caliditas. Tunc dixerunt, quod forma, verbi gratia, caliditas, acquiritur subito tota simul, quantum ad suam essentiam. Quod probant per aliquas rationes ante oppositum : sed tamen forma acquiritur successive, quantum ad gradus formæ. Sed istud non valet : quia gradus caliditatis non est aliud, quam pars integralis caliditatis, et ideo quilibet gradus caliditatis est caliditas. Item ille gradus, qui ponitur acquiri successive, est quædam forma; igitur de illo gradu adhuc staret dubitatio, utrum quantum ad suam essentiam acquireretur subito, vel successive, et tunc vel procederetur in infinitum, vel aliqua forma quantum ad suam essentiam acquireretur successive, quod est propositum.

olum potest intelli- i dividi upliciter.

Quarto notandum, quod quando Aristoteles dicit quod contingit aliquod totum simul alterari, quod totum potest imaginari dividi dupliciter : uno modo in partes, quarum quælibet non est æque præsens alteranti; sed una propinquior, et alia remotior; et sic non contingit totum alterari simul quoad tales partes, imo de necessitate successive. Alio modo quoad partes quarum neutra est remotior, vel propinquior ab agente; verbi gratia, si imaginetur dividi secundum superficiem alteranti applicatam; et sic contingit aliquod totum simul alterari.

6. Nunc ponuntur conclusiones. Prima conclusio : In alteratione ad qualitatem, quæ non habet contrarium, est successio secundum partes quantitativas subjecti. Probatur quia omnis talis alteratio, aut fit per novam generationem agentis, vel passi, aut utriusque, vel per applicationem alterius eorum, aut utriusque, vel per remotionem obstaculi; sed necesse est quolibet istorum modorum fieri successive; ergo, etc. Et ista conclusio potest similiter poni de qualitatibus habentibus contrarium : sed pono eam de non habentibus, quia de eis minus videtur, quod in illis fiat successio. Sed objicitur de lumine, posito quod sit unum luminosum quadratæ figuræ, cui sit obstaculum corpus opacum quadratum majus, et moveatur luminosum versus extremum opaci : tunc capio primum instans, in quo superficies luminosi, et superficies opaci sunt æqualiter conjunctæ. Tunc arguitur immediate post hoc; aliqua pars luminosi est præsens toti superficiei corporis opaci; igitur tota illa superficies est subito illuminata. Respondetur negando consequentiam; quia ante quamcumque partem luminosi præsentem illi superficiei, prius erat una pars minor præsens, quæ ad minorem distantiam sufficiebat illuminare, et ante illam adhuc una minor, et sic in infinitum; igitur ante quamcumque partem illius superficiei illuminatam, prius erat alia pars illuminata.

In alteratione ad qualitatem non habentem contrarium est successio secundum partes quantitativas subjecti.

Secundo dubitatur, utrum possibile esset, quod fieret alteratio sine tali successione. Respondetur quod non naturaliter, tamen conditionaliter, si aliquod luminosum esset subito præsentatum medio sufficienter disposito ad susceptionem sui luminis, subito illuminaret illud medium. Et illud idem potest probabiliter sustineri de igne; quod si ignis esset subito approximatus alicui passo, in quod sufficeret agere, in primo instanti ageret ad tantam distantiam, ad quantam unquam postea, licet non æque intense, supposito, quod agens intendatur, aut passum melius disponatur, nec quod aliunde fiat agenti auxilium. Et si contrarium appareat, vel oppositum, hoc 7.

est eo, quod actio agentis est remissior in remoto, quam in propinquo,

In alteratione ad qualitatem non habentem contrarium non est successio secundum gradus formæ.

Secunda conclusio. In alteratione ad qualitatem non habentem contrarium, non est successio secundum gradus formæ. Probatur per experientiam, supposito quod aliquod susceptivum luminis, utputa crystallum, apponatur radiis Solis, videmus, quod in principio applicationis efficitur ita luminosum, sicut unquam postea. Et debet conclusio intelligi de agente, et passo eodem modo se habentibus, ita ut non fiat melior applicatio, nec unum in virtute augeatur, nec aliud in dispositione melioretur.

Secundo, quia si agens non producat in principio tantum, quantum potest, qua ratione est per unum tempus, eadem ratione per infinitum tempus, cum non habet resistentiam, nec impedimentum.

8. *In alteratione ad qualitatem habentem contrarium, est successio secundum gradus formæ.*

Tertia conclusio. In alteratione ad qualitatem habentem contrarium, est successio secundum gradus formæ. Probatur per experientiam. Unde aqua approximata igni calefit remissive ; deinde ejus caliditas continue intenditur : nec valet dicere, quod prius per magnum tempus abjiciatur contrarium, et postea subito inducitur calidias, ad quam est alteratio, quia in nobis experimur oppositum. Nam primo sumus calidi, postea non solum per abjectionem pristinæ caliditatis, per novæ frigiditatis inductionem, verum etiam frigescimus et gradatim frigus intenditur. Patet igitur, quod in alteratione est successio secundum gradus formæ.

9. Ad rationes. Ad primam dico, quod neutro modo : quia in habentibus contrarium est successio secundum gradus formæ, et etiam secundum partes quantitativas subjecti : sed in non habentibus contrarium, non est successio nisi secundum partes quantitativas subjecti. Ad probationem de aqua dictum est in quarto notabili. De lumine Aristoteles intelligit quod si luminosum esset subito præsentatum medio, subito causaret lumen. Ad probationem de gradibus formæ dicitur uno modo, quod agens naturale magis determinat ad productionem unius gradus, quam ad productionem alterius. Aliter dicitur, quod licet sit ex intentione agentis producere caliditatem, tamen connaturale est, quod unus gradus primo producatur, quam alter.

Ad secundam dico, quod illæ partes sunt ejusdem rationis. Ad probationem dico, quod licet non differant quantitate extensionis, tamen bene differunt quantitate intensionis.

Ad tertiam, negatur consequentia, quia aliqua qualitas, vel pars qualitatis producetur subito.

Ad quartam, negatur antecedens. Ad probationem dico, quod licet illæ partes sint simul, tamen est (b) ibi ordo ; ita ut ille gradus primo generatus ultimo corrumpitur. Et de causa imaginantur aliqui, quod gradus primo introductus majorem habet fixionem in materia, et hoc propter majorem appetitum materiæ, quando materia omnino caruit, quam quando habuit partem formæ. Tamen dicitur aliter, quod determinatio ad corruptionem unius gradus prius quam ad corruptionem alterius, est ab agente universali.

Ad quintam, negatur consequentia : quia licet continue acquiratur alia, et alia caliditas, tamen quia ex omnibus illis fit (c) una caliditas, sicut ex partibus totum, propter hoc motus est unus, et ad unum terminum.

Ad sextam, conceditur major, si sit simpliciter indivisibile, tam intensive, quam extensive ; et negatur minor. Ad probationem : Auctor intelligit, quod forma (d) est simplex, et indivisibilis per privationem compositionis ex partibus diversarum rationum. Ad aliam dictum est.

ANNOTATIONES

(a) *Utrum in alteratione qualitas acquiratur subito, etc.* Nota, quod quæstio est, an alteratio sit motus continuus, quæ potest habere triplicem sensum. Primus sensus est, utrum alteratio sit motus continuus, et perpetuus, ut motus cœlorum ; et de hoc non est quæstio. Secundus sensus est, utrum alteratio sit continua, id est, absque 7.

ulla interpolatione in toto tempore,quo mobile alteratur, neque etiam de hoc quæritur : nam certum est, quod propter aliquod impedimentum mobile non sic semper alteratur. Tertius sensus est, utrum alteratio sit continue successiva, saltem pro illo tempore quo durat ; ita ut mobile successive, id est, per partem post partem acquirat formam,ad quam movetur : et in hoc sensu excitatur quæstio,et habet difficultatem.

Secundo, nota quod Gotfredus. quodl. 7. quæst. 7. tenet in augmentatione formæ non dari gradus, sed forma tota simul acquiritur, cujus oppositum sensit Scotus hîc, et in 1. dist. 17. Pro cujus intelligentia observa, quod gradus est portio perfectionabilis formæ specificæ extra conceptum quidditativum ejus, ipsam formam specificam intra suum conceptum quidditativum includens, et inclusus realiter intra conceptum individui. Nam forma specifica bifariam considerari potest : uno modo essentialiter, et quidditative tantum. Altero modo materialiter, id est, secundum esse, quod habet in suis inferioribus, seu individuis. Priori modo forma specifica consistit in indivisibili, at posteriori modo, scilicet materialiter habet latitudinem graduum. Dicitur autem quod gradus includit formam specificam in suo conceptu quidditativo, quia caliditas decem graduum est caliditas formaliter,et quidditative,quia quælibet talis cujuscumque gradus includit formaliter, et quidditative caliditatem, licet caliditas non includat quidditative decem gradus. Dicitur item, quod ipsa realiter includitur in conceptu individui, sumendo individuum per accidens,id est, pro aggregato ex natura, differentia individuali,et gradu : quia caliditas decem graduum est realiter albedo.

Forma specifica bifariam considerari potest.

11. (b) *Tamen est ibi ordo.* Nota quod inter istos gradus nullus est ordo essentialis, sed tantum accidentalis, sicut et inter partes lineæ. Unde sicut prima pars lineæ posset esse ultima, ita primus gradus posset esse medius, et ultimus : quare inter istos gradus simpliciter non est ordo, sed solum habent ordinem quatenus induunt modum numeri ; qui tamen modus non est ibi ex natura rei, sed ad placitum ; signare enim hujusmodi gradus est ad placitum.

Inter gradus formæ non est ordo essentialis.

(c) *Ex omnibus illis fit una caliditas.* Nota, quod in forma habente plures gradus duplex est unitas : prima est unitas indivisionis. Secunda est unitas compositionis : nam omnis forma componitur ex suis gradibus, licet non sit talis compositio,qualis est inter ens in actu, et ens in potentia : est ibi etiam unitas continuationis non extensive, sed intensive. Et si dicatur : ergo aliqua forma erit divisibilis seclusa quantitate ; dicas, quod est divisibilis seclusa quantitate intensive, non extensive.

Formæ habentis plures gradus est duplex unitas.

(d) *Forma est simplex, et indivisibilis, etc.* Nota quod compositio est multiplex : quædam ex partibus essentialibus, puta ex materia, et forma ; quædam ex partibus quantitativis, vel integralibus, quædam ex subjecto, et accidente, quædam ex gradibus ejusdem formæ. Exemplum primæ, ut homo, ignis. Exemplum secundæ, linea,corpus. Exemplum tertiæ, lignum album.Exemplum quartæ,albedo intensa : et quia quot modis dicitur unum oppositorum, tot et reliquum ex 1. Topicorum.Ideo simplex potest accipi quadrupliciter per oppositum ad prædictos modos. Est ergo forma simplex simplicitate opposita compositioni essentiali, quia non componitur ex materia et forma. Item est simplex simplicitate opposita compositioni quantitativæ ; si sit sermo de forma, quæ est de genere Qualitatis ; secus est de Quantitate.

Compositio est multiplex.

Simplex est quadruplex.

Est etiam omnis forma simplex simplicitate opposita compositioni ex subjecto,et accidente. Non est tamen omnis forma simplex simplicitate opposita compositioni ex gradibus : quia multæ formæ intenduntur, et remittuntur, quod fit secundum gradum ejusdem formæ. Intentio ergo Auctoris est formam esse simplicem simplicitate tantum opposita compositioni essentiali, et ex subjecto, et accidente. In aliqua enim forma sunt partes quantitativæ, in aliqua etiam forma sunt diversi gradus perfectionis, et virtutis, quæ compositio non repugnat simplicitati in essentia formæ. 12.

QUÆSTIO IV

Utrum in intensione formæ pars prius acquisita maneat cum parte secundo acquisita

Vide Doctores citatos *in quæst. antecedenti.* Anton. Andr. 8. *Metaph. quæst.* 6. Tolet. 1. *de generat. cap.* 3. *quæst.* 4. Fonseca 5. *Metaph. cap.* 10. *q.* 1. Suarez *tom.* 2. *disp.* 46. *sect.* 1. *et* 3. Ruvius 1. *de generat. cap.* 4. *tract.* 3. *quæst.* 5. Lorca 2. 2. *quæst.* 24. *art.* 5. Vasquez 1. 2. *disp.* 82. *cap.* 3. *et* 4. Granado *ibid. controv.* 4. *disp.* 19. *num.* 1. Cajetan. 3. *par. quæst.* 7. *art.* 12. *et* 2. 2. *quæst.* 24. *art.* 4. *ad* 3. *et* 1. 2. *quæst.* 52. *artic.* 2.

Arguitur quod non : primo quia si illæ partes manerent simul, hoc esset pro tanto, quod per hujusmodi additionem gradus ad gradum fieret intensio formæ ; modo consequens est falsum, quia velocitas descensus gravis continue intenditur, et tamen nulla pars velocitatis prius acquisita manet cum aliqua parte, quæ secundo acquiritur. 1.

Secundo, quia per appropinquationem Solis ad meridianum radius lucis intrans

domum per fenestram continue intenditur, ut patet ad experientiam, et tamen nullus gradus lucis prius acquisitus manet cum aliquo gradu, qui secundo acquiritur præcise, posito quod totus aer existens in domo continue ingrediatur ab una parte, et expellatur per ventum ab alia parte : tunc si aliquod lumen prius acquisitum maneret cum aliquo, quod secundo acquiritur, jam illud lumen, vel cucurrisset cum aere extra dominium Solis, quod est impossibile ; vel dimitteret aerem, in quo prius fuit, ingrediendo alium aerem, quod non potest fieri ; quia accidens non potest migrare de subjecto in subjectum.

2. Tertio, quia si qualitas intenditur per additionem gradus ad gradum, utroque remanente simul, tunc vel pars prius acquisita intenderetur, vel pars qualitatis superveniens, aut aggregatum ex illo quod præerat, et ex superaddito : non qualitas præexistens, quia illa nunquam est major, quam sit de facto, verbi gratia, linea pedalis non efficitur major per additionem alterius lineæ pedalis, quia adhuc remanet pedalis sicut ante ; ita similiter qualitas præexistens, si prius fuerat trium graduum, semper erit trium graduum ; et tamen illud quod intenditur, debet esse primo minus, et postea majus. Nec pars sequens, nec etiam aggregatum, quia quod intenditur prius erat remissius, et tamen nec aggregatum, nec pars sequens erat remissius, quia neutrum prius erat.

Quarto, sequeretur quod quodlibet intense calidum esset intense calidum, et etiam remisse calidum : consequens est impossibile, quia idem non est simul intensum, et remissum in eadem qualitate. Consequentia tenet, quia per te, habens caliditatem intensam, habet etiam medietatem illius, dividendo non per extensionem, sed per intensionem, quarum quælibet sufficit denominare subjectum : igitur ab una denominabitur intense calidum, et ab alia remisse calidum, et ab alia remisse calidum, et habetur propositum.

3. Quinto, sequeretur quod quælibet caliditas, quantumcumque remissa, posset producere caliditatem infinitam intensive, vel saltem caliditatem summam : consequens est falsum propter duo : primo, quia nihil agit ultra gradum proprium. Secundo, quia agens naturale finaliter agit ad assimilandum sibi passum ; et per consequens cum passum fuerit sibi assimilatum, cessabit agere. Probatur consequentia, quia caliditas quantumcumque remissa, sufficit aliquem gradum frigiditatis expellere, et aliquem caliditatis inducere, igitur cum aliter gradus caliditatis sibi æqualis sit ejusdem rationis cum illo, qua ratione potuit primum producere, eadem ratione secundum. Et sicut arguitur de secundo, ita de tertio, et quarto, et sic in infinitum ; igitur cum caliditas infinita, si esset, resultaret ex hujusmodi infinitis gradibus, sequitur quod illa caliditas remissa potest producere caliditatem simpliciter infinitam.

Sexto, quod lumen productum in medio esset infinitum intensive. Probatur consequentia supponendo duo : primo, quod generatio luminis sit instantanea, sicut patet 2. *de Anima* 2. *text.* 70. quod per approximationem luminosi ad medium susceptivum luminis intendatur lumen, ut patet ad experientiam. Tunc arguitur sic ; in primo instanti, quo luminosum est approximatum susceptivo luminis sufficienter disposito, luminosum producit lumen certæ intensionis, et in quolibet instanti temporis sequentis, est æque potens, vel potentius, quia magis approximatum ad producendum lumen, quam in primo : igitur cum in illo tempore sint partes, vel instantia infinita, sequitur quod in illo tempore producit lumina infinita, quorum quodlibet est æque intensum, vel intensius lumine prius dato. Tunc igitur vel lumen primo acquisitum manet cum illo quod secundo acquiritur, vel non ; si hic, habetur consequens : scilicet, quod lumen illud productum est infinitum intensive : quia ex infinitis æqualibus resultat infinitum. Si non, tunc sequitur, quod intensio qualitatis non fiat per additionem gradus ad gradum utro- 4.

que manente simul, et habetur propositum.

Septimo sequeretur, quod aliqua qualitas, ut albedo, esset in infinitum perfecta; consequens est falsum; et probatur consequentia supponendo, quod quælibet albedo sit perfectior nigredine. Quod patet, quia impossibile est duas species esse æque perfectas essentialiter; ideo de necessitate una excedit aliam, vel exceditur ab alia: modo albedo excedit nigredinem, quia habet se per modum habitus, et nigredo per modum privationis, ut patet lib. de Sensu, et Sensato, et 2. *Meteororum*. Tunc arguitur, albedo est in duplo perfectior sua medietate, in triplo perfectior sua tertia parte, et sic in infinitum; sed medietas albedinis est perfectior nigredine, et tertia pars albedinis est perfectior nigredine, et sic in infinitum perfectior nigredine et per consequens albedo est in infinitum perfecta.

5. Octavo sequeretur, quod in alteratione de summa frigiditate ad summam caliditatem alterans esset infinitæ virtutis intensivæ. Consequens est falsum: quia nullus ignis est infinitæ virtutis. Probatur consequentia, quia si fiat alteratio in aliquo tempore de summe frigida ad summe calidum, tunc in prima medietate temporis deperdita est medietas resistentiæ, scilicet medietas frigiditatis: igitur in alia parte proportionali ignis alterans habet in duplo majorem proportionem super resistentiam passi, quam habuit in prima: igitur si secunda pars proportionalis esset æqualis primæ, corrumperetur duplum de resistentia in secunda ad hoc, quod corrumpebat de prima, et cum hoc duplum de caliditate induceretur; igitur cum de facto secunda pars proportionalis horæ sit præcise subdupla ad primam, præcise tantum producit in secunda sicut in prima; et ita argueretur, quod in tertia tantum corrumpet de contrario, quantum in secunda, et tantum induceret de caliditate, quantum in secunda, et sic in infinitum, igitur cum illius horæ sint infinitæ partes proportionales, in quarum qualibet tantum inducitur de caliditate, quantum in prima parte horæ inducebatur; sequitur quod in fine erit caliditas infinita, et per consequens agens in illa alteratione causaret infinitum, quod erat consequens.

Nono. Quia in remissione qualitatis non corrumpitur unus gradus aliis manentibus; igitur in intensione qualitatis cum gradu secundo acquisito non manet gradus primo acquisitus. Tenet consequentia, quia idem est modus intensionis, et remissionis. Probatur antecedens, quia in remissione qualitatis omnes partes secundum intensionem sunt æqualiter approximatæ agenti: igitur qua ratione agens corrumpit unum illorum graduum, eadem ratione alium, et per consequens vel simul corrumpit omnes, vel nullum.

Decimo. Termini motus alterationis non possunt stare simul: igitur conclusio falsa. 6.
Tenet consequentia, et antecedens probatur, quia impossibile est, quod idem sit simul summe calidum, et summe frigidum.

Undecimo. Quia sicut est de motu locali, ita videtur de motu alterationis; sed in motu locali pars primo acquisita non manet cum parte secundo acquisita: quia impossibile est, quod mobile simul sit in duobus locis: ergo, etc.

Duodecimo. Quia vel illi gradus manerent distincti, vel indistincti: non indistincti, quia illa sunt distincta, quæ sunt simul, et unum prius fuit, quam reliquum, et quorum unum corrumpitur prius quam reliquum corrumpatur. Nec distincti, quia vel specie, vel numero; non specie, quia in calefactione gradus primo acquisitus est caliditas, et etiam gradus secundo acquisitus est caliditas: modo omnis caliditas omni caliditati est ejusdem speciei specialissimæ; non numero propter duas auctoritates 5. *Metaph. text.* 25. Una est, quod illa sunt unum numero, quorum materia est una; modo illorum graduum materia est una. Secunda auctoritas: Quæcumque in eodem subjecto differentiam habent, differunt secundum speciem: modo illi gradus

sunt in eodem subjecto, et per se habent differentiam; igitur differunt secundum speciem.

Oppositum arguitur per experientiam; quia videmus quod ex aggregatione luminis ad lumen, lumen redditur intensius, ut si duæ candelæ ponantur simul. Secundo, nisi intensione qualitatis primus gradus maneret cum secundo, sequeretur quod qualitas symbola non remaneret eadem in generato, et corrupto; consequens est falsum, ut patet *secundo de Generatione, text.* 25. Probatur consequentia, quia si aer debet fieri ignis, tunc caliditas aeris continue intenditur, et tunc in illa intensione, vel gradus præcedens manet cum sequenti, et habeo propositum: vel corrumpitur in adventu sequentis, et habetur consequens.

Notandum, quod de ista quæstione sunt quatuor viæ respondendi. Prima via est, quod intensio (a) qualitatis fit solum per deputationem a contrario; verbi gratia, si ignis agat in aquam, caliditas in aqua non intenditur per additionem caliditatis ad caliditatem, sed per corruptionem frigiditatis apparet caliditas intensior, quam prius fuit. Et sic dicentes ponunt, quod quilibet gradus alicujus qualitatis est summus; sed tamen apparet remissus propter commixtionem contrarii. Et probatur unica ratione: quia si in aliquo subjecto sit tantum præcise de caliditate, quantum de frigiditate, illud non diceretur calidum, neque frigidum; sed si remitteretur unus gradus frigiditatis, supposito quod nulla caliditas introducatur, illud subjectum esset calidum; igitur caliditas intenditur ibi non per additionem alicujus gradus caliditatis, sed per remotionem frigiditatis. Secundo per Aristotelem, qui ponit quod albius est, quod est nigro impermixtius. Tertio, *Topicorum tertio, cap.* 4. quia remissio unius contrarii fit per alterius intensionem.

Opinio quadruplex de intentione formarum

8. Secunda via est, quod intensio qualitatis fit per additionem majoris gradus, (b) et tamen in adventu illius majoris tota præcedens corrumpitur, et pro ista via sunt omnes rationes ante oppositum.

Tertia via est, quod intensio fit (c) per additionem gradus ad gradum utroque gradu remanente simul, et ista probabitur per conclusiones.

Quarta via est (quæ non differt a præcedenti, nisi in modo loquendi) quod nulla (d) qualitas intenditur, vel remittitur secundum formam; dicitur tamen intendi, vel remitti secundum qualitatem, et hoc propter unam rationem ante oppositum: quia vel gradus præcedens intenditur, vel sequens, vel aggregatum.

Secundo notandum, quod duplices sunt qualitates; quædam quæ dependent in *fieri*, et in *conservari* ab agentibus, non simpliciter loquendo, sed ab agentibus sic, vel sic se habentibus, ut lumen, et species coloris. Aliæ sunt quæ dependent ab agentibus in *fieri*, et non *conservari*, ut frigiditas, caliditas, et hujusmodi qualitates habentes contrarium. Modo in conclusionibus sequentibus solum intelligam de qualitatibus, quæ non dependent a suis agentibus in *conservari*: ideo de intensione aliarum qualitatum.

Qualitates sunt duplices.

Notandum tertio, quod lumen potest intendi quolibet diversorum modorum. Primo, per augmentationem virtutis agentis medio susceptivo, et agente quiescentibus; et tunc dico, quod intensio luminis fit per additionem gradus ad gradum, utroque manente simul, ut postea probabitur de aliis qualitatibus; ita ut tunc non sit differentia, quoad hoc, inter lumen, et alias qualitates; et sic lumen primo potest intendi isto modo. 9.

Lumen multis modis potest intendi.

Secundo intenditur lumen per approximationem luminosi, medio quiescente.

Tertio per applicationem medii susceptivi agente quiescente.

Quarto per motum utriusque, scilicet tam medii, quam luminosi: et quolibet istorum trium modorum intenditur lumen, nullo gradu lucis prius acquisito manente, cum aliquo qui secundo acquiritur.

Quinto, intenditur lumen per reflexionem, ut quando radius reverberatur a speculo, in aere propinquo speculo est lumen 10.

intensius, quam si non fuisset speculum reflectens.

Sexto, per aggregationem luminosorum ad invicem, ut lumen intensius redditur quando causatur a duobus luminosis, quam si ab altero illorum tantum, cæteris paribus, scilicet quod consideretur æqualis distantia.

Et in istis casibus dico, quod si luminosum, et medium quiescant, lumen redditur intensius per hoc, quod primus gradus manet cum secundo; sed si non quiescant, tunc lumen secundum productum semper est diversum omnino ab illo, quod primo producebatur.

Contra tamen istos duos modos ultimos allegant Perspectivi unam experientiam : quia si a duabus partibus unius foraminis ponantur duæ candelæ, et tunc ultimum foramen a reliqua parte ponatur, reflectens lumen unius candelæ reflectetur ad unam partem, et lumen alterius ad aliam, quod non esset, nisi lumina causata ab istis candelis transissent distincta in foramine medio; et per consequens unum illorum non intendebat reliquum, sed solum erat aggregatio duorum luminum ad invicem.

11. Respondetur, quod ista experientia non probat, quod unum lumen non intendatur per reliquum; sed probat quod lumen non potest multiplicari nisi in directo (e) corporis luminosi.

Nunc ponuntur conclusiones. Prima conclusio. Intensio in qualitatibus primis, et secundis consequentibus primas, non fit præcise per depurationem a contrario. Probatur, quia si sic esset, sequeretur quod summa caliditas, et summa frigiditas possent stare simul. Consequens est falsum : quia ad summam caliditatem consequitur ignis, et ad summam frigiditatem aqua, et sic idem esset ignis, et aqua. Consequentia probatur, et fiat ex summe frigido summe calidum ; tunc in ista calefactione, vel producitur aliqua caliditas de novo, vel nulla ; sic quod solum removetur frigiditas : si aliqua, igitur intensio qualitatis non fit per solam remotionem frigiditatis, sed per additionem caliditatis ad caliditatem. Si nulla caliditas acquiratur, sed solum removeatur frigiditas; tunc cum in fine esset summa caliditas, sequeretur quod illa fuit cum summa frigiditate, quæ erat in principio. Tunc ad rationem, quæ erat contra hoc; si esset aliquod æqualiter habens de caliditate, et frigiditate; dico quod illud nec esset calidum, nec frigidum ; et si per aliquam potentiam removeretur unus gradus frigiditatis, sine hoc quod induceretur aliquis caliditatis, quod forte non est possibile, de quo videbitur in sequenti quæstione; attamen hoc concesso, dico quod caliditas non intenderetur, sed intenderetur denominatio secundum caliditatem.

Secunda conclusio. In intensione qualitatis pars prius acquisita manet cum parte, quæ posterius acquiritur, ita ut in alteratione ad summam caliditatem, summa caliditas, quæ manet in termino motus, est integra ex omnibus caliditatibus particularibus, quæ erant acquisitæ tempore alterationis a principio, usque ad finem. Probatur, quia nisi ita esset, sequeretur quod summa caliditas secundum se, et quamlibet partem sui corrumperetur subito tota simul. Consequens est impossibile pro tanto, quia summa caliditas est aliquantæ virtutis ad resistendum contrario corrumpenti : igitur a nullo finito potest subito corrumpi. Probatur consequentia, et fiat alteratio de summe calido ad summum frigidum. Tunc in principio alterationis est summa caliditas, et immediate post non est summa caliditas. Tunc immediate post, vel aliquid ipsius est, vel non. Si non, habetur consequens ; si sic, igitur in remissione caliditatis, remisso uno gradu, manet adhuc residuum ; et per consequens in intensione, acquisito uno gradu, manet ille, qui præerat. 12.

Secundo, sequeretur quod summa caliditas secundum quam mobile quiescit in termino alterationis, fuisset tota acquisita subito ; consequens est falsum, et consequentia patet de se.

Tertio, quia si gradus primo acquisitus 13.

corrumpitur in adventu secundi ; tunc quæro a quo corrumpitur : non ab alterante, quia alterans produxit primum gradum; igitur potius natum est ipsum conservare. Nec a gradu secundo ; quia gradu primo existente in subjecto, nondum est gradus secundus : quia per te sunt incompossibiles : modo nihil corrumpitur ab eo, quod non est.

Quarto sequeretur, quod summa frigiditas produceret caliditatem valde intensam, consequens est falsum : quia cuilibet caliditati, summa frigiditas est contraria, et per consequens potius est nata ipsam corrumpere, quam producere. Consequentia probatur, posito quod summe frigidum agat in summe calidum, tunc per te, quando remittitur unus gradus caliditatis, tota caliditas corrumpitur, et una alia de novo generatur, remissior tamen prima, tunc illa caliditas de novo generata est adhuc valde intensa, et non generatur ab alio quam a summa frigiditate, ergo, etc.

14. Quinto, sequeretur quod in alteratione ad summam caliditatem, quælibet caliditas sub qua mobile potuit quiescere, et non quiescit, de facto fuisset instantaneæ durationis, quod est falsum ; cum quælibet hujusmodi caliditas sit permanentis naturæ. Patet igitur ex istis rationibus, quod intensio formæ gradualis fit per additionem gradus ad gradum, utroque gradu remanente simul, et per oppositum de remissione, quod remissa una parte caliditatis adhuc posset remanere alia pars.

Ad rationes. Ad primam, concedo quod per hujusmodi additionem gradus ad gradum fit intensio formæ. Ad probationem de intensione velocitatis descensus, dico quod non est simile de motu locali, et de motu alterationis : quia in motu locali est continue alia, et alia velocitas secundum se totam ; sed in motu alterationis non est continue alia, et alia forma, nisi secundum partem.

Ad secundam dictum est.

Ad tertiam. Vel pars, etc. Propter istam rationem dicunt aliqui, quod nulla forma intenditur, nec remittitur, sed subjectum, eo quod subjectum denominatur intensius, vel remissius per formam, seu per qualitatem. Contra istud objicitur : quia si per imaginationem, vel potentiam Dei, esset qualitas aliqua separata, quæ intenderetur, ita ut sibi apponerentur plures gradus, quam prius, non esset dubium, quin illa qualitas esset intensior quam ante, et tamen non subjectum ; ideo dicendum est aliter altero duorum modorum. Uno modo quod forma intenditur, id est, qualitas aggregata ex præexistente, et superveniente est intensior, quam fuerit qualitas præexistens, solum circumscribendo supervenientem. Alio modo dicitur, quod qualitas præcedens intenditur : et quando dicitur, non est post major, quam ante ; nego, imo qualitas, quæ nunc est trium graduum, potest esse, et est septem graduum, sicut puer qui nunc est duorum pedum, potest esse, et erit septem pedum.

Ad quartam, negatur consequentia : quia 15.
subjectum debet denominari a tota qualitate, quam habet, et non solum a parte ipsius. Item alia causa negandi consequentiam est ista : quia ista dictio *remisse* significat qualitatem parvam, connotando carentiam qualitatis intensioris. Et ideo licet ista concedatur, *intense calidum est modice calidum*, tamen ista esset neganda, *intense calidum est remisse calidum*, propter connotationem hujus termini *remisse*.

Ad quintam, negatur consequentia : quia cum caliditas (r) remissa produxit gradum sibi æqualem, amplius non producit aliquid : quia passum est sibi assimilatum, et quando dicitur, alter gradus est ejusdem rationis, concedo ; igitur qua ratione potuit primum producere, eadem ratione secundum : negatur consequentia ; quia in producendo primum, jam produxit, quod potuit. Ideo passo sic disposito, impossibile est, quod plus producat.

Ad sextam, negatur consequentia. Ad probationem dico, quod quando luminosum approximatur, tunc continue est lumen intensius (cæteris se habentibus eo-

dem modo ;) sed nunquam lumen primo acquisitum manet cum illo, quod secundo acquiritur ; sed si luminosum quiesceret in primo instanti, produceret tantum quantum potest producere, ut patuit in alia responsione ; et ideo si staret in æternum (cæteris eodem modo se habentibus) nunquam plus produceret.

16. Ad septimam, negatur consequentia. Ad probationem dico, quod ista consequentia non valet (g), *albedo est in infinitum perfectior nigredine : igitur albedo est in infinitum perfecta ;* quia in illis in quibus fit comparatio, non est certa proportio dabilis secundum quam fit comparatio ; et ideo non oportet ut de quo dicitur comparativum cum hujusmodi syncategoremate addito, quod de eodem dicatur positivum cum eodem syncategoremate addito. Item multi negant, quod albedo sit perfectior essentialiter sua medietate.

Ad octavam, negatur consequentia. Ad probationem dico, quod quando medietas resistentiæ est corrupta in prima medietate horæ, tunc in secunda medietate est in duplo major proportio. Ita etiam est duplo minor contrarietas ; et ideo quia agens agit propter contrarietatem, quam habet passum, tantum præcise producit in secunda medietate, quantum in prima.

Ad nonam de remissione, negatur antecedens. Ad probationem dico, quod licet illi gradus sint æque propinqui corrumpenti, tamen determinatur ad corruptionem unius potius, quam ad corruptionem alterius ab agente universali. Nec valet dicere, quod hoc est, pro tanto, quia gradus prius acquisiti fortius adhærent materiæ, eo quod materia magis appetebat, quando omnino caruit. Quia lumen quantum ad intensionem producitur totum simul in medio, et tamen si medium incipiat condensari, tunc primo remittetur unus gradus luminis, quam alter, et tamen unus illorum non fortius adhæret materiæ, quam alter.

17. Ad decimam, dico quod hoc est verum de terminis, qui (h) sunt qualitates contrariæ in summo ; sicut summa caliditas, et summa frigiditas, inter quas fit alteratio, sunt incompossibiles ad invicem.

De motu locali (i) non est simile. Vel dicitur, quod termini motus localis sunt simul, quia illa duo loca sunt simul, licet mobile non sit simul in utroque illorum.

Ad ultimam, dico quod manent distincti numero solum. Et ad illas auctoritates dico, quod debent exponi de terminis. Unde illa sunt idem numero, quorum subjectum est idem, id est, illi termini dicuntur unum numero, quorum subjectum, id est, quorum res significata est eadem. Et quando dicitur in alia auctoritate, quod quæcumque in eodem subjecto existentia differentiam habent, differunt secundum speciem, id est, quicumque termini supponunt pro eadem re, et habent differentiam, id est, quod diversimode connotent, vel quod unus sit connotativus, et alter quidditativus, tunc illi termini sunt diversæ species, vel de diversis Prædicamentis.

ANNOTATIONES

(a) *Prima via est, quod intensio qualitatis, etc.* Nota quod hæc sententia fundatur auc- 18.
toritatibus Aristotelis, et Commentatoris. Auctoritas Aristotelis habetur 3. Topicorum, cap. 4. quam hîc adducit Scotus, sed eam non explicat. Secunda est Commentatoris 5. Physic. com. 19. ubi habet hæc verba : Album non fit minus album, nisi ex mixtione contrarii : et in alio Commentario ejusdem libri com. 52. dicit, quod diminutum in omni genere est diminutum per mixtionem contrarii. Tertia est ejusdem Commentatoris, secundo de Generatione, com. 49. ubi volens probare quatuor elementa esse in mixto, dicit quod si calidum non esset in composito, non esset in eo frigidum nisi in fine, id est, in summo. Ex quo videtur secundum ipsum, quod purum frigidum est frigidum in summo, et pura frigiditas est summa frigiditas ; et per consequens frigiditas non summa, sed remissa est frigiditas admixta caliditati. Ad primas duas auctoritates dicas, quod per mixtionem contrarii potest intelligi vel compositio cum contrario, vel approximatio ad contrarium. Primo modo non sunt intelligendi Philosophus et Commentator, et et maxime in gradibus intensis ; sed se-

cundo modo : et sensus primæ auctoritatis est, quod quæ contrariis sunt impermixtiora, id est, minus proxima et magis accedentia ad contraria, sed talis accessus non fit nisi per additionem gradus formæ ad gradum. Ad illam Commentatoris 2. *de Generatione* dicas, quod Commentator loquitur ibi de compositis genitis ex mixtione elementorum, et postquam probavit illa esse mixta ex terra. et aqua, infert quod reliqua duo elementa, scilicet aer, et ignis etiam concurrunt ad mixtionem ; alioquin tale compositum esset frigidum in summo.

(b) *Secunda via est, quod intensio fit per additionem majoris gradus, etc.* Nota, quod est opinio Gotfredi de fontibus, quodl. 7. quæst. 7. quam refert Scotus in 1. d. 17 ; hic Doctor credidit, in augmento formæ totum præexistens corrumpi, et similiter in decremento : verbi gratia, esto quod albedo sit intensa, ut quatuor, et quod intendatur ut sex ; dicit Gotfredus, quod quando intenditur ut sex, corrumpitur tota illa ut quatuor, et de novo generatur ut sex ; similiter in decremento, quando albedo ut sex fit remissa ut quatuor, tota illa ut sex corrumpitur, et producitur nova ut quatuor.

19. *Gradus formæ quomodo sint intra vel extra essentiam formæ, et an sint finiti, vel infiniti.*

(c) *Tertia via est, quod intensio fit per additionem gradus ad gradum, etc.* Nota, quod licet hujusmodi gradus sint extra essentiam formæ, tamen non faciunt unum aggregatum cum forma, quia non sunt alterius generis; et licet quilibet gradus signatus accidat formæ tam specificæ, quam numerali, vage tamen accepti sunt de essentia formæ individualis, etsi non specificæ : quia forma specifica non potest esse quoad esse materiale, et subjectivum sine individuis, et per consequens forma specifica non potest separari a quocumque gradu, nec etiam individualis. Et si quæras, an hujusmodi gradus in forma sint finiti, vel infiniti, dico, quod sicut in continuo, quædam sunt partes ejusdem proportionis, potentiales, et infinitæ, et quædam actuales ejusdem quantitatis, et finitæ ; ita dicendum est de gradibus in forma, scilicet quod in ea sunt quidam gradus potentiales, et illi sunt infiniti : et secundum istos una forma non est intensior alia, quoniam in qualibet forma sunt infiniti ; alii vero sunt gradus actuales, et sicut in continuo partes actuales sunt finitæ, et secundum illas unum continuum est majus alio ; ita similiter isti gradus actuales in forma sunt finiti, et secundum istos una forma est intensior alia.

20. Et si quæras qua possibilitate isti gradus sunt potentiales, et illi actuales, cum quælibet pars in suo toto sit potentialis, et impræcisa, et indivisa a suo toto, dico, quod sicut in continuo partes ejusdem proportionis dicuntur potentiales, quia continentur in partibus actualibus ejusdem quantitatis : et dicuntur etiam potentiales, quia secundum illas non crescit, nec minoratur continuum. Partes vero ejusdem quantitatis dicuntur actuales, quia secundum ipsas crescit, et minoratur continuum, et distinguunt continua secundum excessum. Et quia distinctio est per ens in actu, et esse causam majoritatis, et minoritatis, videtur quædam actualitas : ideo tales partes ejusdem quantitatis dicuntur actuales. Ita in proposito de gradibus formæ isti dicuntur actuales, quia forte continuant gradus potentiales, et secundum istos una forma est intensior alia : et quia ista omnia videntur notare quamdam actualitatem, ideo dicuntur isti actuales, et illi potentiales. Nota demum, quod gradus actuales sunt divisibiles, non quidem in actuales, sed in potentiales ; potentiales vero sunt omnino indivisibiles. Vel dicas, quod gradus isti sunt indivisibiles secundum perfectionem, ita ut quilibet gradus actualis sit una simplex perfectio indivisibilis ; sunt tamen divisibiles secundum extensionem.

(d) *Quarta via est, quod nulla qualitas intenditur secundum formam, etc.* Nota, quod Scotus tangit hic unum modum dicendi, quem ipsemet docet in Prædicamentis cap. de Qualitate, juxta secundam proprietatem qualitatis, quæ est suscipere magis, et minus, ubi dicit, quod essentia qualitatis, quæ significatur in abstracto, non suscipit magis, et minus, quia justitia non dicitur magis justitia, nec Grammatica magis Grammatica ; et hoc quia essentia qualitatis, sicut cujuslibet formæ est indivisibilis per Auctorem sex Principiorum; et indivisibile non suscipit magis, et minus, sed denominative dicta a quibusdam qualitatibus suis suscipiunt magis, et minus. Unde alius dicitur justior, et alius Grammaticior alio, et ita ipsa forma in informando subjectum suscipit magis, et minus, quia unum subjectum plus participat formam quam aliud, licet non in essentia. Unde nota, quod essentia speciei in se considerata, abstrahendo a suppositis, non habet in se magis, et minus, quia ipsa sic considerata est indifferens ad omnem gradum ; sed ipsa ut in supposito, id est, in proprio singulari existens, est perfectior se ipsa in alio supposito, et ut est in supposito sic denominat subjectum, quia per se suppositum ejus non est subjectum, sed qualitas in hoc subjecto : non igitur justitia, abstracte intelligendo, sed justum, id est, hæc justitia, ut denominat istud subjectum, est major alia. Nam sicut forma non habet esse individuale, nisi in subjecto, ita non suscipit magis, et minus, nisi secundum esse individuale, quod habet in subjecto. Unde sicut similitudo est relatio fundata super essentiam qualita- 21. *Formam in abstra to an sus cipiat ma gis, et mi nus.*

tis, ita et magis, et minus : fundamentum autem *magis* est essentia speciei sub perfecto gradu, qui gradus est aliquid absolutum de genere Qualitatis, licet ipsum consequatur relatio *magis* ad alium imperfectum in eadem specie, quem consequitur relatio *minus*.

(e) *Non potest multiplicari, nisi in directo.* Adeo corruptus, et depravatus est in exemplari locus iste, quod eum legere non potuimus; posset tamen (ut reor) ita legi : Non potest multiplicari, nisi in directo corporis luminosi.

22. (f) *Quia caliditas remissa produxit gradum, etc.* Posset etiam concedi consequens, et nullum esset inconveniens. Cæterum Scotus, et Gregorius de Arimino negant consequentiam : et ad probationem dicit Gregorius, quod cum dicitur, agens potens potest producere formam in passo minus disposito, potest etiam in passo magis disposito ; hoc verum esset, si passum illud magis dispositum, sit aptum pati ab illo agente ; sed tale non est calidum remissum respectu intensi.

(g) *Ista consequentia non valet, albedo est in infinitum perfectior, etc.* Dicas etiam, quod esto, unum individuum excederet aliud in infinitum gradualiter, non excederet tamen in perfectione essentiali, et quidditativa, et tale individuum secundum Scotum in 1. dist. 8. quæst. 2. esset in genere ; quoniam non sequitur infinitum tale, ergo infinitum ens.

23. *Termini motus sunt duplices* (h) *Hoc verum est de terminis, qui sunt qualitates contrariæ in summo.* Nota, quod termini motus sunt duplices, scilicet formales, et concomitantes : primi si sit motus acquisitivus, sunt privatio, et habitus ; et isti sunt incompossibiles. Secundi sunt, quando aliqua forma, ut quatuor, movetur ut a termino *a quo*, ad formam, ut sex, tanquam ad terminum *ad quem*, et sic forma intensa, ut quatuor, et forma intensa ut sex sunt compossibiles. Termini etiam motus sunt incompossibiles, qui sunt qualitates contrariæ in summo, ut hic dicit Scotus.

(i) *De motu locali non est simile, etc.* Nota quod non est simile in motu locali, et in motu alterationis, quia in motu locali terminus totus acquiritur, non autem est sic in motu alterationis. Vel dicas, quod sicut in motu locali mobile est semper sub alio, et alio *ubi*, ita in motu alterationis est continue sub alio, et alio gradu, sed non sub alia, et alia natura specifica, quia talis non intenditur, nec remittitur.

QUÆSTIO V

Utrum formæ contrariæ possint esse simul

Aristot. 10 *Metaph. text.* 13. *et* 14. D. Thom. 1. *par. quæst.* 76. *art.* 4. Cajetanus *ibid.* Gandaven. *quodl.* 12. *quæst.* 12. Scotus *in* 2. *dist.* 2. *quæst.* 9. Capreol. *in* 1. *dist.* 17. *quæst.* 2. *art.* 2. Marsil. *in* 3. *dist.* 11. *art.* 2. Major. *dist.* 15. *quæst.* 2. Sotus *Physic. quæst.* 1. Javellus 10. *Metaph. quæst.* 13. Suarez *tom.* 2. *Metaph. disp.* 45. *sect.* 4. Conimbric. 2. *de generat. cap.* 3. *quæst.* 8.

De hac re sunt tres viæ dicendi. Prima 1. est, quod in alteratione de summe calido ad summe frigidum impossibile est aliquem gradum unius stare cum aliquo gradu alterius, imo continue in alteratione est qualitas totaliter nova, ita ut non sit additio alicujus gradus ad alium de eadem qualitate ; nec etiam ad suum contrarium, et ista via improbata est in præcedenti quæstione.

Secunda via est, quod nunquam gradus unius contrariorum potest stare cum aliquo gradu alterius, et in hoc convenit cum præcedenti : sed differt in modo ponendi, quia ponit, quod in alteratione de frigido ad calidum primo expellitur tota frigiditas successive, priusquam inducatur aliquis gradus caliditatis, ita ut remittendo frigiditatem continuo habilitetur subjectum ad caliditatem, et tunc expulsa tota frigiditate introducatur caliditas, et ista via improbabitur in conclusionibus.

Tertia via est, quod aliqui gradus caliditatis possunt stare cum aliquibus gradibus frigiditatis : sed summa caliditas nunquam potest stare cum summa frigiditate, quilibet tamen gradus citra summum potest stare cum aliquo caliditatis, et e contra; et ideo in alteratione de summe frigido ad summe calidum statim quando corrumpitur unus gradus frigiditatis, inducitur alius caliditatis, et sic consequenter, quam viam tenebo ad præsens. Ideo contra ipsam arguitur inducendo in multis qualitatibus, in quibus fit remissio, et non per additionem alicujus gradus de qualitate contraria, et etiam intensio non per remotionem ali-

cujus gradus de qualitate contraria : verbi gratia, aliquid fit magis simile, quam prius, et non per remotionem alicujus gradus de qualitate contraria.

2. Item, aliquid fit magis curvum, vel minus curvum sine hoc, quod addatur, vel removeatur aliqua rectitudo.

Item de velocitate, quæ remittitur non addendo tarditatem. Item de gravitate, et acutie soni, et de multis aliis.

Secundo, quia quilibet gradus caliditatis est contrarius alicui gradui frigiditatis ; igitur est contrarius cuilibet. Antecedens patet, quia cuilibet gradui caliditatis contrariatur summa frigiditas. Item aliquis gradus caliditatis sufficit corrumpere aliquem gradum frigiditatis : igitur saltem illi contrariatur, quia corruptio fit a contrario. Probatur consequentia principalis multipliciter. Primo, quia omnes gradus frigiditatis sunt ejusdem rationis ; igitur, qua ratione contrariatur uni, eadem ratione contrariatur alteri ; et per consequens, vel nulli, quod est contra antecedens, vel cuilibet, et habetur propositum. Secundo, si aliquis gradus caliditatis contrariatur alicui frigiditatis ; sit igitur, quod decimus gradus caliditatis, contrarietur decimo frigiditatis : tunc arguitur eadem est proportio decimi caliditatis ad decimum frigiditatis, quæ est noni caliditatis ad nonum frigiditatis, aut quæ est octavi, et sic de aliis ; sed decimus non potest stare cum decimo : igitur, nec nonus cum nono, et sic de aliis. Tertio, quia contrarietas non est secundum diversitatem individuorum, sed est repugnantia secundum speciem. Nam Aristoteles dicit 10. *Metaphysicæ*, text. 24. quod contrarietas est secundum formam repugnantia. Item dicit quod contrarietas est distantia perfecta, quod non esset, nisi esset repugnantia secundum speciem. Quarto, quia plus distant ab invicem formaliter, scilicet, quælibet albedo a qualibet nigredine, quam aliqua albedo ab aliqua viriditate : igitur si cum aliqua nigredine potest stare aliqua albedo, sequitur quod cum qualibet rubedine potest stare quælibet viriditas, quod est contra experientiam.

Tertio ad principale sequeretur, quod motus contrarii essent simul in eodem ; 3. consequens est falsum, quia impossibile est, quod idem simul moveatur contrariis motibus ; ut puta, motu ascensus, et descensus, motu caliditatis, et frigiditatis. Probatur consequentia dupliciter : Primo, quia motus non habet contrarietatem, nisi ratione formarum, secundum quas est motus : sed illæ formæ poterunt stare simul secundum aliquos gradus : igitur motus contrarii secundum aliquos gradus poterunt stare simul. Secundo, quia quolibet motu dato contingit dare velociorem, et tardiorem, sicut de forma contingit dare gradum intensiorem, et remissiorem : igitur sicut aliquis gradus de una forma potest stare cum aliquo gradu formæ contrariæ, ita etiam aliquis gradus motus poterit stare cum aliquo gradu motus contrarii.

Quarto, sequeretur quod aqua intense frigida statim frigefaceret se ipsam summe, imo statim seipsam congelaret ; consequens est falsum, per experientiam. Consequentia probatur, quia aqua intense frigida aget corrumpendo caliditatem valde intensam applicatam sibi ; igitur multo fortius aget in illam caliditatem remissam conjunctam sibi. Consequentia tenet propter tria : Primo, quia frigiditas aquæ minus dominatur super caliditatem intensam sibi applicatam. Secundo, quia caliditas remissa conjuncta minus resistit. Tertio, quia est melius applicata.

Quinto, sequeretur quod tepidum simul 4. calefaceret, et frigefaceret passum sibi approximatum ; consequens est falsum, quia tunc illud passum simul moveretur motibus contrariis. Consequentia probatur, quia tepidum simul habet in se caliditatem, et frigiditatem, et secundum utramque est applicatum passo ; igitur secundum utramque simul aget in passum, imo sequeretur, quod tepidum simul calefaceret se ipsum, et frigefaceret se ipsum, quia habet in se caliditatem : igitur illa aget in

frigiditatem, et eadem ratione e contra frigiditas in caliditatem, et habetur propositum.

Sexto, sequeretur quod idem simul esset calidum, et frigidum ; consequens est falsum : et probatur consequentia, quia idem simul haberet caliditatem, et frigiditatem: igitur per definitionem Qualitatis,idem est simul calidum, et frigidum.

Septimo, si ad corruptionem unius gradus frigiditatis, induceretur *unus* gradus caliditatis, qui simul maneat cum residua frigiditate ; tunc sequitur, quod statim acquireretur terminus *ad quem* motus, consequens est falsum, quia priusquam deveniatur ad terminum *ad quem* motus, oportet transire, per intermedia inter terminum *a quo*, et terminum *ad quem*. Probatur consequentia, quia in calefactione terminus *ad quem* est caliditas,modo in calefactione alicujus frigidi statim corrumpitur frigiditas,et per te ad corruptionem frigiditatis inducitur caliditas : igitur statim acquiritur caliditas, quæ est terminus motus.

5. Octavo sequeretur, quod in alteratione de albedine in rubedinem prius acquireretur nigredo, quam rubedo. Consequens est falsum : quia rubedo est medium inter albedinem, et nigredinem ; modo prius pertransitur medium, quam deveniatur ad extremum. Probatur consequentia, quia in mutatione de albedine in rubedinem statim corrumpitur albedo : igitur per te cum ad corruptionem unius contrariorum statim generabitur reliquum, sequitur quod statim introducetur nigredo, quæ est contraria albedine, et per consequens prius quam rubedo.

Nono, quia in generatione ignis ex aere continue caliditas intenditur, et tamen non corrumpitur frigiditas : nam caliditati aeris non est admixta frigiditas : quia si sic, jam aer non esset purum elementum.

6. Oppositum arguitur per experientiam : nam si duæ aquæ, una calida, et alia frigida fundantur in invicem, non statim deperditur tota caliditas unius, aut tota frigiditas alterius, imo successive, quod non esset nisi aliqui gradus unius manerent cum aliquibus gradibus alterius. Secundo per Aristotelem 5. hujus, text. 19. ubi dicit, majus aut minus est, in quo plus, aut minus contrarii miscetur, et ad quod non. Notandum,quod triplex invenitur contrarietas. Una scilicet terminorum, quæ consistit penes hoc, quod non possunt simul vere prædicari de eodem subjecto. Secunda est propositionum contrariarum : quarum repugnantia consistit in hoc, quod non possunt esse simul veræ. Et tertia est formarum, scilicet, caliditatis, et frigiditatis, quarum repugnantia est in essendo simul in eodem subjecto, et ista contrarietas ultima est ad propositum. Unde ad hoc quod aliquæ formæ sint contrariæ isto modo, requiritur quod natæ sint fieri circa idem subjectum, scilicet ipsæ vel sibi consimiles, quia dato quod essent duæ formæ incompossibiles esse in eodem subjecto, quæ non essent natæ fieri in eodem subjecto, illæ non essent contrariæ, sed disparatæ ; ut forma hominis, et forma equi. Et dico notabiliter, *illæ*, vel *sibi consimiles* ; quia per hoc solvitur argumentum istud, vel albedo contrariatur nigredini, quæ est, vel quæ non est ; non primo modo, quia illæ non sunt natæ fieri circa idem subjectum : nec secundo modo, quia ei quod non est, nihil est contrarium.

Contrarietas est triplex.

Ad contrarietatem quid requiratur

Secundo notandum, quod sicut duæ propositiones contrariæ maxime distant quantum ad esse simul veras ; quia quidquid una affirmat, quantum ad omnia supposita termini communis, alia negat quantum ad eadem supposita ejusdem termini ; tamen quantum ad esse simul falsas quantum ad omnia supposita simul sumpta, repugnant ad invicem ; verbi gratia, supposito quod non essent nisi decem homines in mundo , tunc impossibile esset quod istæ essent simul falsæ : Omnis homo currit : Nullus homo currit ; quælibet scilicet illarum pro quolibet supposito ; tamen possunt esse simul falsæ, una scilicet pro aliquibus suppositis, et alia pro aliis : verbi

7. *Contraria quomodo possint stare simul.*

gratia, novem supposita falsa unius compatiuntur secum unam singularem veram alterius, octo compatiuntur duas, septem tres, et ita de aliis. Ita similiter de qualitatibus contrariis : nam posito quod caliditas summa signaretur per decem gradus, et frigiditas summa per totidem; tunc dico, quod repugnantia caliditatis, et frigiditatis, quantum ad esse simul, non provenit ex ratione absoluta formarum, secundum quam dicitur caliditas, et frigiditas : quia sub aliquibus gradibus se compatiuntur, ut postea probabitur; et ideo earum repugnantia proveniet ex nimia quantitate graduum. Et ideo dicit Aristoteles 10. Metaph. text. 24. quod contrarietas est distantia perfecta; et ideo dico, quod caliditas summa contrariatur frigiditati summæ; sed quilibet gradus caliditatis circa summum secum compatitur aliquem gradum frigiditatis citra summum, licet non quemlibet : verbi gratia, in casu prædicto, decimus caliditatis contrariatur decem gradibus frigiditatis, et impossibile est ipsas stare simul, sed novem caliditatis possunt stare cum uno frigiditatis; nec aliquo modo habent contrarietatem ad invicem; octo cum duobus, et ita de aliis, cujus causa est : quia semper ad remissionem unius gradus alicujus contrariorum, inducitur unus gradus alterius, nec est cura ad propositum sub quanto numero graduum signetur summa caliditas.

8. Ex quibus sequitur, quod impossibile est caliditatem, et frigiditatem stare simul sub gradibus contrariis; ita quod præcise tantum sit de caliditate, quantum de frigiditate, nisi sub gradibus mediis totius latitudinis caliditatis a summo ad non gradum : verbi gratia, in casu prædicto, quinque gradus caliditatis poterunt stare simul cum quinque frigiditatis, sed sex non possunt stare cum sex, nec in aliquo alio numero. Secundo sequitur, quod ista consequentia non valet : caliditas stat cum frigiditate aliquot graduum, puta quatuor : igitur poterit stare cum frigiditate remissiori, puta duorum graduum. Tertio sequitur, quod si caliditas aeris sit ejusdem speciei cum caliditate ignis, quod caliditas aeris non est qualitas simpliciter per privationem admixtionis frigiditatis, imo quantum distat a summa caliditate, quam determinat sibi ignis, tantum habet de frigiditate sibi admixta. Nec ex hoc sequitur, quod aer non sit purum elementum : quia ad hoc quod sit purum elementum, sufficit quod determinet sibi unam de qualitatibus primis in summo, et per hoc differt a mixtis, modo aer determinat sibi humiditatem in summo.

Nunc ponuntur conclusiones. Prima est ista: Impossibile est formas contrarias stare simul, imo hoc implicat contradictionem, quia contrarietas formarum attenditur penes non posse stare simul in eodem subjecto, et ideo si starent simul, jam non essent contrariæ, itaque probatio hujus conclusionis stat in quid nominis hujus termini *contrarium*.

Secunda conclusio. Caliditas, quæ fuit pars caliditatis summæ, stat simul cum frigiditate, quæ est pars frigiditatis summæ 9.
contrariæ caliditati, ut in calefactione ad summe calidum, vel etiam in frigefactione de summe calido. Probatur : quia nisi ita esset, tunc sequeretur, quando summe frigidum deberet fieri summe calidum, tota frigiditas per prius esset expulsa, quam aliquid caliditatis esset inductum; consequens est falsum, quia tunc illa caliditas esset subito acquisita, quod fuerat prius improbatum.

Secundo, sequeretur quod remisse calidum nullo modo resisteret intense calido, quod est contra experientiam, quia magnum tempus est postquam intense calidum posset de remisse calido facere intense calidum. Probatur consequentia : quia illud remisse calidum non haberet frigiditatem sibi admixtam, per quam resisteret intense calido, et ideo sicut lumen remissum non resistit intensiori, ita nec calor remissus calori intensiori.

Tertio, sequeretur quod tepidum, scilicet redactum ad medium inter contraria, 10.

nullam haberet activitatem, quod est contra experientiam. Et probatur consequentia : quia in motu de calidissimo ad frigidissimum, illud tepidum non habet frigiditatem, quia nondum expulsa est tota caliditas; nec aget per caliditatem, quia caliditas tunc est tam parvæ intensionis, quod non sufficeret ad actionem.

Quarto, sequeretur quod aliquid appareret sensui bene disposito valde intense calidum, in quo tamen nulla esset caliditas. Probatur consequentia, quia ad alterationem de frigido ad caliditatem per te est magnum tempus, in quo expellitur frigiditas sine inductione caliditatis, et in tempore illo remissionis frigiditatis, apparet nobis caliditas valde intensa. Patet igitur qualiter non est concedendum, quod formæ contrariæ stent simul, sed bene est concedendum, quod qualitates stant simul, quarum una fuit pars unius contrariorum, et alia est pars alterius.

Ad rationes. Ad primam concedendum est de qualitatibus non habentibus contrarium, quod ad intensionem illarum qualitatum non sequitur concomitanter remissio alicujus alterius qualitatis, ita etiam conceditur de velocitate, et tarditate, et de illis de quibus arguitur in primo argumento.

11. Ad secundam, concedo antecedens, et nego consequentiam; et ad probationem, quia omnes sunt ejusdem rationis : igitur qua ratione, etc. Negatur consequentia : quia per idem probaretur, quod omnes homines mundi possent esse in istis scholis, quia duo homines possunt esse in istis scholis, et omnes homines sunt ejusdem speciei : igitur qua ratione duo, eadem ratione omnes. Ideo est argumentum a simili, et negatur consequentia ; quia capacitas domus non est tanta, quod possit omnes recipere : ita in proposito dico, quod non est simile, quia frigiditas non contrariatur caliditati propter hoc, quod est caliditas, quia cum aliqua caliditate potest stare ; sed contrariatur sibi propter nimiam quantitatem graduum caliditatis. Ad secundum negatur consequentia ; quia non fit subsumptio *sub*. Unde in minori deberet dici, sed decem ad decem est proportio æqualitatis. Ad tertium dico, imo contrarietas est secundum individuum, et non secundum speciem, nisi cum prædicta quantitate graduum : et propter hoc dicit Aristoteles, quod contrarietas est distantia. Et si objiciatur, quod tunc unum contrarietur pluribus, quod est falsum : quia tantum unum uni opponitur 10. Metaph. text. 17. respondetur, quod Aristoteles ibi capit omnia similia pro uno. Ad quartum, negatur major, si intelligas de distantia graduum, quæ faceret repugnantiam ; sed si intelligas, quod minus conveniunt essentialiter, concedo.

Ad tertiam principalem negatur consequentia : quia nec motus contrarii sunt simul, nec etiam formæ contrariæ, secundum quas sunt illi motus, sed duæ qualitates bene sunt simul, quarum una fuit pars calefactionis, et alia est pars frigefactionis : quia motus illi non sunt aliud ab illis qualitatibus. 12.

Ad quartam, negatur consequentia : quia licet frigiditas stet ibi cum remissa caliditate, tamen hoc non est secundum gradus, secundum quos caliditas, et frigiditas contrariantur : igitur non valent illæ tres probationes, quia ad frigidum approximatum bene haberet contrarietatem; sed cum illo sibi adjuncto non.

Ad quintam, negatur consequentia : quia passum approximatum tepido, si est æqualiter tepidum, tunc nullo modo patietur : quia agens agit propter assimilationem passi, et passum est jam sibi assimilatum. Si vero passum approximatum non sit æqualiter tepidum, sed magis frigidum quam calidum, tunc aget remittendo frigiditatem, et non caliditatem, quia cum caliditate non habet contrarietatem; et ideo negatur consequentia, quod idem calefaceret, et frigefaceret se ipsum : quia illi gradus non habent ad invicem contrarietatem, qui sunt simul in tepido.

Ad sextam negatur consequentia : quia, 13.

subjectum non denominatur nisi a totali qualitate : modo totalis qualitas tepidi non est caliditas, neque frigiditas, sed est medium inter ista per participationem, a quo medio debet fieri denominatio, et non ab aliqua parte ejus. Verum est tamen, quod aliquando improprie, et secundum *quid*, subjectum denominatur ab illo medio secundum unum extremum : verbi gratia, dicit Aristoteles 5. hujus, text. 19. quod fuscum dicitur album respectu nigri, et nigrum respectu albi.

Ad septimam, negatur consequentia de termino totali, sed de termino partiali est concedendum, et ideo dicit Aristoteles, partim habet de termino *a quo*, et partim de termino *ad quem*.

Ad octavam conceditur consequens, nec est inconveniens, quod requiratur remissa nigredo.

Ad nonam dictum est in uno corollario.

QUÆSTIO VI

Utrum ista sit concedenda, motus localis est

Aristot. *hic, text.* 1. *et lib.* 4. *text.* 99. *et* 5. *Metaph. cap.* 13. *text.* 18. Averroës 4. *Phys. comm.* 119. Simplicius, Themist. *lib.* 3. *Physic. cap.* 2. Albertus *tract. de quantitate cap.* 4. *et* 8. D. Thom. 3. *Phys. lect.* 7. *et lib... text.* 7. Canonic. *quæst.* 1. *art.* 3. Fonseca 5. *Metaph. ad cap.* 13. *quæst.* 8. *sect.* 3. Pererius *lib.* 14. *suæ. Philosophiæ. cap.* 8. Jandunus 3. *Physic. cap.* 2. Suarez *in Metaph. tom.* 2. *disp.* 40. *sect.* 8. Sotus 3. *phys. quæst.* 1. Ruvius *ibid. cap.* 3. *quæst.* 2. Roccus *quæst.* 4.

1. Arguitur quod non : quia tunc mobile moveretur, vel igitur super partem spatii pertransitam, et hoc non : quia jam motum est ; vel super pertranseundam, et hoc non, quia super illam movendum est.

Secundo, quia mobile est continue in loco sibi æquali : igitur non movetur. Tenet consequentia, quia super æquale sibi non potest transmutari ; et antecedens apparet, quia mobile est corpus, et omne corpus est in loco sibi æquali ; ergo, etc.

Tertio, quia si mobile movetur ; vel movetur in loco in quo est, et hoc non : quia ad illum consimiliter se habet ; vel in loco, in quo non est, et hoc non : quia nullus existens hîc movetur Romæ.

Quarto, quia motus fit : igitur motus non est, quia quod fit non est, *primo Perihermenias*.

Quinto, sequeretur quod aliquid simul fieret, et corrumperetur ; quod est impossibile : quia tunc aliquid simul esset, et non esset. Probatur consequentia : quia per te motus est, et non est, nisi dum fit : igitur simul fit et est ; sed continue sicut fit, ita desinit esse : igitur non est ; igitur motus simul est, et non est, quod est impossibile.

Sexto, si motus est, sequitur quod non 2.
fiet ; quod est falsum : quia esse ejus consistit in *fieri*. Consequentia probatur, quia factio est mutatio ad *esse* ; ideo statim quando est, cessat factio, quia ut patet 6. *hujus*, text. 44. impossibile est aliquid mutari ad aliquid, ad quod jam mutatum est.

Septimo, quia ista, *motus est*, significat, quod mobile fuit alibi, et postea erit alibi ; sed ista non significat ; igitur motus non est ; vel formetur sic ratio : Illud causatum non est, cujus partes non sunt ; sed partes motus non sunt, igitur motus non est. Major patet : quia causatum, vel est suæ partes, vel non est sine suis partibus ; et minor apparet, quia partes motus sunt *præteritum*, et *futurum*, quæ non sunt.

Opinio plex identit motu

Oppositum arguitur : quia motus est actus entis per definitionem motus : igitur motus est.

De ista quæstione sunt tres viæ dicendi. Prima, nullus motus est, nec possibile est esse, ut patet 1. hujus.

Secunda, quod ista nunquam est vera ; *motus est*, nec ista, *aliquid movetur*, sed bene ista est vera, *aliquid est motum* : similiter ista, *aliquid movebitur* : similiter ista, *motus fuit*, tamen per sensum quandoque judicamus motum esse per hoc, quod videmus motum fuisse propter propinquitatem temporis præteriti ad præ-

sens, modo quod prope est, nihil deesse videtur, ut patet 2. hujus.

Tertia via est (et concordat sensui) quod motus est, et non curando ad præsens, an motus sit mobile, vel fluxus inhærens mobili, tenebo ad præsens istam viam.

3. *[M]otus est [e]ns successivum. Permanens dicitur aliquid [m]ultis modis.* Secundo, notandum quod motus ponitur communiter (a)ens successivum. Ideo sciendum, quod pluribus modis aliquid dicitur permanens, et successivum. Nam primo modo, et propriissime aliquid dicitur permanens, quod secundum se totum manet idem sine additione, vel remotione partis, vel dispositionis; et sic Deus est ens simpliciter permanens. Secundo modo dicitur permanens, quod manet idem secundum se, et quamlibet partem sui, tamen aliqualis est successio secundum receptionem dispositionis, et sic cœlum dicitur permanens, quia manet idem secundum partes; attamen recipit lumen successive, et secundum aliquos motum. Tertio modo dicitur permanens, quia secundum aliquas partes sui manet idem, et secundum aliquas non: imo aliquæ adveniunt, et aliquæ recedunt, et ista sunt quodammodo successiva; sicut sunt corpora naturalia, quæ sunt in continua successione. Quarto modo dicitur aliquid successivum, cujus nulla pars manet simul cum alia parte, imo continue est alia, et alia pars; et hoc dupliciter, quia quædam sunt quorum quælibet pars de sui natura nata est esse permanentis naturæ, attamen nulla manet per tempus propter defectum conservantis, ut patet de lumine producto a luminoso in medium continue motum, quia continue est alius, et alius radius secundum alium, et alium aspectum, et ideo continue est aliud, et aliud lumen. Alio modo dicitur successivum, cujus nulla pars nata est esse permanentis naturæ, imo sibi repugnat, quod aliqua pars ejus maneat per tempus, ut multi imaginantur de motu, et tempore, qui ponunt, quod motus est fluxus distinctus a mobili.

4 *[M]otus est.* Nunc ponuntur conclusiones; prima est: Hæc est concedenda (b) *motus est.* Probatur sic, quia non minus est ista concedenda *motus est*, quam ista, *tempus est*, sed ista est concedenda *tempus est*; nam ab omni gente continetur in Grammatica tempus dividi in præsens, præteritum, et futurum; ergo, etc. Secundo, quia omne productivum caloris est, sed motus est productivus caloris; ut patet *primo Meteororum, text.* 11. Tertio patet ad experientiam, et ideo dicit Aristoteles 1. hujus, text. 1. quod oportet supponere omnia, aut quædam moveri. Item dicit in isto tertio, quod ignorato motu, necesse est ignorare naturam. Quarto, quia eadem ratione qua negaretur motus esse, negaretur etiam lumen esse, quia est continue aliud, et aliud lumen; sed certum est, quod tunc lumen est; ergo et motus est; et potest etiam exemplificari de proportione, quia in alteratione est continue alia, et alia proportio agentis super passum, ita ut sit una proportio successiva composita ex multis proportionibus partialibus.

Secunda conclusio. In instanti (c) motus est, ita ut in instanti ista sit concedenda, *motus est.* Probatur: quia nisi ita esset, sequeretur quod ista esset falsa; *continue post hoc erit motus*, quod est falsum. Et patet consequentia, quia in instanti esset verum dicere, quod motus cœli non est, et per consequens esset interruptus. *Motus est in instanti*

Contra primam conclusionem arguitur; quia si ita esset, sequeretur quod aliquid moveretur, et tamen nec uniformiter, nec difformiter; consequens est impossibile. Probatur consequentia, posito quod Socrates moveatur per unam horam uniformiter aliqua velocitate, deinde in secunda hora immediate sequente moveatur difformiter velocitate dupla ad primam velocitatem, tunc in instanti medio Socrates movetur pro tanto, quia aliquando immediate movebatur, et immediate post movebitur: igitur nunc movetur; vel igitur uniformiter, vel difformiter: quia immediate ante movebatur uniformiter, et immediate post movebitur difformiter; igitur nunc moveur uniformiter; nec difformiter, quia vel 5.

moveretur velocitate primæ horæ, vel secundæ, aut velocitate intermedia, quorum nullum apparet possibile.

Secundo, sequeretur quod aliquid moveretur, et tamen non ab aliquo, nec ab aliquibus ; consequens est impossibile, ut patet septimo hujus text. 1. Consequentia probatur, posito quod *A* mobile in prima mediate horæ moveatur a Socrate, et in secunda a Platone ; tunc in instanti medio *A* movetur ; vel igitur movetur a Socrate, et hoc non, quia jam Socrates desinit movere, vel a Platone, et hoc non ; quia Plato nondum movet, sed incipit movere ; ergo, etc.

6. Tertio, sequeretur quod aliquid moveret quando non haberet potentiam ad movendum ; consequens est falsum : quia omnis motus provenit a proportione majoris inæqualitatis potentiæ motoris super resistentia moti. Consequentia probatur ; et movetur *A* per unum medium continue densius, et densius, quousque ad aliquem gradum densitatis, seu resistentiæ æqualem potentiæ motoris ipsius *A*, et sit *B* punctus, ad quem terminatur illa resistentia, et volo quod statim quando *A* est in puncto *B*, quod tunc *B* incipiat rarefieri ; isto posito, probatur consequentia, quia quando *A* est in puncto *B*, *A* movetur pro tanto, quia immediate aliquando movebatur, et immediate post movebitur : igitur tunc movetur, et tamen tunc non habet potentiam ad movendum : quia per casum resistentia medii est æqualis potentiæ motoris ; ergo, etc.

Quarto, contra secundam conclusionem : quia si in instanti est motus, sequitur quod motus fiet in instanti, et quod instans esset mensura motus ; consequens est impossibile, ut probatur 6. hujus, text. 55. et probatur consequentia : quia motus non est nisi dum fit : igitur in instanti est motus, sequitur quod motus fit in instanti.

Secundo, quia acquisitio partis post partem non est in instanti : igitur nec motus. Tenet consequentia per locum a definitione : et antecedens patet, quia ista dictio *post*, denotat ordinem temporis.

Ad ista respondetur. Ad primum, negatur consequentia. Ad probationem dico, 7.
quod Socrates movetur difformiter. Sed contra, quia tunc aliquid movetur difformiter, et in eodem instanti, quo inciperet moveri difformiter, desineret moveri difformiter, quod videtur implicare. Respondetur, quod in tota hora composita ex illis duabus horis partialibus, in quarum una Socrates movetur una velocitate, et in alia, alia ; dico quod in illa hora tota movetur difformiter, quia in prima medietate horæ movetur una velocitate, et in secunda alia, licet medium sit uniforme ; ideo concedendum est, quod in medio instanti horæ Socrates incipit moveri difformiter, et in eodem instanti Socrates desinit moveri difformiter ; sed hoc est diversimode, exponendo ista verba, *incipit*, et *desinit* ; igitur nulla sequitur repugnantia, verbi gratia, incipit Socrates moveri difformiter. Socrates nunc movetur difformiter, et immediate ante non movebatur difformiter. Et ista, Socrates desinit moveri difformiter, exponitur sic : Socrates nunc movetur difformiter, et immediate post non movebitur difformiter : modo istæ stant simul sine repugnantia.

Ad secundum dico, quod *A* movetur a Platone in instanti intermedio : quia illud idem instans, quod est primum in quo Plato movet, est etiam primum in quo Socrates non movet.

Ad tertium, negatur consequentia. Ad 8.
probationem dico, quod ista consequentia non valet, *A* ante movebatur, et immediate post movebitur : igitur *A* movetur, sed oportet addere, *A* immediate ante movebatur, et immediate post movebitur, et nunc ejus potentia excedit resistentiam mobilis ; igitur nunc movebitur ; et ideo si esset aliquod agens liberum, quod subito posset desinere motum suum, et subito inchoare, ita ut sine medio postquam desinit, posset iterum inchoare, tunc adhuc prædicta consequentia non valeret, sed oporteret addere, et nunc potentia motoris excedit resistentiam mobilis, et non impeditur per agens liberum : ergo, etc.

Ad quartam dico quod acquisitio partis post partem non est in instanti motus, ita ut instans sit mensura hujusmodi acquisitionis, sed hoc non obstante, hæc est vera in instanti, seu acquisitio partis post partem est, et hoc est manifestum suppositis illis, quæ dicentur in alia quæstione. Per idem ad sequentem.

Ad rationes principales. Ad primam dico, quod movetur super partem spatii super quam est; quia istud non significat aliud, nisi quod nunc est super illam partem, et ejus potentia excedit resistentiam, et immediate ante erat alibi, et immediate post erit alibi. Alii dicunt, quod sicut motus dicitur esse propter continuam successionem partium ad invicem, ita mobile dicitur moveri ex eo, quod continue in tempore motus est in alia, et alia parte spatii illius ; prima melior.

Ad secundam, conceditur antecedens, et negatur consequentia : quia licet sit continue in loco sibi æquali, tamen prius fuit alibi, et postea erit alibi, et hoc denotat moveri.

9. Ad tertiam dico quod in loco in quo est, quia nunc est in loco in quo est, et prius non fuit : igitur et postea erit alibi, et hoc denotatur per hoc, quod est moveri localiter. Aliter dicitur, quod sicut motus dicitur esse propter continuam successionem partium, quarum una non manet simul cum alia, ita etiam mobile dicitur moveri, quia dum movetur, est in aliquo toto loco, eo quod successive est in partibus ejus.

Ad quartam, negatur consequentia, quia illa regula solum habet veritatem in iis, quæ sunt permanentis naturæ ; vel dicitur, quod *fieri*, non attribuitur motui nisi in ultimo instanti non esse motus ; verbi gratia, si Socrates nunc movetur, et immediate post movebitur, tunc motus Socratis fit, vel Socrates incipit moveri, et continue postea motui attribuitur *esse*, et non *fieri*.

Ad quintam dico, quod non est inconveniens de illis, quæ non sunt permanentis durationis : verbi gratia, lumen productum a Sole quando incipit esse, etiam desinit esse, diversimode exponendo.

Ad sextam, negatur consequentia : quia illa auctoritas, 6. hujus, intelligenda est de illis, quorum esse non consistit in *fieri*. Vel dicitur negando istam, quod motus fit, quando est, quia motus non fit nisi in ultimo instanti non esse motus.

Ad septimam, quia ista *motus significat*, etc. concedo : modo dico, quod sicut ista *motus est*, est concedenda, ita illa copulativa, quæ significatur, per istam *motus est*. Ad aliam : Illud totum non est, etc. Negatur major de successivis. Aliter dicitur, concedendo de copulato extremo quod præsens, præteritum, et futurum est.

ANNOTATIONES

(a) *Motus ponitur communiter ens successivum*, etc. Nota, in motu quadruplicem inveniri divisibilitatem. Prima dicitur subjectiva, quam habet motus ratione subjecti in quo est : quod cum sit divisibile, etiam accidens materiale qualis est motus, in ipso existens divisibile est, hæc divisibilitas accidentaliter competit motui. Secunda divisibilitas quam habet motus, provenit sibi a spatio ; et ita prima pars motus, verbi gratia, localis, correspondet primæ parti spatii, et posterior posteriori, et similiter quando qualitas intenditur per motum, motus est divisibilis per divisionem illorum graduum : cum autem illa qualitas in esse quieto maneat, sic divisibilis, et similiter spatium, satis liquet divisibilitatem motus, hac ex parte provenientem etiam accidentaliter sibi convenire: et quia motus in hac secunda acceptione dicit imperfectam acquisitionem termini, imperfectamque entitatem, ad nullum pertinet Prædicamentum, sed reductive ad illud, in quo ejus terminus est : quia, ut Aristoteles ait, non est præter res, ad quas est motus. Tertia divisibilitas est successio motus penes moram, et hæc est tempus : quia tempus est prius, et posterius motus, quod quidem est mora ipsius motus ; et sic motus dividitur in partes succedentes sibi invicem. Quarta divisibilitas motus provenit a successione, vel acquisitione successiva diversorum terminorum, et hæc est propria motus, ut motus est, quia motus est illa successio, et fluxus atque tendentia ad terminum, et motus ut sic est una species quantitatis continuæ : quia est de genere continuorum, ut ait Aristoteles in hoc 3.

10. *Divisibilitas motus est quadruplex.*

Ex quo sequitur, quod quando Aristoteles dicit in Prædicamentis, motum esse speciem Quantitatis, accipit motum in hac 11.

quarta acceptione ; quando vero in Postprædicamentis illum collocat, accipit illum in secunda acceptione ut est ens incompletum, qui non est præter res ad quas est : et quando in Metaphysica dicit motum esse quantum per accidens, accipit motum etiam in secunda acceptione : quasi diceret, quod motus ille, ut sic est imperfectum ens, per accidens est quantum, id est, ratione continuitatis, et successionis, quæ ibi dicitur accidens motui, non quia non sit ejus formalis ratio, sed quia rei acquisitæ per motum accidit, quod per talem acquiratur successionem.

12. *Motus bifariam sumitur.* (b) *Hæc est concedenda, motus est.* Nota, motum dupliciter accipi, primo improprie, ut significat actionem voluntatis, et intelligentiæ, et sic dici solet, quod intellectus movet voluntatem, et e contra ; et quod objectum movet potentiam. Secundo sumitur pro mutatione Physica, quæ fit in materia, et corpore, et hoc secundo modo sumitur in hac conclusione. Dixi notabiliter, *quæ fit in materia, et corpore* : quia motus Physicus in communi sumptus, dividitur in mutationem, et motum ; mutatio, quæ dividitur in generationem, et corruptionem, fit in materia; itaque illud, quod generatur, et corrumpitur subjective est materia. Motus vero, qui dividitur in alterationem, augmentationem, et loci mutationem fit in corpore : nam id quod alteratur, augetur, et mutat locum, est corpus. Conveniuntque mutatio, et motus in hoc, quod utrumque est via ad terminum ; differunt autem essentialiter, quia mutatio est instantanea, et fere semper per illam acquiritur substantia, quæ vel tota simul acquiritur, vel tota simul deperditur ; motus vero intrinsece est successivus, quia accidentia quæ successive acquiruntur, acquiruntur per partes, et de motu proprie sumpto loquitur Scotus in hac quæstione.

(c) *In instanti motus est.* Nota, quod quidam dicunt, quod instans sumitur hîc pro aliquo tempore determinato, et non prout consignificat aliquod indivisibile, illo enim modo partes motus sunt; et per consequens motus est. Sed Scotus hîc videtur dicere, quod quamvis quælibet pars motus sit facta vel fienda, tamen motus est in instanti indivisibili, eo quod ad existentiam rei successive sufficit existentia alicujus indivisibilis, ad quod ejus partes copulantur, et ita est de motu.

QUÆSTIO VII

Utrum motus localis sit res distincta a mobili

Aristoteles *hîc text.* 4. *et lib.* 8. *text.* 55. Themist. Simplic. Alexand. *hîc in cap.* 1. Averroes *comm.* 4. D. Thom. *lect.* 4. *et in* 2. *dist.* 12. *art.* 1. *ad* 5. Aureol. apud Capr. *in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 2. *art.* 2. *et dist.* 39. *quæst.* 1. *art.* 3. *ad* 1. Capreol. *ibid.* Hispalen. *ibid. notabil.* 1. ; Argentin. *dist.* 19. *quæst.* 1. Alb. a Saxonia 3. *Physic. quæst.* 4. *et* 5. Burlæus *ibid. text.* 11. Ferrar. *quæst.* 2. Sotus *quæst.* 1. *et* 2. Toletus *quæst.* 3. Pererius *lib.* 10. *cap.* 10. Conimbr. *cap.* 2. *quæst.* 3. *art.* 2. Fuente *q.* 1. *diffic.* 3. *art.* 2. Ruvius *tractat.* 1. *de motu, quæst.* 4. *num.* 29. Roccus *quæst.* 5.

Arguitur quod sic, per Aristotelem 3. hujus, text. 70. tractatu de *infinito*, ubi dicit, quod diversimode invenitur infinitas in motu, et in magnitudine, quia licet in utroque attendatur infinitas partes semper posse accipere ultimum, tamen in motu semper partes prius acceptæ, non possunt manere cum partibus posterius acceptis, sed tantum possunt in magnitudine, quod non esset, si motus esset magnitudo mobilis. 1.

Secundo per Aristotelem 4. hujus, text. 99. ubi ponit, quod *esse* motus consistit in *semper fieri* aliud, et aliud ; igitur motus non est mobile.

Tertio; sequeretur quod Aristoteles 6. hujus, probans motum dividi ad divisionem magnitudinis, nihil probasset : consequens est falsum. Probatur consequentia : quia per te motus est magnitudo mobilis, et ideo non probasset aliud, nisi quod magnitudo mobilis, est divisibilis ad divisionem magnitudinis, modo hoc nihil fuisset probare, quia jam est manifestum.

Quarto, sequeretur quod motus moveretur, et ad motum esset motus, quod est impossibile: quia tunc rationes Aristotelis in quinto hujus, text. 1. 2. et 3. quibus probat ad motum non esse motum, non valerent : et patet consequentia, ex quo motus esset mobile.

Quinto, per Commentatorem 12. Metaph. comment. 41. ubi dicit, quod nullum cor- 2.

ruptibile potest perpetuari nisi motus cœli. Tunc quæro, quid intelligit per motum cœli : non cœlum, quia cœlum non est corruptibile : si fluxum superadditum cœlo, habeo propositum.

Sexto, si motus Socratis esset Socrates, sequeretur quod quicumque faceret Socratem moveri, faceret Socratem, et qui cessare motum Socratis, faceret corrumpi Socratem, quod est falsum. Et patet consequentia, ex quo motus Socratis, et Socrates sunt idem.

Septimo, quia motus est sensibile commune, et mobile non : igitur motus non est mobile. Antecedens apparet 2. *de Anima, text.* 64. Nec valet dicere, quod motus est sensibile commune, ex eo quod magnitudo est sensibile commune : quia tunc motus, et magnitudo non essent sensibilia communia distincta, quod patet esse falsum in eodem secundo.

Octavo, quia quando ad veritatem alicujus propositionis non sufficiunt duæ res, vel tres, oportet addere quartam, ad hoc quod sit vera ; sed hæc est vera, *motus est*, et ad ejus veritatem non sufficiunt *motor*, *mobile*, et *spatium* ; quia tunc quandocumque ista essent, esset motus, quod est falsum : igitur præter ista oportet addere aliam rem, scilicet fluxum, quem voco motum localem.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto 3. text. 4. ubi dicit : non est autem motus præter res, ad quas est motus : et per hoc probat in quot generibus potest reperiri motus. Secundo per Aristotelem 8. hujus, text. 55. ubi probat quod in motu locali nulla res acquiritur intrinsece mobili, et ideo solus motus localis potest esse perpetuus.

De ista quæstione est quædam via, quod
3. (a) in motu locali acquiritur quidam fluxus, seu dispositio inhærens mobili, secundum quam mobile dicitur localiter moveri ; sicut albedo est dispositio inhærens mobili, secundum quam mobile dicitur album, et istam conclusionem probant una ratione, quæ apparet eis demonstrativa, pro qua supponitur primo, quod omnis motus est mutatio, et omne *moveri*, est *mutari*, et quod *mutari* est aliter se habere secundum prius, et posterius, vel saltem aliqualiter se habere, et non taliter se habere prius. Secunda suppositio, quod ex omnibus corporibus mundi potest fieri unum corpus. Probatur, quia talem casum ponit Aristoteles 2. hujus 2. text. 38. quia hoc non repugnat potentiæ divinæ. Tertio, quia dato quod hoc non esset possibile, tamen hoc non repugnat quantum est ex ratione generali corporum, et mobilium, ut debet videri septimo hujus. Tertia suppositio, quod illud corpus continuum ex omnibus corporibus mundi, Deus potest movere motu recto, vel etiam circulari, vel quo motu placet sibi, et dato quod non posset, tamen hoc est imaginabile, vel non repugnat tali corpori, quod moveatur. Istis suppositis formetur ratio sic : Nisi motus localis esset res distincta a mobili, et a spatio, sequeretur quod aliquid posset moveri localiter, et tamen se haberet aliter prius, et posterius, quod est impossibile et contra primam suppositionem. Consequentia probatur, posito per secundam suppositionem, quod ex omnibus corporibus mundi fiat unum continuum, ita quod nullum sit mobile aliud ab illo, et a suis partibus ; tunc moveat Deus per tertiam suppositionem illud mobile, scilicet totum mundum localiter motu recto, tunc totus mundus movetur localiter ; igitur per primam suppositionem se habet aliter quam prius, et non ad aliud extrinsecum : quia positum est in casu, quod nullum sit ibi extrinsecum aliud : igitur se habet aliter intrinsece per receptionem alicujus in eo, quod est dispositio secundum quam illud mobile dicitur moveri localiter, et habetur propositum.

Secundo, confirmatur quod non sint nisi 4.
duo corpora mobilia *A* et *B*, tunc per unam horam moveatur *A* circa *B*, et per aliam *A*, tanta velocitate moveatur *B* circa *A*, tunc nisi motum localiter se haberet aliter quam prius, et non solum ad extrinsecum ; tunc sequeretur quod *A* et *B*, omnino consimi-

liter se haberent in prima hora, et in secunda : igitur qua ratione in prima hora movebatur *A*, eadem ratione in secunda, quod est contra casum.

Tertio. Non sint sicut prius nisi duo corpora, scilicet *A* et *B*, et moveatur *A*, *B* quiescente, tunc in illo medio motus ponatur quod Deus annihilet *B*, quo posito, tunc adhuc *A* movetur, et non se habet aliter ad aliquod extrinsecum, quia quodlibet extrinsecum jam est corruptum : igitur se habet aliter extrinsece per dispositionem sibi additam, secundum quam dicitur moveri localiter, quam dispositionem voco motum localem. Quod autem *A* moveatur corrupto *B*, probo : quia potentia motiva ipsius *A*, est æque potens sicut ante, et nulla accrevit sibi resistentia : igitur si prius movebatur, ergo adhuc movetur : quia non apparet unde proveniat illa quies.

Secunda via est, quod motus localis est spatium, supra quod mobile movetur. Probatur per Aristotelem in 3. hujus, text. 4. ubi dicit quod motus non est præter res ad quas est motus, sed motus localis est ad spatium : igitur non est aliqua res præter spatium. Secundo sicut est de motu alterationis, ita videtur esse de motu locali ; sed alteratio non est res distincta a forma, quam alterabile acquirit : igitur motus localis non est res distincta a spatio, quod per motum acquiritur.

5. Tertia via est, quod motus localis est ipsum quod movetur localiter, ita quod mobile localiter, quod actu movetur, non se habet intrinsece aliter quam prius, nisi fuerit aliqua additio, ut subtractio partium, vel aliunde alteratio, quam per motum localem. Pro ista opinione sunt aliquæ rationes. Prima est, quod si motus localis esset fluxus, vel dispositio superaddita, tunc sequeretur quod eadem res simul esset, et fieret ; consequens est impossibile, quia *fieri* est mutari de non esse ad esse. Nec valet si dicatur, quod hoc non est inconveniens in successivis, quia Aristoteles in 5. hujus, text. 13. volens probare, quod generatio non generatur, ducit ad hoc, quod tunc generatio generaretur quando esset, et sic habet pro impossibili, quod generatio, quæ secundum adversarios est de genere successivorum, sit et generetur. Hoc idem patet per Commentatorem ibidem *commento* 13. Probatur consequentia : quia motus est dum mobile movetur, et etiam fit : quia si prius factus esset, tunc esset permanentis naturæ, quia maneret idem prius, et posterius.

6. Secundo, sequeretur quod aliqua res in eodem tempore primo generaretur, et corrumperetur : consequens est impossibile, quia si alicui subjecto acquiratur aliqua dispositio, ut albedo, et corrumpatur alia, utraque scilicet primo in eodem tempore, tunc albedo est, et dulcedo non est ; igitur si eadem res eodem tempore primo generaretur, et corrumperetur, illa res simul esset, et non esset, quod est contradictio. Idem patet per Aristotelem 6. hujus, text. 74. ubi habet pro impossibili, quod aliqua res simul incipiat esse, et desinat esse ; imo quod inter tempus generationis, et corruptionis necesse est cadere tempus medium. Probatur consequentia principalis, et moveatur aliqua res in tempore *A*, *B*, quia tunc cum mobile moveatur in secunda parte, tunc motus quo moveretur in secunda parte, maneret per tempus, postquam fuisset generatus : et per consequens non esset res distincta ab omni re permanente ; vel fieret post *A*, *B* tempus, aut in secunda parte : et hoc non ; quia tunc mobile moveretur priusquam fieret motus, quo moveretur, quod est impossibile. Eodem modo probabitur, quod in tempore *A*, *B* corrumpitur primo : quia si maneret post, jam esset naturæ permanentis : si corrumperetur ante, tunc mobile moveretur, et nullo motu moveretur : igitur cum nec ante *A* tempus corrumpatur, nec post, nec in prima parte, nec in secunda, sequitur quod in *A*, *B* tempore corrumpitur primo.

7. Tertio, si motus esset talis res distincta ab omni re permanenti, sequeretur quod una res haberet in se simul infinitos motus

æquales uni motui, dato secundum durationem, vel quod successive haberet infinitos motus æquales, secundum durationem ; utrumque consequens est impossibile. Probatur consequentia, supponendo quod illud, quod actu habet aliquam entitatem, quam prius habuit in potentia solum, sit mutatum ad illam ; patet ex *quid nominis* mutationis : quia ex quo nunc aliqua res habet unam entitatem quam prius non habuit, se habet aliter secundum illam entitatem, quam prius se habuit, et per consequens mutata est ad illam rem. Tunc arguitur : res, quæ movetur, habet motum, quem prius non habuit ; igitur per suppositionem mutata est ad illum motum. Tunc quæro de mutatione illa, an simul est cum motu primo dato, vel fuit prius, quia impossibile est, quod sit posterius. Si dicatur quod simul, tunc res quæ movetur, habet illam mutationem secundo datam, quam prius non habuit ; igitur per suppositionem ad illam est mutata : et per consequens illa mutatio esset simul cum motu primo dato, et tunc mutaretur ad illum motum, et ita similiter arguitur de mutatione tertio data, et sic in infinitum, et habetur consequens primum. Si prius, tunc similiter arguitur, quod mutatio ad illum motum secundum fuit ante illum motum : et sic in infinitum, et habetur secundum consequens. Falsitas consequentis probatur : quia non videtur possibile naturaliter quod infinitæ res æquales alicui tertiæ datæ, sint simul in eodem similiter. Secundum est impossibile ; quia tunc nihil posset moveri nisi per tempus æternum fuisset mutatum ante.

8. Quarto, sequeretur quod esset aliqua res composita ex partibus, quæ non sunt, imo quas impossibile est esse : consequens implicat, quia ita diceretur, quod esset aliquod compositum, ex chimæra, et Tragelapho, quæ continuarentur ad invicem, quemadmodum tu dicis quod partes motus, scilicet præteritum, et futurum continuantur ad invicem per *mutatum esse* intermedium.

Quinto, si motus esset talis fluxus distinctus ab omni permanenti, scilicet a loco, et a mobili , tunc sequeretur quod Deus posset ipsum separare a mobili. Et e contra, mobile a tali motu utroque existente, et dato quod hoc non concedatur possibile, est tamen imaginabile, ex quo sunt res distinctæ. Sed ex hoc sequitur inimaginabile, scilicet quod mobile movetur sine motu, quod sit ascensus sine mutatione locali, et descensus sine hoc, quod acquiratur locus deorsum, quod videtur inimaginabile.

Sexto, sequeretur quod motus non esset actus entis in potentia secundum quod in potentia. Consequens est impossibile, quia tunc motus non esset motus, cum in definitione prædicentur de definito. Consequentia probatur, quia pars præterita motus non est actus mobilis, nec etiam pars futura, nec etiam præsens ; quia si esset aliqua præsens, jam esset *mutatum esse*, quod non est motus. Ex quibus patet, quod motus non est aliqua res successiva inhærens mobili, ab omni re permanenti distincta.

Nunc ponuntur conclusiones. Prima conclusio. Motus localis non est spatium, quod per motum localem acquiritur. Probatur, quia si esset spatium, sequeretur, quod aliquid quiescens moveretur, et quod quies esset motus, quod est impossibile : nam isti termini *motus*, et *quies* sunt oppositi privative : et ideo non possunt dici de se invicem affirmative mediante hoc verbo *est*. Probatur consequentia : quia spatium super quod est motus, quiescit. 9 *Motus localis non est spatium per quod mobile movetur*

Secunda conclusio : Motus localis (b) non est fluxus, vel dispositio, vel res successiva inhærens mobili ab omni re permanenti distincta. Probatur, quia si ita esset, sequeretur quod omne motum localiter moveretur secundum aliquod esse ; consequens est falsum, et impossibile, ut patet 8. hujus, text. 55. ubi vult Aristoteles quod in motu locali nulla res acquiratur immobili, et ex hoc probat solum motu localem posse esse perpetuum. Probatur consequentia : quia omne motum localiter *Motus localis non est fluxus.*

haberet illud accidens in actu, quod prius habuit in potentia tantum, et quod mutatum est ad ejus esse. Secundo probatur per sex rationes prius positas.

10. *Motus localis est mobile, quod movetur localiter.*

Tertia conclusio : Motus localis est mobile quod movetur localiter. Probatur, quia motus est, ut patuit in alia quæstione ; vel igitur est mobile, vel spatium, vel fluxus superadditus mobili, quia non apparet aliud, quod esset motu, ; sed neutrum est aliorum ; ergo est mobile. Ad rationes alterius opinionis posset rationabiliter negari secunda suppositio, et tertia ; tamen illis admissis concedo, quod totus mundus moveretur motu recto ; et concedo consequens, quod illo casu posito, illud quod movetur localiter, non se habet aliter quam prius, sed sufficit ad hoc quod aliquid moveatur localiter, quod se habeat aliter, quam prius ad aliquod quiescens, si aliquod quiescens esset. Sed contra hoc objicitur dupliciter : Primo, quia jam Aristoteles insufficienter definivisset mutationem, quia non sufficit dicere, *mutari* est aliter, et aliter se habere, prius, et posterius , sed oportet addere conditionaliter : quod illud mutatur, quod se habet aliter ad aliquod quiescens, si aliquod quiescens esset. Secundo quia isti termini, *motus* et *quies*, sunt privative oppositi, modo terminorum qui privative opponuntur, terminus qui significat formam, notior est termino significante privationem ; igitur iste terminus *motus* notior est, quam iste terminus *quies* ; et per consequens motus non debet definiri per quietem, sed potius e contra quies per motum.

11. Ad ista respondetur. Ad primum, dico quod definitio Aristotelis est sufficiens stantibus rebus naturalibus eo modo, quo possibile est ipsas esse per naturam, et hoc supposito, dabat suas definitiones : modo impossibile est naturaliter, quin sit aliquod quiescens, vel aliquod diversimode motum, ad quod motum localiter se habeat aliter, quam prius. Et ideo quia tu ponis casum impossibilem secundum naturam, ideo oportet corrigere definitionem, quæ data erat supposito illo casu, verbi gratia : in aliis, Arist. in 2. de Anima, text. 67. definit animam sic : *Anima est actus corporis Physici*, etc. eo quod credidit impossibile esse, quod anima separaretur a corpore, nisi per corruptionem : sed quia nos concedimus per potentiam supernaturalem, quod anima potest separari, ideo de anima separata illa definitio est falsa. Item Aristoteles sic definivisset albedinem ; *albedo est qualitas disgregativa visus, secundum quam aliquid dicitur album* ; et tamen ista definitio est falsa de albedine, quæ est in Sacramento altaris. Ideo non mirum, si posito casu impossibili per naturam, varientur definitiones quæ datæ sunt, supposito cursu naturæ.

Ad secundum, concedo quod aliquando terminus positivus potest definiri per privativum, præcipue ubi terminus privativus est notior, ita ut res sit notior sub conceptu termini positivi ; modo sic est in proposito, quia notius est aliquid quiescere, quam aliquid moveri. Quod patet per antiquos, qui negaverunt motum esse, et tamen non negaverunt quietem esse.

Ad secundam rationem opinionis illorum sint *A*, et *B*, et *C*; concedo casum ; et negatur consequentia : quia licet in una hora *A*, et *B* se habeant consimiliter, sicut in alia, tamen *A* se habet in una hora aliter, quam prius respectu *B* quiescentis, et in secunda hora *B* se habet aliter quam prius respectu *A* quiescentis ; igitur *A* movetur in una hora, et *B* non, et e contra in alia. 12.

Ad tertium admisso casu, dico quod corrupto *B*, *A* movebitur sicut prius ; et non sequitur, igitur aliter se habet quam prius ; sed sufficit, quod aliter se haberet, si esset aliquod quiescens. Aliter dicunt quidam, qui propter istas rationes ponunt, quod locus sit spatium separatum : et ideo ponunt quod extra cœlum est locus, seu spatium infinitum; et ideo si Deus moveret totum mundum motu recto, vel circulari, ille se haberet aliter ad locum, sive ad spatium separatum in quo esset, et ideo conce-

dunt quod respectu illius quod nihil est motum localiter, se habet aliter, quam prius : sed prima solutio est melior.

13. Ad rationes principales. Ad primam, dico quod debet sic intelligi, quod mobile secundum diversas rationes dicitur infinitum in magnitudine, et infinitus motus : quia dicitur infinitum in magnitudine, eo quod est quantum extensum sine termino, sed dicitur infinitus motus, dato quod mobile sit finitum ex eo quod tempore infinito movetur.

Ad secundam, *esse* motus semper consistit in *fieri* aliud post aliud, hoc est dictu, mobile quod movetur semper est in alio, et alio loco.

Ad tertiam, dico quod Aristoteles in 6. hujus noluit aliud probare, nisi quod mobile quia movetur secundum unam partem ipsius, prius pertransit aliam partem spatii, quam secundum aliam, et ita scilicet per ordinem partium mobilis.

Ad quartam, concedo quod aliquis motus movetur : quia motus est mobile, et mobile movetur. Ad Commentatorem, dico quod ipse intelligit, quod nullum mobile potest perpetuo moveri, nisi cœlum.

Ad sextam, negatur consequentia. Quia si Plato sit sinister Socrati, et Socrate non mutato vadat, quod sit sibi dexter, tunc argueretur quod dexterum non esset Socratis, quia Plato fecit Socratem esse dexterum, et tamen Plato non fecit Socratem ; et ideo ista consequentia non valet, *ego facio A, et non facio B, igitur B non est A*, et hoc propter connotationem alicujus terminorum.

14. Ad septimam dico quod sensibile commune non est aliud quam compositum substantiale habens in se multa sensibilia propria, et ideo illud sensibile potest sentiri a quolibet diversorum sensuum; et ideo concedo quod motus est sensibile commune ; et ideo licet motus sit magnitudo, tamen aliunde res percipitur esse motus, et aliunde magnitudo : et ideo propter diversum modum concipiendi eamdem rem sub diversis conceptibus, ponit illa esse sensibilia communia diversa.

Ad octavam, concedo quod quando ad veritatem alicujus propositionis non sufficiunt duæ res qualitercumque se habentes, oportet eas taliter disponere donec se habeant taliter, qualiter se habentes sufficiunt ad veritatem illius propositionis ; et ideo si motor et mobile non sufficiant ad hoc, quod hæc sit vera, *motus est*, scilicet qualitercumque se habentes, oportet quod motor moveat, et mobile moveatur; nec ad hoc requiritur dispositio superaddita. Et si arguatur, sic motus est actus mobilis; sed mobile non est actus mobilis : ergo, etc.

Respondetur, quod ista, *motus est actus mobilis*, etc. sic intelligitur, mobile quod movetur actu pertransivit aliquid de spatio, super quod movetur, et est in potentia ad pertranseundum aliud, secundum quod in potentia, id est, cum continua tendentia sine interruptione, ad aliquid pertranseundum.

Item, si arguatur sic, motus est subjective in mobili, et tamen mobile non est in mobili; igitur motus non est mobile. Secundo, motus est res successiva, mobile vero res permanens; ergo, etc. Item motus non est acquisitio partis post partem ejus perfectionis, ad quam mobile tendit, donec perficiatur, et sic in actu ; sed mobile non est talis acquisitio : igitur etc. Item, sequeretur quod revolutio hodierna esset revolutio hesterna, arguendo sic expositorie; hoc mobile (demonstrato Sole) est revolutio hodierna ; hoc mobile est revolutio hesterna; ergo, etc. 15.

Respondetur. Ad primum dico, quod ibi sumitur *esse* pro *prædicari*, et ideo sensus est, motus est in mobili, id est, iste terminus *motu* prædicatur de mobili ; et sic solet capi *esse in*, quando dicitur superius esse in suo inferiori.

Et si arguatur sic ; motus cœli est causa generationis, et corruptionis istorum inferiorum, debet sic intelligi : Cœlum, quod movetur, est causa generationis, et corruptionis istorum inferiorum.

Ad aliam ; motus est res successiva, etc, id est, mobile quod movetur, prius est super unam partem spatii, post super aliam; itaque est successive super diversas partes spatii. Ad aliam ; motus est acquisitio, id est, mobile quod movetur acquirit partem spatii post aliam partem : quia de aliis motibus dicetur postea. Ad aliam ; negatur consequentia : quia iste terminus *revolutio hodierna,*, supponit pro Sole, connotando ipsum esse in signo, et in determinata parte alicujus signi, et iste terminus *revolutio hesterna,* supponit pro Sole, connotando ipsum esse in alia parte ; et ideo illa de præsenti nunquam est concedenda, sicut nec ista de præsenti est concedenda ; *motus sursum est motus deorsum* ; sed ista bene est concedenda, *motus sursum fuit motus deorsum* ; et ita etiam ista, *revolutio hodierna fuit revolutio hesterna.*

ANNOTATIONES

16. *Opiniones quinque de quidditate et essentia motus.* (a) *Quædam via est, quod in motu locali acquiritur quidam fluxus,* etc. Nota quod, sicut refert Albertus, quinque fuerunt notabiles opiniones de quidditate, et essentia motus, loquendo de motu in genere. Prima dixit motum esse actionem de genere Actionis, et illa considerabat motum, ut est actus moventis ; et hujus opinionis videtur fuisse Simplicius super Prædicamenta, quærens, quare ponitur prædicamentum Actionis, et non factionis ; et respondet, quia factio dicitur de actione, et de effectu actionis, atque ita est aliqua factio facta : et de tali loquitur Philosophus 2. de Anima, ubi dicit, quod illud quod imprimitur in sensu, est actio ; ponit tamem differentiam inter actionem absolute, et actionem actam : dicitur enim actio acta secundum quod continue recipitur in subjecto.

Alia fuit opinio considerans motum in quantum abjicit a mobili ; et illa dixit quod motus est passio, sive in genere Passionis : et hujusmodi opinionis fuit Commentator 5. hujus, comm. 9. dicens, quod motus secundum materiam suam, est in eodem genere cum suo termino ; secundum autem formam est in genere Passionis : et hoc idem Philosophus 5. Physicorum dicit, quod motus habet duplicem considerationem : quoniam secundum suam materiam est in genere ejus ad quod est, et secundum suam formam est in genere Passionis.

17 Alii vero consideraverunt motum in quantum est fluxus quidam de termino *a quo*, in terminum *ad quem*, et isti tripartiti sunt. Quidam enim dixerunt ipsum esse distinctum per essentiam ab ipsa foma, quæ fluit ; dicebant tamen quod ille fluxus non est in aliquo Prædicamento, eo quod non est ens perfectum ; et hujus opinionis fuit Avicenna in 2. tractatu suæ sufficientiæ, ubi dicit absurdum esse dicere, quod nigrescere sit nigredo, et alibi dicit : Abhorreo dicere, quod nigrescere sit nigredo. Alii vero dixerunt hujusmodi fluxum esse unum genus Prædicamentale, et distinctum a termino *a quo*, et *ad quem* ; sed illorum opinio videtur esse contra Aristotelem. Commentator autem dicit motum secundum aliam considerationem non esse distinctum a perfectione, ad quam tendit, sed solum secundum magis, et minus. Unde dicit quod necesse est, quod motus hoc modo sit de genere illius, ad quod tendit, nihil aliud est nisi generatio unius partis post aliam partem illius perfectionis, ad quam tendit motus, donec perficiatur, et sit in actu.

Nota secundo, quod loquendo de motu in communi, prout tamen distinguitur a mutatione, multiplex fuit opinio, an distinguatur a mobili, et a termino motus. Nam quidam dixerunt motum esse idem realiter, et formaliter cum mobili, et cum termino, et hæc opinio valde improbabilis est ; cum enim in motu alterationis acquiratur accidens, et mobile sit substantia, idem formaliter erit substantia et accidens. Secunda opinio asserit motum idem esse realiter cum mobili, distingui autem realiter a termino. Hæc opinio in hoc, quod dicit motum esse idem realiter cum mobili, coincidit fere in idem inconveniens, in quod prima opinio ; in hoc autem quod asserit motum distingui realiter a termino, videtur contradicere Aristoteli affirmanti motum non esse præter rem ad quam est. Tertia opinio, quæ est Pauli Veniti, firmat, quod motus et a mobili, et a termino distinguitur realiter, quod in hunc modum probat : Mobile, et terminus motus sunt entia permanentia, motus autem quid successivum ; sed una, et eadem res nequit esse simul permanens, et successiva : ergo, etc. Item, quando non est motus, est mobile et terminus motus ; ergo distinguuntur realiter a motu. Patet, quia quando res est in suo termino, cessat motus : ergo quando est terminus, non est motus. Consequentia tenet : quia idem non potest simul esse, et non esse.

18. *Opini... quadr... plex de... tinctio motus mobili...*

Vide S... tum q. 3. Phys...

Quarta opinio, quæ est tenenda cum Scoto, et aliis, sequentibus conclusionibus explicabitur. Sed primo observa, quod motus accipitur dupliciter ; uno modo materiali- *Motus*

riam su- ter : alio modo formaliter : motus materia-
nitur. liter acceptus non est nisi forma, quæ successive acquiritur in subjecto : sed motus formaliter acceptus est via, per quam acquiritur talis forma ; et hoc est quod dicitur *quinto Physicorum, text. 18, cap. 9. et* 10. quod motus habet duplicem considerationem, quoniam secundum suam materiam est in genere ejus ad quod est, secundum suam formam est in genere Passionis. Hoc stante sit :

19. Prima conclusio ; Motus generationis, corruptionis, alterationis et augmentationis distinguuntur realiter a subjecto mobili. Probatur, termini horum motuum distinguuntur realiter a mobili : ergo et motus. Probatur consequentia, quia motus est idem realiter cum termino motus ; ergo si terminus distinguitur, et motus distinguitur.

Secunda conclusio ; Motus generationis, corruptionis, alterationis et augmentationis sunt idem realiter cum suis terminis, distinguuntur tamen formaliter ab illis. Probatur, si motus calefactionis distingueretur realiter a calore, sequeretur quod quando aqua calefit, reciperet in se duas realitates, scilicet calorem, et motum ; hoc autem est absurdum : ergo, etc. Minor probatur, quia non sunt ponenda plura sine necessitate : et patet per Aristotelem in hoc libro dicentem, motum non esse præter rem ad quam est. Et si dicas, generatio, et corruptio sunt relationes ; ergo non sunt idem realiter cum termino, quæ est forma substantialis ; dico quod generatio, et corruptio formaliter acceptæ non sunt substantia, sed accidens respectivum : sed generatio, et corruptio fundamentaliter acceptæ sunt forma acquisita, vel deperdita per transmutationem substantialem.

20. Tertia conclusio. Motus materialiter sumptus est ejusdem essentiæ cum suo termino *ad quem* ; est enim forma fluens de imperfecto ad perfectum, vel e contra.

Quarta conclusio. Motus formaliter acceptus est quidditative et essentialiter in Prædicamento Passionis. Patet ; quia quo passum refertur ad agens, est passio ; sed mobile, quod est patiens, refertur ad agens per motum : ergo, etc. Major patet 5. Metaph. cap. de Relatione, text. 20. ubi dicitur quod secundus modus relativorum fundatur super actionem, et passionem, et super potentiam activam, et passivam.

(b) *Motus localis non est fluxus*, etc. Nota, quod hæc conclusio, et sequens non sunt ad aures Doctoris Subtilis : nam oppositum ipse docet in quodlib. quæstione undecima, articulo 4 et tu vide Leuchetum in 2. distinctione 2. quæstione 4. ad rationes Gregorii de Arimino. Sed hæc sententia est potius aliquorum Thomistarum, qui tenent sex ultima Prædicamenta esse relationes *secundum dici*, et relationem non distingui realiter a fundamento, et ex consequenti dicunt nihil aliud esse me acquirere *Ubi*, quam meipsum cum respectu quodam.

Nos vero Scotum sequentes, et talia sex ultima Prædicamenta relationes *secundum esse* affirmamus, et a fundamentis realiter distinctas, quarum una est Prædicamentum *Ubi*, quod per motum localem acquiritur : quomodo autem successive, vide Leuchetum ubi supra. 21.

Sit ergo ad aures Scoti hæc conclusio : Motus localis distinguitur realiter a mobili, et a termino motus. Prima pars probatur, tum quia motus localis est accidens mobilis ; mobile vero substantia, tum quia *esse* motus localis consistit in *fieri*, non autem *esse* mobilis, eo quod in quolibet instanti est mobile, non autem motus : tum, quia motus localis est subjective in mobili, atque ita actus mobilis, idem autem non est actus sui ipsius. Et tandem motus terræ sursum est violentus terræ ; terra autem sibi ipsi non est violenta : ergo, etc. Secunda pars ex eo patet, quia reliqui motus sunt idem realiter cum suis terminis ; quia sunt formæ absolutæ, quæ successive per partes acquiruntur ; sed *Ubi* est relatio, quæ in instanti, et non per partes acquiritur, loquendo de *Ubi*, quod est terminus motus ; ergo distinguitur realiter a motu.

EXPOSITIO TEXTUS

Et dubitatum autem (1) *manifestum est*, etc. Hoc est tertium capitulum hujus tractatus, in quo Philos. movet dubia circa definitionem motus, et est primum dubium, utrum motus sit actus moti, vel mobilis. Secundum, utrum moti, et mobilis sit idem actus. Tertium, utrum actio et passio sint idem motus. Et quartum, utrum actio, et passio sint in agente, vel in patiente. Et primo solvit primum dubium. Secundo secundum, et tertio alia duo simul. Secundum ibi, *Motivi autem actus*. Tertium ibi, *Habet autem dubitationem*. Primo ponit istam conclusionem, quod motus est in mobili. Probatur, quia in illo est motus, cujus motus est actus ; sed motus est actus mobilis, sed causatus a movente ; igitur motus est actus mobilis, sive motus est in mobili. 22. Text 18.

Motus autem actus. Solvit secundam dubitationem, et ponit istam conclusionem, quod motus est idem actus motivi, et mobi-

lis. Probatur, quia ille est idem actus motivi et mobilis, per quem mobile est in potentia, ut moveatur, et per quem movens actu agit, vel operatur ; sed per motum est mobile in potentia ut moveatur, et movens actu agit motum ; igitur motus est utriusque actus. Et declarat per duo exempla, quorum aliqui primum sic exponunt, quod eadem est proportio unius ad duo, et duorum ad unum, quod est impossibile, cum una sit proportio majoris inæqualitatis, et alia sit proportio minoris inæqualitatis ; et ideo debet sic intelligi, quod eadem est proportio, id est, distantia unius ad duo, quæ est duorum ad unum. Secundum exemplum, quia eadem est via ascendentis, et descendentis, licet hoc sit diversimode ; ita similiter idem est actus moventis, scilicet secundum quod fit a movente ; et moti, id est, secundum quod recipitur in moto.

23. Text. 19. *Actio an sit in agente, vel in passo.*

Habet (2) *autem dubitationem*, etc. Solvit tertiam, et quartam dubitationes simul ; et primo probat, quod actio et passio non sint diversa ; secundo quod non sint unum ; et tertio solvit. Secundum ibi : *Sed unus erit actus*. Tertium ibi : *An neque alterius*, etc. Est igitur prima suppositio, quod actio est actus activi, et passio est actus passivi. Probatur, quia uniuscujusque opus et finis est actio ipsius : modo actio est finis et opus agentis, et passio finis et opus patientis. Hoc supposito, probatur quod actio et passio non sunt motus distincti, quia vel ambo essent in agente, vel in patiente, vel actio in agente, et passio in patiente : quia e converso dicere, non esset nisi abuti nominibus. Si ambo in agente, hoc est impossibile ; quia tunc vel habens motum non moveretur, vel omne movens moveretur. Quod probabitur falsum in octavo hujus, tex. 54 et inde. Si ambo sunt in patiente, tunc sequuntur duo inconvenientia ; primum, quod non uniuscujusque est in illo, cujus est actio. Secundum, quod duo motus distincti secundum speciem, erunt ad unam, et eamdem rem secundum speciem. Si dicatur, quod actio sit in agente, et passio in patiente, tunc sequitur sicut prius, quod omne movens movebitur, quod est falsum.

Sed unus erit actus. Hîc ostendit, quod ista sunt eadem : quia irrationabile videtur, quod idem sit actus, seu motus diversorum secundum speciem, scilicet moventis et moti. Secundo, sequeretur quod doctio et doctrina essent idem, quod est falsum : quia doctio est Doctoris, et doctrina discipuli. Tertio, sequeretur quod idem esset agere, et pati, quod est falsum : quia aliqua agunt, quæ non patiuntur : et quarto, sequeretur quod omne docens addisceret, quod est falsum. 24.

An neque (3) *alterius actum*, etc. Hîc solvit dictam dubitationem ; et primo rationes. Unde non est inconveniens, quod actus alicujus sit in alio, ab eo cujus est actus, ut doctio, quæ est actus docentis non decisus, id est, continue dependens a docente in *fieri*, est in discipulo, qui docetur. Secundo dicit, quod doctio, et disciplina sint idem, non est inconveniens ; sed dicitur doctio, in quantum fit a doctore, et disciplina, in quantum recipitur in discipulo. Tertio, quod non sequitur, quod omne agens patiatur ; et quarto, quod non sequitur, quod idem sit agere, et pati. Et dicunt aliqui quod *agere* supponit pro eodem, pro quo iste terminus *actio*, et sic sunt idem agere et pati. Alii dicunt quod iste terminus *agere* supponit pro aggregato ex agente et actione, et *pati* pro aggregato ex passione et passo ; et tunc non est idem agere, et pati. Ex istis patet, quod Aristoteles intendit tres conclusiones solvendo istas dubitationes. Prima est, quod actio et passio sunt idem motus. Secunda, quod actio et passio sunt in patiente : et Tertia, quod actio et passio differunt secundum rationem, et tunc recapitulando dicit, quod sicut data est definitio motus in generali . ita potest accipi proportionaliter cujuslibet specierum ejus, ut alteratio est actus alterabilis secundum quod alterabile, eodem modo de ædificatione, et medicatione, et singulis aliis motibus. Text. 2[?]

Vide Zimaram tab. lit. [?] et lit. [?] fol. 165 col. 2.

Actio, et passio sunt idem motus.

Actio, et passio sunt in patiente.

Actio, et passio differunt ratione.

QUÆSTIO VIII

Utrum omnis actio sit in agente

Aristot. *hic text.* 22. *et* 9. *Metaph. c.* 9. D. Thom. *ibid. et lib.* 2. *cont. Gent. c.* 2. *et Opusc.* 48. Scotus *in* 4. *dist.* 13. *q.* 2. *et in quodl.* 13. Ant. And. *lib. de sex princ. c. de actione.* Canon. *q.* 2. *art.* 3. Ægidius *de mensura Angelor. q.* 10. Hervæus *quodl.* 9. *q.* 8. Ferrariens. 2. *de Anima, q.* 22. *et* 2. *cont. Gent. c.* 2. Soncinas 5. *Met. q.* 37. Cajet. 1. *par. q.* 25. *art.* 1. Javellus 9. *Met. q.* 15. Conimbr. 3. *Phys. cap.* 3. *q.* 2. Suar. *tom.* 2. *disp.* 48. *sect.* 4. Complut. *disp.* 17. *q.* 4. Ruvius 3. *Phys. tractat.* 1. *q.* 6. Aversa *tom.* 1. *quæst.* 26. *sect.* 4. Fuentes *q.* 2. *diffic.* 2. Faber *Theorem.* 41. Roccus *quæst.* 7.

1. Arguitur quod sic : quia impossibile est effectum causæ formalis inveniri sine illa forma ; sed agens est effectus formalis actionis : ergo, etc.

Secundo, quia perfectio alicujus non potest inveniri nisi in illo, cujus est perfectio ; sed actio est perfectio agentis, tunc enim agens est in sua ultimata perfectione quando agit ; igitur actio non est nisi in agente.

Tertio, actio et passio sunt mutationes oppositæ, et passio est in patiente ; igitur actio non est in patiente, et per consequens est in agente.

Quarto, quia omnis dispositio est in illo subjective, quod denominat ; sed actio denominat agens : igitur actio est in agente. Major patet inductione : quia anima est in illo, quod denominatur animatum, justitia in illo, quod denominatur justum ; et sic de aliis.

Quinto, quia cujus est potentia, ejus est actus ut patet in libro de Somno et Vigilia ; sed in agente est potentia activa : igitur et actio.

Sexto, per Aristotelem 8. hujus, text. 6. et inde, ubi dicit, quod si Deus ageret aliquid de novo, mutaretur, et non nisi recipiendo actionem : igitur actio ipsius Dei, si de novo ageret, esset in ipso Deo ; quia aliter non sequeretur, quod mutaretur, et per consequens multo fortius cujuslibet alterius agentis actio est in ipso agente.

Septimo, agat ignis in duo calefactibilia ; tunc hujus ignis est una actio, vel plures ; non plures, quia unius agentis unica debet esse actio ; si una, tunc vel est subjective in agente, et habetur propositum, vel in passo, et hoc non ; quia qua ratione esset in altero illorum passorum, eadem ratione in reliquo.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto tertio, text. 22. ubi ponit quod actio, et passio sunt idem motus, qui est in passo, et non in agente ; sed denominatur actio pro tanto, quia fit ab agente effective. 2.

Notandum est, quod hoc nomen *actio* multoties accipitur æquivoce. Nam uno modo dicitur actio operatio rei, sive sit cum motu, sive sine motu, imo adhuc in re immateriali ; et sic dicit Commentator 12. Metaph. comm. 39. quod Deus est actus purus. Item in 2. Metaph. comm. 39. dicit, quod actio in rebus immaterialibus dicitur illud quod significatur per modum actus, ut *intellectio, volitio, et delectatio.* Secundo modo restringitur hoc nomen *actio*, vel *actus* ad actiones elicitas, scilicet quæ proveniunt ab electione, et sic in moralibus, scilicet in 6. Ethicorum, actio distinguitur contra factionem, et scientiæ factivæ contra activas. Tertio modo dicitur actio operatio agentis, et sic dicit Aristoteles in isto tertio, tex. 19. quod actio est actus activi, secundum quod activum, ita quod est finis et operatio agentis ; et sic accipitur in proposito. *Actio multis modis accipitur.*

Secundo, notandum quod hoc nomen *passio* est æquivocum. Uno modo dicitur passio de omni qualitate, vel dispositione respectu sui subjecti, et sic *sanitas, scientia, albedo*, et hujusmodi dicuntur passiones. Secundo modo dicitur passio appropriate de quolibet sensibili ; et sic dicimus, quod tertia species Qualitatis est Passio, vel Passibilis qualitas. Tertio modo restringitur hoc nomen *passio* ad operationes appetitus, et præcipue appetitus sensitivi. Et sic accipitur passio in secundo Rhetoricæ. Quarto modo accipitur passio, ut hoc nomen *passio* restringitur ad corruptiones, et actiones 3. *Passio est quivocum.*

nocivas. Et sic dicimus læsum passum, et non illum, qui accipit alterationes salutiferas. Quinto modo accipitur passio pro termino connotativo convertibili cum termino absoluto, vel minus connotativo. Et sic dicimus, quod risibile est passio hominis. Sexto modo dicitur passio operatio passi recepta ab agente ; et sic dicit Aristoteles in isto tertio, quod passio est actus passivi secundum quod passivum, ita quod passio est finis et operatio illius passi ; et isto modo accipitur in proposito.

Tertio, notandum est, ut probabitur postea, et patet per Aristotelem in littera, quod actio et passio sunt eadem res numero, quæ est in patiente, et denominatur passio ea ratione, qua recipitur in passo, et denominatur actio, eo quod fit ab agente.

4. *Actio est distincta ab agente.*

Ideo ad videndum quod ista sunt ab invicem indistincta, et quod sunt in eodem, ponuntur conclusiones. Prima conclusio :

Omnis actio est res distincta ab agente. Probatur, quia omnis actus, et operatio alicujus rei est distincta ab illo, cujus est operatio ; sed actio est actus agentis : ergo, etc. Major patet ; quia actus et operatio agentis dependet, et producitur ab agente : igitur si esset eadem agenti, jam idem dependeret, et produceretur a se ipso.

Passio est actio.

Secunda conclusio : omnis (a) passio est actio. Probatur sic ; omne illud est actio, quod est actus activi, scilicet finis, et operatio ipsius, secundum quod activum ; igitur omnis passio est actio. Consequentia tenet per definitionem actionis. Et antecedens probatur, quia si esset aliqua passio, quæ non esset actus activi, jam illa passio fieret, et non ab aliquo agente, quod est impossibile.

Sed contra conclusionem objicitur. Primo, per Auctorem Principiorum, qui dicit, quod passio est effectus illatioque actionis ; modo effectus cum sit idem cum sua causa. Secundo dubitatur, an omnis actio sit passio. Respondetur ad primum, quod illa (b) definitio est falsa, et Auctor loquitur improprie, sicut fecit per totum illum librum ; sed potest sic intelligi, ex quo actio, et passio sunt eadem res, tamen dicitur actio, eo quod fit ab agente, sed dicitur passio in quantum fit in passo ; et ideo in accidentibus naturalibus, ubi passio omnis est actio, et e contra, ista causalis est vera : *quia actio est, passio est*, et e contra, licet quodlibet sequatur ad reliquum, et ideo propter veritatem illius causalis ponit Auctor, quod actio sit causa passionis.

Ad secundum, dico quod omnis actio naturalis est passio, quia semper talis fit præsupposito subjecto ; sed non oportet de actione supernaturali. Nam si Deus crearet unam Intelligentiam, aut unam portionem materiæ primæ, illa creatura esset actio, et non passio.

Tertia conclusio. Actio agentis non est res distincta a re, quam producit in passo : verbi gratia, quod calefactio facta ab igne in aqua non est alia res a calore, qui in aqua producitur. Probatur, quia omnis effectus productus ab agente in passo est actio : igitur etiam quilibet qui producitur est actio. Consequentia tenet, quia non est major ratio de uno effectu, quod sit actio, quam de alio : et antecedens probatur per definitionem actionis : nam calor, dum producitur ab igne, est actus activi, scilicet ignis secundum quod ab igne. Secundo, quia si calefactio esset actio media distincta a calore, tunc sequeretur, quod agens simul haberet actiones infinitas æquales uni actioni datæ, quod est impossibile : et consequentia probatur, quia sicut ad actionem caliditatis indiget actione distincta a caliditate, ita etiam ad productionem illius actionis indiget secunda actione, et ad productionem secundæ indiget tertia, et sic in infinitum : quia qua ratione aliqua produceretur sine actione superaddita, eadem ratione et caliditas potest produci sine superaddita calefactione. Tertio si caliditas, dum producitur, et calefactio sint res distinctæ, tunc Deus poterit unam istarum conservare isto modo, quod concurrat agenti ad calefactionem, sine hoc quod concurrat ad producendum calorem, et e contra ; tunc sequitur, quod aliquid fiet sum-

me calidum sine calefactione, et quod aliquid calefiat sine caliditate, quod non est imaginabile.

6 Quarto, quia si actio sit res distincta a re producta ab agente, tunc capio aliquod agens, quod indivisibiliter producit suam actionem, scilicet voluntatem, quæ subito elicit actum suum ; si actio sua sit res distincta a qualitate, quam producit, sequitur quod aliqua res duret præcise per instans, quod est impossibile, ut allegatum fuit in alia quæstione ex 8. hujus.

Contra conclusionem arguitur ; quia illa sunt distincta ab invicem, quorum unum transit, reliquo manente ; sed manente effectu producto ab agente, transit actio ; ergo, etc. Secundo, quia radius luminis nunc de facto agitur, et dependet a Sole ; nunc pono (sicut possibile est) quod Deus suppleat activitatem Solis, ita quod omnino ille radius non dependeat a Sole, sed præcise a Deo : tunc arguitur sic ; prius iste radius dependebat a Sole, et nunc non dependet a Sole ; igitur habitudo ipsius ad Solem, quæ significatur per hoc, quod dicitur esse a Sole, jam corrupta est. Item, si per istam radius dependet a Sole, nulla res importaretur nisi Sol, et radius fuit ut prius, sequitur, sicut radius prius dependebat a Sole, ita de facto dependeat, nisi dicatur, quod actio Solis sit corrupta et habetur propositum, quod actio sit distincta ab effectu producto.

7. Respondetur ad primum, concedendo majorem, et negando minorem. Unde dum caliditas producitur, concedo quod actio, seu calefactio durabat tamdiu, sicut et caliditas, sed non est tamdiu calefactio. Ideo propter connotationem hujus termini *calefactio*, qui connotat caliditatem acquiri, concedendum est, quod calefactio est, quando non est calefactio.

Ad secundum, concedo casum, et dico, quod nec aliqua dependentia, nec actio corrumpitur, sed ille idem radius sine aliqua mutatione, qui prius dependebat a Sole, nunc dependet a Deo. Nec etiam erat prius actio media, qua prius dependebat a Sole, sicut nunc non est actio media, qua radius dependet a Deo.

Omnis actio et omnis passio est in patiente.

Quarta conclusio ; Omnis (c) actio, et omnis passio est in patiente, loquendo de actione naturali, cui supponitur subjectum. Probatur, quia in illo est actio, in quo est effectus productus ab agente ; sed hoc est in patiente ; ergo, etc. Secundo arguitur ratione Aristotelis, quia nisi omnis actio esset in patiente, sequeretur quod omne agens pateretur, vel habens motum, vel mutationem non moveretur, quod est impossibile ; quia si primum esset verum, jam esset processus in infinitum in causis. Similiter, si secundum esset verum, jam esset aliquis motus, quo nihil moveretur, quod est impossibile.

Effectus causæ formalis sumitur dupliciter.

Ad rationes. Ad primam dico, quod effectus causæ formalis accipitur dupliciter : uno modo pro causato formæ, et sic non est aliud, quam materia, vel compositum. Alio modo accipitur improprie pro illo, quod denominatur ab aliqua forma, sive (d) intrinsece, sive extrinsece, et hoc modo agens est causatum a forma scilicet actionis, quia denominatur ab actione, et non primo modo. 8.

Ad secundum dico, quod operatio agentis non est perfectio agentis saltem (e) de agente, sed est perfectio recipientis : verbi gratia, calefactio non est perfectio Solis calefacientis, sed illius, quod calefit : verum est tamen, quod nos dicimus, quod operatio agentis est sua perfectio, eo quod est signum suæ perfectionis.

Ad tertium, negatur major. Ad quartum dico, quod dispositio existens in aliquo subjecto denominat illud subjectum, sed non oportet, quod denominet ipsum secundum quodlibet nomen illius dispositionis : verbi gratia, secundum Aristotelem in isto 3. text. 19. doctrina est in discipulo, et tamen secundum istud nomen *doctrina* non denominat discipulum, sed secundum istud nomen *disciplina* ; ita in proposito actio denominat passum in quo est, non secundum istud nomen *actio*, eo quod non dicitur actio nisi in quantum fit ab agente ; sed denominat ipsum secundum hoc nomen

passio, et secundum hoc nomen *caliditas*, si sit actio ad caliditatem.

9. Ad quintum, concedo, sed non oportet quod in eo sit passio subjective, sed sufficit quod sit ab illo, ita ut cujus est potentia ad agendum, ejus est actus, id est, actio tanquam ab illo, non tanquam in illo.

Ad sextum, dico quod Aristoteles non dicit, quod Deus mutaretur propter novam actionem, quam in se reciperet ; sed propter hoc quod credidit Deum non posse agere de novo sine nova voluntate, vel nova dispositione in voluntate mediante qua ageret, quia super hoc fundatur ejus processus. Ad septimum, dico quod ipsius sunt duæ actiones, imo quod essent passa diversa approximata, in quibus ignis ageret, tot essent actiones distinctæ : imo quod plus est, si plura agentia ut plures ignes, agerent in idem passum, ab omnibus illis in illud passum fieret una actio, et esset tanquam ab uno totali agente.

ANNOTATIONES

10. *Actio sumitur dupliciter atque etiam passio.*

(a) *Omnis passio est actio.* Nota primo, quod dupliciter accipitur actio, et passio, materialiter scilicet, aut formaliter : materialiter sumitur pro illa forma, quæ fluit, et pro motu, quo pervenitur ad formam, quæ ab aliis dicitur *actio acta*, et sic caliditas in aqua, quando producitur, dicitur calefactio ; et de hac est verum dicere, quod idem motus est actio, et passio : et dicitur actio forma, quia est effectus agentis ; et dicitur passio, quia non est in potestate recipientis illam non recipere, si servanda serventur : activo enim et passivo debite approximatis necessario sequitur actio ; et de actione, et passione in hac significatione loquitur Scotus in hac quæstione. Si vero actio, et passio accipiantur formaliter, dicunt relationes primo diversas constituentes diversa Prædicamenta, quarum actio est subjective in agente, et passio in patiente, de quibus, ut sic, non est verum dicere, quod sunt unus motus, neque motus, quia Prædicamenta Actionis et Passionis sunt primo diversa, sed actio, et passio, quæ sunt idem motus, sunt eædem prorsus realiter.

11. *Actio relatio non est principium productivum, sed est principium denominandi agens.*

Nota secundo, quod actio relatio non est principium productivum, licet sit principium denominandi agens : qua actione agens formaliter dicitur agens ; nullum enim aliud est principium productivum, nisi agens cum virtute producendi. Et quando dicitur, quod generatio terminatur ad genitum, verbi gratia, generatio ignis ad ignem genitum, debet sane intelligi : si enim accipiatur generatio, ut prior genito, tunc generatio formaliter nihil aliud est in se nisi causa generans, et præcise ipsum absolutum causæ, quæ nihil aliud facit nisi ponere in *esse* genitum, quod habebat in virtute, quo posito, sequitur relatio causati ad causam, et e contra. Si vero accipiatur formaliter actio, vel generatio pro relatione, qua generans dicitur agens, talis non est prior genito, neque mediat inter genitum, et generans ; tantum enim absolutum causæ ponit in *esse* absolutum effectus, et statim quasi posterior sequitur relatio, quæ dicitur actio.

12. *Ordo causandi.*

Nota tertio, quod ordo causandi est hujusmodi. In agente et patiente, quæ sunt naturæ absolutæ, fundantur duæ relationes antequam agens inducat effectum in passo. Prima relatio est inclinati ad rem, cui inclinatur : quæ duobus modis contingit, uno ex parte agentis, altero ex parte patientis : agens vero inclinatur, ut perfectivum ad passum, ut ad suum perfectibile, quod perficit ; e converso, passum ut perfectibile inclinatur ad duplex perfectivum, intrinsecum scilicet, et extrinsecum. Perfectivum intrinsecum est forma quam in se recipit productum ab agente, ipsum vero agens est perfectivum extrinsecum. Secunda relatio est approximationis, (debent enim approximari activum, et passivum) istæ relationes fundantur in absoluto agentis, et patientis, ante actionem, et passionem. His relationibus positis, statim absolutum in causa, id est, ipsa causa causat effectum in suo esse, et in esse absoluto : et tunc agens dicitur referri ad patiens per relationem, quæ in ipso resultat, quæ dicitur actio de Prædicamento Actionis : et similiter in passo oritur relatio passionis, qua dicitur pati, et qua refertur ad agens. Et dicit Scotus quod hujusmodi relationes sunt præviæ ad relationes effectus ad causam, et causæ ad effectum.

13. Unde ex hac causatione primo resultat in effectu relatio ad causam, et relatio causæ ad effectum. Quod Leuchetus in quol. quæst. 13. sic explicat. Prius forma inducitur in materia, et post immediate resultat relatio passio in ipsa materia, quæ terminatur ad agens : agens enim habet respectum ad formam productam, et habet alium respectum agentis ad passum, et sic passio est prior forma producta ; quia est respectus fundatus in materia, scilicet quod materia recipit formam ab agente. Atque ita dicitur, quod passio est dispositio prævia ad relationem geniti ad generans, qua dicitur genitum dependere ad generans, et ista

relatio est posterior. Hæc Leuchetus. Verbi gratia, ut ignis producat calorem in ligno, debet ignis habere principium quo agat, a quo dicitur activus et effectivus : in quo igne ut sic, fundatur relatio perfectivi, id est, potentis producere perfectionem, seu formam, et in recipiente, ut in ligno debet correspondere principium passivum, quo possit recipere actionem ignis, in quo, ut sic, insurgit duplex relatio perfectibilis, una ad formam, quæ debet recipere, quæ forma dicitur perfectivum intrinsecum talis ligni ; et altera ad ignem producentem talem formam, qui ignis dicitur perfectivum extrinsecum ligni Rursus debent ignis et lignum approximari, id est, poni in debita distantia ad hoc, quod ignis possit operari in ligno, et statim ignis sua forma, ut principio formali agit in ligno, producendo calorem:in hac productione resultat in igne relatio, quæ dicitur actio et a qua ignis denominatur agens:et hac relatione refertur ad lignum,ut ad passum,et hæc relatio constituit Prædicamentum Actionis. In ligno etiam correspondet alia relatio ad ignem, quæ dicitur passio, a qua formaliter lignum dicitur pati, et hæc relatio constituit Prædicamentum Passionis. Resultat etiam in calore producto relatio effectus ad ignem, ut ad causam, et in igne correspondet alia relatio causæ ad calorem, ut ad effectum, et istæ relationes sunt de genere Relationis.

14. *In qualibet actione physica tres relationes possunt considerari.*

Ex hoc sequitur primo, quod in qualibet actione physica possumus tres relationes considerare.Prima est agentis ad terminum totalem productum, qui est effectus agentis. Secunda ad terminum formalem ; et hæ duæ relationes, cum sint intrinsecus advenientes, sunt quidem in Prædicamento Relationis. Tertia relatio est quam habet agens in ordine ad patiens, et hæc tertia relatio est extrinsecus adveniens, quia non consurgit necessario positis fundamento et termino ; ut si aqua, et ignis essent, non sequitur talis relatio quousque ignis agat in aquam. Unde hoc nomen *actio* potest accipi pro qualibet harum trium relationum, et etiam accipitur pro motu, ut procedit ab agente ; aliquando etiam accipitur pro actione immanente, quæ vere est qualitas, ut est intellectio et volitio.

Quomodo actio et passio sunt idem motus.

Secundo sequitur, quomodo sit verum dicere, quod idem motus est actio et passio, qui ut procedit ab agente dicitur actio, et ut recipitur in patiente, passio ; hoc enim verum est tantum de actione acta, vel de motu, materialiter accepto : nam actio, et passio ut sic, non constituunt illa duo ex sex ultimis Prædicamentis : nam ut talia Prædicamenta constituunt, dicunt relationes non quascumque, sed relationes inter agens et patiens.

15. *Motus realiter distinguitur ab actione quæ est relatio.*

Tertio, sequitur quod motus essentialiter, et realiter distinguitur ab actione, quæ est relatio. Tum quia distinguuntur prædicamentaliter, tum quia motus est subjective in mobili, et actio in agente. Et si inveniatur aliqua auctoritas, dicens, quod actio sit motus, hoc debet intelligi terminative, quia scilicet terminatur ad motum : vel concomitanter, quia ipsam concomitatur motus : vel debet accipi actio pro actione acta, quæ est motus saltem materialiter acceptus.

Definitio actionis explicatur.

(b) *Illa definitio est falsa*, etc. Nota, quod illa definitio Auctoris sic explicatur ab Antonio Andrea in lib.6.principiorum, quæst. 8. passio est effectus actionis, sic quod actio efficit ipsam, non ut *quod*, nec ut principium formale *quo*,sed sicut actus productivus,quo agens transmutat passum,et transmutatio passiva est ipsa passio illata. Nam principium productivum est duplex, scilicet ut *quod*, et *ut quo*, et hoc secundum est etiam duplex ; vel ut principium formale productivum, vel ut actus productivus. Exemplum primi, ignis calefaciens respectu caloris geniti in ligno. Exemplum secundi, calor in igne respectu termini ejusdem. Exemplum tertii, calefactio respectu ejusdem termini :passio ergo est effectus et illatio actionis, sicut respectus oppositus consequens formam, ad quam transmutatur. Unde in tali transmutatione oportet imaginari tria instantia, vel signa naturæ, licet totum possit esse simul tempore et duratione. In primo signo est agens, et passum, ut duo absoluta ante omnem actum, puta ignis, et aqua. In secundo signo forma caloris inducitur in aqua ab igne. In tertio signo consurgit respectus passionis in passo, et respectus actionis in agente, quia simul sunt respectus oppositi, et non sunt. Forte in eodem signo innascuntur respectus producentis et producti, inducentis et inducti, qui sunt de genere Relationis. Hæc expositio est Logica, sumendo actionem et passionem pro respectibus, prout constituunt duo Prædicamenta diversa. Expositio autem, quam hîc tangit Scotus,est mere physica, sumendo actionem et passionem pro forma absoluta, quæ realiter est actio, et passio, diversimode tamen considerata.

16. *Actio alia immanens, alia transiens.*

(c) *Omnis actio et omnis passio est in patiente.* Nota, quod actio est duplex, scilicet, immanens et transiens ; et hæc divisio potest esse generis in species, aut vocis in significationes. Nam actio transiens non dicitur, quia quæ vere est actio de genere Relationis transeat,talis est enim in agente, ut in subjecto : sed dicitur transiens, quia forma inducta per actionem transit in passum, sicut calor transit in aquam, quando aqua calefit ab igne ; sed actio de genere Actionis, non solum est terminus forma

quæ sic transit, sed etiam forma inducta per mutationem manens in ipsomet agente, ut productio intellectionis est actio, quæ terminatur ad intellectionem, quæ est forma absoluta manens in intellectu, atque adeo actio univoce dicitur de actione transeunte, et immanente sic intellectis. Si vero actio transiens accipiatur pro vera actione de genere Actionis, cujus terminus formalis, scilicet forma, quæ inducitur de novo, transit in passum ; et actio immanens accipiatur pro forma, quæ manet in agente inducta per actionem, quæ forma est vera qualitas, talis acceptio est vocis in significationes.

Ex hoc sequitur primo, quod proprie loquendo, omnis actio est immanens : quia actio proprie cum sit relatio de genere Actionis, est in agente subjective ; dicitur autem transiens , non quia ipsa actio transeat, sed quia terminus productus per ipsam transit in passum, et dicitur immanens, quia terminus productus per ipsam manet in agente.

17. Secundo, sequitur quod operationes intellectus, voluntatis et sensuum, quas vocant actiones immanentes, cum veræ qualitates sint, dicuntur tamen actiones, quia duas conditiones ex tribus, quas actioni assignamus, habeant : videlicet *esse in continuo fieri*, hoc est, cessare cessante agente ab operatione, et esse in subjecto sicut actio ; intellectio quippe est in intellectu, sicut actio, quæ est relatio, est in agente. Tertiam autem conditionem, quæ est completiva ratio actionis, scilicet quod actio transit in terminum, qui accipit esse per eam, non habent, sed tantum in hac conditione assimilantur actioni ; sicut enim actio transit in terminum, qui habet esse per actionem, sic operatio transit in objectum, licet objectum non habeat esse per ipsam operationem, imo præsupponitur suo *esse*, quia per tales operationes nihil fit, ut patet per Aristotelem 1. Ethicorum, cap. 1. et 4. Metaphysicæ, cap. 9. ubi dicit,quod visio et speculatio nullum aliud opus habent præter seipsas.

Tertio, sequitur quod Scotus in hac conclusione quarta loquitur de actione, quæ habetur per motum et transmutationem ; omnis enim talis (quæ quatenus est ab agente, dicitur actio, et quatenus in passum recipitur, appelatur passio) est subjective in passo.

18. (d) *Sive intrinsece, sive extrinsece.* Intrinsece, id est, denominatione intrinseca, quæ fit per formam formaliter existentem in subjecto. Sive extrinsece, id est, denominatione extrinseca, quæ fit per formam quæ non est in denominato, quemadmodum lapis appellatur visus visione non in lapide, sed in oculo existente ; et hoc modo (inquit Scotus) ignis denominatur agens ab actione non in ipso agente, sed in passo existente, quod utique verum est, (loquendo de actione acta) cæterum ignis denominatur agens formaliter, et intrinsece ab actione, relatione in ipso formaliter existente.

(e) *Saltem de agente.* Propter depravationem litteræ non potuimus adjunctum intelligere, et divinare noluimus ; sed forte adjunctum est intrinsece, ita ut actio sit saltem de agente intrinseco. Observa tamen, quod quando aliquid incipit de novo, aut incipit per productionem, aut est ipsa productio formaliter, ut videre est in productione caloris, qui incipit per productionem ipsius, scilicet per calefactionem, calefactio vero incipit de novo non per productionem terminatam ad ipsam, alias enim esset processus in infinitum, investigando unam actionem, qua producitur calefactio, et aliam qua producitur illa actio ; sed calefactio incipit de novo se ipsa, quia est productio caloris, quæ cum sit actio de Prædicamento Actionis, non potest esse terminus productionis, quia actionis non est actio ; et si actio inciperet per actionem aliam, esset processus in infinitum. Nam quando aliquid est denominative tale, et aliquid formaliter tale, standum in eo,quod est formaliter tale ; modo calor est denominative talis, scilicet productus, calefactio vero actio est formaliter talis, nempe productio, atque adeo ipsa non producitur. Et per hoc solvuntur rationes ad tertiam conclusionem, quatenus improbare videntur actionem de genere Actionis.

EXPOSITIO TEXTUS

Quoniam autem (1) *de natura scienia e circa magnitudines, motum, et tempus*, etc. 19. Text. 24. *Infiniti considerationem ad Physicum pertinere.*
Iste est secundus tractatus hujus 3. in quo Philosophus determinat de infinito ; et dividitur in sex capita. In primo recitat opiniones antiquorum. In secundo disputat an infinitum sit, vel non sit. In tertio ostendit, quod nullum est corpus sensibile actu infinitum. In quarto ostendit, qualiter infinitum est, et qualiter non est. In quinto, quid sit infinitum definitive. In sexto ostendit, quæ sit causa finitatis, et infinitatis in rebus naturalibus : et in septimo solvit rationes, quibus probatur infinitum esse. Secundum ibi, *Esse autem aliquid infinitum.* Tertium ibi, *Physice autem magis speculantibus.* Quartum ibi, *Quod autem igitur actu non sit corpus infinitum.* Quintum ibi, *Accidit autem contra esse infinitum.*

Sextum ibi, *Secundum autem rationem accidit.* Septimum ibi, *Reliquum est autem aggredi.* Primum capitulum dividitur; quia primo ostendit, quod ad Naturalem spectat determinare de infinito. Secundo recitat opiniones antiquorum, ibi, *Atque omnes tanquam principium.* Est igitur conclusio ista, quod ad Naturalem spectat determinare de infinito. Probatur, quia ad illum spectat determinare de infinito, qui debet determinare de magnitudine, tempore, et motu : sed Naturalis debet determinare de istis ; igitur et de infinito. Major patet, quia necesse est magnitudinem, motum, et tempus esse finitum, vel infinitum : nam finitum, et infinitum se habent per modum passionum respectu istorum terminorum *magnitudo*, *tempus*, et *motus* : modo qui considerat de subjectis, habet considerare de propriis passionibus : et innuit Aristoteles quod omnis res est finita, vel infinita, nisi forte sint punctus, vel passio, scilicet qualitas, quæ per se, nec est finita, nec infinita, sed secundum finitatem, vel infinitatem sui subjecti. Secundo patet
Text. 25. conclusio per signum : nam (2) omnes, qui rationabiliter determinaverunt de naturalibus, fecerunt mentionem de infinito.

20. *Veterum de infinito opiniones.* *Atque omnes tanquam principium*, etc. Hîc recitat opiniones antiquorum ; et primo non naturaliter loquentium. Secundo naturaliter loquentium, ibi, *Qui autem de natura.* Primo recitat opiniones eorum, quoad convenientiam. Unde omnes antiqui in hoc convenerunt, quod infinitum est principium aliorum et non principiatum. Tunc ibi, *Alii quidem.* Ponit convenientiam Pythagoræ, et Platonis : uterque enim dicebat, quod infinitum est substantia per se existens, et alteri non inhærens. Tunc ibi,
Text. 26. *Verum* (3) *Pythagorei*, recitat differentias istorum. Unde Pythagoras, et Plato in hoc differunt : quia Pythagoras posuit infinitum in sensibilibus, sed Plato posuit infinitum in insensibilibus, ut puta numerum infinitum; Ideam infinitam. Secundo differunt, quia Pythagoras posuit extra cœlum spatium infinitum. Plato vero nihil posuit extra cœlum, nec ideas, nec aliquid aliud. Tertio differunt, quia Plato posuit duo infinita, unum a parte magnitudinis, ut in numeris, quia numerus est augmentabilis in infinitum ; aliud a parte parvitatis, ut in continuis, quia continuum est divisibile in infinitum. Sed Pythagoras posuit unum solum infinitum, quia ponebat, quod numerus impar est causa finitatis, et numerus par causa infinitatis : Ut verbi gratia, si primus numerus impar, scilicet ternarius, addatur unitati, resultat primus quadratus, scilicet *quatuor*, et per appositionem secundi numeri imparis, scilicet *quinque* primo quadrato, resultat secundus quadratus, scilicet *novem*, et per additionem tertii imparis, scilicet *septem* secundo quadrato, resultat tertius quadratus sexdecim, et sic in infinitum per additionem numeri imparis, resultant semper consimiles species gnomonis, ad similitudinem gnomonis in magnitudinibus : sed per additionem numerorum parium resultarent diversæ species numerorum, ut patet intuenti.

Qui autem (4) *de natura.* Hîc recitat opiniones antiquorum naturaliter loquentium 21. Text. 27.
de infinito ; et primo quoad convenientiam; secundo quoad differentiam, ibi, *Atque ille quidem.* Primo dicit, quod omnes antiqui naturaliter loquentes de infinito ponunt infinitum esse accidens de genere Quantitatis, cui pro subjecto attribuunt aliquod quatuor elementorum, aut medium inter aliqua elementa, exceptis Anaxagora, et Democrito, qui posuerunt principia rerum esse infinita.

Atque ille (5) *quidem.* Ponit differentiam Text. 2[8]
inter Anaxagoram, et Democritum, dicens, quod Anaxagoras posuit principia rerum esse infinitas partes homogeneas, ut os, carnem, et hujusmodi. Secundo dicebat, quod quælibet pars mixti est consimiliter mixta, sicut et totum, ex quo quodlibet debet generari ex quolibet. Tertio dicebat, quod omnia ista principia quandoque congregabantur in uno chaos confuso, ex quo omnia deberent fieri, scilicet per segregationem. Quarto dicebat, quod erat quidam intellectus, qui segregabat ista entia ab invicem,

et quando ipse incipiebat segregare, tunc omnia incipiebant de novo, scilicet et motus, et tempus. Sed Democritus (6) ponebat principia rerum naturalium esse infinita corpora atoma, differentia ab invicem secundum magnitudinem, et figuram, ex quibus fierent res naturales secundum quod diversimode se haberent hujusmodi corpora atoma in figura, positione, et ordine.

Text. 29.

22. Text. 30. *Rationabiliter* (7) *autem*, etc. Hîc approbat dicta antiquorum (a) per aliquas conclusiones. Prima est, quod si infinitum est, rationabiliter posuerunt infinitum esse principium. Probatur, quia non haberet potentiam, qua extenderetur, et per quam fieret principiatum. Secunda conclusio est, quod infinitum est ingenitum, et incorruptibile, intelligendo conditionaliter sicut prius. Probatur, quia si esset genitum, oporteret ponere aliud principium excedens ipsum, a quo generaretur, et corrumperetur, et per consequens esset finitum cum excederetur ab alio. Tertia conclusio est, quod rationabiliter affirmant infinitum gubernare omnia. Probatur, quia ex quo infinitum non esset principiatum, oporteret quod esset principium omnium aliorum, et per consequens gubernat alia. Quarta conclusio est, quod infinitum est quoddam divinum et immortale, sicut affirmant Anaximander, et alii Philosophorum sequentium.

Infinitum est ingenitum, et incorruptibile.

Infinitum omnia gubernat.

ANNOTATIONES

23 (a) *Hîc approbat dicta antiquorum*, etc. Nota, quod in hoc 30. textu, approbat quatuor proprietates ex antiquorum assignatione ipsi infinito convenientes. Prima est, infinitum necessario debet esse principium rei, et nullo modo principiatum ; quia si esset principiatum, esset ex principio : omnia enim entia, vel principia sunt, vel ex principio, sed infinitum non potest esse ex principio, quia si haberet principium, eadem ratione haberet finem, et per consequens non esset infinitum : infinitum ergo est principium, neque enim frustra possibile est ipsum esse. Secunda proprietas est, quod infinitum est ingenerabile, et incorruptibile ; si enim esset corruptibile, tenderet ad finem : nam omne quod corrumpitur, habet finem ; et si generabile, fieret ex principio : nam quod generatur, habet principium, et eadem ratione finem : haberet ergo principium, et finem, quæ opponuntur rationi infiniti. Tertia conditio, quod tale infinitum omnia gubernaret, et contineret. Hæc autem proprietas a ponentibus tantum principium materiale, et non efficiens, male assignabatur : quia gubernare ad efficientem causam pertinet. Quarta proprietas est, quod infinitum est quid divinum, quod enim neque principium, neque finem habet, aliorumque omnium est causa, necesse est ut sit divinum.

Infinitum habet quatuor proprietates.

EXPOSITIO TEXTUS

Esse autem (1) *aliquod infinitum*, etc. Hoc est secundum caput hujus tractatus, quo Philosophus disputat an infinitum sit, vel non ; et primo probat quinque rationibus, quod infinitum sit. Secundo ponit acceptiones hujus nominis *infinitum*. Tertio probat, quod infinitum non est. Secundum ibi, *Habet autem dubitationem*. Tertium ibi, *Separabile igitur a sensibilibus*. Prima ratio est, quod tempus est infinitum, ut patet 8. hujus, text. 48. et inde. Secundo, quia magnitudo est divisibilis in infinitum, secundum quod Mathematici utuntur infinito. Tertio nisi infinitum esset, sequeretur, quod tandem generatio deficeret ; consequens est falsum, ut patet *secundo de Generatione*. Probatur consequentia, quia quodlibet ens naturale accipit sibi unam portionem materiæ primæ : modo tandem deficeret generatio, nisi materia esset infinita. Quarto, accepto (a) aliquo finito, si est infinitum, habetur propositum ; si finitum, tunc finitur ad aliquid aliud, de quo quæritur sicut prius, et per consequens totum aggregatum est infinitum. Quinto, et est (2) ratio maxime inducens dubitationem ; quia semper potentia cognitiva movetur ab aliquo ; modo intellectus noster intelligit infinitum ; igitur movetur ab infinito, et per consequens infinitum est. Minor patet ; quia Mathematici imaginantur magnitudines infinitas. Similiter aliqui imaginantur extra cœlum, spatium infinitum, et locum infinitum, corpus infinitum, et mundos infinitos ; quia qua ratione in una parte illius spatii esset mundus, vel cor-

24. Text. 31. *Infinitum an in ratione rerum.*

Text. 32.

pus, eadem ratione in alia. Et subdit Aristoteles quod si aliquis dicit, quod in illo spatio non sunt mundi infiniti, tamen bene possunt esse. Dicit Aristoteles, quod hoc non valet, quia in perpetuis ([b]) non differt *esse* et *posse*, id est, res perpetuæ non prius possunt esse quam sint, imo simul possunt esse, et sunt.

25. *ı perpeuis non lifferunt oosse ab esse.* ext. 33

Habet (3) *autem dubitationem.* Hìc ponit acceptiones hujus nominis *infinitum*, et primo movet difficultatem considerationis, dicens, quod de infinito est magna dubitatio, quia negantes infinitum esse, habent contra se prædictas rationes; sed ponentes infinitum esse, habent difficultatem, utrum sit substantia, vel accidens; utrum sit per se existens, vel alteri inhærens, sed tamen ad Philosophum Naturalem pertinet præcise considerare, utrum sit aliqua magnitudo sensibilis infinita; et ideo primo considerandum est quot modis dicitur infinitum.

uot modis icitur infinitum.

Uno modo infinitum accipitur negative, ut punctus dicitur infinitus, quia non finitus; quemadmodum dicimus, quod vox est invisibilis. Secundo modo dicitur infinitum, quod non potest pertransiri, quia est quantum extensum sine termino. Tertio modo, quia potest pertransiri, licet cum difficultate, ut via longa. Quarto modo dicitur infinitum, quod de sui natura est pertransibile, sed non potest pertransiri propter impedimentum aliquod. Quinto modo dicitur infinitum secundum augmentationem, ut numerus est in infinitum augmentabilis. Sexto modo secundum divisionem, ut continuum est in infinitum divisibile. Et Septimo modo utroque modo, scilicet tam secundum divisionem, quam secundum appositionem, ut tempus.

26. 'ext. 35. *'nfinitum clu an sit*

Separabile (4) *igitur esse a sensibilibus,* Hìc Aristoteles probat, quod infinitum non sit. Et primo probat, quod nullum sit infinitum separatum a sensibilibus. Secundo, quod nullum est corpus infinitum. Et tertio, quod nullus est numerus infinitus. Secundum ibi: *Logice igitur speculantibus.* Tertium ibi: *At vero neque numerus sic.* Primo, ponit sex rationes, quarum duæ probant, quod infinitum non sit accidens, et aliæ duæ, quod infinitum non sit substantia. Prima ratio, quia si esset infinitum separatum, tunc illud non haberet magnitudinem, aliter non esset separatum a magnitudine. Consequens est falsum: quia tale non esset infinitum nisi negative, sicut punctus; quemadmodum dicimus, quod vox est invisibilis: modo ista acceptio infiniti non quæritur in proposito; sed quæritur de infinito, quod est intransibile, eo quod est quantum extensum sine termino. Secunda ratio est ibi, *Si vero* (5) *secundum accidens.* Quia si infinitum sit Text. 36. accidens, sequitur quod non est elementum, et principium aliorum; consequens est falsum per antiquos, et consequentia probatur; quia principium substantiæ est substantia. Tertia ratio ibi, *Amplius quando contingit*; quia non est numerus infinitus, neque aliqua magnitudo infinita: igitur nulla substantia est infinita. Tenet consequentia; quia infinitum est passio numeri, et magnitudinis; et antecedens patet per antiquos, qui non posuerunt aliquod infinitum nisi separatum a numero, et magnitudine.

Principium substantiæ est substantia.

Quarta ratio ibi, *Manifestum* (6) *autem*, et probat quod nullum infinitum Text. 37. sit principium: quia de ratione principii est, quod habeat consimilem denominationem, sicut causatum, ut quælibet pars aeris, et aer; igitur quælibet ([c]) pars illius infiniti esset infinita, quod est falsum; quia impossibile est multa infinita esse. Quinta ratio ibi, *At esse tale nequit.* Quia impossibile est infinitum esse impartibile, et indivisibile; ergo impossibile est infinitum esse. Probatur antecedens, quia nihil est finitum, vel infinitum nisi secundum accidens, scilicet per quantitatem; sed quantitas non est indivisibilis; ergo, etc. Et consequentia tenet; quia impossibile est aliquam quantitatem esse infinitam.

Sexta ratio ibi, *Sed* (7) *si sic,* quæ est 27. omnino eadem cum secunda: et subdit Text. 38. ibi, *Sed fortassis* (8) *hæc quidem,* excusat Text. 39. se ab ulteriori determinatione de infinito separato: quia in proposito intendimus.

utrum sit aliquod corpus sensibile actu infinitum.

Text 40 *Logice igitur* (9) *speculantibus.* Hìc ostendit quod nullum est corpus actu infinitum ; quia de ratione corporis est,quod sit figuratum, scilicet clausum termino, vel terminis ; igitur nullum corpus est infinitum.

Text. 41. *Quod numerus non sit infinitus actu.* *At vero* (10) *neque numerus sic.* Probat, quod nullus numerus est infinitus, quia omnis numerus est numeratus, vel numerabilis : modo nullum infinitum est numeratum, vel numerabile ; igitur nullus numerus est infinitus,et quomodo,et quantum valeant istæ rationes, videbitur in quæstionibus.

ANNOTATIONES

23. (a) *Accepto aliquo finito*, etc. Nota,quod sensus hujus rationis est talis : omne corpus finitum clauditur alio corpore superiore, aut igitur debet dari processus in infinitum in corporibus, aut deveniendum est ad aliquod corpus infinitum, cujus magnitudo non claudatur : quare cum primum non sit dandum, dabitur secundum, atque ita dabitur infinitum.

(b) *In perpetuis non differt esse et posse.* Nota, quod Commentator 3. hujus, comm. 32. dicit, quod possibile in rebus,quas non continet tempus, est necessarium : quod autem est possibile ut sit, et non sit in individuis specierum,quæ continet tempus,est contingens. Ex quo dicto patet,quod si possint esse infiniti mundi extra cœlum, quod sunt de facto infiniti, eo quod extra cœlum non est tempus. Sed hoc est contra fidem, nisi sic intelligatur, quod in perpetuis non differt esse substantiale a posse substantiali, hoc est a potentia ad esse substantiale. Unde secundum intentionem Philosophi, et Commentatoris quæcumque substantia potest esse æterna ipsa est æterna : omnis enim substantia intransmutabilis substantialiter, quæ potest esse, jam est in actu : nam secundum Comm. 12. Metaph. et 1. de Cœlo, impossibile est esse aliquam substantiam de se possibilem, et tamen perpetuam ab alio, sed non est sic de accidentibus : nam tempus futurum, cujus principium est instans diei crastinæ, potest esse æternum, et tamen non est nunc æternum. Et si dicatur, quod motor cœli est substantia æterna, et tamen potest ponere Solem in oriente, qui nunc non est ibi. Dicas, quod in substantiis æternis non differunt *esse*, et *posse esse*, tamen bene differunt *facere*, et *posse facere*, non enim sequitur, quod substantia æterna potest facere hoc ; ergo facit hoc : bene tamen sequitur substantia æterna potest esse; ergo est, secundum intentionem Commentatoris. Vel dicas, et melius, quod prædicta propositio non debet allegari a Philosopho, tanquam concessa et vera, sive authentica, ex eo quod ipse non loquitur secundum opinionem propriam, sed solum refert opinionem antiquorum,qui posuerunt infinitos esse mundos extra cœlum.

(c) *Quælibet pars illius infiniti esset infinita.* Nota, quod hoc potest tripliciter intelligi : Uno modo loquendo de infinito secundum quod antiqui Philosophi loquebantur, contra quos arguit Aristoteles sic, scilicet quod sit substantia separata divisibilis, quæ sit principium omnium aliorum, et sic quælibet pars infiniti, est infinita. Secundo modo, per infinitum possunt intelligi partes aliquotæ, quæ scilicet aliquoties sumptæ reddunt totum, et sic iterum quælibet pars infiniti est infinita ; quia ex partibus finitis finities sumptis nunquam redditur infinitum. Si ergo ponatur infinitum, quælibet ejus medietas erit infinita, et quælibet ejus tertia, et quælibet ejus quarta : et sic de omnibus ejus partibus aliquotis : sed non debet intelligi de partibus non aliquotis; quia secundum Philosophum tempus est infinitum, et tamen non quælibet pars temporis est infinita.

Aliter respondent alii, quod infinitum nullam habet partem finitam, quia sicut puncti ad lineam nulla est proportio, sic etiam finiti ad infinitum : et sicut punctus non est pars lineæ, sic etiam finitum non est pars infiniti. Ista opinio non est vera, nisi fiat sermo de partibus aliquotis, quæ solum dicuntur esse partes apud Mathematicos: intelligunt enim idem per partem, et partem aliquotam. Manifestum est enim quod si aer esset infinitus, quilibet aer finitus est pars ejus, et etiam quælibet pars finita temporis, est pars temporis, quamvis secundum Philosophum tempus sit infinitum, tamen aer finitus non est pars aliquota aeris infiniti, de qua parte Mathematici loquuntur, sed bene est pars non aliquota, quam etiam ipsi dicunt esse partem : nam secundum eos quidquid intrinsece constituit aliquod totum,est pars ejus.

QUÆSTIO IX

Utrum possibile sit esse aliquam magnitudinem actu infinitam

Aristot. *hic text.* 35. *usque ad* 56. *et* 1. *de Cœlo, cap.* 5. *text.* 33. *usque ad* 76. Albert. Magn. *tract.* 2. *cap.* 1. *et sequent.* Scholastici *in* 1. *dist.* 34. D. Bonav. *ibid. dist.* 43. Richard. *ibid. quæst.* 5. *et* 6. D. Thom. 1. *part. quæst.* 7. *art.* 3. *et* 4. Scotus 11. *Metaph. summa* 4. *cap.* 2. *et* 2. *Metaphysic. qu.* 6. Occham. *quodl.* 2. *quæst.* 5. Canonic. *quæst.* 3. *art.* 2. Argentina *disput.* 1. *quæst.* 2. *art.* 4. Almain. *in* 3. *dist. quæst. unica.* Gabriel *in* 2. *dist.* 1. Vasquez 1. *part. disp.* 26. Hurtado *in Physic. disp.* 13. *sect.* 2. *et* 3. Conimbr. 3. *Physic. cap.* 8. *quæst.* 1. Complut. *disp.* 18. *quæst.* 1. Ruvius *tract.* 2. *quæst.* 1. Fuente *quæst.* 3. *difficult.* 1. Roccus *summa* 3. *quæst.* 1. *et* 2.

Arguitur quod sic : primo, de linea gy-
1. rativa partium proportionalium continui. Et imaginetur unum corpus pedale dividi secundum partes proportionales proportionalitate dupla, et circumdet una linea primam partem proportionalem, et illa eadem secundam, et tertiam, et sic in infinitum ; tunc illa linea est simpliciter infinita, quia est composita ex partibus æqualibus, vel majoribus, aliqua parte data.

Secundo, quia tanta est superficies curva de facto, vel saltem composita ex pluribus rectis, quanta esset si esset rectificata, sed de facto est aliqua superficies composita ex pluribus superficiebus, quæ si esset rectificata, esset infinita; igitur illa de facto est infinita. Major patet ; quia ex quo per solam rectificationem fieret infinita, sequitur quod nunc de facto est infinita ,cum per rectificationem nihil sit sibi additum ; et minor apparet de superficie circumdante primam partem proportionalem, secunda secundam, et sic in infinitum.

Tertio, possibile est, quod in prima parte proportionali horæ, Deus creet unum lapidem, et in secunda alium, et in tertia tertium, et sic in infinitum ; tunc in fine horæ, vel illud erit infinitum, et habetur propositum : vel finitum, et hoc non ; quia est compositum ex infinitis partibus æqualibus. Sed quod antecedens sit possibile, probatur ; quia in generatione lapidis successiva agens naturale producit in qualibet parte proportionali horæ unam partem lapidis, aliter enim generatio non esset continua ; igitur, cum quælibet pars lapidis sit lapis, sequitur quod in qualibet parte proportionali horæ agens naturale producit unum lapidem : modo, ut videtur, ubi agens naturale producit minorem, Deus potest producere majorem : et per consequens in qualibet parte proportionali horæ Deus potest producere unum lapidem bipedalis quantitatis.

Quarto, quia possibile est aliquod corpus 2.
augeri ad duplum, et possibile est aliud corpus augeri ad triplum, et sic in infinitum; igitur possibile est aliquod corpus esse actu infinitum. Consequentia tenet, quia non potest esse plus quam duplum, plus quam triplum, et sic ulterius ad aliquod certum quantum datum, nisi ipsum esset infinitum simpliciter. Probatur antecedens, quia esset una copulativa, cujus quælibet pars est possibilis, et una non repugnat alteri.

Quinto, quia in continuo sunt infinitæ partes ejusdem quantitatis ; igitur continuum est infinitum. Tenet consequentia ; quia impossibile est aliquod compositum ex infinitis partibus æqualibus, aut ejusdem quantitatis esse, nisi ipsum sit simpliciter infinitum. Antecedens probatur ; quia in continuo sunt duæ medietates ejusdem quantitatis ; tres tertiæ, quæ sunt ejusdem quantitatis; quatuor quartæ, quæ sunt ejusdem quantitatis, et sic in infinitum. Et confirmatur ; quia in continuo sunt infinitæ partes ; igitur continuum est infinitum, quia majorem extensionem faciunt tres, quam duæ, et quatuor majorem extensionem, quam tres, et sic ultra ; igitur infinitæ partes faciunt infinitam extensionem.

Sextο, quia extra cœlum est distantia in- 3.
finita ; igitur aliqua est magnitudo infinita. Tenet consequentia : quia distantia est magnitudo, vel non est sine magnitudine.

Antecedens probatur ; quia si in convexo esset una faba, Deus posset illam movere elongando a cœlo, quo facto, faba distabit a cœlo, et prius non distabat, et non nisi per distantiam intermediam ; igitur extra cœlum est aliqua distantia, et non est ratio quare aliquanta plusquam infinita ; igitur extra cœlum, est distantia infinita. Ultimo potest argui rationibus Aristotelis quas ponit in littera . Item, cœlum est infinitum, quia infinitum est quod est interminatum ; modo cœlum est tale, et per consequens infinitum.

Divisio quæstionis. Oppositum arguitur per Aristotelem in isto 3. tractat. 2. text. 35. In quæstione primo videbitur, quibus modis imaginabile est infinitum in magnitudine, et quod impossibile est infinitum esse aliquo dictorum modorum. Secundo videbitur, an illæ rationes concludant demonstrative, ita ut infinitum esse implicet contradictionem, vel non, et per hoc patebit ad quæsitum.

Quantum ad primum notandum, quod aliquid potest (a) imaginari infinitum dupliciter. Uno modo secundum omnem dimensionem, ita ut totum occupet : et hoc dupliciter ; uno modo, quod omnia quæ sunt, sunt partes ipsius : alio modo, quod in ipso sit unum foramen, in quo ponuntur alia entia, quæ non sunt partes ipsius : sicut si imaginaretur, quod extra cœlum esset corpus infinitum, et quod iste mundus esset in quodam foramine ipsius. Secundo modo est imaginabile infinitum secundum unam dimensionem tantum, vel plures, ita quod non totum occupet ; et hoc etiam dupliciter : Uno modo, quod illud corpus sit finitum, licet sit infinite longum ; verbi gratia, si primo sit aliquod corpus undique pedale, deinde addatur sibi medietas unius pedis, quæ sit in duplo longior primo pedali accepto, et proportionaliter minus profunda, et sic in infinitum secundum longitudinem, tunc illud corpus esset infinite longum ; et tamen esset solum finitum, quia undique pedale.

4. Alio modo, quod sit infinitum, et quod sit extensum secundum unam dimensionem sine termino, et hoc est imaginabile tripliciter : Primo, quod sit unum corpus pedaliter latum, et pedaliter profundum extensum sine termino secundum longitudinem : et hoc dupliciter, quia vel ab una parte tantum, vel ab utraque. Secundo modo, quod primo esset unum corpus pedaliter latum, et pedaliter profundum, et etiam pedaliter longum. Secundo unum aliud æquale secundum longitudinem et profunditatem, quod esset duplo magis latum, et tertio unum aliud magis latum, quod esset in duplo magis latum quam secundum, et sic in infinitum ad modum graduum. Alio modo, quod primo esset unum pedale secundum quamlibet dimensionum trium. Secundo unum æquale, quod esset in duplo magis longum, et sub duplo minus profundum, vel minus latum, et sic in infinitum.

Præmissa hac distinctione, tunc ponendæ sunt rationes quibus probatur, quod impossibile est esse magnitudinem infinitam. Prima ratio, quia si esset possibile : sit igitur, quod Deus faciat in una parte proportionali hujus horæ unum corpus isti mundo æquale, quod circumdet cœlum, et in secunda parte proportionali horæ faciat unum aliud sibi æquale, quod circumdet primum, et sic de singulis partibus proportionalibus horæ ; tunc si hoc sit possibile, sequitur, quod in instanti terminante horam, illud corpus sit infinitum undique occupans totum ; quia esset corpus sphæricum compositum ex infinitis æqualibus isti mundo dato, et tamen ante instans terminans horam, nunquam fuit infinitum ; quia semper ante solum erant pertransitæ partes proportionales finitæ ; et tamen in illo instanti nihil acquiritur, quod videtur imaginabile, videlicet quod aliquid nunc sit infinitum, et semper ante erat finitum, et tamen tunc nihil sibi acquiritur.

Confirmatur, retento eodem casu : quia 5.
in instanti terminante horam illud corpus desinit esse figuratum : quia nunc non est figuratum, ex quo est in infinitum undique et immediate ante fuit figuratum ; igitur

desinit esse figuratum, et tamen nulla figura desinit esse ; quia nec illa, quæ fuit in prima parte proportionali horæ, nec illa quæ fuit in secunda, et sic de aliis ; igitur sequitur contradictio, quod nulla figura desinit esse, quia illud corpus desinit esse figuratum.

Secunda ratio ; quia si sit possibile esse infinitum, sit igitur unum corpus infinitum secundum dimensionem unam tantum, scilicet secundum longitudinem, et quod sit undique pedaliter latum, et pedaliter profundum ; tunc sequitur quod ex isto corpore infinito secundum unam dimensionem tantum, fieret infinitum undique occupans totum, quod est impossibile ; quia ex minori fieret majus sine aliqua quantitate addita. Probatur consequentia , quia amoveat Deus ab isto corpore unum pedale, et fiat separatum ; deinde in secunda parte proportionali horæ amoveat aliud pedale, et addatur primo, et ita totum fiat separatum, deinde in tertia addatur iterum pedale, et sic in singulis partibus proportionalibus horæ ; tunc in fine horæ istud esset infinitum undique, occupans totum, et tamen aliunde non habuit quantitatem, quam ab illo corpore infinito secundum longitudinem tantum ; ergo, etc.

6 Confirmatur retento eodem casu ; posito tamen, quod illud infinitum secundum unam dimensionem terminetur ad centrum terræ ab una parte, et ab alia parte protendatur in infinitum versus Orientem ; tunc sequitur, quod ab isto corpore poterit resecari unum aliud corpus sibi æquale, et tamen ipsum esset tantum, quantum erat prius ; consequens est inimaginabile. Consequentia probatur, posito quod unum pedale, quod terminatur ad centrum, removeatur, et ponatur ab alia parte centri versus Occidentem, deinde trahatur illud corpus ad centrum, et sic in infinitum, tunc sequitur propositum, quod illud corpus est tantum, quantum erat prius, et tamen ab ipso resecatum est unum aliud corpus infinitum tantum, quantum ipsum.

Tertia ratio, sequeretur quod pars, et totum essent ad invicem æquales ; quia corpus infinitum occupans totum undique, et infinitum secundum unam dimensionem tantum essent ad invicem æqualia, qui ex illo infinito secundum unam dimensionem tantum fieret, reliquum sine aliqua additione quantitatis, et tamen esset pars ipsius ; ergo, etc.

Confirmatur, imaginando quod sint duæ lineæ infinitæ protensæ versus Orientem, una *A*, quæ terminetur ad centrum terræ, et alia *B*, quæ terminetur per pedale circa centrum ad Orientem ; tunc linea *B* est minor *A*, scilicet per pedalem quantitatem : tunc ponatur per imaginationem, quod fixo puncto *B*, linea *B* imaginetur circumduci ad Occidentem, tunc efficietur major *A*, de illo pedali, et tamen nihil est sibi additum, quod est impossibile.

Quarta ratio, si esset infinitum undique, sequeretur quod ipsum haberet centrum, et quod nullum haberet centrum ; consequens implicat contradictionem. Probatur consequentia : quia inimaginabile esset, quod illud corpus esset motum circulariter, ut sic ponentes concedunt : igitur illud corpus tunc haberet centrum, circa quod volveretur : sed quod non haberet, probatur ; quia ex quo esset infinitum undique, qua ratione signaretur centrum in uno puncto, eadem ratione in quolibet. 7.

Quinto, sequeretur quod infinitum esset figuratum ; consequens est impossibile, quia tunc esset terminatum. Probatur consequentia, quia sicut imaginamur in tertio modo, si esset unum corpus pedaliter latum, et pedaliter profundum.

Sexta ratio, imaginetur linea *A*, sicut prius exiens a centro terræ in infinitum versus Orientem : et linea *B*, æque distans, tunc imaginetur linea *A*, circumvolvi successive, tunc sequitur quod subito pertransibit spatium inter *A* et *B*, quia ex quo nunc est æque distans, et immediate post non est æque distans, cum ambæ sint in infinitum protensæ, sequitur quod immediate post hoc ambæ concurrent.

Quantum ad secundum, notandum, quod 8.

quædam est magnitudo recta, quædam curva, vel circularis, sive composita ex pluribus rectis : et licet aliquando improprie sumantur dimensiones, penes lineam curvam, verbi gratia, dicimus quod arcus est longior chorda, tamen proprie cujuslibet magnitudinis dimensio sumenda est penes lineam rectam, ita ut quodlibet est ita longum sicut linea recta protensa de termino ejus ad terminum illius, et ideo dicit Aristoteles 2. Cœli, text. 14. quod longitudo cœli est axis corporis mundi. Ex quo patet, cum dimensio corporis sphærici sumenda sit penes lineam rectam, et non per circularem, multo fortius in aliis corporibus.

De facto est aliqua linea curva infinita

Nunc ponuntur conclusiones. Prima conclusio : de facto est aliqua linea curva infinita. Probatur, quia in qualibet superficie sunt infinitæ lineæ æquales alicui lineæ tertiæ datæ ; igitur cum ex eis per incurvationem possit fieri una linea curva, imo de facto sit una linea curva ; sequitur quod illa de facto sit infinita. Tenet consequentia ; quia infinitum est,quod est compositum ex infinitis æqualibus alicui tertio dato ;et antecedens patet, imaginando superficiem dividi in infinitum per partes (b) proportionales, et patet per primum argumentum ante oppositum. Ex quo patet, quod est aliqua linea curva, quæ si esset rectificata, esset actu infinita.

9. Contra objicitur, ponatur igitur quod sint duæ tales lineæ *A*, *B*, sibi invicem suprapositæ terminatæ ab una parte æqualiter, et ab alia parte protensæ in infinitum, tunc a linea *B*, abscindatur unum pedale ; tunc per illud principium, *Quæcumque sunt sibi invicem supraposita, sunt* (c) *æqualia*, *A* est major *B*, tunc trahatur *B*, æqualiter ad punctum *A*, per idem principium sequitur, quod sunt æquales ; igitur sequitur impossibile, quia quæ primo erant inæqualia, erunt æqualia sine additione novæ quantitatis, vel etiam remotione. Respondetur, quod illud principium, quæcumque sunt sibi invicem supraposita, etc. solum intelligitur in quantitatibus finitis, et non in infinitis : quia unum infinitum non est æquale alteri.

De facto est aliqua superficies infinita.

Secunda conclusio. De facto est aliqua superficies infinita. Probatur imaginando aliquam superficiem circumdare aliquas partes proportionales continui, eo modo quo prius imaginabatur de linea.

Possibile est esse aliquod corpus infinitum.

Tertia conclusio, possibile est esse aliquod corpus actu infinitum : et licet Aristoteles non posuisset istam, hoc fuit, quia non percepit potentiam activam infinitam, qualem esse nos credimus ex fide : et ista conclusio non potest probari, nisi quia ad istam positionem non sequitur impossibile, vel contradictio ; ut patebit solvendo rationes, et hoc isto modo ; quia de qualibet ostenditur, vel quod non valet consequentia, vel quod consequens non sit impossibile. Utrum autem de facto sit aliquod corpus infinitum, vel non, vel utrum possit esse per agens naturale, videbitur in alia quæstione.

10. Ad rationes. Ad primam, concedo consequentiam, et dico, quod consequens non est inconveniens, scilicet quod nunc illud corpus sit infinitum, et nunquam ante fuit infinitum, et tamen nunc nihil acquirit : verbi gratia, in consimili, imaginetur aliquod continuum dividi in partes proportionales in infinitum, supra quod moveatur aliquod mobile per horam ; tunc in fine horæ verum est dicere quod infinitæ partes proportionales sunt pertransitæ ab isto mobili, et semper ante solum erant finitæ pertransitæ, et tamem in fine horæ nulla pars pertransitur.

Ad confirmationem concedo, quod illud corpus desinit esse figuratum ; et tamen nulla figura desinit esse. Nec ista consequentia valet, *hoc corpus desinit esse figuratum ; ergo aliqua figura desinit esse.*

Ad secundam, dico quod consequens non est inconveniens, imo ex quolibet infinito possent fieri infinities infinita, et tali modo possent replicari partes, quod ex eis fieret infinitum undique, sicut in illo casu. Item aliter possent fieri infinities infinita,et apponi simul,ex quibus tamen nunquam resul-

taret infinitum undique: verbi gratia,si esset una columna infinita,deinde sumeretur alia tanta,et superponeretur primæ,et tertia secundæ, et sic in infinitum. Et consimiliter conceditur consequens confirmationis: verbi gratia in exemplo prius posito,si continuum dividatur in infinitum per imaginationem, tunc sunt ibi infinitæ partes sic computando, *una, duæ, tres, quatuor*, et sic in infinitum. Item dimissis omnibus imparibus,et computatis partibus solum,ut *duo, quatuor, sex, octo*, etc, resultat numerus infinitus. Item ex imparibus dimissis paribus,et sic ex uno numero infinito possunt resultare infinities infiniti numeri. Et eodem modo ex una magnitudine infinita possunt resultare infinities infinitæ magnitudines.

11. Ad tertium, dico quod in infinito non est totum, et pars, sed bene in finito. Unde uno modo dicitur totum, quod continet aliquid, et plus; et isto modo unum infinitum bene est totum respectu alterius, vel melius loquendo illud dicitur totum respectu alterius quod continet illud et aliud, sic in infinito bene inveniuntur totum et pars. Alio modo, quod totum contineat aliquod, quod excedat in quantitate, et ad quod habeat proportionem majoris inæqualitatis, et sic totum et pars inveniuntur solum in quantitatibus finitis, et de talibus ponitur illud principium, *omne totum est majus sua parte.*

Ad quartum, dico quod si esset unum corpus infinitum undique, ubique esset centrum ejus. Et ideo quidam definientes Deum dixerunt, quod Deus est sphæra, cujus centrum est ubique, circumferentia vero nusquam.

[F]iguratum [di]citur ali[q]uid du[p]liciter. Ad quintum, respondetur quod aliquid dicitur figuratum dupliciter, uno modo improprie, quod est terminatum ab aliqua, vel aliquibus partibus, licet non a qualibet, et isto modo diceremus, quod superficies contenta inter duas lineas egredientes a centro circuli, ad circumferentiam protensa in infinitum est figurata: sic etiam diceremus, quod columna protensa in infinitum haberet figuram columnarem. Alio modo dicitur figuratum proprie, quod a qualibet parte est terminatum: et sic capit Euclides, quando dicit nullas duas lineas rectas superficiem concludere, et etiam in definitione figuræ, quod figura est quæ termino, vel terminis clauditur; tunc dico, quod nullum infinitum est figuratum proprie: tamen infinitum secundum unam dimensionem potest esse figuratum primo modo.

Ad sextum, concedo casum, et negatur consequentia, quod aliqua distantia subito pertranseatur. Unde notandum, quod distantia inter *A*, et *B*, accipitur dupliciter: uno modo pro linea recta protracta inter *A*, et *B*, quæ perpendiculariter cadit super utramque, ex quo sunt æque distantes; et tunc certum est, quod talis linea pertransitur successive. Alio modo pro totali spatio inter *A*, et *B*, lineas, scilicet pro illa superficie protensa in infinitum: et tunc dico, quod illa tota superficies, et quælibet pars ejus pertransitur successive. Cum hoc etiam concedo, quod immediate post initium motus est pertransitum spatium infinitum, nullum tamen subito, sed successive: verbi gratia, in exemplo imaginato continuum dividi infinitum per partes proportionales, et incipit aliquid mobile moveri a partibus minoribus versus majores, tunc in principio motus verum est dicere immediate post hoc infinitæ partes proportionales erunt pertransitæ, et tamen quælibet pertransibitur successive. 12. *Distantia bifariam sumitur.*

De rationibus ante oppositum, quæ probant veritatem, et quæ non, dicetur in alia quæstione.

ANNOTATIONES

(a) *Aliquid potest imaginari infinitum dupliciter.* Nota, quod Scotus in hac quæstione loquitur secundum Mathematicorum imaginationem, et non realiter et physice: nam multa quæ in hac quæstione tanquam certa supponuntur, Physicus non admitteret, quæ tamen admittit Mathematicus. 13.

(b) *Superficies potest dividi in infinitum in partes proportionales.* Nota, quod in continuo duplices possunt imaginari partes, quædam ejusdem proportionis; quædam *In continuo duplices sunt partes.*

vero ejusdem quantitatis. Partes ejusdem proportionis sunt partes sic se habentes, quod eadem est proportio primæ ad secundam, quæ est secundæ ad tertiam, et sic in infinitum ; secundum enim has partes potest continuum in infinitum secari, et nunquam consummabitur per talium partium ablationem : verbi gratia, si quoddam continuum bipedale dividatur in duas medietates pedales, et aliquam illarum dividas in alias duas medietates,et ex illis alteram in alias duas, et sic in infinitum ; hæc divisio fit secundum proportionem, quia partes semper servant duplam proportionem. Partes ejusdem quantitatis adhuc sunt duplices : aliæ sunt ejusdem quantitatis non communicantes ; aliæ ejusdem quantitatis communicantes. Partes æquales non communicantes ejusdem quantitatis sunt, quarum una nihil habet alterius, ut si detur quoddam continuum decupedale, et dividatur in decem partes pedales, erunt quidem æquales,neutraque aliquid alterius participabit. Partes hujusmodi non possunt infinitæ reperiri in aliquo creato,quia tales erunt necessario finitæ, et tandem per ablationem talium partium consumetur. Partes æquales communicantes sunt, quarum una recipit aliquid alterius, ut, verbi gratia, si detur continuum bipedale ultra duas partes pedales non communicantes, quas habet, dabuntur aliæ quamplurimæ, imo infinitæ partes æquales communicantes ; dabitur enim una medietas, et ex parte istius,et residuo alterius alia pars æqualis. et rursus ex parte istius, et alterius residuo alia pars æqualis, et sic in infinitum ; et hujusmodi partes possunt inveniri infinitæ in continuo.

Partes ejusdem quantitatis sunt duplices.

14. (c)*Quæcumque sunt sibi invicem supraposita*, etc. Hæc littera nobis visa est manca, et imperfecta, ideo ita judicavimus supplendum esse, ut in hunc modum legatur : Quæcumque sunt sibi invicem supraposita sunt æqualia, *A*, et B sunt æquales, et per casum, *A* est major B, eo quod a *B* abscissum est unum pedale, modo trahatur *B* æqualiter ad punctum, tunc per idem principium sequitur, quod A, et *B* sunt æquales ; igitur sequitur impossibile, etc.

QUÆSTIO X

Utrum de facto sit aliquod corpus naturale (a) *actu infinitum*

Vide Auctores citatos *q. anteced.* Albert. *ibid. citatus, q.* 5. *et seq.* Roccus *cap.* 4.

1. Arguitur quod sic : quia de facto est aliqua linea infinita, et aliqua superficies infinita,ut probatum fuit in alia quæstione : igitur de facto est aliquod corpus actu infinitum.

Secundo,quia de facto est tantum corpus curvum, quantum ipsummet esset, si esset rectificatum sine additione alicujus quantitatis ; sed in aliquo corpore nunc de facto est corpus curvum, vel factum ex pluribus corporibus rectis,quod si esset rectificatum, esset infinitum, et extensum sine termino ; igitur de facto est aliquod corpus actu infinitum. Major nota est, sicut dicebatur de linea gyrativa. Et minor probatur, imaginando aliquod corpus dividi secundum partes proportionales in infinitum, tunc capiatur secunda pars proportionalis, et fiat duplo longior prima, et proportionaliter minus lata, et tertia duplo longior, quam secunda, et proportionaliter minus lata, et sic in infinitum : igitur tale corpus, si esset rectificatum, esset actu infinitum, et nunc non est minus, quam tunc esset, ergo, etc.

Tertio, quia quodlibet corpus finitur ; igitur quocumque dato illud finitur ad aliud corpus, et sic in infinitum : igitur aggregatum ex omnibus est simpliciter infinitum.

Quarto, potest argui de infinitis partibus ejusdem quantitatis : quia duæ faciunt majorem extensionem, quam una, quatuor, quam tres,et sic in infinitum; igitur infinitæ partes faciunt infinitam extensionem ; sed in quolibet corpore sunt infinitæ partes ergo, etc.

Oppositum arguitur per Aristotelem in isto 2.
3. text. 40. In quæstione primo videbitur positio Aristotelis. Secundo, videbitur an ejus rationes concludant evidenter. Tertio, respondebitur ad quæsitum.

Divisio quæstionis.

Quantum ad primum, notandum quod corpus naturale est corpus mobile, et tale quoddam est tangibile, scilicet, quod est calidum, vel frigidum, vel siccum ; et de isto intelligit Aristoteles in isto tertio. Aliud est mobile localiter solum,ut corpus cœleste, de quo intendit Aristoteles 1. Cœli,tex.35. Tunc ponit Aristoteles quatuor conclusiones,duas

Corpus naturale est duplex.

scilicet in isto tertio ; quarum prima est, quod nullum est corpus tangibile simplex actu infinitum. Probatur, quia si sic, sequeretur quod statim omnia alia corrumperet. Consequens est falsum, et contra experientiam, et consequentia probatur, quia in infinitum excederet, et haberet proportionem infinitam, ad quodlibet aliud. Nec valet si dicatur, quod illud infinitum est remissæ virtutis, sicut aer est minoris virtutis ad agendum, dato quod sit sub majori quantitate, quam ignis. Istud non valet, quia ex quo illud elementum est infinitum, possumus accipere de ejus virtute quantumlibet, ita ut excedat quodlibet finitum.

Nullum angibile mplex est finitum.

3\. Secunda conclusio. Nullum est mixtum tangibile actu infinitum. Probatur, quia si esset infinitum, vel esset ex eo, quod ejus principia sunt infinita secundum multitudinem, vel finita, uno vel pluribus existentibus infinitis secundum magnitudinem. Non primo modo, quia probatum est primo hujus, quod principia rerum naturalium non sunt infinita ; nec secundo modo, quia tunc llud elementum simplex infinitum, vel plura, si essent infinita, corrumperent omnia alia.

Vullum nixtum ingibile t actu infinitum.

Tertia conclusio, quam ponit primo Cœli, est, quod nullum est corpus mobile localiter motu circulari actu infinitum. Probatur imaginando unam lineam egredi a centro protensam in infinitum ; deinde imaginentur centum, vel mille lineæ ordinatæ secundum prius, et posterius, quarum quælibet est æque distans primæ, et inter quarum quamlibet ad aliam esset tanta distantia, sicut hinc ad cœlum. Tunc si hoc esset possibile, sequeretur quod centum, vel mille spatia, quorum quodlibet est tantum, sicut hinc ad cœlum, essent subito pertransita. Consequens est impossibile, quia ex quo illa spatia sunt ordinata secundum prius, et posterius respectu mobilis, et mobile movetur successive, non apparet quare debeant subito pertransiri. Consequentia probatur, quia ex quo illa linea est æque distans illis lineis sic ordinatis, ponatur quod mobile moveatur versus illas, tunc immediate post hoc tanget aliquam illarum, et non citius aliquam earum, quam quamlibet : quia nunc quælibet earum est æque distans, et immediate post hoc non est æque distans ; igitur cum omnes illæ sint in infinitum pertransitæ, sequitur, quod hæc cum qualibet concurret.

Vullum rpus mobile circulariter est ctu infinitum.

Secundo, sequeretur quod inter duos terminos (b) esset distantia infinita imaginando, quod a centro illius corporis exeant duæ lineæ rectæ protensæ in infinitum, cum inter illas duas lineas est aliquanta distantia, et distantia dupla major, et tripla major ad illam, et sic in infinitum ; et sic inter illas duas lineas est distantia infinita. 4.

Tertio, sequeretur quod in tempore finito pertransiretur spatium infinitum. Consequens improbatur sexto hujus, imaginando illud corpus infinitum motum circulariter in una hora, tunc æque cito illud corpus pertransit totum spatium infinitum, sicut parvus circulus circa centrum complet suam revolutionem, sed illius revolutio completur tempore finito : ergo, etc. Aliæ rationes, quas adducit, possunt recipi ex præcedenti quæstione.

Quarta conclusio. Nullum corpus mobile localiter motu recto, scilicet grave, vel leve, est actu infinitum. Probatur primo, quia tunc moveretur subito ad suum locum, ex quo haberet gravitatem, vel levitatem infinitam.

Nullum corpus mobile motu recto est actu infinitum.

Secundo, quia oporteret assignare diversa loca naturalia infinita. Ex istis infert Aristoteles quod nullum est corpus naturale actu infinitum ; et hoc de primo. 5.

Quantum ad secundum : et primo de duabus conclusionibus primis, ad videndum, an rationes suæ valeant ; suppono primo, quod agens naturale, quod habet in se aliquam virtutem, non agit in quodlibet passum, in quod agit secundum tantam virtutem. Probatur primo experientiis, secundo ratione : prima experientia est, quia si ferrum ignitum poneretur in mari, non citius extingueretur, quam si poneretur in Sequana, et tamen mare habet multo majorem virtutem.

Agens naturale non agit secundum totam suam virtutem.

Secundo, quia videmus quod unum vitrum plenum aqua, diu conservatur in aere adhuc bene superius, quod non esset, si aer secundum totam suam virtutem ageret in aquam. Tertio, quia posito quod una modica scintilla ignis ponatur in cumulo palearum, statim comburet omnes paleas, quæ tamen habent majorem frigiditatem, quam ille ignis caliditatem ; igitur illæ paleæ non agunt secundum totam suam virtutem frigiditatis in ignem.

6. Deinde, probatur ratione ; pro qua supponuntur duo : Primo, quod elementum ignis est multo majoris activitatis, quam aliquod aliud elementum, vel mixtum, supposita æquali quantitate utrobique, ut patet ad experientiam. Secundo supponitur quod sphæra ignis excedit totum aggregatum ex aliis tribus elementis, imo plusquam in decuplo, ut patet per omnes tractantes de proportionibus elementorum. Tunc arguitur sic : Si agens naturale ageret secundum totam suam virtutem, sequeretur quod ignis statim corrumperet omnia ista inferiora ; consequens est contra experientiam, et consequentiam probo : quia in magna proportione excedit aggregatum ex aliis elementis, et mixtis, et cum hoc est activior aliis : igitur cum agat secundum totam sui virtutem, sequitur quod statim debeat corrumpere omnia alia. Ex ista suppositione probabiliter sequitur, quod si totum cœlum esset ignis intensissime calidus, non plus calefierent inferiora per ignem, quam de facto calefiant, imo, si a sphæra ignis totus esset ignis protensus in infinitum sursum, non plus ageret in ista inferiora, quam nunc de facto facit ; quia agens naturale non agit secundum totam suam virtutem, sed secundum partes applicatas tantum.

7. Ex quibus sequitur, quod consequentia Aristotelis non valet, quod si esset aliquod corpus simplex actu infinitum, statim corrumperet omnia alia, et hoc quantum ad duas primas rationes.

Quantum ad tertiam de mobili circulariter, potest imaginari duplex modus ponendi corpus circulare actu infinitum. Uno modo, quod extra nonam sphæram, sit una sphæra infinite quiescens, quam Theologi vocant cœlum Empyreum, quam etiam Aristoteles primo Cœli, text. 22, et 96. et 100. et 2. Cœli text. 2. et 74. et 8. Physic. comm. 84. vocat *locum Deorum*. Alio modo, quod (c) extra cœlum sit terra alterius mundi circumdans cœlum undique, postea aqua, deinde aer, ita ut essent infiniti mundi, unus continue continens alium : et neuter istorum modorum potest demonstrative improbari. Tunc ad rationes Aristotelis, patet solutio ex præcedenti quæstione. Nam ad primam, negatur consequentia, et conceditur, quod immediate post hoc pertransit quamlibet illarum linearum, et non sequitur, quod propter hoc subito, sed successive aliam post aliam, sicut dicebatur de partibus proportionalibus continui.

Ad secundam dicitur, sicut dicebatur ad illam rationem ; sequeretur, quod aliquod infinitum esset figuratum.

Ad tertiam, conceditur consequens de corpore infinito, si esset, quod moveretur.

Ad quartam rationem, potest concedi, 8.
quod haberet gravitatem infinitam, et quod esset omnino immobile localiter secundum se totum, licet esset mobile secundum partes, sicut dicimus nunc de tota massa terræ. Patet igitur, quod rationes prædictæ, quibus probatur non esse infinitum, non sunt demonstrativæ, sed probabiles, et meliores, quam possint fieri ad oppositum.

Quantum ad tertium, sit prima conclusio ista. De facto est aliquod corpus curvum, sive compositum ex infinitis rectis actu infinitum longum : et potest magis proprie vocari tortuosum. Probatur sic, imaginando dividi continuum per partes proportionales, cujus prima pars sit duorum pedum, tunc de eadem parte imaginetur unum corpus curvum spissitudinis sextæ unius pedis circumdare illam partem, et illud idem circumdet secundam partem proportionalem ; sit tamen minus secundum spissitudinem in secunda parte proportionali, quam in prima, in eadem pro-

portione, in qua secunda pars proportionalis est major prima, et sic in infinitum de omnibus partibus proportionalibus continui ; tunc sequitur sicut arguebatur de linea gyrativa, quod illud corpus est simpliciter infinitum secundum longitudinem.

9. Secundo, accipiantur duo corpora quadrata, quorum superficies unius sit unius pedis, et superficies alterius sit duorum pedum, et sit primum *B*, et secundum *A*, tunc sequitur quod *A*, est octuplum ad *B*, quia proportio corporum est proportio diametrorum triplicata ; modo diameter ipsius *A*, est duplum ad diametrum *B*, igitur proportio *A* ad *B*, est tripla ad illam. Sed illa est octupla ; igitur *A* est octuplum ad *B*. Tunc imaginetur *B* dividi in duas medietates secundum profundum, in prima parte proportionali, et medietas inferior ponatur secundum longitudinem ad terminum medietatis superioris, tunc adhuc *B* est tantum, sicut erat prius : quia de quanto est augmentatum secundum longitudinem, de tanto est diminutum secundum latitudinem ; tunc in secunda parte proportionali horæ, *B* est quadruplum sicut fuit prius. Iterum dividatur in duas medietates secundum profundum : et medietas inferior apponatur secundum longum ad terminum medietatis superioris, et sic fiat (d) in singulis partibus proportionalibus horæ, tunc in fine horæ, B erit infinite longum, et tamen *A* solum est subduplum ad ipsum, sicut prius ; igitur cum ante divisionem ex omnibus istis medietatibus potuit imaginari unum corpus curvum, seu tortuosum, sequitur, quod in *B* quanto de facto est corpus infinite longum ; et ita argueretur de quocumque alio. Ex isto sequitur, quod ista consequentia non valet, *B est infinite longum, igitur B est infinitum* ; sed debet addi, *B est infinite longum, et quodlibet finitum excedit sine proportione, igitur B est infinitum.*

Secunda conclusio ; de facto nullum est corpus actu infinitum, et licet ipsa non possit demonstrari, tamen magis concordat sensui : quia quodlibet est infinitum quod sentimus, nec aliqua ratio cogit ad ponendum infinitum : ergo, etc. Nec ista contradicit primæ, ex eo quod ista consequentia non valet, *hoc est infinite longum, igitur est infinitum*, sed debet addi quod *excedat quodcumque finitum sine proportione.*

10. *De facto nullum est corpus actu infinitum.*

Ad rationes. Ad primam potest dici, quod sicut est linea infinita, et etiam superficies curva, ita etiam infinitum corpus curvum, vel tortuosum, quoad longitudinem. Et per idem ad secundam. Ad tertiam, illam solvit Aristoteles in littera. Ad quartam, negatur consequentia, quia non sequitur, habet infinitas partes, igitur est infinitum, nisi addatur, quod quælibet illarum sit æqualis alicui tertiæ datæ.

Expliciunt quæstiones tertii libri Physicorum.

ANNOTATIONES

(a) *Utrum detur aliquod corpus naturale actu infinitum.* Nota primo, quod, ut habetur ex Aristotele 1. *Physic. text.* 15. finitum, et infinitum quantitati conveniunt, quod rursus in hoc 3. *text.* 26. reperit ; quod etiam inde patet : quia cum æquale et inæquale quantitati competant, infinitum autem, ut habetur 1. *Cœli text.* 47. sit inæquale finito, nascitur quod infinitum competat quantitati : ex quo sequitur non omne ens esse finitum, aut infinitum, nisi sit quantum ; punctum enim neque finitum, neque infinitum est (proprie loquendo), quia quantitate caret. 11. *Finitum et infinitum quantitati competunt.*

Nota secundo, quod hoc nomen *infinitum* potest capi bifariam, nimirum syncategorematice, et categorematice. Priori modo est infinitum adverbialiter, id est, res infinite accepta aliqua ex occasione, scilicet divisione, vel additione, et tunc tantum valet, sicut *aliquot*, et non tot quin plura, et sic additur multitudini, vel non tantum quin majus ; vel valet tantum, sicut *aliquantum*, et quodlibet majus, et sic additur magnitudini. Alio modo, scilicet categorematice, idem est quod infinitum nominaliter, id est, res ipsa, quæ denominatur infinitum, sive extensione in quantis continuis, sive multitudine, ut in quantis discretis ; quia ideo habet hoc nomen, quia actu habet infinitatem, unde infinitum priori modo est infinitum in potentia ; posteriori autem modo est infinitum in actu, et hoc secundo modo sumitur dupliciter ; uno modo est modus intrinse- *Infinitum potest sumi bifariam.* *Infinitum in actu duplex.*

cus entis, et vocatur infinitum extra genus : alio modo est infinitum in genere. Unde infinitum extra genus est, quod secundum se, et quodlibet sui est infinitum.

12. *Infinitum in genere est triplex*

Nota tertio, quod infinitum in genere est triplex : nam quoddam est infinitum negative, id est, quod non est aptum pertransiri, de quo loquitur Philosophus cum dicit, quod punctus est infinitus negative, sicut vox est invisibilis, quia non est apta videri. Aliud est infinitum privative, quod neget finem in apto nato finiri, videlicet aliquod quantum habens magnitudinem, sive multitudinem in actu sine principio et fine ; et hoc sonat vocabulum. Tertio modo est infinitum contrarie, quod negat finitatem, et ejus oppositum ponit, juxta modum loquendi Boetii super Prædicamenta capite de Qualitate in illa verba Aristotelis, habere contrarium inest qualitati, sicut injustitia contraria est justitiæ. Injustus enim contrarie (inquit Boetius) dicitur ille, qui habet habitum contrarium habitui justitiæ ex actibus contrariis, actibus justitiæ generatum. Ita pari modo infinitum negat finitatem cum positione contrarii, et hoc modo loquitur Philosophus primo Physicorum de infinito contre Parmenidem, et Melissum, et dicit Commentator ibi, quod infinitum est quantum sine termino. Est autem triplex infinitum hoc modo acceptum ; quoddam est extensivum, ut si Deus faceret lineam in infinitum extensam. Aliud est intensivum, ut si Deus faceret unam qualitatem habentem infinitos gradus perfectionales. Tertio est infinitum in multitudine, ut si Deus faceret aliquam multitudinem infinitam, vel aliquem numerum infinitum. Potest quarto modo addi infinitum secundum essentiam, quod videlicet habet omnimodam perfectionem, et nequit aliqua ex parte terminari, neque ad speciem, neque ad genus, sive per se, sive reductive, et hoc modo propriissime dicitur infinitum solus Deus. Dicitur etiam infinitum appositione, ut numerus ; vel divisione, ut continuum ; vel appositione et divisione, ut tempus. Item dicitur infinitum, quod vix et cum difficultate potest pertransiri, quo pacto iter longum infinitum dicitur, quia quamvis aptum sit pertransiri, propter impedimentum tamen non pertransitur, et ita profunditas maris infinita, et immensa dici solet. Hæ divisiones colliguntur ex Aristotele in hoc 3. *Physic. textu* 34. *et* 11. *Metaph. et* 6. *Physic. text.* 19. in hac quæstione Scotus loquitur tantum de infinito in actu secundum magnitudinem.

Infinitum contrarie est triplex.

13. Nota quarto, quod sunt aliqui Doctores, quibus assentiri videtur Scotus in hac quæstione, loquentes de infinito, secundum quod antiqui loquebantur ; et dicunt non involvere contradictionem infinitum esse, atque ideo propter argumenta in oppositum dicunt primo, quod si Deus produceret corpus infinitum, ipsum proprie non haberet partes, eo quod pars non potest esse nisi respectu totius ; tale autem infinitum proprie non esset totum, atque adeo data quacumque quantitate in illo infinito, non esset pars illius infiniti ; sed alicujus quantitatis acceptæ in illo infinito, atque ita dicunt, quod multa sunt quibus convenit esse partem, quia ibi sunt multa tota. Dico secundo, quod illud infinitum non esset figuratum, quia figura est passio quantitatis finitæ. Tertio dicunt, quod illud corpus ex sui natura esset mobile secundum quodlibet sui, non autem ratione infinitatis : quia de facto apparet, quod nulla sit repugnantia, quin Deus posset causare infinitum spatium extra cœlum, in quo bene posset moveri corpus infinitum. Et cum quæritur, utrum causata aqua infinita, posset Deus aliam aquam causare, et illi conjungere ; dicunt quod non posset eam conjungere, eo quod rationi infiniti repugnat, quod sibi fiat additio. Unde non esset repugnantia ex parte Dei ; quia posset adhuc infinities infinitas aquas causare, et illi conjungere, sed est repugnantia ex parte effectus. Dicunt quarto, quod Deus posset infinitas animas creare, et cuilibet charitatem infundere, et istas qualitates iterum ab ipsis animabus separare, et inter se unire, quo facto posset esse qualitas infinita intensive, et alia accidentia infinita extensive. Neque hoc videtur esse contra Philosophum, qui loquitur de potentia naturali, et utitur hoc nomine *infinitum* secundum rationem successivam, et illo modo verum est, quod ipsum non potest esse.

Nota quinto, quod aliqui doctissimi viri, maxime Ocham Nominalium Princeps *in 2. Sent. dist.* 1. Gregor. Arim. *in 1. dist. 43. quæst.* 2. et ante illos Avicenna et Algazel relati a D. Thoma 1. *p. quæst.* 7. *artic.* 3. *et* 4. *quolib.* 9. sustinent, atque defendunt posse dari infinitum in actu categorematice. Quod potissimum probant de infinito in multitudine, ut puta de infinitis animabus, quas Deus potest producere successive, et per consequens simul ; non enim potentia Dei limitata est ad producendum hoc post hoc ; sed quæcumque potest successive producere, potest etiam simul producere. Eamdem sententiam probabilem existimavit Durandus *in* 1. *dist.* 43. *quæst.* 2. quamvis oppositam probabiliorem judicet. Vide Scotum 8. *hujus. q.* 1. *et in* 2. *Sent. d. 1. quæst.* 3. ad Arg. Henrici. 14.

(b) *Inter duos terminos esset distantia infinita.* Nota, quod si duæ lineæ producantur infinitæ, altera quidem versus Orientem, et altera versus Occidentem, hujus-

modi lineæ distabunt quidem per spatium infinitum, eo namque quo longius protrahuntur, plus distant,et si in infinitum protrahuntur, ut modo supponitur, in infinitum distabunt; tunc ergo sequeretur tale spatium esse infinitum, et non esse infinitum, quod est contradictio; esset infinitum, quia distant infinite; non esset infinitum, quia clauditur principio et fine, quod infinito repugnat, quia clauditur inter illas duas lineas.

15. (c) *Quod extra cœlum sit terra alterius mundi.* Nota, quod ista imaginatio intelligitur ponendo plures mundos concentricos, velut si supra ultimum cœlum nostri mundi esset cœlum terreum, et ultra illud cœlum aqueum, et postea cœlum aereum, et deinde cœlum igneum, et postea alia corpora cœlestia, ita ut essent infiniti mundi, etc.

(d) *Ut sic fiat in singulis partibus proportionalibus horæ.* Nota, quod tenens quod Deus non potest facere infinitum in actu, habet negare quod in qualibet parte proportionali unius horæ Deus possit producere, verbi gratia, unum lapidem, eo quod tales partes non sunt separatim a se invicem assignabiles, eo quod non sunt partes actuales, sed solum potentiales, sicut etiam de partibus proportionalibus rei permanentis : et cum dicitur, quod non est assignabilis pari proportionabilis alicujus horæ, in qua Deus non possit producere lapidem, concedendum est : et dicendum ulterius, quod in una hora non possunt infinitæ partes signari, cum una non sit extra aliam, sed semper in alia contineatur. Nam in continuo nulla pars potest signari, de qua sit verum dicere, quod in eodem continuo sunt infinitæ partes illi parti æquales non communicantes : omnes enim quæ illi assignabuntur æquales non communicantes erunt finitæ. Sed vide Scotum *in* 2. *Sent.* loco supra relato, et Scotum *in* 3. *Physic. quæst.* 3.

EXPOSITIO TEXTUS

16. Text. 42. *Physice autem* (*1*) *magis speculantibus ex hisce manifestum erit.* Hoc est tertium capitulum, in quo Philosophus ostendit, quod nullum est corpus sensibile actu infinitum. Quod probat sex rationibus. Secunda ibi : *Quod autem omnino impossibile sit.* Tertia ibi : *Omnino autem manifestum est.* Quarta ibi : *Amplius omne corpus.* Quinta ibi : *Simpliciter autem si impossibile est.* Sexta ibi : *At vero quod alicubi est.* Prima ratio est, quod si esset aliquod corpus sensibile actu infinitum, vel illud esset simplex, vel compositum ; quod non sit simplex, probatur ibi : *At vero neque unum ac simplex.* Primo probatur ista conclusio, quod nullum est corpus sensibile compositum actu infinitum : quia vel esset, quia simplicia componentia essent infinita in multitudine, et hoc non, ut probatum est primo hujus ; vel quia sunt finita in multitudine; sed unum est infinitum in magnitudine, et hoc non, quia tunc illud elementum simplex infinitum statim corrumperet omnia alia, cum haberet contrarietatem cum aliis. Et si aliquis cavillando dicat, quod non sequitur, quia possibile est,quod illud corpus infinitum sit remissæ activitatis, ut aer ; et elementa sicca sunt magnæ activitatis ; ideo non oportet, quod si illud elementum remissæ activitatis esset infinitum, quod corrumperet omnia alia. Contra hoc objicit Aristoteles, quia ex quo ille aer est infinitus, est accipere aliquam portionem ejus æqualem in virtute cum igne finito dato ; et tunc ad illam portionem aeris contingit dare duplam, triplam, et sic in infinitum ; ex quo aer est infinitus. Sequitur etiam quod habebit infinitam virtutem super omnia alia, et per consequens statim omnia alia corrumpet.

Ad istam rationem Aristotelis,potest responderi, quod agens majus extensive non agit fortius,quam minus agens; quod patet. Nam totum mare non velocius, aut intensius frigefacit manum tuam, quam unus fons, vel una scutella plena aqua. Secundo patet idem, quia si agens ageret secundum se totum, tunc scintilla ignis non posset durare in aere, quod est contra experientiam. Et patet consequentia : quia totus aer haberet valde magnam proportionem super illam scintillam.Ideo dico, quod agens non agit nisi secundum partes applicatas; verbi gratia, aer circumdans nos, tantum agit de facto alterando nos, quantum si esset infinitus extensive, et ideo non sequitur, quod si aer esset infinitus, quod corrumperet omnia alia. 17.

Unumquodque (2) *autem infinitum esse,* Text. 43.

etc. Hîc ostendit, quod nullum est compositum simplex actu infinitum, ex eo quod plura componentia ejus sunt infinita. Probatur : quia corpus est, quod facit undique distare ; igitur corpus infinitum est quod facit in infinitum undique distare, igitur impossibile est esse plura corpora infinita, cum unum infinitum totum occuparet.

Ad istud potest responderi dupliciter ; primo, quod licet impossibile esset, esse duo infinita secundum omnem dimensionem, quorum unum non informaret reliquum ; tamen possibile esset esse duo infinita secundum unam dimensionem protensam ad diversas partes : verbi gratia, si esset una columna finite lata, et finite profunda, et in infinitum protensa ad Orientem, et una alia in infinitum protensa ad Occidentem ; tunc non sequitur quod unum infinitum totum occuparet, vel quod impossibile esset esse plura infinita. Secundo aliter respondetur, quod potest imaginari unum mixtum infinitum, ut lapis, cujus componentia simplicia sint finita in multitudine, et infinita in magnitudine ; et tunc ratio non habet locum. Ideo quidquid sit de istis rationibus, visum est in quæstione.

18. Text. 44. *At vero neque* (3) *unum ac simplex*. Hîc probatur secunda conclusio, scilicet, quod nullum est corpus sensibile simplex actu infinitum, sicut posuerunt antiqui, qui dixerunt, quod esset quoddam medium inter duo elementa actu infinitum, et ponebant ipsum esse principium, ex quo omnia alia generantur. Hoc improbatur dupliciter : Primo, quia omne quod componitur ex aliquo per corruptionem resolvitur in illud, ex quo componitur : ideo sic entia naturalia componuntur ex illo principio, sequitur quod debet resolvi in illud principium, quod tamen non apparet nobis. Secundo (4) quia omne illud quod habet transmutationem cum aliquo, habet contrarietatem cum eodem ; sed entia naturalia habent transmutationem cum illo medio inter illa elementa, vel cum illo elemento, quod tu ponis infinitum ; igitur entia naturalia habent contrarietatem cum illo, et per consequens, cum illud sit infinitum, sequitur quod statim corrumpet omnia alia. Major patet, quia omnis transmutatio fit ratione contrarietatis ; et minor est nota, quia entia naturalia generantur ex illo simplici elemento tanquam ex principio ; quod non esset nisi cum illo haberent transmutationem.

Text. 45. 46 47. *Omne resolvitur in id ex quo est.*

Quod autem (5) *omnino impossibile sit.* Hîc ponit secundam rationem ad principale, et primo facit hoc ; secundo removet quemdam errorem Anaxagoræ, ibi : *Anaxagoras autem.* Ratio est ista, quia si esset aliquod corpus actu infinitum, vel hoc esset similium partium, quod est, sicut visum est sæpe in quæstionibus, corpus homogeneum ; vel dissimilium partium, quod est, ut etiam sæpe visum est, corpus heterogeneum : et primo probat primum. Secundo secundum ibi : *Si vero dissimile sit totum.* Primo probat, quod impossibile est aliquod sensibile homogeneum esse actu infinitum, supponendo duo : Primo, quod cujuslibet corporis sensibilis est aliquis locus determinatus. Secundo, quod idem sit locus totius, et partis ; ut centrum mundi est locus totius terræ, et etiam locus ad quem inclinatur una gleba. Similiter idem est locus totius ignis, et unius scintillæ, ut concavum orbis lunæ. Tunc formetur ratio, si esset aliquod corpus homogeneum infinitum, tunc sequeretur quod ipsum et quælibet pars ejus esset immobilis, vel quod ubique moveretur, et ubique quiesceret naturaliter, consequens est falsum ; quia si aliquod quiescat naturaliter in uno loco, violenter movetur ab illo, et per consequens non ubique movetur naturaliter. Consequentia tenet ; quia corpus infinitum occupat locum infinitum ; tunc igitur accipiatur una portio illius corporis, tunc quilibet locus est locus naturalis istius partis per secundam suppositionem : igitur ista pars quiescet naturaliter in quolibet loco : igitur similiter movebitur naturaliter ad quemlibet locum ; igitur cum ubique sit suus locus naturalis, sequitur quod ubique movebitur, et ubique quiescet : vel opor- 19. Text. 48.

Impossibile est sensibile homogeneum esse infinitum

tet dicere, quod quælibet pars ejus est omnino immobilis, et etiam totum omnino immobile, cum totum et pars sint ejusdem rationis.

20. Text. 49. *Corpus heterogeneum non potest esse infinitum.* *Si vero* (6) *dissimile sit totum.* Hic probat quod impossibile est corpus heterogeneum, id est, dissimilium partium, esse actu infinitum, primo, quia tunc sequeretur quod totus mundus non esset unum corpus nisi in tangendo, id est, nisi per modum cumuli, et aggregationis; consequens est falsum : quia est aliquod corpus continens mundum per modum locantis. Et patet consequentia : quia non esset nisi aggregatio partium dissimilium in infinitum sine locante aliquo, vel termino. Secundo, quia vel illæ partes sunt finitæ, vel infinitæ; non finitæ, quia tunc oporteret aliquam illarum partium esse infinitam, quæ, cum habeat contrarietatem ad alias partes, sequitur quod statim corrumperet omnes alias partes, ut argutum fuit prius, et propter hoc nullus antiquorum posuit illud corpus infinitum esse ignem, vel terram : quia in ipsis sunt contrarietates determinatæ, et valde manifestæ, scilicet *caliditas, frigiditas, sursum et deorsum*, quæ sunt contraria secundum locum. Nec potest dici, quod partes illæ sint infinitæ, propter duo : Primo, quia tunc principia rerum naturalium essent infinita in multitudine, cujus oppositum est probatum primo hujus. Secundo, sicut essent corpora infinita, quæ essent partes illius infiniti, ita oporteret loca naturalia esse infinita, ex quo nullum est corpus sine loco, nec locus sine corpore.

Text. 50. *Anaxagoras* (7) *autem*, etc. Hic removet quemdam errorem Anaxagoræ. Unde Anaxagoras posuit, quod infinitum est locus sui ipsius, ita ut infinitum sit in se ipso; nec est aliquid aliud continens ipsum, et ideo, ex quo est in se ipso tanquam in loco, quiescit in se ipso naturaliter. Istud improbat tripliciter. Secundum ibi : *Si igitur quam maxime.* Tertium ibi : *Similiter et infinitum.* Prima ratio est ista, quia ista consequentia non valet, *infinitum est in se ipso naturaliter* : quia multa sunt alicubi tanquam in loco, ubi quiescunt, et tamen non naturaliter, imo per violentiam, sicut patet de lapide detento sursum violenter.

Si igitur (8) *maxime*, etc. Ponitur secunda ratio, quia si terra esset infinita in magnitudine, quiesceret propter eamdem causam, propter quam de facto quiescit : sed terra nunc non quiescit ex eo quod infinita, igitur tunc non quiesceret ex eo quod est infinita : et per consequens non est verum, quod infinitum quiesceret in se ipso, propter hoc quod est infinitum. Major probatur : quia terra nunc quiescit propter ejus gravitatem, scilicet in medio mundi, eo quod omnes partes ejus æqualiter inclinantur ad centrum : et minor patet, quia de facto terra est finita : et per consequens non quiescit de facto ex eo quod est infinita. 21. Text. 51.

Similiter (9) *et infinitum*, etc. Ponitur tertia ratio contra eumdem : quia licet corpus infinitum quiesceret in se ipso propter infinitatem, tanquam propter causam, tamen ista ratio non sufficit ad dandum causam quietis partium corporis infiniti, ita ut arguatur sic; pars corporis infiniti non quiescit naturaliter, eo quod est infinita ; igitur corpus infinitum non quiescit, eo quod est infinitum. Tenet consequentia : quia sicut in corporibus homogeneis idem est locus totius, et partis, ita eadem est causa quietis totius, et partis, ut totius terræ, et unius glebæ. Text. 52.

Omnino (10) *autem manifestum est.* Ponitur tertia ratio ad principale : quia si esset corpus aliquod sensibile infinitum, vel illud esset grave ; et hoc non, quia tunc nullum esset leve : vel esset leve, et hoc non, quia tunc periret natura gravis : vel haberet partim gravitatem, et partim levitatem ; et tunc quæritur, secundum quam proportionem dividitur in grave, vel leve, aut secundum quam proportionem esset sursum, et secundum quam deorsum, et non apparet quomodo. 22 Text. 53.

Amplius omne (11) *corpus sensibile.* Ponitur quarta ratio, quia nullus est locus in- Text. 54

finitus ; igitur nullum est corpus infinitum. Tenet consequentia, quia sicut dictum est, nullus est locus sine corpore, nec corpus sine loco. Antecedens patet, quia species

Loci species et differentiæ. Text. 13. et 14. locorum sunt finitæ, scilicet, *sursum, deorsum, ante, et retro, dextrum, et sinistrum*; quæ non solum dicuntur in comparatione quoad nos, sed simpliciter ad totum universum, ut habet videri *secundo Cœli*.

Text. 55. *Simpliciter* (12) *autem si impossibile est*. Ponitur quinta ratio, quæ est consimilis præcedenti : quia impossibile est aliquem locum esse infinitum, et impossibile est corpus infinitum esse sine loco ; igitur impossibile est aliquod corpus esse infinitum· Antecedens potest probari aliter quam prius : quia motus simplices sunt finiti et in numero certo, ut patet *secundo Cœli*; igitur per consequens loca sunt finita, ad quæ sunt hujusmodi motus.

At vero quod alicubi est, etc. Ponitur
23 sexta ratio , quia videmus quod omne corpus est finitum, et secundum quantitatem, et secundum locum ; igitur nullum corpus est infinitum. Tenet consequentia: quia, ex quo quodlibet corpus terminatur per locum, et in quantitatem, sequitur quod cujuslibet corporis est aliquis terminus, et per consequens nullum corpus est infinitum. Antecedens patet, quia videmus quod omne quantum est bicubitum, vel tricubitum, et sic de aliis. Similiter omne quod est in loco est alicubi, puta sursum, vel deorsum, et sic de aliis differentiis positionis; ex quibus patet quod nullum est corpus sensibile actu infinitum.

Text. 56. *De infinito potentia.* *Quod igitur* (13) *actu non sit corpus infinitum, manifestum est ex his*, etc, Hoc est quartum capitulum hujus tractatus, in quo Philosophus ostendit, qualiter infinitum est, et qualiter non est : et primo ostendit, quod infinitum aliquo modo est, et aliquo modo non. Secundo ostendit, qualiter est, et qualiter non, ibi.

24. *Dicitur autem ipsum esse*. Primum probatur sic : quia corpus sensibile est esse actu infinitum : igitur aliquo modo infinitum non est ; sed quod aliquo modo infinitum sit, patet ex tribus. Primo quia tempus non habet principium, neque finem. Secundo quia magnitudo est in infinitum divisibilis.

Et tertio, quia numero in infinitum potest fieri additio.

Dicitur autem ipsum esse. Hîc ostendit qualiter infinitum est, et qualiter non; et primo ostendit quod ( ) infinitum est in potentia.

Secundo, qualiter in potentia.

Tertio, quia omnis potentia est reducibilis ad actum ; ostendit qualiter infinitum est in actu : et quarto ostendit qualiter in magnitudine, et numero est diversimode infinitum. Secundum ibi : *Non oportet autem quod potentia est*. Tertium ibi : *Quod autem est secundum appositionem*. Primo probatur quod infinitum est in potentia, quia infinitum aliquo modo est per primam conclusionem ; tunc igitur vel est in potentia, vel in actu : non in actu per præcedens capitulum ; igitur relinquitur quod sit in potentia. *Infinitum est in potentia.*

Non oportet (14) *autem quod potentia est*. Text. 57. Hîc ostendit qualiter infinitum est in potentia. Ubi notandum, (b) quod duplex est potentia, quædam privata actu, sicut dicimus quod lapis est in potentia Regis, eo quod aliquando erit statua Regis : alia est in potentia conjuncta cum aliquo alio actu, licet non completo ; sicut dicimus quod dies non potest esse, eo quod est actu secundum unam partem, et potest esse secundum aliam, et ita de aliis, quorum *esse* consistit in *fieri*, ut *Agon*, qui est quidam ludus, qui fiebat antiquitus in monte Olympo. Modo intendit Aristoteles quod infinitum sit in potentia secundo modo, non primo ; et qualiter hoc sit probat in alia parte. *Potentia est duplex.*

Aliter autem (15) *et in tempore*. Hîc ostendit qualiter infinitum est in actu, et 25. Text. 58. præmittit primo, quod differenter est infinitum in permanentibus, et successivis. Nam divisio continui in permanentibus prius facta manet cum divisione posterius facta ; sed non manet in successivis, et hoc dupliciter. Primo, quia utrumque, scilicet *Infinitum in permanentibus et successivis est indifferenter.*

tam permanens quam successivum est divisibile in infinitum. Secundo quia semper acceptum in utraque divisione est finitum. Tunc ostendens, qualiter infinitum est in actu, distinguit de actu : nam quædam potentia reducitur ad actum completum, ut potentia ad hominem reducitur ad actum, quando homo est complete generatus ; sed alia est potentia, quæ reducitur ad actum non completum, sed semper permixtum potentiæ ad aliquid ulterius ; modo divisio continui in infinitum reducitur ad actum divisionis in aliquot partes, sed nunquam in tot, quin semper restent aliquæ ulterius dividendæ, et hoc innuit differentiam de infinitate permanentis, et successivi, quæ jam dicta est.

26. Text. 59. *Quod autem* (16) *est secundum appositionem.* Hîc ostendit qualiter est infinitas secundum appositionem, et divisionem. Secundo ostendit qualiter est infinitas in magnitudine secundum divisionem. Tertio qualiter secundum appositionem ; et quarto reprobat Platonem. Secundum ibi : *In magnitudine infinita.* Tertium ibi : *Et secundum appositionem.* Quartum ibi : *Quoniam et Plato.* Primo probat, quod quodammodo est simile de infinitate magnitudinis secundum appositionem, et secundum divisionem : quia si illud, quod removetur ab uno continuo per divisionem, addatur alteri per appositionem, tunc sicut unius est divisio in infinitum, ita alteri fit appositio in infinitum ; et per consequens quodammodo est simile de istis.

Magnitudo est infinita secundum divisionem *In magnitudine enim finita.* Hîc ostendit qualiter magnitudo est infinita secundum divisionem per duas conclusiones. Prima est quod magnitudo non est divisibilis in infinitum secundum partes ejusdem quantitatis, ita ut partes posterioris divisionis sint æquales partibus prioris divisionis. Secunda conclusio, quod magnitudo est in infinitum divisibilis secundum partes ejusdem proportionis. Probantur ambæ simul, quia illo modo est divisibilis magnitudo in infinitum, qualiter semper restat aliquid dividendum, et non illo modo qualiter per divisionem magnitudo tandem consumitur; sed magnitudo si dividatur in infinitum in partes ejusdem proportionis, semper restat aliquid dividendum de magnitudine, et per divisionem in partes ejusdem quantitatis in infinitum tandem consumitur magnitudo, ita ut non restet amplius dividendum : igitur magnitudo est divisibilis in infinitum, non in partes ejusdem quantitatis, sed in partes ejusdem proportionis.

Et secundum(17)*appositionem.* Hîc ostendit, qualiter est infinitas magnitudinis secundum appositionem ; et probatur ista conclusio, quod magnitudini potest fieri appositio in infinitum per partes ejusdem quantitatis. Probatur, quia simile est de infinitate magnitudinis secundum appositionem, et divisionem, ut probatum fuit prius ; sed magnitudo est in infinitum divisibilis secundum partes ejusdem proportionis, et non secundum partes ejusdem quantitatis : igitur magnitudo est in infinitum augmentabilis secundum partes ejusdem proportionis, et non secundum partes ejusdem quantitatis. Secundo arguitur, supponendo, quod non omni magnitudine data, dare est majorem, sed omni magnitudine data, dare est minorem. Hoc probabitur postea. Tunc arguitur eo modo: Magnitudo est augmentabilis in infinitum, quomodo non potest excedere omnem magnitudinem datam : sed faciendo additionem secundum partes ejusdem quantitatis, excederet omnem magnitudinem datam ; sed faciendo additionem secundum partes ejusdem proportionis non excederet omnem magnitudinem datam : igitur magnitudo est in infinitum augmentabilis, non secundum partes ejusdem quantitatis, sed secundum partes ejusdem proportionis. 27. Text. 60. Vide digressionem Averrois.

Quoniam(18)*et Plato.* Hîc improbat Platonem (c) ex prædictis, quantum ad duo: Primo, quia dicebat Plato, quod augmentatio quantitatis vadit in infinitum, quod est falsum ; quia non omni magnitudine data est dare majorem. Secundo dicebat, quod numerus est finitus, et secundum appositionem Text. 61.

et secundum divisionem ; nam ab una parte est unitas, quæ est indivisibilis, et a parte magnitudinis terminantur species numerorum ad decem, quia ultra decem non fit nisi retractatio specierum numeri. Modo hoc est falsum, quia semper per appositionem unius speciei numerorum ad aliam, resultant diversæ species.

ANNOTATIONES

(a) *Ostendit quod infinitum est in potentia.*
28. *Infinitum tripliciter considerari potest.* Nota infinitum tripliciter considerari posse; primo modo, quoad durationem, et perpetuitatem, et æternitatem; et hoc modo agit Aristoteles de infinito 8. *Physicorum*. Secundo modo quoad indeterminationem, ita ut illud sit infinitum, quod est indeterminabile; et hoc modo agit Aristoteles de infinito 1. *Physic. cap. ult.* ubi appellat materiam infinitam, id est, indeterminatam. Tertio modo accipitur magis Physice, quoad carentiam terminorum, et ita agit hîc de infinito.

Esse in potentia dupliciter. (b) *Duplex est potentia.* Nota quod aliquid esse in potentia dupliciter contingit : uno modo, quod totum potest reduci ad actum completum, sicut æs est in potentia, statua, et hoc secundum omnes suas partes, quia æs secundum omnes suas partes potest esse actu statua, et hoc modo non est possibile infinitum reduci ad actum. Alio modo aliquid potest esse in potentia, quod incomplete, et successive reducitur ad actum, et quod nunquam reducetur complete ad actum, cujus scilicet nunquam omnes partes simul erunt, sicut dies *Agon*, et *Olympia* : dies enim et *Agon* est semper in aliud, et aliud *fieri* ; et hoc modo continuum potest dividi in partes, et rursus quælibet illarum in alias partes, et sic in infinitum sine termino. Hæc divisio potentiæ sequitur *esse* rei : aliquæ enim res sunt, quarum totum esse est simul, ut domus in artificialibus, homo, vel leo in naturalibus. Aliæ sunt quarum *esse* est in *fieri*, et successione, sicut motus, et res successivæ, et cum potentia sit ad *esse*, si potentia sit ad *esse* rei permanentis, tunc tota res potest ad actum reduci ; si vero potentia sit respectu rerum successivarum, non reducitur ad actum, ita ut tota res sit simul, sed sic, quod semper sit aliud post aliud accipere.

29. *Frustra est potentia quæ non reducitur ad actum, quomodo intelligitur.* Ex hac doctrina elicitur verus sensus hujus pertritæ maximæ : *frustra est potentia, quæ non reducitur ad actum* ; sensus enim est, quod frustra est potentia activa naturaliter ad aliquem actum ordinata, quæ ad actum non possit reduci : quia sicut, verbi gratia, ignis habet potentiam comburendi lignum, si lignum habet potentiam ad comburi, frustra esset potentia ignis, si nunquam quibuscumque positis, posset reduci ad actum. Item, frustra est potentia ad esse permanens, quæ non potest reduci ad actum ; tamen si potentia sit respectu entis successivi, etiam est vera in hoc sensu, quod frustra est potentia, quæ ad illum actum ut sic, non potest reduci ; ejus autem actus est, quod semper sit in *fieri*, et in successione, ita ut potentia continui ad dividi, est ut semper sit divisibilis, et esset frustra si daretur non divisibile, quapropter quantumcumque dividatur, semper est divisibile in potentia ; et sic datur infinitum in potentia incompleta, nunquam enim in actu completo dabitur actu infinitum.

(c) *Improbat Platonem.* Nota quod Plato posuit infinitum reperiri in magnitudinibus nedum secundum divisionem, sed etiam secundum appositionem : ita ut sicut omni magnitudine data, contingit dare minorem, ita secundum eum omni magnitudine data, contingit dare majorem. At in numeris Plato non posuit infinitum, nec secundum divisionem, quia est status ad unitatem ; nec secundum appositionem, quia secundum eum est status ad decem, et numeri qui sunt ultra, sunt ejusdem speciei cum prioribus, nec sunt nisi priores reiterati.

EXPOSITIO TEXTUS

Accidit autem (1) *contra esse infinitum.* 30. Text. 62.
Hoc est quintum capitulum hujus tractatus in quo Philosophus ostendit quid sit infinitum definitive ; et primo, recitando quamdam definitionem antiquorum de infinito, ponit definitionem veram infiniti. Secundo improbat illam definitionem antiquorum ; et tertio removet motivum ipsorum. Secundum ibi : *Cujus autem nihil est extra.* Tertium ibi : *Quoniam hinc quidem.* Unde (a) antiqui definiverunt infinitum sic : Infinitum est extra quod nihil est, quod est falsum, imo potius debuissent dixisse oppositum, scilicet, quod *infinitum est, cujus quantitatem accipientibus semper contingit accipere ultra* ; cujus signum est, quod vulgus tempore Aristotelis vocavit circulum infinitum propter ejus similitudinem ad infinitum : quia quantacumque parte circuli accepta, contingit ulterius accipere aliam partem, sed non est omnino simile. *Infinitum non recte a veteribus definitum.*

ext. 63. *nfinitum quid.* Quia (b) infinitum (2) est cujus quantitatem accipientibus semper contingit accipere aliquid ultra, ita quod pars posterioris accepta non continuatur cum aliqua prius accepta, imo in acceptione partium circuli, partes posterius acceptæ continuantur cum prioribus; ideo non oportet, quod circulus sit infinitus.

31. ext. 64. *Cujus* (3) *autem nihil est extra.* Improbat definitionem antiquorum de infinito: quia si esset bona, tunc sequeretur quod totum, (c) et perfectum essent infinitum. Consequens est falsum; quia totum perfectum jam est finitum. Et patet consequentia: Primo, loquendo simpliciter, quia cœlum est extra quod nihil est, et tamen cœlum non est infinitum, ut patet *primo Cœli.* Secundo patet, loquendo secundum *quid*: quia quodlibet totum est, extra quod non est aliqua pars ejus, et per consequens quodlibet totum esset infinitum. Ex hoc refert Aristoteles, quod melius dixerat Parmenides, quam Melissus. Unde Melissus dixit, quod totum esset infinitum; sed Parmenides dixit quod totum esset infinitum per circumferentiam continentem æque distantem a centro.

ext. 37. que ad 75

Totum quid.

Vide pro oc 1. cœli xt. 3. et 12.

32. ext. 65. *Quoniam hunc* (4) *quidem.* Hîc removet motivum ipsorum dicens, quod antiqui movebantur propter hoc, quod dicebant infinitum continere omnia in se; et ideo in hoc habet quamdam similitudinem cum toto, quod continet in se omnes suas partes. Hoc improbat: quia magnitudo non est infinita nisi in potentia secundum divisionem ipsius in partes in infinitum: sed secundum quod est in potentia non continet partes suas, sed secundum quod est in actu: igitur magnitudo non est continens secundum quod est infinita: imo potius continet, quia partes, in quas totum est divisibile in infinitum, continentur in toto, et non continent totum. Ex quibus infert duo corollaria: Primum est, quod infinitum est ignotum, quia infinitum non est nisi ratione materiæ quæ est ignota. Unde notandum, sicut patuit in secundo, quod uno modo materia dicitur de partibus integralibus totius, et forma de unione illarum partium; et ideo dicit in proposito, quod partes sunt materia totius, sicut æs est materia statuæ, et ly *sicut* non denotat consimilem modum materiæ, sed consimilem modum vocandi. Secundum corollarium, 5) quod Plato inconvenienter dixit infinitum continere omnia sensibilia, et intelligibilia: quia irrationabile est, quod ignotum, et indeterminatum contineat et determinet omnia alia. Text. 66.

nfinitum cundum uod infinitum, notum est

ANNOTATIONES

33. *Definitiones tres de infinito.* (a) *Antiqui definierunt infinitum*, etc. Nota, quod tres assignantur definitiones de infinito. Prima est: *Infinitum est cujus nihil entitatis deest, eo modo quo possibile est illud haberi in aliquo uno.* Alia definitio est: *Infinitum est quod excedit omne ens finitum non secundum aliquam determinatam portionem, sed ultra omnem portionem determinatam, vel determinabilem.* Tertia definitio est: *Infinitum est magnitudo, vel multitudo, qua nihil est majus.* Et istæ definitiones dantur per oppositum ad illam, quæ est Aristotelis, qua dicitur: *Infinitum est cujus quantitatem accipientibus, semper est aliquid extra accipere.*

Infinitum bifariam sumi potest (b) *Infinitum est cujus quantitatem*, etc. Nota primo, quod infinitum potest duobus modis accipi; uno modo pro per se significato, sive pro formali et sic est quædam ratio successiva, de qua dictum est supra: alio modo pro denominato, seu pro materiali, et sic est res, quæ est infinita. Unde definitio infiniti non datur de infinito pro denominato, sed per se significato. Et sic debet intelligi, *infinitum est cujus est semper aliquid extra accipere*, id est, infinitum est illud, de quo si auferatur quodcumque finitum, adhuc restat aliquid accipiendum extra præter illud finitum acceptum: quantumcumque enim tempus accipias, dum tamen finitum accipias, semper restat aliquid accipiendum. Similiter quascumque divisiones magnitudinis accipias, dum tamen finitas, adhuc potes aliquid extra accipere.

34. *Infinitum consistit formaliter in successione.* Nota secundo, quod infinitum, de quo loquitur Philosophus, consistit formaliter in successione, eo quod ratio ejus est formaliter successiva, quod sic declaratur: Omnis ratio permixta intrinsece ex actu, et potentia est successiva: quia ratione actus aliquid est in actu, ratione potentiæ includit aliquid quod non est, et per consequens constat ex partibus quæ non sunt; sed ratio infiniti partibilis (secundum quod infinitum) est permixta intrinsece ex actu,

et potentia; si enim aliquis imaginetur aliquod partibile in infinitum, necessario figit aspectum super aliquid in actu, deinde super aliquid aliud, et sic semper procedendum, ita ut intellectus nunquam attingat totum simul in actu, quia si sic jam finiret; ergo ratio infiniti est successiva, et hoc voluit Aristoteles quando dixit quod ratio infiniti non reducitur ad actum perfectum, sed actum imperfectum, sicut dies, et *Agon*; sequitur ergo, quod ratio infiniti partibilis est successiva. Quod etiam manifeste patet ex conditionibus, quas attribuunt infinito. Prima est, infinitum est, cujus quantitatem accipientibus semper est aliquid extra accipere, hoc convenit rationi successivæ non permanenti. Secunda, quod non habet rationem totius, sed partis, quia de infinito non est nisi pars in actu, quod iterum non convenit nisi successivo. Tertia, quod habet rationem incompleti, et imperfecti. Quarta, quod non continet, sed continetur, quæ conveniunt rationi successive. Quinta, quod est ignotum: quia pars quæ sumitur est in actu, et semper est aliqua pars sumenda, quæ est in potentia, et etiam pars actualis sumpta est ad aliud, quod est in potentia: quod enim caret actu est ignotum, quia intellectus semper actuat, et finit illud, quod intelligit, et hoc iterum convenit rationi successivæ non permanenti, ut permanens est.

Infiniti conditiones.

(c) *Totum, et perfectum essent infinitum, etc.* Nota, quod definitio conveniens toti, et perfecto non est bona definitio infiniti; quia nullum infinitum est perfectum, caret enim fine, qui est perfectio rei, perfectum autem nullum est non habens finem: si autem infinito repugnat ratio perfecti, ei etiam repugnat ratio totius, quia totum et perfectum idem sunt, vel propinqua. Unde Aristoteles 5. *Metaphysicæ*, text. 31, et 4. Physic. 45 dicit totum esse, cujus nihil est extra accipere, id est, quod habet omnia necessaria ad sui perfectionem: atque adeo totum, et perfectum, aut idem penitus sunt, aut proxima secundum naturam. Et hîc, inquit Aristoteles, quod totum est cui nihil deest, vel simpliciter nihil, sicut patet de mundo, cui proprie ratio totius convenit, vel nihil deest de his, quæ pertinent ad complementum rei, sicut dicimus hominem totum, vel arcam totam. Ex quibus patet quam positio Parmenidis est rationabilior positione Melissi. Dicit enim Melissus totum ens, sive universum esse infinitum, secundum quod dicit mundo continuari infinitum, quod est extra cœlum, sicut lignum continuatur ligno. Sed Parmenides dicit totum mundum esse infinitum, et sphæricum, per æquam distantiam circumferentiæ a centro.

Definitio totius, et perfecti non convenit recte infinito.

EXPOSITIO TEXTUS

Secundum rationem (1) *autem accidit, etc.* Hoc est sextum capitulum, in quo Aristoteles determinat de causis finitatis, et infinitatis in rebus naturalibus; et dividitur: quia primo ostendit quæ sit finitas, et infinitas in magnitudine. Secundo qualiter in numero. Tertio qualiter in motu, et tempore. Quarto removet dubium. Et quinto ostendit ad quod genus causæ reducuntur finitas, et infinitas. Secundum ibi, *Rationabiliter autem, et hoc.* Tertium ibi, *Infinitum autem non est idem in motu.* Quartum ibi, *Non removet autem ratio.* Quintum ibi, *Quoniam autem causæ divisæ sunt.* Primo ponit duas conclusiones de magnitudine, quarum prima est, quod magnitudo non est infinita secundum appositionem. Secunda, quod magnitudo est infinita secundum divisionem. Probantur simul; quia totum habet se per modum actus, et formæ, cujus est determinare, et finire; et partes se habent per modum materiæ, et potentiæ, quæ de se est indeterminata; ideo processus ad totum, scilicet appositio, est finitus, et determinatus; et processus ad partes est infinitus, et determinatus, scilicet divisio, et per consequens magnitudo est infinita secundum divisionem, et non secundum appositionem.

36. Text. 67.

Magnitudo non est infinita secundum appositionem, sed secundum divisionem

Rationabiliter (2) *autem et hoc.* Hîc ostendit qualiter est finitas, et infinitas in numero; et ponit tres conclusiones. Prima est, quod numerus non est divisibilis in infinitum. Secunda, quod numerus est infinitus secundum appositionem. Et tertia, quod de contrario est infinitas in numeris, et in magnitudinibus. Prima probatur ibi, *causæ enim est*, quia (a) numerus componitur ex unitatibus: modo unitas est indivisibilis; primo, quando dicimus quod indivisibile est unum, ut punctus, vel Intelligentia. Secundo, quando dicimus, *homo est unus*, quia adhuc unitas est divisibilis in plura similia subjecta, quia unus homo non est plures homines. Tertio, quia sicut ter-

Text. 68.

mini materiales sunt connotativi divisionis, ita hoc nomem *unum* connotat indivisionem

Versus autem plus, etc. Probat secun-
37. dam conclusionem : quia numerus est augmentabilis, secundum quod magnitudo est divisibilis ; sed magnitudo est divisibilis in infinitum : igitur numerus est augmentabilis in infinitum. Et ex hoc infert ibi : *Quare potentia* ; quod nullus numerus est actu infinitus, sed in potentia tantum ad istum sensum, quod quantocumque numero accepto, adhuc potest accipi unus alius numerus major; sicut quantacumque divisione continui accepta, adhuc restat divisio ulterior accipienda.

xt. 69. *In magnitudinibus* (3) *autem*. Probat tertiam conclusionem, et sequitur ex prædictis : quia magnitudo est divisibilis in infinitum, sed non augmentabilis in infinitum. Numerus vero est augmentabilis in infinitum, sed non divisibilis in infinitum; igitur et contrario est finitas, et infinitas, in numeris, et magnitudinibus. Et tunc opponit quamdam rationem ad primam conclusionem capituli, quæ fuit, quod magnitudo non est augmentabilis in infinitum : quod quantamcumque contingit esset magnitudinem in potentia, tantam contingit esse in actu, sed per te contingit magnitudinem esse infinitam in potentia : igitur contingit magnitudinem infinitam esse in actu, quod est falsum, ut patet ex 3. capitulo. Secundo, quia si magnitudo esset augmentabilis in infinitum, jam contingeret dare aliquod corpus majus cœlo, quod est impossibile.

de di- ressio- n Aver. per isto tu.

38.
xt. 70. *Infinitum autem* (4) *non est idem in motu*. Hic ostendit qualiter est finitas, et infinitas in motu, et tempore ; et ponit istam conclusionem, quod finitas, et infinitas inveniuntur in magnitudine, motu, et tempore ; per prius tamen in magnitudine, quam in motu, vel tempore. Probatur, quia finitas (b) et infinitas magnitudinis est causa finitatis, vel infinitatis motus, scilicet propter quam motus est finitus, vel infinitus : igitur per prius inveniuntur finitas, vel infinitas in magnitudine quam in motu ; et per prius in motu, quam in tempore, et etiam de magnitudine, et motu, et præcise secundum rationem, supposito quod motus non sit aliud, quam mobile motum, et tempus non sit aliud a motu.

x isto tu elici- analo- n non nificare uram unam.

Non removet (5) *autem ratio*. Hic removet dubium, quia Mathematici imaginantur magnitudines infinitas in demonstrationibus suarum conclusionum ; vel igitur consideratio ipsorum est falsa, vel ipsa determinatio de infinito est falsa. Respondet Aristoteles, quod Mathematici (c) non ponunt aliquas magnitudines actu infinitas, nec indigent uti magnitudinibus infinitis, quia omnis proportio reperibilis inter magnitudines majores, potest etiam inveniri in magnitudinibus minoribus ; et ideo Mathematici semper utuntur magnitudine finita, licet quanta voluerunt. Et super istam partem dicit Commentator, quod propositiones Mathematicæ sunt in capitulo propositionum imaginabilium, ita quod illud, quod imaginatur Mathematicus, sive ita sit in re qualiter imaginatur, sive non, tamen non minus conclusiones suæ sunt veræ, ut patuit in quæstione de differentiis Mathematicæ a Naturali. Text. 71.

Quoniam autem (6) *causæ divisæ sunt*, 3°. Text. 72
Hic ostendit ad quod genus causæ reducitur infinitum ; et dicit quod reducitur ad causam materialem : nam infinitum se habet per modum potentiæ, et privationis ; modo potentia est indeterminata, et se tenet ex parte materiæ. Secundo, quia infinitum est ratione materiæ, id est, ratione partium integralium, in quas continuum est divisibile in infinitum : imo illæ partes se habent per modum materiæ, ut patet secundo hujus ; igitur infinitum (7) reducitur ad materiam. Tertio patet per antiquos, Text. 73.
qui posuerunt, quod infinitum est materia. Et tunc infert unam aliam conclusionem prius positam, scilicet quod inconveniens est, quod infinitum sit continens alia : imo potius debet esse contentum, cum sit præcise ratione partium integralium, quæ continentur in toto.

ANNOTATIONES

40. (a) *Numerus componitur ex unitatibus,etc.* Nota, quod tota vis hujus rationis est, quia nullum compositum ex indivisibilibus est divisibile in infinitum ; at numerus est hujusmodi, componitur enim ex unitatibus, numerus enim est uno plura, et quælibet quædam, id est, duo, vel tria, et ita de cæteris speciebus numerorum ; unitas autem secundum quod hujusmodi, indivisibilis est ; unum enim est indivisibile, quodcumque unum sit,ut *homo*, *unus homo*, et *non multi*. Et si dicas, videtur quod homo sit divisibilis in partes essentiales, similiter, et integrales, et etiam alia entia. Respondetur, quod dictum Aristotelis non debet intelligi, quod quodlibet unum sit simpliciter indivisibile, ita quod nullo modo sit divisibile, quia tunc nihil esset divisibile cum quodlibet, quod est, sit unum, et per consequens magnitudo non esset divisibilis in infinitum, quod est contra Philosophum. Sed debet intelligi, quod quodlibet unum est indivisibile, ita quod est indivisum in sua natura divisione opposita unitati, qua dicitur unum, ut unus homo non est multi homines, nec unum animal multa animalia.

(b) *Finitas et infinitas magnitudinis est causa, etc.* Nota quod propter magnitudinem esse divisibilem, motus est divisibilis ; et propter motum esse divisibilem tempus est divisibile : modo propter quod aliquid dicitur tale, illud est prius tale ; et per consequens magnitudo per prius est divisibilis in infinitum, et tempus post quam motus, atque adeo infinitum non est idem, tanquam una quædam natura in motu, magnitudine, et tempore, sed secundum prius, et posterius dicitur de illis.

41. (c) *Mathematici non ponunt aliquas magnitudines actu infinitas.* Nota, quod diversimode determinatur de infinito in hac scientia, quæ est naturalis in Mathematica, et Metaphysica. Nam, ut inquit Commentator, entia quatenus sunt intellecta, et abstracta a mensuris, et quantitatibus, pertinent ad scientiam divinam, sed perscrutatio de infinito et mensuris, et magnitudinibus, secundum quod sunt abstracta a materia, est perscrutatio Mathematici. Infinitum enim esse in tribus mensuris est principium, quod ponit Mathematicus. Possibile est enim apud eum lineam exire in infinitum, quod similiter est de superficiebus, et corporibus. Scientia vero naturalis perscrutatur de infinito, quod accidit in mensuris secundum quod sunt in materia. Scientia ergo divina secundum Commentatorem, si scrutatur de infinito, quod accidit mensuris, reperitur in substantiis separatis, et abstractis. Mathematica vero considerat de infinito in magnitudinibus secundum quod intelliguntur abstractæ a materia sensibili : sed Naturalis considerat de infinito in corporibus sensibilibus, perscrutando an aliquod corpus sit actu definitum.

EXPOSITIO TEXTUS

Reliquum (1) *est autem aggredi.* Hoc est septimum caput hujus tractatus in quo Philosophus solvit rationes, per quas probabatur prius infinitum esse, et primo præmittit intentionem ; secundo prosequitur, ibi, *Neque enim ut generatio non deficiat.* Primo dicit, quod nunc solvendæ sunt rationes, per quas probatum est infinitum esse non solum in potentia, imo etiam in actu, quarum rationum aliquæ non sunt necessariæ, aut veræ. Sumunt enim propositiones quasdam, quarum contrariæ, scilicet contradictoriæ sunt veræ. 42. Text. 73. *Solutiones rationum positarum a veteribus de infinito.*

Neque enim ut generatio non deficiat. Hîc prosequitur, et dividitur in quinque, secundum quinque rationes quas solvit. Secunda ibi : *Amplius tangere, et infinitum esse.* Tertia ibi, *Intellectione autem.* Quarta ibi, *Tempus autem, et motus.* Quinta ibi, *Magnitudo autem.* Primo solvit primam rationem, qua arguebant, quod tandem deficeret generatio, nisi materia esset actu infinita, negando consequentiam ; quia generatum sumit eamdem portionem materiæ, quam prius habuit corruptum ; igitur non oportet materiam esse infinitam, nec etiam deficere generationem.

Amplius(2) *tangere,et infinitum esse.* Solvit secundam, qua arguebant quod omne finitum finitur ad aliquod, et per consequens aggregatum ex omnibus esset infinitum. Dicit Aristoteles, quod non est simile, de tactu, et finito : quia omne quod tangit, tangit aliquid, et omne quod tangitur, tangitur ab aliquo ; sed non omne quod finitur, finitur ab aliquo, imo aliquod est finitum seipso, ut ultimum corpus, scilicet cœlum. 43. Text. 74. *Vide documentum Aver.*

Intellectione (3) *autem.* Solvit illam, qua arguebant de imaginatione, quod semper movetur ab aliquo. Respondet, quod non Text. 75.

semper credendum est imaginationi, quia licet aliquis imaginetur seipsum augmentari usque ad nubes, non propter hoc sequitur, quod sit augmentatus usque ad nubes.

Tempus autem, et motus. Solvit illam, qua arguebant de tempore, et motu, dicens quod ista non sunt infinita in actu permanenter, sed præcise secundum successionem, sicut dictum fuit prius.

Magnitudo autem. Solvit quintam rationem, qua arguebant de magnitudine, dicens quod magnitudo non est infinita in augmentatione, sed bene secundum divisionem, ut dictum fuit prius ; et ideo concludit recapitulando quod dictum est, quomodo infinitum sit, et quomodo non, et quid sit infinitum.

FINIS LIBRI TERTII

INDEX QUÆSTIONUM

SUPER LIBROS ELENCHORUM ARISTOTELIS

SUPER LIB. I. PRIORUM ARISTOTELIS

SUPER LIB. II. PRIORUM.

SUPER LIB. I. POSTERIORUM

LIBRI II. POSTERIORUM

IN OCTO LIBROS PHYSICORUM ARISTOTELIS

LIBRI I

LIBRI II

LIBRI III

FINIS

DIJON. — Union Typographique, rue St-Philibert, 40.